



## Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

## Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

## Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

HC 9585



UNIVERSITEIT



900

Digitized by Google









ACTA  
ERUDITORUM  
ANNO  
M DCLXXXVII

publicata.

*Cum S. Cæsareæ & Regiæ Poloniæ  
Majestatum Privilegiis.*

---

L I P S I Æ.

Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.  
Excusa typis CHRISTOPHORI GUNTHERI  
Anno M DC LXXXVII.





**ACTA  
ERUDITORUM  
ANNO  
M DCLXXXVII**

publicata.

*Cum S. Cesarea & Regia Polonica  
Majestatum Privilegiis.*

---

**L I P S I Æ.**

**Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.  
Excusa typis CHRISTOPHORI GUNTHERI  
ANNO M DC LXXXVII.**

[The text in this section is extremely faint and illegible due to low contrast and noise. It appears to be a multi-paragraph document.]

N. I.  
A C T A  
ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Januarii, Anno MDC LXXXVII.*

*JOURNAL DU VOYAGE DU CHEVA-  
lier Chardin en Perse & aux Indes Orientales  
par la Mer noire & par la Colchide.*

Sive

Johannis Chardini, Equitis, Diarium itineris in  
Persiam ac Indiam Orientalem per Pontum Euxinum  
& Colchidem. Pars Prima.

Londini, apud Moysen Pitt, 1686, in fol. & prostat Lipsiæ  
apud Gleditschium.

**P**rima solum, cæu rubrica monet, itineris a Chardino descripti  
pars nunc in publicum prodit, confecta nempe tempore inter  
autumnum anni 1671, & æstatem anni 1673 interjecto. Reliquos  
operis tomos, quorum tres adhuc expectare nos jubet, præsen-  
ti haudquaquam minores, prælo jam quidem committere noluit,  
forte quod nondum satis elaboratos atque expositos putaret; contem-  
tus interim indicato breviter argumento eorum prægustum dedisse.  
Videlicet Tomus *secundus* complectetur gesta reliquæ partis ejusdem  
anni 1673, ac prætores descriptionem generalem Persarum Imperii,  
legum, regiminis, consuetudinum, scientiarum atque artium, ut &  
specialem urbis Ispahan delineationem. *Tertius*, figuris compluscu-  
lis non minus ac *secundus* collustrandus, diarium debet anni 1674,  
ac inter alia explicationem amplam ruderum Pessepoleos, tanquam  
egregiarum splendidæ antiquitatis reliquiarum; ut & relationem  
de Persarum religione, haustam cum ex cultu eorum publico, cum ex  
ipsorum libris vernaculis. Tomus denique *quartus* præter ephemo-  
rides annorum 1675 & 1676, argumento novo ac Europæ nostræ hæc-  
tenus incognito, communicabit compendium historię Pæssicæ, ex

A

iplis-

ipsismet hujus autoribus collectum. Operis, quam nunc præ  
 manibus habemus, portio ipsa de sua loquitur præstantia, nostroque  
 adeo elogio non indiget; maxime cum talem habeat auctorem, qui  
 non industria saltem & ingenio pollet, sed & propria multorum an-  
 norum experientia instructus est; peragratis etiam longe lateque Per-  
 sarum finibus tantam ejus gentis atque linguæ noticiam nactus, ut,  
 prout de se testatur, æquali facilitate Persice ac Gallice loquatur, &  
 metropolin istius regni Ispahan, perreptatis omnibus ejus angulis no-  
 tiorem multo sibi fecerit, ac patriam Lutetiam. Ac certe sedulo ca-  
 vit autor, ne cruda nimis & non satis digesta, ut quidem multi faci-  
 unt, lectori suo propinaret ea, quæ in suis itineribus cognovisset: un-  
 de etiam ex primo suo ad orientales istas regiones itinere, ab anno  
 1665 ad 1669 confecto redux, nihil dum scribere sustinuit, præter  
 exiguum tractatum, quo Solymani coronationem, cui ipse præfens  
 interfuerat, descripsit. Quin & de Indiæ rebus, quam tamen non se-  
 cus ac Persiam perlustravit, vel ideo literis quid consignare noluit,  
 quod tamen vulgares linguas, Indicam puta ac Persicam. sciret, idio-  
 matis Brachmanici, (utpote absque cujus ope in cognitionem eru-  
 ditionis & antiquitatis Indicæ vix ac ne vix quidem penetrare datur)  
 non satis gnarus esset. Quo vero de Autoris itinere terrisque hæc vo-  
 lumine descriptis lectori quadatenus constare queat, brevissimam viam  
 ab ipso peractæ sciagraphiam hic dare haud gravabimur. Pari-  
 sis mense Augusto medio anni 1671 profectus autor, amore partim  
 orientales oras penitus perlustrandi, partim ut fortunæ fax, (quam  
 in patria non minus ac conscientie libertatem ob religionis reforma-  
 tæ professionem pressum ire metuebat,) quodammodo consulere  
 ope mercaturæ, quam antehac haud absque successu exercuerat, di-  
 gnus quippe habitus, quoniam novissime defunctus Persiæ Rex anno  
 1666 Mercatorem suum patentibus literis declararet: sic per Italiæ  
 quædam loca, Mediolanum puta, Venetias, Florentiam transiens, Por-  
 tum Liburnum petiit, indeque solvens præternavigatis Messina, Za-  
 zyntho, Myconæ aliisque archipelagi insulis, Smyrnæ tandem sub  
 Martii initium anno 1672 appulit. Urbem hanc ipsam quidem descri-  
 bere noluit, cum in itinerariis Sponii aliorumque id jam abunde factum  
 existimeret; occasionem tamen hic fuit discurrendi de Societate  
 Mercatoria Smyrnensi, Londini ante seculum fere sub Elisabethæ  
 Regno erecta ac privilegiis ornata, negotiationes terrarum Orientali-

um moderante. Trecentis jam circiter mercatoribus eam constare perhibet, nec ab ullo capite regi, sed formam habere Democraticam plane, ubi cuncta per votorum pluralitatem expediuntur, in tantum ut tenuissima forma mercator suffragio nequaquam cedat alii, qui plurima thalassorum millia huic commercio impendit: alia denique specialia de statutis & commodis Societatis hujus edidit, quæ huc afferre super sedemus, perinde ac ea, quæ de Hollandorum, Gallorum, Venetorum, Genuensium his in terris negotiationibus enarrat. Paucis Smyrnæ diebus transactis Constantinopolim perrexit, ibique unum alteramque mensem sub Legati Gallici Domini *de Noimtel* protectione & comitatu transegit, Adrianopoli quoque interim in ejus consortio fabricata. Pluribus hac occasione data de Gallorum in aula Turcica negotiis tractat, ac speciatim rationem reddere nititur, quare eorundem res ibidem sub tribus nostri temporis legatis, Dominis nempe *de la Haye*, patre & filio, ac Domino *de Noimtel*, tam finitibus aliquo tempore successus habere visæ sint: cujus præcipuam causam fuisse ait odium privatum *Kupirlii*, Magni tum *Vesirii*, ex protrahito diutius dono ipsi ex consueto more faciendo, in legatum primo conceptum, indeque in universam Gallorum nationem transfusum. Pariter quæ inter Turcas & Polonos, Venetos item in aula Ottomanica his annis fuerint aditata, persequitur, sigillatim una edocens, quam Turcis constitit *Candix* expugnatio, & quibus ea tandem adminiculis fuerit procurata. Bosphorum item Thracicum, cui Constantinopolis adjacet, describit ejusque amoenissimum situm mire deprædicat, ob quem etiam cum diebus æstivis tanto navicularum numero animi causa frequentari perhibet, ut aliquando unius diei horis pomeridianis earum præternavigantium usque ad 1300 fuerint numeratæ. Consilium inde cepit Autor, ut citius in Persiam veniret, quo nempe iter ejus primario tendebat, transmissis Pontis Euxino, Cassam, celebrem Tartariæ Crimænsis portum petendi, spretis maris hujus naufragiis celeberrimi periculis, haud parum adauctis inscitia Turcarum in arte nautica, utpote quos vix aliud nisi littora legere edoctos, nec mappas hydrographicas adhibere, nec acus nauticæ usum callere ait, indeque fieri scribit, ut e 1500 navigiis, quæ communiter mare hoc tenere solent, quotannis fere centum aquis mergi comperitum sit. Cassa ulterius in Colchidem, quæ nunc Mingrelia vocatur, perrexit, ejusque regione peragrata, circa finem anni 1672, per Caucasum

æternis oblectum nivibus, iter habuit: ubi sandalia describit transeun-  
 tendis nivosis viis a peregrinantibus adhiberi solita, reticulis, quibus  
 pile ludentes utuntur, si manubrium demas, non multum ab familia.  
 Hinc Georgia regnum Armeniamque transit Autor, tandemque  
 plurimis incommodis, periculis atque molestiis feliciter superatis Per-  
 siam, ipsamque ejus metropolin Ispahan mense Junio sequentis anni  
 intravit. Atque hucusque, uti dictum, primæ hujus partis argumen-  
 tum pertingit. Singula vero loca, quæ tetigit, sollicito, tam quoad  
 situm & figuram, quam quoad historiam cujusque describere satagit:  
 quin & portiores urbes earumque prospectum tabulis æri incisus deli-  
 neavit. Regiones quoque Mingrelia conterminas, puta princi-  
 patum Guriel & regnum Imirettanum (non adeo quidem magnum,  
 cujus tamen rex titulo Regis regum superbit) in transitu describens.  
 Mores etiam populorum, quibuscum in itinere conversari necessum  
 habuit, curiose depinxit, ac tot præterea res notabiles passim inseruit, ut  
 fere dicere audeamus, singularum disciplinarum studiosos in lectione  
 hujus libri reperturos, quod ipsos delectare, aut eorum curiositatem  
 pascere valeat. Sic v. g. sacris studiis addictus non absque stupore  
 leget, quæ de religione Mingrelorum, qui tamen & ipsi titulum, Chri-  
 stianorum sibi tribuunt, Autor cum ex propria experientia, tum ma-  
 xime ex manuscripto quodam, a *Josepho Maria Zampy*, Mantuano  
 ac Theatinorum religiosorum in Mingrelia præfecto, sibi communi-  
 cato perhibet. Videlicet clerum profundissima factorum ignorantia  
 mersum, vix literarum elementa callere: plebem vero omni fere  
 Numinis notitia destitutam, cæca solum & stupida veneratione  
 imagines prosequi, ita quidem, ut non Numen aliquod sub ha-  
 rum forma representatum, sed imagines ipsas juvandi nocendique  
 vim habere, sibi persuadeant: sacram coenam absque ulla devotione  
 aut reverentia peragi: baptismum vero infantibus non impertiri, nisi  
 parentibus suppetat, unde convivium post instruere valeant, tum vero  
 non sacerdotem, sed pro patrem totum infantis corpus aqua abluere,  
 unguentoque consecrato perfricare, sacerdote interim aliquot paginas  
 libro quodam recitante; absque ulla attentione: diebus dominicis ne-  
 minem feriari, nisi in festo Paschatis & Nativitatis dominicæ: sacrifi-  
 cia quoque apud eos adhuc Judæorum & gentilium ritu in usu esse.  
 Ac tamen ad homines melius informandos jam anno 1627 Theati-  
 ni monachi ad eas oras a Pontifice missi fuerint, tamen vix quicquam

eos.

eos efficere potuisse narrat Auctor, nec alio fere nomine tolerari, nisi quod medicinam & chirurgiam una exercent, quibus adminiculis alioqui fere carerent Mingrelienses: ceterum horum sacra summo in respectu ab incolis haberi, in tantum, ut ipsos vix pro Christianis agnoscere dignentur, ac licet alias imagines mirum in modum vereantur, eas tamen, quas Romano-Catholici habeant apud se, non quicquam curent. Ut adeo nil fere Theatini hi in Mingrelia negotii habeant, nisi quod infantes aut non, aut perverso ritu baptizatos, secundum leges Romanae Ecclesiae baptizent, & quidem plerumque non aperte, sed furtim ac tanquam aliud agendo; dum nempe infantum ad se adductorum, aegrotorum quidem frontem digitis aquae immensis tingunt, quasi morbi signum ita capturi; sanorum vero caput veluti per jocum aliquot aquae guttis perspergunt, mussitantes insimul intra dentes verbe baptismi. Quae de Mingreliis modo dicta sunt, eadem & ad Georgianorum religionem maximam partem quadrare Auctor adstruit, nisi quod jejunia strictius servent, ac templa majori in veneratione habeant. Persuasum quoque iis esse, quantumcumque peccatum admissam expiari posse, dummodo quis templum aliquod, ut exiguum, extruat: indeque plurima istiusmodi sacella passim in altissimis etiam & inaccessis montibus extructa comparere, quorum quaedam vix decennio semel aperiantur: loca vero adeo incommoda ideo eligi, quod summis, ad eorum templorum exornationem alioqui, si magis frequentarentur, requisitis parcant. Episcopos ac Patriarcham, qui *Catholicus* ibi vocatur, a Principe, utut Mahometano creati, eumque cognatos plerumque suos ad eas dignitates promovere, utpote cujus etiam frater hodie Patriarchatus munere fungatur. Id prope ridiculum est, quod ipse Patriarcha hand ita pridem adseruisse fertur, eum pro Christiano non habendum, sed excommunicandum esse, qui festo Nativitatis atque Paschatis vinum non ad mentis usque alienationem bibetet. Si quem etiam religiosarum reliquiarum notitia juvaret, earum varias haud vulgares apud Mingreliae Principem, qui ex Davidis stirpe se oriundum jactat, asservatas e libro hoc addiscere posset, quos inter praecipuum locum tenent indusium B. Virginis, coloris subflavi ac floribus acupictis variegatum, fascia Servatoris infantile, funis ad ipsius flagellationem adhibitus, ut & pili de ejus barba, si credere fas est. De locis insuper sacris varia hic habentur, ac speciatim pluribus edisserit



Autor, quando & quare ratione sepulchri sancti custodiam Franciscanis Græci eripuerint, & quantum laboris atque sumptuum isti impenderint huic recuperandæ, licet frustraneo hactenus conatu. Prope *Savam* quoque Persiæ oppidum *Samuelis* Prophetæ, quem illi *Echmouil* vocent, sepulchrum ostendi narratur, miraculis non minus celebre, ac peregrinationibus devotis frequentatum: ut & prope aliud ejus regni oppidum *Irtuan* locus monstrari, ubi primam Noachus vineam plantavisse, ac ~~decem~~ abhinc milliaribus mons *Macis*, in quo arca ejus post diluvium quiescisse dicitur, de quo Armenii fabulantur, eum nunc per miraculum plane inaccessum factum esse, arcamque in illo hodiernum integram adservari.

Jurisprudentiæ deditus itinerarium hoc perlegens admirabitur procul dubio, quæ ratione apud *Abcassios*, *Circassios*, *Mingrelienses*, *Georgianos*, passim jura gentium atque naturæ in tantum obliterari poterint, ut atrocissima etiam crimina non impunita solum, sed tantum non pro laudabilibus factis habeantur. Sic in specie horrendum lectu est, quod de *Mingreliis* refertur, eos pro opere charitatis reputare, si quis infantes recens natos aut ægrotos occidat, si ipsi aut ætendis, aut a morbo sanandis semet sufficere haud posse metuat. Homicidium & assassinium inter egregia facinoræ, concubinatum, adulterium, bigamiam, incestum inter virtutes ibidem numerari. Quod si tamen contingat, uxorem cum adultero a marito deprehendi, tum jus esse marito, extorquendi ab adultero porcum, quem deinde matatum tres isti una convivantes comedant, omni ulteriori vindicatione cessante. Non indigna quoque notatu sunt, quæ de jure concubiorum apud *Persas* aliosque, qui sectam *Haly* sequuntur, *Mahomedanos* traduntur. Matrimonia nempe trium generum ibi frequentari, cum legitimis puta uxoribus, cum fornicis mercede ad hoc conductis, & cum mulieribus denique servilis conditionis. Libero- rum inde genitorum intuitu nullam esse inter omnes differentiam, cum natus ex serva filio uxoris ingenuæ ac legitimæ nulla in re cedat: ratione numeri tamen diversitatem obtinere, cum legitimarum uxorum unus non ultra quatuor, reliquorum vero generum tot sibi sumere queat, quot alere potest. Mediam speciem omnium frequentissimam esse, inter homines præsertim mediæ conditionis aut peregrinos, asserit Autor, tanquam omnium commodissimam, cum minores sumtus tales fornicæ requirant, quam legitimæ, & quocunque

tem-

tempore dimitti possint, etiam termino locationis nondum elapso, dummodo integra merces solvatur: narratque in urbe Ispahan mulieres tales juvenata atque forma conspicuas pro 450 libris annuis, seu 350 thaleris locandas prostare. Denique & id annotandum, quod in Mingrelia hodiernum in contractu emtionis pecunia non faciat mercium æstimationem, sed ipsa inter merces reputetur; quodque adoptio a foeminis etiam frequentissime fiat, hoc quidem ritu solenni, ut adoptans mulier mammillam sugendam porrigat filio adoptivo, utut *adulto*.

Medicæ artis studiosus porro, ne nullas sui partes hoc in libro esse putet, examinabit catalogum variorum remediorum specificorum, a vetula quadam medica in urbe Georgia Tifflis cum successu adhibitorum, quem sibi communicatum Autor exhibet pag. 244. seq. Nec sine jucunditate forte leget, mirum febres frigidas curandi modum, ibidem locorum haud infrequentem, quo ægrorum tempora horro- ris febrilis in stagnum aquæ frigidæ intruditur. De cæteris rerum naturalium curiosus variis hinc enotabis, alibi haud facile obvia: v. g. vites Mingrelia tam crassæ, ut utriusque brachii amplexum quandoque excedant, itemque aliud visum genus in regionibus Caucasi, tam alte ad arbores excrevit, ut sæpius vine præ nimia altitudine colligi nequeant: frumenta speciem *Cem* distant, cujus pulvis in mensis suis Colchi quotidie panis loco vescuntur, tantæ fertilitatis, ut unum gram- mum plus quam trecenta producat; sal prope oppidum *Dousla* ad paludem Mazotidem, naturæ sponte ex equa marina copiosissime pro- ducitur excoctumque, absque ulla hominum industria: aerem Min- grelia insalubrem, non advenis solum summe noxium, sed indigenis quoque vitæ terminis accelerantem, in tantum, ut rarum ibi sit, an- tiqua ætatis sexagesimum attingere: promiscuam apud Georgia inco- las formæ elegantiam, ut de quibus Autor sancte testatur, se ex utroque sexu neminem deforme, plures vero tantum non angelica pulchritu- dine vidisse; sceminas imprimis, tamen hæc contemnenter faciem su- eo corrumpant, cum fucus ibi, haud fetus ac alibi vestes ac monilia, pro ornamento reputetur: vasa denique fictilia, in urbe *Cem* fabrica- ri solita, aquas infusas medicas. continua quadam transpiratione, mi- grans in modum refrigerantis, imprimis dum recantia sunt, adeo ut pri- ma vice infusa aquæ quarta pars spacio sex horarum transpirasse de- prehendatur; alique complura hujus generis.

Hu.

Humanioribus quoque literis addictus hic non minus inueniet, quod curiositatem suam satiare aliqua ex parte queat; videbit v. g. hic notatos errores Plinii, Curtii aliorumque scriptorum, circa montis Caucaſi ſitum commiſſos: percipiet, quid de Amazonum gente, fabulis a deo decantata ſentiendum; eſſe nimirum certum genus Scytharum errantium, Turcomannis & Arabibus non abſimile, qui ſummam poteſtatem foemineo ſexui, perinde ac Achinenſes, deferre ſoleant, quorumque adeo reginae non niſi foemineo ſamulitio ſtipentur, eas quaquaverſum comitante. Mirabitur Colchidis regionem, Argonautica quondam expeditione celebrem, hodie faciem adeo mutaſſe, ut ex antiquorum autorum deſcriptione niſi ſere amplius nunc ad eam quadret, praeter phasianorum copiam, quae jam quoque adhuc ibidem reperitur: rivis etiam auro foecundis, quos olim aurei velle-  
ris fabulae originem dediſſe putant, nunc penitus apud incolas, in miſerrima ut plurimum paupertate vitam tolerantès, ignoratis. Diſcet quoque varia, ad ſtylum ſcriptionis Perſicae cognoscendum ſpectantis, uti quod Dei aut Principis nomen non niſi in ſumma paginae ora ſcribi debeat, reliqua dein in ſubjectis lineis lacuna iis locis, ubi id alias inferi contextus exigeret: quodque ſtylo hujus gentis familiare ſit, glorioſam aliquam Principis actionem de ſervis ſaltem ejus praedicari, per reverentiam ſcilicet, quaſi ea, quanta demum ſit, adhuc dignitate ejus ſit inferior; quorum Auctor referendum autumat, quando in Alcorano dicuntur angeli mundum condidiſſe. Nec minus denique genium poeſeos Perſicae, monſtroſis allegoriis atque hyperbolis paſſim ridicule tumidae, perſpiciet ex aliquor hymnis in laudem Haly, famoſi ejus gentis ſancti, conſectis a quodam *Hafan Caſy*, ob eruditionem apud Perſas claro, & ab Auctore noſtro in Gallicum ſermonem translatis, quos parieti inſcriptos reperit in celebri quodam ſacello, in urbe *Com* extructo, quod ſepulcra continet magnifica ultimorum duorum Perſiae regum Abas II, & Seſy I, una cum cenotaphio *Fahmae*, ſiſta *Mouſa-Cazem*, unius ex 12 illis Caliphis, legitimis Mahomedis poſt ejus generum Haly ſucceſſoribus, quam ipſam *Rozza*, non ſecus ac Romanus-Catholici B. Virginem, una cum corpore in caelum raptam ſomniant, devotiſſimoque ea propter cultu venerantur; qua an eadem ſit cum *Fahma* iſta; cujus a ſibi mentionem facit Auctor, Mahomedani ſiſta eandem nominans, & cujus ſola progeme oriundos Mahomedani pro nobilibus reputent, ambigunt. Alia quamplurima, ad

Hiſte-

Historiam, Geographiam, aliasque disciplinas spectantia, e libro hoc allegare consulto omittimus, veriti ne jamjam gratæ brevitatis limites quadantenus simus transgressi. Quod reliquum est, non possumus non indicare, Autorem præter residuas itinerarij sui partes, aliud adhuc opus nobis promittere magna jam ex parte elaboratum; notas videlicet in loca quamplurima Scripturæ sacræ, quorum sensus dependet ex cognitione terrarum orientalium, ob cujus defectum passim in iis expectandis hallucinatos ait interpretes, quos proinde ex propria experientia & autopsya corrigere gestit; confidens, se tanto tutius exinde argumentum capere posse, quo certius sit, mores istorum locorum non tot subinde mutationibus esse obnoxios, quot nostri; sed eosdem propemodum hodieque deprehendi, quales vel ante duo annorum millia fuisse ab autoribus feruntur. Tametsi vero opus hoc omnium ultimo inter suos labores reliquos luci publicæ destinaret: haud tamen dissimulat, fieri posse ut ejus editionem acceleret, si quidem publico id gratum fore inaudiat: cujus arbitrio etiam committit, num tertiam & quartam itinerarij sui partem ante secundam typis evulgatam malit, si forte hæc non ita cito parari posset, aut istarum argumentum curioso lectori magis ad palatum esset. Optime dubio procul faciet nobilissimus autor, si omnia atque singula, quam citissime id fieri poterit, prælo jubebit subjici, nec eruditi orbis desiderium, ex prægustu præsentis libri enatum, diutius frustrabitur.

*REFLESSIONI GEOGRAFICHE CIRCA  
le Terre incognite dal P. D. Vitale Terra  
Rossa de Parma.*

Reflexiones Geographicae circa Terram incognitam, auctore Vitale Terra Rossa, Parmensi, Philosophiæ & Theologiæ Doctore, &c.

Paduæ, 1686, in 4.

**I**psè clarissimus auctor tres libri sui partes in fronte constituit. I. vult probare, incognitas terras primum omnium a Venetis patriciis detectas

B

ctas

etas esse: II. expetere exactiorem Antiquæ & Novæ Geographiæ  
 conciliationem: III. defendere contra recentem Geographum  
 M. A. Baudrandum, non ficta esse, quæ a Venetis circa incognitas ter-  
 ras manifestata fuerint. In primo & ultimo operosus est, medium  
 uno fere capite absolvit. Et si vero paradoxa proponere videtur, ta-  
 men ita eadem disputando explanavit, ut facile inveniat, qui nihil ab-  
 eotradicum esse, quod præter fidem sit, existiment. Etenim notione  
 diversitate præmissa, qua nunc latius *incognita Terra*, nunc strictius  
 intelligatur; primum aggreditur Septentrionalem Americam, quam  
 ab Antonio Zeni, Nobili Veneto, jussu Regis Frislandiæ in oceanum  
 A. 1390, atque ita ante Columbi navigationem, emissæ, conspectam &  
 invasam fuisse, & quidem ex parte, quæ *Esotilant* vocetur, non mo-  
 do Ramusii, sed imprimis etiam Domini de la Motte le Vayer, qui præ-  
 ceptor Regis Galliarum fuit, testimonio probat. Addit ex Sylva Petri  
 Meliæ, ac annexis ejus, Columbum invenisse Venetiis descriptionem  
 hujus Zeni, eaque usam fuisse in navigationibus, quibus novum die-  
 catur orbem aperuisse. Deinde ostendit, Asiæ maximam partem Eu-  
 ropæis vere incognitam, a Marco Paulo Veneto, ejusque patre ac pa-  
 truo, fuisse detectam atque descriptam, & quidem seculo Christia-  
 no XIII. Hos autem non tantum Tartariæ regiones & Chinensæ reg-  
 num manifestasse, sed filium etiam Paulum Africæ australis partes quæ  
 in illud usque tempus ignotæ fuerant, pervagatum, exitinere tabulam  
 domum attulisse, qua insulas Zanzibar, Madagascar, & Caput Bo-  
 næ Spei (sine tamen hujus nomine) delineaverit, quæ tabula ad-  
 huc in templo S. Michaelis de Murano adservetur, & cum Lusitano-  
 rum posteriori descriptione apprime conveniat. Occidentalis Afri-  
 cæ litora etiam quadraginta annis ante Vasce de Gama famosam navi-  
 gationem ab Alluivio Mosto, itidem Veneto, A. 1455 usque ad Rio Gram-  
 de circa undecimum & dimidium gradum ultra Æquatorem perlu-  
 strata esse, nec Portugallios, qui idem tentassent antea, ultra sextum  
 gradum pervenisse; etiam Mostum longius processurum fuisse de-  
 monstrat, si invenisset, quo interprete eum barbaris locuturus utere-  
 tur. Hæc duobus primis Capitibus fuscè copiosèque proposuit. Ca-  
 pite IV. examinat Petri Petrucci universalem Tabulam A. 1640 vul-  
 gatam, in qua sub Polo Arctico magnas insulas locari, etiam Meridia-  
 num Circulum per montem, ignotum ceteris, perducì, & alia nova

ac inaudita proponi, citra approbationem edocet. Capite V. occasionem enarrat, qua Magellanus australem terram invenerit, laudatque Mercatorium Geographicum, qui jam Romæ excudatur augeaturque, in quo multæ terræ australes, a Sansone relicta, suis nominibus illustrentur. Hæc & similia per aliquot Capita usque ad XII demonstravit. Ibi vero quasi alteram operis sui partem (nam de conciliatione brevis est) hoc est, confutationem Baudrandi suscipere instituit, qui Marci Pauli promontorium *Beach* & insulam *Javam Minorem*, ac Nicolai Zeni *Frislandiam* & alia in indicem fictorum, quem Geographicæ suæ subjunxit, abiecerit. Primum generaliter ex naturali historia respondet, progressu temporum regiones, maritimas præsertim, ac insulas varie mutari, & harum aliquas novas oriri, veteres diminui, aut interkursu aquarum in plures dividi, aut plane absorberi, ut non statim neganda sint, quæ veteres quodammodo aliter scripserunt, quam hodieveniuntur. His usque ad XXIII Caput exemplorum multitudine probatis, ad ea quæ objiciebantur, singulatim respondet, & quidem non ficta esse, quæ a Paulo Veneto prodantur, sed *Beach*, *Locach* & *Maletur* nunc posse aliis nominibus insigniri: *Javam* autem *Minorem* ad incognita sub Austro pertinere, quæ cum rarius nostra ætate adeantur, fieri, ut sola Major, in qua Hollandi sedem Indicarum negotiationum posuerunt, simpliciter *Japhe* nomine significetur. Operosius autem probare nititur, insulas septentrionales *Frislandiam*, *Porlandiam*, *Grislandiam*, a Zeno descriptas, non esse separatas insulas, sed partes Islandiæ nostræ, quod Capite XXIV potissimum, historiam Zeni persequendo, videtur satis perspicuum facere. Hæc præcipua sunt, quæ in libro hoc continentur: cetera quæ ad extollendam Nobilium Venetorum gloriam ubique larga manu insperguntur, nostrum non est attingere, qui id solum nunc conquirimus quod ad literaturæ laudem pertinet.

*AN ANSWER TO CERTAIN QUÆRES  
by the D. of B. and to the Considerations  
of an unknown Autor, concerning  
Toleration: hoc est.*

Responsio ad Quæstiones quasdam propositas a  
D. de B. ut & ad Considerationes incerti au-  
toris, de Toleratone religionum.

Londini, apud Sam. Smith, 1685, in 4.

**R**espicit tractatus hic alium quendam breviorē, a Georgio Duce Buckinghamiæ (quem & literæ initiales in rubrica præsentis in-  
nunc conscriptum aliquo abhinc tempore, ac eodem, quem dixi-  
mus anno tertia vice Londini recusum, cui Titulus: *A short Discourse  
upon the Reasonableness of mens having a Religion*, sive Discursus  
brevis de ductu rationis in hominibus religionem habentibus. Ten-  
tavit in eo Celsissimus Autor eorum temeritatem convincere, qui reli-  
gionem nihili facere, ingeniosum facinus autumant. Placuit vero ipsi,  
quo tædium, quod pleraque hujus generis scripta comitari solet, me-  
lius evitaret, novam quodammodo hac in re viam inire, omisissque  
demonstrationibus, (quas hic a plurimis in vanum jactari existimat,  
cum in materiis fidei creditu potius, quam scitu opus sit) per argu-  
menta saltem a probabili petita incedere, hominemque adeo per so-  
las rationis vires ad amplectendam religionem Deique cultum indu-  
cere, seposita in tantum Scripturæ autoritate, cum hæc ab hominibus  
nulla religione imbutis non agnoscat & sic frustra allegetur. Suc-  
cinctis ergo ratiociniis ordine ostendit, verosimilius esse, mundum  
hunc ab ente quodam naturæ perfectioris ac magis intelligentis in  
tempore conditum, quam ex seipso ab æterno fuisse; porro, ens illud  
seu Deum majorem de humano genere, quam de aliis animantibus cu-  
ram gerere; esse in homine quid divinæ quadantenus naturæ cogna-  
tum; illud immortale esse & arbitrii aliquam libertatem habere: De-  
um esse summe justum, indeque nos ob actiones a voluntate nostra  
pendentes in altera vita præmiis ac poenis afficere; beatitatis tamen  
gradus aut suppliciorum durationem per conjecturas ejusmodi deter-  
minari non posse. Denique eam nostri partem, quæ ad Deum propius  
accedat, unice ducem nobis ac directricem esse debere in eligenda  
melioris cultus via; eam vero dubio procul fore illam, quæ perfectio-  
nes divinæ naturæ congruas, virtutesque quam maxime commendet,  
religionem nempe Christianam, ac inter hujus quidem varias sectas  
illam,

illam, quæ pariter virtutem probitatisque studium præ aliis inculcet: quænam autem illa sit, cuique proprio studio investigandum relinquit, cum pro se quisque rationem Deo reddere sit obstrictus. Cæterum intrinsicum illum instinctum, cum ex particula illa divinæ naturæ cognata dependeat, nullatenus cogi debere, ac proinde ei contrariari esse speciem peccati in Spiritum Sanctum. Concludit itaque nil magis se sui ac rationi adversum esse, quam molestias creare illis, qui Christianismi quidem consortes, non tamen in omnibus cultum divinum spectantibus exacte nobiscum consentiant: cumque Angliæ suæ quietem ex maturiori hujus rei deliberatione dependere existimet, tres sub finem scripti quæstiones proponit suis conterraneis expendendas, ad commendandam ipsis diversarum religionum tolerationem tendentes.

Atque hæc ipsæ sunt quæstiones illæ, ad quas respondere voluit præsentis tractatus Autor, comprehensis simul Considerationibus illis, quas ignoti nominis scriptor, Ducis exemplo stimulatus, ad ulteriorem in negotio hoc tolerationis persuasionem ediderat. Scilicet cum utrumque illud scriptum haud parum ad subruenda regni Anglicani statuta, extraneas omnes religiones verantia facere videretur, vel ideo tacendum sibi non putavit Autor, ne leges istæ gubernationem Ecclesiæ ac status concernentes injustitiæ aut tyrannidis incularentur, aut nude solum sanctionis primitivæ autoritati favorivæ præsentis regiminis inniti dicerentur, si nihil ad ratiocinia ista, in se quidem non adeo firma, prima tamen fronte satis speciosa regeretur. Præmittit autem, quam inconveniens sit variarum sectarum tolerationem uno in regno suadere, cum hac ratione nec idololatræ, nec Mahometani, nec ipsi athei excludendi venirent, dum singuli horum conscientiæ libertatem sibi exposcant: & licet ad solos Christianos assertio restringenda dicatur, tam dissonas tamen inter hos sectas dari, ut una alteram multo minus tolerari posse clamet, quam ipsissimam paganorum superstitionem: nec adeo determinari posse, quænam altera tolerabilior sit, cum & hic *pericant permutua vulnera fratres*. Quam periculosa etiam sit ea doctrina; monstrat exemplo diversarum sectarum, v. g. Quakerorum, itemque polygamie patronorum, quarum principia non possint non quietem bene ordinati regiminis convellere, si singulis conscientiæ libertas indulgenda dicatur.



Ordine hinc adgreditur quæstiones a Duce Bukingamiæ ad ex-  
pendendum propositas, quarum *prima* hæc est: Num quid dari  
queat magis directe oppositum doctrinæ ac praxi Salvatoris, quam  
ulla ratione in negotio religionis homini vim inferre, & consequen-  
ter, numne hoc facientes iuste pro Antichristianis sine reputandi?  
*Secunda*: An quid magis inhumanum, barbarum aut ridiculum  
esse queat, quam iudicium hominis aliter, ac per sanam rationem,  
convincere velle? *Tertia*: Numne praxis talismodi semper ruinam  
ac destructionem regionibus, ubi recepta, attulerit, sive Monarchiæ  
fuerint, sive liberæ Respubl. & annon experientia docuerit, praxin  
contrariam utrisque proficuum extitisse?

Tametsi vero longum nimis foret, omnia illa argumenta, quibus  
Noster contra propositiones istas utitur, sigillatim adducere; potiora  
tamen eorum capita paucis indicare haud gravabimur. Ad *primam*  
ergo illam quæstionem responder, multa quidem dari, quæ doctrinæ  
ac praxi Salvatoris magis adversentur; puta crimina pleraque, utpote  
per expressum in scripturis interdicta, cum e diverso nullibi disertis  
verbis compulsio talis prohibita legatur. Ceterum Christi exem-  
plum, externam nemini vim inferentis, cum regnum ejus non esset de  
hoc mundo, non ob stare quo minus magistratus ex officii ratione ad  
coercendos aut eiciendos perversos vim adhibere queat. Proestatur  
vero, se hac ratione porram Inquisitioni apertam nolle, quin potius cer-  
to statuere, ne pessimam quidem hæresin ultimo supplicio iuste puni-  
ri posse. Quod vero illi pro Antichristianis habendi dicantur, qui ul-  
lam in fidei causâ coercionem admittant, id vel maxime ad eos quadra-  
re, in quorum favorem Toleratio tam speciose defendatur: notum e-  
nim esse, quid Romano-Catholici hac in parte sentiant: & quam duras  
leges secta Independentium in Nova Anglia, ubi scilicet primariam fi-  
xere sedem, hac in re receperit, ex adductis variis eorum statutis con-  
firmat, gravem multam & quandoque mortem irrogantibus iis, qui ab  
unitate religionis ibi stabilitæ desistere audeant; dum v. g. hæresis  
banno aut morte plecti jubetur; comprehensus etiam sub hoc nomine  
variis punctis, multæ adhuc disceptationi obnoxius. Muggletoni aut  
Ravii scripta legens 10 libris multatur: Quakero ibi hospitium præ-  
bens 40 Shillingis multatur; Quakerus vero ipse bannitur, rever-  
tens fustigatur, iniusto etiam stigmate, denuo rediens morte multa-  
tur. Ad *secundam* quæstionem regerit Autor, externam compulsio-  
nem

nem ac leges poenales non eo tendere, ut convincant homines perversos aut præfactos, per viam quandam demonstrationis, sed saltem, ut obstructions amoveant, quæ alioqui aditum ad sanam eorum rationem occluderent: in his enim non tam convictione iudicii, quam correctione mentis ac morum opus esse, perinde ac in pueris petulantibus, ubi Orbilius ferula plerumque plus, quam prolixi & graves discursus habeat ponderis: obstinatos nempe sic afflictos ad conversionem sensum disponi ac ad pensandam maturius illam religionem, quam alias proterve, utut nunquam cognitam, spreverint. Ad quaestionis tertia prius membrum respondet per instantias contrarias regnorum Daniae, Sveciae, Angliae item sub Elisabethae regimine, ubi appareat religionis unitatem regni felicitati nec quidquam aut nocere aut nocuisse: Judaeorum quoque pristinam rempublicam allegat hoc nomine, cuius nempe prosperitas hoc ipso medio, sub regibus etiam ac cessante sensim Theocratia, quam maxime promotam fuerit. Quod verò unum alterumve regnum, Catholicæ religioni addictum, hoc ex capite detrimentum sensisse perhibeatur, id non adeo imputandum esse exclusioni diversarum religionum, quam iudicio summi Numinis, resistentiæ nimis crudeliter veritati factam sic punientis. Quoad alterum quaestionis membrum præmonet, haut facile exempla ejus rei suppetere, cum vix ullibi promiscua religionum ac indistincta toleratio stabilita reperitur: cæterum quam tristes ea effectus habere soleat, satis in Angliæ regno apparuisse temporibus usurpati regiminis, seu Interregni, ubi omnibus sectis porta fuerat aperta. Ad instantiam a fœderato Belgio petitam fusius respondet; monstrans, quomodo toleratio ibi non tam arbitrii, quam necessitatis fuerit sub initium stabilitæ illius Reipublicæ, cum primitus ex variarum religionum hominibus, quæ pro ea in bellis pugnaverant, coaluissent: quod vero indistincta sectis licentiæ ibi postmodum indulta non fuerit, evincit exemplo Socinianorum & Arminianorum, satis graviter istis in regionibus aliquando afflictorum. Præterea monet, non tam grave inde Belgio, quam quidem Angliæ periculum impendere, ob diversam reipublicæ, iudiciorum ac regiminis formam, naturalis quoque temperamenti seu genii discrepantiæ. Multum tamen ibi quoque discriminis ex variarum sectarum receptione statui observari, cum semper metuendum sit, ne males sectarii ingruente domestico tumultu aut externa irruptione ho-

stium

stium factioni studeant. Denique postquam ita ad quæstiones respondit Auctor, rationem monstrat, quomodo plerumque illi, in quorum gratiam leges regni, tolerationi adversantes, & conformitatem fidei saltem in externo cultu exposcentes, maxime impugnari soleant, puta Papistæ, Presbyteriani, Independentes, Anabaptistæ, Quakeri conformare se legibus istis valeant, etiam ex propriis cujusvis harum sectarum principiis, & quomodo vi horum neutiquam opus habeant, ut sua singulis conventicula concedantur, cum absque ulla conscientia coactione illis carere valeant. Cæterum singulis illis quæstionibus Auctor interferit Considerationes, quas ab ignoto autore adjectas supra diximus, quæque decem in universum sunt, iisque una opera respondet, ostendens, quomodo rationes non concludentes, similia incongrua, loca denique Scripturæ parum aut nihil ad rem facientia pro stabiliendo suo asserto iste passim adhibuerit.

*MARCELLI MALPIGHII, PHILOSOPHI & Medici Bononiensis, e Regia Societate, Opera Omnia, Figuris elegantissimis in æs incisus illustrata, Tomis duobus comprehensa.*

Londini, apud Rob. Scott & Georg. Wells.  
anno 1686, in fol.

**I**ndustrios inter rerum naturalium scrutatores, quibus ævum hoc ipsum præ aliis coruscat, ceu primæ magnitudinis stellam ingeniosissimum enitere *Malpighium*, Opuscula politissima temporibus diversis, diversisque in locis hætenus in lucem ab Ipso emissa satis deprædicant; utpote quæ tanto avidius semper ab indefessis naturæ cultoribus arrepta fuere, quanto certius constitit, nec quicquam ibi, quod non ex abstrusissimis adeoque intimis Naturæ recessibus singulari prorsus ac felici Viri prælaudati dexteritate erutum sit atque detectum, iri deprehensum. Quamobrem in proclivi nobis erit augurari, Volumen præsens quo universa Autoris celebratissimi opuscula junctim in duos tomos distributa, nitidisque perquam literis exscripta exhibentur, omnibus Malpighianum nomen venerantibus fore acceptissimum. Complectitur Tomus primus cum primam Plantarum Anatomes partem, prout Londini anno 1675, repetitis de ovo incubato observationibus, ac epi-

ac epistolis quibusdam circa idem argumentum, Oldenburgium inter ac Malpighium reciprocatis, aucta prodiit: tum literas binas (vel si mavis, epistolam unam) ad *Jacobum Sponium* anno 1681 exaratas, ac unguularum & glandularum non minus texturam, quam structuram uteri exponentes, primum in *Transactionibus Philosophicis Anglicanis* anno 1684, num 156 & 160; hinc in *Bibliotheca quoque Anatomica Genevæ A. 1685*, impressa evulgatas. Altero vero tomo secunda *Plantarum Anatomiz* pars anno 1680 itidem Londini edita, neq; non *Dissertationes Epistolice* varii argumenti, v. g. de bombyce, de formatione pulli in ovo, de cerebro, de lingua, de externo tactus organo, de omento, pinguedine ac ductibus adiposis, de viscerum structura, de polypo denique cordis atque pulmonibus, typis haud unius loci antehac exscriptæ, comprehenduntur, quibus operosius tamen hic recensendis, cum eruditorum vix ullum lateant, non est cur nostram addicere velimus operam; unice tantummodo dolentes, a Bibliopola vel quocunque alio, qui operum edendorum gessit curam, additionem figurarum ad cerebrum, linguam & pulmones spectantium, item Epistolæ ad Oldenburgium quondam de reticulari pulmonum atque lienis musculo conscriptæ, & *Transactionibus Philosophicis Anglicanis* anno 1671, num. 71 insertæ, in eo ad minimum exemplari, ad nostras quod pervenit manus, fuisse neglectam.

*TRAITE DE L' ACTION DE L' ORATEUR, ou de la Prononciation & du Geste. Tres-necessaire &c, Par Mr. CONRART &c.*

Tractatus de Actione Oratoris, sive de Prononciatione & Gestu, perquam necessarius omnibus, quibus publice habendus sermo est.

Autore Dn. CONRARTO.

Ad Exemplar Paris. MDC LXXXVI. in 12.

Quod a Marco quodam Regulo publice olim exprobratum sibi Secundus meminit Plinius, *seculi sui eloquentia se non esse contentum, ad verendum ne in Nobilissimum Conrartum jactaturi sint, qui eloquentiz*

C

quentia artem, aut ejus saltem, quam vocant, theoriam eo fastigii, seculo nostro adspirasse putans, ut quo progrediatur, non habeat. Istud vero quemadmodum sibi laudi probum duxit Plinius; ita nec sua defraudandus laude doctissimus Autor, qui non ingeniosam magis, quam utilem in formanda Orationis voce ac gestu operam posuit. Quae etsi postrema vulgo Rhetoricae pars numeretur; Demosthenis tamen iudicio, priorum trium vim omnem atque gratiam aut continet aut supergreditur. Ac sane hodie, ut quisque *λαμπροφωνία*, aut saltem *μεγαλοφωνία*, praesertim si manus, quas Cicero loquaces, Gellius argutas vocat, aptare rebus novit; ita vel doctissimo Orationi ipse cetera indoctior multo, dubiam facit palmam aut praeripit. Quam in rem plura veteris ac recentis aevi exempla Autor primo inseruit capiti. Ubi exposita Aetionis dignitate omnibus peraeque necessaria, Cap: secundo illis cum D. Chrysofostomo dicam scribitur, qui ab Homiliis sacris cultum ejus exquisitiorem abesse volunt: allegato pro sententia sua Apostolorum etiam exemplo, quos eodem usos, triplici hoc (elegantiori quidem forte, quam firmiori) probat argumento. (1) quod Jacobus & Johannes a Christo vocentur filii tonitruus: (2) quod Apostolus in Actis tetterur, se cum lacrymis suos exhortatum: (3) quod una cum reliquis artibus hanc quoque Divino munere ipsos accepisse verisimile sit. Hinc ipsa Artis praecepta 12 omnino Capitibus subjungit, accersitis undecunque vocis formandae, corrigendae, flectendaeque subsidiis generalibus, haud passim obviis: detectis etiam rejectisque vitis adversantibus, inter alia (c. 6.) false ridet, quod in aliquo e suis Concionatore observavit, qui praecipua sermonis saeri capita tulli distincturus, ne qua oblivisceretur istius elegantiae, singulis intervallis, in autographo, typis post obitum ejus expresso, adscripserat voculas tussentium sono respondentes: hem, hem, hem! Inde admodum adhaec his aliisve specialia magis Autor descendit subsidia, quae vel rei sive materiae tractandae (cap. 6.) vel adfectuum (c. 8.) vel certae partis orationis (c. 9.) vel figurae (c. 10.) vel periodi denique ac singularae in ea vocis (c. 11.) ratio suggerere ac flagitare possit. Gestuum denique decus omne sequenti gemino c. 12. & 13. persecutus, de usu genuino praeceptorum suorum postremo c. 14. disserit. Qui etiam amplior haud dubie civibus suis futurus est, quorum indolem, mores ac institutum passim sequitur; non contemnendus tamen & nostris superior, si, qui Gallice nesciunt, Latine redditum acciperent libellum.

.CON.

MENSIS JANUARI A. M DC LXXXVII

# CONCORDIA TRA LA FATICA

*e la Quiete nell' Orazione &c. da Paolo  
Segneri. i. e.*

Concordia laboris & quietis in oratione, a Paulo  
Segnerio, ex Soc. Jesu, in responso ad Religio-  
sum quendam descripta.

Bononiæ, apud J. Recaldinum, 1681. in rz.

**Q**uid in hoc libello, quo nuper admodum potiti sumus, per *ora-  
tionem*, ejusque *laborem & quietem*, intelligatur, ex *Mysticorum*,  
quos vocant, Theologorum, nomenclatura discitur. De *oratione* autem  
loquentes, non tam precum vocalium formulas & recitationem, quam  
*actum mentis de Deo cogitantis, & ab eo aliquid desiderantis, aut eum  
contemplantis* intelligunt, ideoque in duas partes cultum hunc Dei dis-  
tinguunt, nempe in *Meditationem & Contemplationem*. Posteriores  
pro perfectissimo Christiani & religiosi hominis opere habent; simul  
tamen rarissimam & pro singulari Dei dono æstimandam esse agno-  
scunt. Quanquam vero neminem, qui Christianam religionem pro-  
fiteretur, latere possit & debeat, preces omnes non nisi elevata in Deum  
mente, digne & pie fieri posse, adeoque verborum strepitum & copi-  
am, distractis ad alia cogitationibus, non solum nihil proficere, sed &  
ob abusum rei sanctissimæ, & ob irreverentiam erga Divini Numinis  
omniscientiam & omnipræsentiam, vitiosam esse, ut proinde ad piæ  
preces necessario requiratur attentio, sive, ut dici solet, *devotio*: majus  
tamen & sublimius aliquid sub *orationis mentalis* titulo, ejusque pri-  
mario apotelesmate, i. e. in *contemplatione* invenisse sibi visum, a  
multis seculis, sive Patres quidam, quos vocamus, Ecclesiæ, Gnostico-  
rum impiæ jactationi veram & salutarem *græciam* opposituri, sive Ana-  
choretæ & Monachi, ex quibus, qui labore manuum vacabant, omne  
otium suum in studio isto vel meditandi, vel contemplandi transige-  
bant. Et primus quidem, qui vel rem ipsam, vel artem & discipli-  
nam tradidit, *Dionysius* quidam celebratur, quem olim crediderunt  
Atheniensem illum senatorem sive Areopagitam esse, qui ex D. Pauli  
Concionæ Act. XVII. 34. ad Christi fidem pervenit. Secuti sunt post-

modum ejus methodum alii, fuitque quædam inter Theologos superiorum seculorum æmulatio, ut alii dogmatum subtilitatem, alii meditationis & contemplationis sanctitatem sectarentur; illi *Scholasticorum*, hi *Mysticorum* cognomine insigniti. Verum post Reformationem religionis, ante annos hos centum & septuaginta, quemadmodum de aliis multis circa fidem & cultum capitibus, ita & de Theologia illa Mystica, in sententiarum ritum est divergia, & in Ecclesiis, quas vocant, Protestantium commendata illa tantopere, & in artem quandam redacta a religiosis & monachis contemplatio, suspecta haberi cœpit: sive quod deprehenderent Reformatores, falso antiquitatis titulo illam niti, & *Dionysium* istum non Areopagitam, sed alium longe juniorem Apostolicis temporibus esse; sive quod illusioni gloriationem de abstracto mentis cum Deo commercio periculosissime expositam esse crederent; sive denique, quod singularis prerogativæ & meriti in alios Christianos redundantis affectatione, ab ordine monastico excogitatum arbitrarentur. Contrario, qui veteribus institutis sub autoritate Romanæ Hierarchiæ institerunt, tanto magis nitæ voluerunt, ut mysticum illud, quod vocabant, exercitium meditationis & contemplationis, magis magisque excolerent: eamque operam non viri tantum magno numero, ut ex libris constat, impenderunt, sed eorum industriam aut sanctimoniam fœmînæ etiam æmulatæ sunt, inter quas maximum nomen & sanctitatis characterem, decreto Pontificio, superiori seculo adepta est *Teresa*, ordinis *Carmeliticæ*, qui dicitur, reformatrix. Fuerunt & ex Protestantium partium Theologis, qui ex Mysticorum libris seligenda & imitanda esse existimarunt, absque superstitionis & illusionis periculo, non pauca, & Lutherum prævisse sibi hactenus indicarunt, quæ aliquot Mysticorum libros, cum Scholasticorum ariditate scilicet comparatos, pietatis nomine elogiis suis dignatus est, inter quos fuit, ut notum est, *Taulerus*, & Autor libelli, quæ *Theologia Germanica* nomen præfert. Alii ultra limites sobriæ Theologiæ evagati, in Enthusiastarum errorem lapsi sunt, ut in Misnia nostra *Valentinus VVeigelius*, nonnullique alii recentiores, quos hic percernere non est opus. Egregiam de origine *Mysticæ* Theologiæ, ejusque usu & abusu informationem, ex nostratibus præstitit Vir Clarissimus, nostraque Academiæ, dum viveret, decus singulare, *Jacobus Thomassinus*, edito anno 1665, *Schediasmate historico, de Philosophia Gentili, Gnosticorum*

*heresi, & Theologia mystica*, libello profecto aureolo, dignoque quæ recusis in plurimum manibus versetur. Multum etiam lucis afferent, quæ libro de *Christianismo*, Germanice edito, & in Actis nostris anno 1685, p. 343 commendato tradidit, gravissimis non in literas minus, quam Rempublicam meritis illustris Dn. *Seckendorffius* lib. III. c. VIII. §. 7. & in Additionibus. Exculta vero, ut dicere cœpimus, in Ecclesia Romana ex instituto suo magis magisque, (ut ex librorum, variis linguis, præsertim in Gallia editorum copia judicare licet) Mystica illa, sive contemplativa vel doctrina vel praxis, annis proxime præteritis dissensum peperit. de quo ex diurnis vel hebdomaticis rerum novellarum relationibus aliquid inæddivimus, indicat quodam D. *Michaele de Molinos*, qui ob errores in hac ipsa mystica Theologia censuram Pontificiam incurrerit. Sed non nisi paucos ante menses Molinzi vel Molinosii istius liber nobis allatus est, Italica lingua, (quamquam Hispanica prius scriptus esse perhibetur.) sub titulo, *Guida Spirituale*, sive *Manuductio anima soluta vel extricate per viam interiorum, ad inquirendam contemplationis perfectionem, divitemque internæ pacis thesaurum*. Nacti autem sumus duas editiones, quarum prior Romæ prodiit anno 1681, quæ quarta dicitur, & a typographo *Michaele Hercule*, Cardinali *Carpegno* dedicata est; altera Venetiis anno 1685 recusa. Prolixæ & honorificæ commendationes libro in Romana in primis editione præfixæ sunt, *Martini* nempe *Ibamez*, Archiepiscopi Rhegii Calabria; *Francisci Maria de Bononia*, Generalis Ordinis S. Francisci; *Dominici a S. Trinitate*, Generalis olim Carmelitarum; *Martini de Esparza e Soc. Jesu*, Theologi in Congregatione Romana rituum & inquisitionis; *Francisci Gerez*, Capucini, ordinis sui Definitoris Generalis, omnes etiam Major & Junior anno 1675 data: tum *Jacobi* Archiepiscopi Panormitani in Sicilia mense Jun. 1681. Accessere etiam approbationes ordinariæ Magistri Palatii, ejusque Vices gerentis, & præfatio a quodam *Carmelitarum*, ut videtur, *Provinciali*, *Johanne de S. Maria*. Hæc præsidia tamen omnia (ut intelleximus) a censura tutum non præstiterunt Auctorem.

Oppositus autem huic Molinzi libro est, quem referendum hic suscepimus, tractatus *Pauli Segnerii*, eadem lingua facunde & subtiliter scriptus; præmissa eidem concessione Generalis Jesuitarum Præpositi



Acti *Job. Pauli Oliva*, & Vicarii Archiepiscopi Bononiensis. Controversiæ cardo in hoc vertitur, quænam ex duabus, quas *directores conscientiarum*, & *Patres confessorii* commendare solent, methodi viæ Spirituales, *meditatione* nempe & *contemplatione*, alteri præferenda sit. De hoc disputari in utramvis partem licuisse, non erat forte quod dubitaretur; sed Molinæus iste ita defendisse visus est *contemplationem*, ut *meditationi* plus iusto detraheret, talibusque vel rationibus vel phrasibus uteretur, quibus non tantum ab adversario hoc refutari, sed & Romæ condemnari tandem, ut fertur, meruerit. Ignotum tamen nobis est, an illi ob hunc solum, quem indicavimus, libellum (cui & alius de *quotidiana communionis utilitate* adjectus est,) an ob alia vel scripta, vel facta censura incubuerit. Annotabimus interim aliqua, quæ in Molinæi doctrina Segnerius rejicit.

Conveniunt sic satis in definitione & distinctione meditationis, & contemplationis. Molinæus in allegati libelli præfatione *Meditationem* esse ait, *cum intellectus mysteria fidei attente considerat, ut veritatem eorum agnoscat, ideoque de singulis eorum partibus differit, ad movendos voluntatis affectus. Contemplationem* autem vocat, *quando anima veritatem, sive per habitum ex discursu acquisitum, sive per divinum lumen cognovit, oculosque fixos in ea tenet, illamque jam sincere in quiete & silentio intuetur, ita ut amplius ei opus non sit consideratione, discursu aut alia probatione, qua voluntatem ad amorem convincat, sed veritatem admiratur, & in ea pendet.* Hæc, ait, est *oratio fidei, oratio quietis, recollectio interior, sive contemplatio.* Deim differentiam inter *acquisitam* & *infusam* operosius explicat, & hanc verbis Teresiæ describit, effectumque ejus ex Hugone Cardinale notat esse *subjectionem voluntatis nostræ sub voluntatem divinam, sive pacem & quietem voluntatis nostræ, ejusque conformitatem cum divina.* Segnerius hæc fere transiens, reprehendit proœmium Molinæi, in quo illos tantum contradicuros, damnaturosque esse doctrinam suam pronuntiat, qui eam aut non intelligant, aut non sint experti. *Sic asyllum sibi semper, ait, apertum tenent, in quod rationibus convicti, sese recipiant*: quæ annotatio adversus alios quoque, mysteria, nescio quæ nobis obrudentes, & eodem gladio ancipiti commenta sua defendentes, usui esse potest. Monstrat inde ab initio Autor extrema, sive abusus, tam meditationis, quam contemplationis. Et in illa quidem per

per defectum aberrare eos, & minus juste facere ostendit, qui suam in ipsa meditatione quaerunt, nec per eam tandem ad quietem, sive fruitionem Dei, qualis in hac vita possibilis est, ascendunt: In altero extremo per excessum peccati ab iis, qui transilire quasi gradus meditationis velint, & statim cum Mose in apicem montis, in caliginem in qua est Deus, i. e. in contemplationem penetrare. Et quoniam hanc methodum extollit commendatque Molinæus, Dionysii illius mystici dicto quodam innitens, alio sensu hunc explicat Segnerius cap. 2, meditationem vero ipse viam cap. 3. indicat: nempe, si Deus meditantibus quietem illam in contemplatione concedit, ut illa dilato meditando labore utantur: si non concedat, ad laborem illum redeant; ariditatem itaque & inertiam tolerant quidem, sed non foveant, aut magnificiant, ut docet Molinæus, semper quasi per saltum & neglectis mediis lectionis, meditationis, & precum, soli contemplationi inhærere suadens. Præcipua inde argumenta istius persequitur Segnerius, & quia ille ex regula Apostolica, *manendum cuiq; esse in vocatione sua*, ratiocinatus, *contemplantem negat ad meditationem debere redire, quia a statu in statum non est transeundum*; ostendit hic, non fieri talem transitionem, sed tantum *ab actum in actum*. Improbatur igitur effatum Molinæi: *quod qui ad contemplationem vocatus est, sive acquisitam, sive infusam, demittere se denuo non debeat ad meditationem, sub prætextu humilitatis: habere enim mille humillandi se occasiones, esse non exeat ex statu suo, licet aridissimam & desolatissimam eam esse deprehendat*. Improbatur etiam regulas ab illo propositas, per quas ad contemplationis apicem perveniri possit; quia quæ ex mera gratia Dei conceduntur, legibus ejusmodi constringi non possunt. Hæc fere parte prima habentur. Parte secunda refutat Molinæi dogma, quod Deus tantum in abstractissimo conceptu objectum sit contemplationis, præteritis nempe attributis ejus essentialibus, negatque Thomam Aquinatem ita sentire; minime vero omnium excludi debere Christi humanam naturam: sic enim renovari hæreticorum quorundam errorem, quem refert ex Alvaro Pelagio de planctu Eccles. lib. 2. c. 52. his verbis: *Afferrebant quod esset imperfectio in eis deum, si a puritate & altitudine sua contemplationis tantum descenderent, quod circa passionem humanitatis Christi aliquando cogitare*. Impugnatur etiam ob impossibilitatem aliasque rationes aliam Molinæi legem, quod *contemplantes deponere necessario aut sopire sol-*

*sem debeant, omnes imagines, omnes intelligentias, omnes affectus, ne-*  
*gatque Thomam ita sensisse. Speciatim inventum noviter vocabulum*  
*Intuitus fixi (guardo fisso) repudiat & incantationi cuidam æquipa-*  
*rat, Bernardum citans, qui contemplationem definit elevationem men-*  
*ris in Deum suspensa, nempe per singularem Dei gratiam, non seipsam*  
*suspendentis. Reprobat etiam inventum istud, ob absurdum quod*  
*continere dicit, quasi in actu contemplationis homo nihil amplius a-*  
*gere debeat, sed solum agentem Deum pati; cum tamen gratiæ teneatur*  
*cooperari, neque superbix attribuenda sit illa cooperatio, sed o-*  
*bedientiæ. Teresa phrases & dogma, etsi foeminx, doctoribus his*  
*novis præfert, monetque quam subjecta sit illusioni tanta de figendo*  
*intuitu nostro præsumtio, quamque convenientior omnium faculta-*  
*tum nostrarum obsequiosa applicatio. Ita fiet, ait, ut quod non asse-*  
*quitur imaginatio, assequatur intellectus, & denique suavis affectus a-*  
*moris. Subjungit Thomæ sententiam, qui scripsit: motus corpora-*  
*les exteriores opponuntur quieti contemplationis &c. sed motus intelli-*  
*gibilium operationum ad ipsam quietem contemplationis pertinent. Va-*  
*nitatis itaque accusat, & pro ecstatis habet excelsa vocabula, denuda-*  
*tionis voluntaria actuum nostrorum, divulsionis, expropriationis, exspo-*  
*liationis, evacuationis, regulamque Thomæ laudat, qui insipientiam*  
*& tentationem Dei vocat, expectare subsidia, in quibus se aliquis possit*  
*per propriam actionem juvare, cum bonitas divina sit, ut non omnia im-*  
*mediate faciat, sed alia moveat ad proprias actiones. C.7. cavere jubet*  
*eos, qui imaginationis actum a contemplatione removeere volunt, ne*  
*in Ecclesiæ institutum impingant, sacrarum imaginum usu humanæ*  
*devotioni succurrere intendentis. Cap. 8. & 9. concursum intellectus*  
*& voluntatis ad contemplationem defendit, & autoritate & exemplo*  
*sanctorum. Moderatur postea c. 10. rigorem, quo statuitur, ad per-*  
*fectionem Christianam, & ad finem orationi propositum perveniri non*  
*posse, nisi per contemplationem: addit vitæ activæ elogium, dubiumq;*  
*esse fateatur, hæcne an illa majora sanctitatis exempla in Ecclesia*  
*dederit; denique perfectius cum Thoma mixtum vitæ utriusque genus*  
*esse pronunciat, dictum Christi de Maria & Martha eo trahens, ad*  
*scripto loco ex Cajetani Commentario in Thom. II. 2. q. 181. a. 1. & 2.*  
*non dixit Dominus de Maria, quod optimum sive elegit, sed quod opti-*  
*mam partem; melior enim est pars contemplativa, quam activa: sed*

utru-

utraque parte melius est totum, i. e. ea vita, quæ & activa est, & contemplativa. Meditationem porro ab exemplo Sanctorum (quos vocant) *Philippi Neri, & Caroli Borromæi*, commendans, calamum stringit c. 11. in adversarii dicta duriora, v. g. cum scripsit, quod *vulgus Christianorum non audeat ad puritatem illam fidei contemplativam assurgere, & quod Theologi jugum tot orationum vocatum, meditationum, oblationum sui ipsius, ad nauseam usque, Christianis imposuerint*. Maxime vero c. 12. invehitur in audaciam scribentis: *quid opus est continuo pasci nos mysteriis, mimulis, verbis Jesu Christi? alimenta quidem illa sunt animarum, sed non vita*. Opponit Christi dictum: *verba mea sunt spiritus & vita*. Joh. VI. 6. Persequitur & alia, quæ in eundem sensum, & adversus importunas, ut locutus est, *inutiles atque inutiles oblationes per preces quotidianas*. Molinæ effudit, quasi *presenti & omniscio Deo ea omnia frustra & inepte ingerantur*. Adscribit locum Augustini: *Ideo per intervalla horarum & temporum verbis rogare nos Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus &c.* Modum etiam ex Thoma commendat, docente: *tantum durare debere orationem, quantum utile sit ad excitandum interioris desiderii fervorem; cum vero hanc mensuram excedit, ut ut sine radio durare non possit, non esse ulterius protendendam*. Colloquia etiam orantis & meditantis cum Deo irrita & improbaveratque Molinæ, quasi impudentia & audacia, & ad convincendum Deum tendentia. Refutat hoc c. 14. Parte demum tertia ad quæsitum ab amico propius accedit, *utrum nempe patres spirituales, animas sibi creditas rectius ad meditationem, an ad contemplationem deducant?* Summa responsi est, *neminem ad contemplationem infusam posse aut debere duci, quia sit purum donum Dei, quo secundum illud Cantic. II. 4. Rex introducit sponsam in cellaria sua*. Ad meditationem vero, ut & deniq; ad contemplationem acquisitam, quæ perfectio veluti est meditationis, secure & per gradus ad moveri posse filios spirituales. Docet etiam, quomodo tractandi veniant, qui infusa jam potius sint: ita scilicet, ut ab oratione non abstrahantur, nec in elationem mentis incidant. Quam rarum sit hoc donum, adducto loco *Bernardi Serm. 23. in Cant.* probat, & contraria jactantes superbæ & falsæ persuasionis insinuat, cum præpostere & præcipitanter metam petant, neglecto quod percurrendum est stadio. Servandas postea cap. 2. esse tradit regulas a monasticæ vitæ auctoribus præscriptas, intra libertatis spiritualis modum, de meditatione in

certa capita distinguenda, & refellit objecta a Molinzo. Cap. 3. refutat, quod meditatio tantum dicatur *tyronum opus*, quodque sit *via exterior, per sensus; non interior, per contemplationem*. Rejicit autem hanc distinctionem ut novam & periculosam; statuitque meditationem quoque ad viam internam pertinere, allegans architectam meditationis & contemplationis Tereciam, quæ per similitudinem *castelli interioris* cor hominis meditantis descripsit. Monstrat etiam, quid sensus, externi licet, quos acerbi illi contemplationis magistri exclusos velint, conferant ad meditationem. Propugnat cultum externum, & inter Calvini hæreses refert, autore Maldonato, si dicatur, dictum Christi, de adorando Deo *in spiritu & veritate*, intelligi debere de *adoratione per solam fidem*: laudat Thomæ sententiam, qui Dominum loqui tradit *de eo, quod est principale in cultu divino, & per se intentum*, i. e. non excluso externo ritus suspectam itaque habet formulam novorum mysticorum, qui *per fidem* ad orationem & cultum adhibendam sæper crepent, si ab illa separari posse aut debere putent alios virtutum spiritualium actus. *Caput V.* & ultimum occupatur in demonstratione utilitatis, quæ per externum cultum ad internum paratur, sive, *quid sensibilia conducant ad spiritualia*. Exemplum adfert de poenitentia & disciplina Ascetica, item de imaginum usus. Concedit in sensibilibus non consistere veram devotionem, facere tamen illa ad eam promovendam: damnandum esse, qui in sensibilibus hæret, laudandum qui iis recte utitur. Negat itaque veram esse Theosin, *omnia sensibilia removenda esse ab eo, qui in via interiori ambulare cæperit*. . . Opponit Ecclesiæ, omniumque conciliorum, canonum & doctorum autoritatem. Additur succincta & accurata recapitulatio libri, cum professione humilis obsequii, quod censuræ sanctæ Ecclesiæ Auctor defert.

**EPISTOLA JOH. BROVVN, CHIRURGI  
Nosocomii D. Thomæ in Southwark, ad unum  
a Secretariis Societatis Regiæ, de Hepate quorundam manifeste & ad oculos glanduloso; scripta Londini,**

*d. 15. Dec. 1685.*

*Ex Transact. Philos. Angl. M. Decemb. 1685, n. 178.*

*p. 1260.*

*Hig-*

**F**iguram hic tibi transmitto hepatis viri cujusdam, qui ex hydrope in nosocomio nostrò occubuit, delineatam accurato studio *Dn. Fairbornii*: quam cum ob curiositatem, dignam judicarem, quæ in Societatis Regiæ venisset noticiam, tibi ea propter communicatam volui. Homo fuit ætatis annorum 25 circiter, militia hoc in oppido functus inter chiliades Regias: morbum contraxerat ex multo aquæ potu, cum officii necessitas ipsum ÷vagari haud sineret; ex frigore quoque male affectus, dum noctu exubias agendas habuerat. Fuit per aliquod tempus sub manu nostrorum Medicorum, ex quorum cura etiam tumores ipsius quandoque remiserant; veruntamen postea observatum est, methodum in aliis cum fructu adhibitam, hic quidem haud similem habere successum, tumoribus penes eum ut antea revertentibus, adeo tunc fere consilii superesset, quam ut paracentesis fieret. Quam operationem etsi valde periculosam fore judicarem, cum ob anni tempestatem, tum quod ægrotus perquam emaciatus esset: tamen ut eandem institueremus, ipse nos sapissime & maximo studio sollicitabat, dum obnitentiam inflationem ne in lecto quidem jacere absque molestia posset. Regulam itaque Hippocratis securi, quæ vult in casu ancipiti præstare remedium anceps, quam nullum; satius duximus curam tentare, quæ nuda saltem possibilis esset, quam ipsam certæ mortis expectationi relinquare. Consensu itaque ac directione Medicorum adhibitæ, paracentesis a me facta est die 14. Novembris nuper elapsi, cujus ope ab ægrotò eduximus tres circiter sextarios seu pintas liquoris falsi, ac præterea intra quadriduum proximum tantundem: ast mane diei sequentis mortem obiit; cujus occasio, uti post dissectionem apparuit, ex parte fuerat mortificatio, quæ scrotum ejus ac penem occupaverat. Cæterum operatio ipsa peracta fuerat ad mentem ac placitum medicorum atque chirurgorum, qui ei adstiterant; levaminis quoque aliquid exinde tum quidem senserat ægrotus. Aperto cadavere opinor me 24. circiter aquæ mensuras (*quarts*) extraxisse. Largam in peritonæo habebat inflammationem: reliquæ omnes ejus partes intrinsecæ non multum alteratæ apparebant, hepate excepto, quod ipsum nunc describere adgredior.

Magnitudo ejus extraordinarii nihil habebat, quin potius solito minor videbatur: verum quod notatum maxime dignum fuit, (cujusque similem casum vix unquam ab ullo autore observatum existimo) haud  
 D 2  
 parum

parum quoque faciens ad confirmandam doctissimi Malpighii opinionem, hoc est: consistebat epar in concavis, convexis ac intrinsecis suis partibus e glandulis, quæ una cum vasis totam ejus substantiam, absolutebant: his continebatur ichor subflavus, quasi tot essent pustulæ, iisque, ut arbitror, pars humoris biliosi infederat, tametsi alias jecur inter glandulas consuetum suum ac rubicundum haberet colorem. Intra vesiculam fellis reperimus calculum mollem ac friabilem: præter hæc vero cæteroqui nihil hac in parte consideratione dignum offendimus. Sectio hæc hepatis facta est coram medicis nosocomii nostri, D. *Dawkins* ac D. *Briggs*, ut & D. *Tyson*, aliisque qui ex curiositate spectatores aderant, quos inter etiam adstabat *Dn. Fairborn*, a quo tum figura, quam una nunc offero, delineata fuit. Id adeo, cum hæc testimonio tam egregiorum judicum fulciantur, ut nihil addendum mihi sit, quam quod casus hic ab omnibus illis dignus fuerit iudicatus, qui illustri Vestræ Societati representaretur; quod proinde ex voto ipsorum facere conatus sum, sperans hanc meam audaciam favorabiliter exceptum iri, &c.

Tab. I.  
Fig. I.

### Explicatio *Figure I.*

*AAA.* Describit glandulas in parte concava minoris lobis hepatis.

*BBB.* Delignat glandulas in concava parte majoris lobis: quæ utut variæ essent magnitudinis, in genere tamen minores multo offendebantur in minori, quam quidem in majori lobo.

*CC-CC.* Delineat intrinsecam partem majoris lobis in epate, prout dissectum fuit.

*DD-DDD.* Sunt diversæ maculæ nigræ, quæ in fectæ apparuerunt inter hæc glandulas, ortæ probabiliter ex vasorum divaricationibus, divisis dum lobus his ad apertus fuerat.

*E.* Vesiculæ fellis, colorem habens subviridem.

*F.* Vena Porta præligata cum Ductu Biliario.

*G.* Particularis glandularum congeries seu fasciculus, situs inter hanc & Venam Cavam.

*H.* Vena cava.

*I.* Pars Ligamenti Suspensorii.

Non

TA

B.





Non exhibeo hic convexam hepatis partem, ut quæ, quantum ad glandulas modo descriptas, omnino eadem est cum concava utriusque lobi parte.

**GIORNALE DE LETTERATI DELL'**  
*anno 1686.*

i. e.

**Ephemerides Eruditorum, anni 1686.**

Farmæ, apud Josephum Dall' Oglia & Hippolytum Rosati, 1686. in 4.

**C**um Roma non minus ac Venetiis Ephemerides Eruditorum Italicas non amplius continuatis, deserere Orbis literarius, non defuerunt superiori anno Clarissimi Viri, qui Parma eas felicibus auspiciis pertexere aggressi sunt. Recensent ii, præter libros recens editos, quicquid observationum rariorum aut ipsimet habuerunt, aut in Diariis legerunt Parisiensibus, Londinensibus, Belgicis, Briziansibus, nostris, Speciminis loco excerptæ ex iis, & Latine reddita hæc exhibere lubet, quæ de *Anagypha* quodam æneo, in quo *Ælii Hadriani* vultum non obscuris indicibus sese opinantur deprehendisse, erudite commentantur. Dabit idansam celeberrimo Antiquitatis Interpreti, regique in Gallia supellestilis nummaria custodi *Raisantio*, qui *Vitam Hadriani* ex nummis, marmoribus, aliisque id genus monumentis illustratam meditari fertur, ut sui de eo iudicii copiam suo tempore Eruditis lubenter faciat.

**RELATIONE DI UN BASSO RILIEVO**  
*antico nuovamente ritrovato. i. e.*

**Relatio de Anagypho Antiquo recens:**  
invento.

**C**um nuper Illustrissimus Dominus Foscoli, extruptione palatii sui conductus, urbis nostræ plateam, quam Borgo Riolo vulgo dicunt, quæque non procul a Via Emilia distat, suffodiendam currens, incidit hæcamentarii in fundamentum antiquæ structuræ, quo perrupto, e-

D. 3

gestaque ruinarum, quas fecerant, materia, reperiebant Anaglyphum ex are fusum, cujus partes solidae extantiores, tertia parte crassiores eunt depressioribus. Referebat illud dimidiam partem anteriorem equi, cui insidet signum viri togati & laureati, cujus sinuata toga per sinistrum humerum eamque, qua ei respondet, equi partem defluere cerbitur. Operis antiquitatem ubi agnovisset, cujus modo meminimus, Vir Nobilissimus, museo id suo instructissimo intulit, & ut illis quoque satisfaceret, qui pulcherrimo venemanda antiquitatis studio ducuntur, benigne nobis illud concessit, quo in Diarium hoc nostrum referretur, cui ipsam figuram ari incisam majoris lucis ergo junximus.

**TAB. I.** Destituitur equus crure dextero, jam pridem de fracto, quantum ex  
**Fig. II.** fractura loco conjicitur; nec illud usquam reperiri potuit. Ipsum quoque brachium, quod toga exertum manum supinam atque explicatam porrigit, recentem sine dubio fracturam subit, factam nempe a cementariis murum diffringentibus; unde plaga in hanc potissimum partem redundavit, qua omnium facillime avelli potuit, cum leviter cetero operi affixa fuerit.

Evidenter autem cognoscere licet, majoris operis has esse reliquias, constantis ex variis Anaglyphis firmiter affixis funda ligneo vel potius aeneo, uti patet ex fragmento clavi harente in residua cruris dextri parte, itemque ex foramine, quod in ventre equi hujus deprehenditur. Occupabat is tabula quadrata latus, ad hujus extremum quippe marginem positus, unde posterior equi equitisque pars connecta quasi concipi debebat. Hinc supponi potest, figuram hanc habuisse alias, qua illam praecesserint, aut comitatae sint, aut honorifice quasi deduxerint, quamvis difficulter determinari queat, quale Aetionis genus representatum fuerit.

Observari meretur

1. Frenum seu frontale equi, constans duabus ligulis a maxillis ad os protensis, itemque alia a medio frontis ad nasum descendente & vixculis suis cum supradictis supra oculos & circa os connexa, nequitquam tamen supra aures adstricta, cui quidem simile non unum videre est in Columna Trajani, juxta effigiem abs Roslo Romae ari incisam, & speciatim quidem fol. 34. 66. 67. 74. 76. 83. quemadmodum alias ibidem spectare licet freni genus cum ligula illa media f. 83. Unde videtur concludi posse, apud veteres Romanos variam diversamque freni vel frontalis formam fuisse.

e. Fr.

2. *Figura viri togati equo insidentis; cui simile vel versatissimis in hoc studio vix reperire licebit, sive in nummis, sive in marmoribus, ubi si qua figura equo insidens habetur, paludamento semper, aut oblamyde aliave militari veste induta est. Etenim rarissimum est illud numisma, cujus paupgrapho ultimo mentionem faciemus.*

3. *Ornamentum aliquod, quo eques tarsum pedis sandalio antiquo calceati cinxit, quod illuc collocatum videtur, ut pedem a sordibus defenderet, aut ob aliam ejusmodi causam; neque tamen adhuc observatum est ab eo, qui de calceis antiquorum scripsit.*

4. *Cum Veterum equi phalerati ornamentum personae habere soleant, quod communiter ante pectus pependit, illud haec non comparet. Supponit tamen potest, constituisse illud materia perdisu faciliore, uti habent, quarum nulla apparent vestigia; exemplum tamen equi pariter phalerati descripti suppetit in Columna Trajana, fol. 22.*

*Ceterum cum actio exhibitae in hoc Anaglypho (in qua tamen corona Imperatoria Imperatoris effigiem indubie arguit) referri queat ne ad profectioem, neque ad adventum, neque ad decursionem, (quales scilicet actus a togatis fuisse celebratos, non est verosimile,) neque ad triumphum, in qua triumphator semper curru vehi solebat, uti Bulingerus, Panvinius, ceterique, qui de Triumphis scripserunt, ostendunt. Eruditis considerandum proponitur, numne ad adlocutionem referre liceat, quod suadet sinistra quadam elevatio, qualis in manu Getae deprehenditur in numismate illo, quo Adlocutio hujus Imperatoris exprimitur. Et quanquam talis actio plerumque ex suggestu edii fuerit, notum tamen est, interdum eam ab Imperatore in equo peractam, prout observat Ouselius, occasione numi cujusdam Hadriani, in quo ex equo ad cohortes concionatur. Nec obstat porro, Imperatorem in ejusmodi occupationibus semper pene oblamydatum conspici. Neque enim deest exemplum togae in adlocutionibus militaribus usitatae, ut ex numo Caligulae liquet, in quo rogatus ex suggestu Legionem fulminatricem adlocutus.*

*Referre quodammodo videtur vultum Hadriani, quae vis rem certo notius affirmare, eorum iudicio eam relinquemus, quos magis occupatos habet. Antiquitatis studium. Facit tamen hoc ad revocandum in memoriam equae illius Imperatoris Borythenem dictum, quo in veneratione usabatur, potuitque ad alia quoque usi, quemque adeo ama-*

*vis,*

vit, ut, quantum de illius morte doleret, monstrare voluerit, dum monumentum statuit, & epigramma in eum condidit; quod a Dione L. Gr. hic verbis refertur: Τὸ δὲ πρὸς τὰς Θήρας ἀπεθῆς αὐτοῦ καὶ ὁ Βορύσθενης ὁ Ἴππικος, ὃ μάλιστα Θηραίων ἠρέσκετο, σημεῖον ἐστίν. Διπιδανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τὴν φωνὴν καταποιήσασθαι, καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἐπέγραψεν. *Quae ex versione Leunclavii Latine ita sonant:* Magno autem argumento est, cum studio venandi delectatum fuisse, quod Borystheni equos, quo libenter in venationibus utebatur, mortuo monumentum edificavit, erexitque columnam (*alii, pilam, στήλην,*) inscripto epigrammate.

*Ultra modo dicta non possumus non observare cum Ezechiele Spanhemio, de Praef. & usu numism. Diff. 9. insignia quaedam Hadriani numismata, praeter illud quod ex Oiselio adduximus, fidem facere, Imperatorem hunc diversos exercitus ex equo adlocutum esse; illud vero cum primis, cuius eclypon affert, in quo legitur EXERCITUS CAPPADOCICUS, cerniturque Imperator togatus, equoque vectus exercitum illum adloqui. Id quod superius dicta mirifice comprobare videtur.*

## BIBLIOTHEQUE UNIVERSELLE & Historique de l'année M.DCLXXXVI. i. e.

Bibliotheca Universalis Historica, Anni 1686.

Amstelodami, apud Waesbergium, Boomium & Van Someren, 1686, in 12.

**N**Ovis Eruditorum Ephemeridibus *Parmensibus* novas subnectimus *Amstelodamenses*, eodem anno parique instituto adornari coeptas. Triennium prope elapsum est, ex quo *Rotterdamii* in Hollandia evulgari coeperunt, autore Viro Clarissimo *Petro Balio* Historiarum & Philosophiae Professore, EXCERPTA REIPUBLICÆ LITTERARIÆ. Sic enim operis sui titulum Gallicum: *Nouvelles de la Republique des Lettres*, Latine vertendum esse, ipsemet docuit in *Epistola ad Theod. Jansonium ab Almeloveen*, calci *Conjecturarum Job. Deckberri de Scriptis Adestotis*, Amstelq̄d. 1686 tertium editarum, adjecta. Ne vero princeps totius Belgii emporium, *Amstelodamum*,

com-

commercio sibi literario ab æmula dudum urbe palmam præceptam doleret, fuerunt anno superiori *Viri* quidam *eruditissimi*, qui Amstelodami novum genus Ephemeridum Literatorum excogitavit, nominisque BIBLIOTHECÆ UNIVERSALIS HISTORICÆ, ab aliis in *Italia, Gallia, Anglia, Germania* publicari solitis distinxerunt. *Universalem* vocant, quod libros, quotquot comparari poterunt, & quacunque lingua recens editos complecti ea constituerint. *Historicam* autem, quod librorum summam atque argumentum; absque ullis censuris aut præconiis, more Historicis a partium studio alienis recepto, recensent. Tamen si vero Bibliothecæ hujus Auctoribus non minus, quam Parmensis Diarii conditoris nomina sua reticere visum fuit, publica tamen fama ex illorum numero esse perhibetur Vir literatissimus, *Johannes Clericus*, Ebræarum literarum inest Remonstrantes Amstelodanenses Professor, cujus, cum *Davidis Stephanique Clericorum* opuscula cum annotationibus, itemque *Judicia Theologorum Hollandia de Rich. Simonis Critica Veteris Testamenti* edidisset, mentionem fecimus pag. 232. Actorum 1685, & p. 432. 440. Act. 1686: *Judiciorum* etiam adversus Prioris Bollevillani responsum *Defensionem* latius commemoraturi, quam primum *R. Simonis Replisam*, quam sub prælo gemere, nuperæ Amicorum literæ retulerunt, videre nobis contigerit. Ut vero & hujus novi operis nonnullum Lectori Benevolo specimen præbeamus, ea hic, quæ *Bibliotheca* Tomo I. mense Febr. num. XV. a pag. 218. ad 236. de *Coccejanorum dogmatibus* ex libro Belgico superiore anno recuso, & Coccejanæ Theologiæ Systema complexo, recensentur, quæque & nostris ex *P. Allinga*, Cocceji sectatore, A. 1682. p. 161, 313, & ex ejusdem adversario, *M. Leydeckero*, A. 1683, pag. 47. excerptis lucem aliquam foverari poterunt, Latine versa non dubitamus subjungere.

LEERE DER VVAARHEID  
Die na de Godzaligheid  
is, &c. i. c.

E

Doctri-

Doctrina Veritatis, quæ est secundum Pietatem,  
digesta ordine naturali conformique revelationi  
Scripturæ Sacræ, a G. BODAAN Ministro S. Evangelii  
Amstelodamensi.

Pars I. & II. in 4. Anno 1686.

Amstelodami, apud Petrum & Abrahamum Van  
Someren.

Quotquot exterorum de Coccejo non nihil ejusque discipulis au-  
diverunt, rogant sapiens, quænam veræ sit scholæ ejus sententia.  
Gallica quidem lingua scriptum, quo ea exponatur, nondum videre  
contigit: præstare vero hoc Bibliotheca nostra poterit, quia  
complures harum provinciarum theologi, Cocceji vel olim  
auditores, vel sectatores hodie, libros Belgice de ea aut La-  
tine perscribunt. Hinc nos methodi, quæ isti theologiam ex-  
plicant, quoddam edituri specimen, beati Domini Bodaani opera sele-  
gimus, eo quod, præterquam quod autor magnæ vir existimationis, ac  
Amstelodami verbi minister fuit, liber hic satis clarum copiosumque  
est theologiæ systema; tamen si morte interceptus autor, perficere opus  
non potuit. Speramus tamen fore, ut occasionem brevi nancisca-  
mur ea proponendi argumenta, quæ hic quidem a Bodaano tractata  
non sunt.

Exposita generatim studiorum suorum ratione, specialius per-  
sequitur Autor, quomodo sibi theologiæ justam ideam comparave-  
rit. Distinguit initio testamentum a fœdere. Testamentum ipsius  
sententia est *voluntas Dei libera & immutabilis, qua certis hominibus  
certa bona dare in hereditatem statuit*. Fœdus Dei cum homine contra-  
ctus est, quo ex mera bonitate homini se devinxit ad benefaciendum  
summæque beatum eum reddendum, certis conditionibus; *adjectis minis  
severissimis, si qui eas violaverint*. Hasque conditiones Scriptura le-  
gem vocat testamenti & fœderis.

Deus, ut modo ageret suis perfectionibus congruo, eum quidem  
creando homini inspirare animum debuit, qui posset ipsum cogno-  
scere, eamque voluntatem, quæ amare eum valeret: attamen eun-  
dem relinquere liberum, ut rationalis hæc creatura electionis amore  
eum diligens, eumque finitis bonis omnibus præferens, jus haberet

peten-

petendi summi boni, sibi ex fide iustitiaque Dei contrahentis debiti. Hoc est, quod Scriptura vocat *legem & fœdus operum*, quo contrahentes veluti partes suât Deus, spectatus ut creator legislatorque, & homo, in quantum liber illuminatusque perfecte est in rebus æternam felicitatem concernentibus. Conditiones sunt amor Dei & proximi, *Matth. XXII, 37-39*: promissa, vita & beatitudo, *Rom. X, 5*: minæ, mors & maledictio, *Gal. III, 10. 12*. Ast postquam in peccatum prolapsus fuisset homo, fœdusque adeo operum, vitam non nisi servata perfecte obedientia promittens infregisset, æternum illud bonum rebus sic habentibus adipisci nullatenus potuit. Elucet vero ista hominis ex operum lege salvandi *ἀδυναμία* ex quinque capitibus. I. jure excidit exposcendi vitam, tanquam debitum; violaris quippe iis conditionibus, sub quibus promissa fuerat. *Rom. III, 10. Gal. II, 16*. II. peccatum & concupiscentiæ sensuum, cor hominis ejusque affectus, ac universas animæ facultates magis magisque suo imperio subjecerunt, adeoque *Rom. VII*. obnoxium reddiderunt omnibus maledictionibus quas fœdis fragis Lex minatur. III. ut intelligeretur, quam longe remoti essent homines a perfecta iustitia, & a spe salutis ex fœdere operum; voluit Deus, ut ii, quibus favebat præcipue, mortis sese reos quotidie declararent infinitis sacrificiis ac ritibus, *Col. II, 14*. IV. morte punivit omnes homines, *Rom. VIII, 10*. V. verbo: status, quo versatur hodie genus mortalium, perfectæ cum Deo unioni adeo adversus est, ut eos, quos beatos vult reddere, necesse habeat resuscitare, iisdemque dare corpus incorruptibile, spirituale, cibo amplius & potu, vel ulla sensuum voluptate, haudquaquam indigum. Hic est ultimus gradus abrogationis legis operum, & quæ sequuntur eam.

Verum enim vero etsi homo reus mortem meruerat subitam, quam interminatus erat Deus, simulac pactum frangeret, *Gen. II, 17*: maluit tamen Ens hoc summe bonum terminum quasi protrahere, aperire portam pœnitentiæ, novumque æternæ vitæ jus concedere. Ista vero mora novumque jus, novum simul fœdus clarissime supponunt; fœdus nempe gratiæ, quod cum primo patre nostro post lapsum Deus pepigit, *Gen. III, 15*. quodque sequentibus seculis clarius clariusque revelavit indies. Contrahentium partes sustinere Deus, ut misericors & salvandi potentissimus: ac homo, ut reus & servus peccati, nec liber amplius & innocens. **C**onditio fides est per charita-



tem operosa, vel fiducia, qua Deum credimus potentissimum esse salvandi eos, qui appropinquant ei & obediunt, *Hebr. XI.* Bona promissa sunt 1. liberatio a peccato & maledictione legis, 2. jus ad vitam æternam, 3. sanctificationis spiritus, 4. spes gloriæ, 5. salus & perfecta cum Deo post mortem resurrectionemque unio. *Job. III, 36. 1. Job. V, 11. 12. Rom. V, 1. 2. 16. 18.* Comminationes non credentibus factæ, mors sunt & condemnatio. *Job. III, 18. 36.*

At enim vero Deus, ipsissima illa iustitia, fontem in fontem non reputat, *Exod. XX.* summisque suis perfectionibus communionem habere cum maligno & peccatore prohibetur, *Habac. I, 13.* nisi ad minimum 1. ab aliquo ex amore in Deum & proximum sufferatur legis maledictio, 2. Creatoris renovetur imago in homine, & 3. nisi is in posterum perfectam præstet obedientiam. Ut ergo oscularentur sese invicem pax & iustitia, mediatore opus erat inter Deum & homines. Ac adeo fœdus gratiæ necessario supponit aliud, illud nempe *Consilium paciæ inter Dominum exeroituum & Virum, cuius nomen Germani est, Zach. VI, 12. 13.* inter Patrem & Filium, quo huic ille regnum testamento quasi tradidit, *Luc. XXII, 29.* gentes dedit hereditatem ei, & possessionem terminos terræ, *Pf. II, 8.* & promisit ei posteritatem numerosam, regnum diuturnum atque felicissimum, & benedictionem cœli super labores ejus, *Ez. LIII, 10.* hac lege, ut portaret maledictionem legis, *animamque suam daret antilytron pro multis.* Acceptavit has condiciones Filius, dicens sub ingressum in orbem: *ecce, venio, Deus, facturum voluntatem tuam, Pf. XL, 8. 9. Hebr. X, 5. 8.* Hinc se exinanivit ipse, factusque est obediens, usque ad mortem crucis, *Phil. II, 7. 8.*

Et si autem bonæ a Jesu Christo populo suo acquisitæ, omnibus temporibus quoad essentiam eadem sunt; observatur nihilominus, Deum ea dispensasse diversimode, secundum varias vitæ fidelium ætates. Patriarchas ante Moysen tam tranquille vixisse advertimus, & adeo Deum confidenter accessisse, ac si facta jam esset peccatorum expiatio: fideles contra, a Mose usque ad Jesum Christum, iugo observationum, abstinentiarum, purificationum, sacrificiorum &c. intolerabili gravationis constrictosque fuisse in inspectione magistrorum & rectorum severiorum, ad quos respicere cogebantur in omnibus, quæ legem hanc, carnalique hæc præcepta attinebant. Tandem vero cum fideles ab

ad-

adventu Salvatoris mundi, ceremoniarum sarcina, magistrorumque servitio essent liberati, coelestem hunc doctorem e singulis gentibus venisse auditum, adoratumque eum in spiritu & veritate deprehendimus.

Hæ sunt diversæ illæ œconomiz, quas Scriptura Vetus & Novum Testamentum appellat. Vulgo creditur, vetus testamentum fœdus esse operum, & novum gratiæ; sed ea præconcepta est opinio, nostri Autoris sequentiumque easdem hypotheses theologorum iudicio. Vetus Testamentum institutum fuit in Sinai, *Gal. IV, 24*: ac fœdus operum multo est antiquius, quippe quod jam in terrestri cœpit paradiso; quandoquidē Deus non nisi propter se creare hominem poterat, neq; summū ei bonum promittere, nisi sub lege perfectæ obedientiæ. Nequaquā hoc est illud fœdus, quod in monte Sinai renovatum fuit; quoniam id homini peccatori jam prævaricato, & a demandata perfectione longe alieno salutem procurare non poterat. Apparet alias, quod Deus fœdus cum Abrahamo, cui Chaldaea exire iussit, terram Canaan se posteritati ejus hæreditatem daturum promiserat, *Gen. XII, 1. 3*. pepigerit: quod confirmavit etiam circumcisionis sigillo, se mundi hæredem fide eum redditurum simul pollicitus, *Rom. IV, 13*: omnibusque terræ nationibus benedicturū in semine ejus, Christo, e humbis ejus prodituro, *Gen. XVII, 1. 14. & Gal. III, 16*. Quod ipsum fœdus innovatum fuit in Sinai, cum elapsis annis CCCCXXX in eo esset, ut primam ejus impleret promissionem. Vetus ergo testamentum voluntas erat Dei immutabilis, quæ se obligavit ad dandam posteritati Abrahamæ terram Canaan in hæreditatem, ad adventum usq; Messie ibi permansuræ. Codicilli instar erat, quo velut auctarium his, qui jam gratiæ fœdere comprehensi erant, ditionem Deus dabat divitem commodamque, & cuncta beneficiorum temporalium promittebat genera, si obediverint legibus; sin minus, ejecturum se istos fertili hac regione, totiusque mundi execrationem redditurum comminabatur, *Lev. XXVII, 39*. Hoc, inquam, verum erat Testamentum, simulque Vetus Testamentum, quoniam mors Messie abolere illud debebat, *Hebr. VII, 13*.

Cæterum sine dubio quis quæsierit, quid hi doctores legem ceremoniale fuisse putent. Tantum abest, inquiunt, ut ea fœdus sit, ut potius castigatio sit infracti fœderis, ac poena peccati vitulo aureo confecto ab Israelitis admissi. Cujus sententiæ veritatem sibi persuasuris,

vel id unum, ut illi volunt, considerandum est, quam longe aliter Deus erga hunc populū gesserit sese ante, quā postquā hoc in crimen incidit. Ac quietebar prius Deus publicatā lege morali, ceu sanctitatis regula, ad quam confortibus fœderis gratiæ aspirandum erat: non vero, ceu rigida lege fœderis operum indulgentis nihil, vitamque non promittentis, nisi tam exacte promerentibus. Videmus potius promississe Deum Israelitis in decalogo, velle se Deum eorum esse, hoc est, faventem iis, & se timentibus præbiturum misericordiam. Hæc ergo lex eo sine lata fuerat, non ut eos in desperationem ageret, sed ut officii admoneret, cui obnoxii sunt intraturi in fœdus gratiæ. *Dederat illis sua sabbata in signum, quod esset Deus & sanctificator eorum. Ez. XX, 12.* Præscripserat fabricā tabernaculi, & quæ eo spectabant, unctionem Aaronis filiorumq; ad exercendum sacerdotium, testaturus, velle se esse Dominum Deum eorum, in medio eorum permanere, eosque solari typis istis & amoris sui pignoribus, *Exod. XXIX, 42. 46.* usque dum Mellias expectatus, Dominusque quem quærebant, veniret ad templum suum, *Malach. III, 1.* Postquam vero Israelitæ fœdus hoc idololatria violassent, *Jer. XXXI, 32.* etsi Deus Mosis precibus id dederat, ne deleteret eos funditus: nihilo secius punivit crimen illud severissime. *Dedit illis præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivent, Ezech. XX, 25.* eo quod consisterent omnia in externis, quæ etsi servatu erant necessaria, non tamen sanctificabant animam, nec tranquillabant conscientiam. Deinde dejiciendi eorum factus causa, *Judices Deorum* constituit titulo, *Exod. XXII, Ps 82.* quos consulere necesse erat, quotiescunque dubium circa observationes istas oriretur, quique jure gaudebant prævaricatores puniendi.

En hoc, secundum eos, proprie est vetus testamentum a Christo abolitum, ut aliud excellentiora promissa complectens institueret, *Hebr. VIII, 6.* Hoc Nov. T. definit autor *voluntatem Dei immutabilem dandi velut auctarium, heredibus fœderis gratia, a Christi ascensione ad finem usque mundi viventibus, bona & beneficia spiritalia, loco temporalium & terra Canaan.* Contrahentes sunt ab una parte æternum illud Numen, verissimum atque fidelissimum; ab altera parte, electi ex omni gente, omnes nempe in Christum Jesum credituri, Judæi & Græci. Conditio his promissionibus annexa non est amplius fides generalis in Dei misericordiam, & promissum illum redemptorem, sine

distin-

distincta ejus notita : sed *fides determinata* in Jesum filium Mariæ & Dei, natum Bethlehemi, mortuum, resuscitatum, verum illum Jesum, Salvatorem perfectum, unicum nunc regem, pontificem, supremumque doctorem ecclesiæ, exclusis omnibus diis nuncupatis, magistris scilicet istis & prisca populi doctoribus, utpote qui sunt principatus illi ac potestates, quas autoritate sua exposuavit in cruce. *Col. II, 15.*

Comprehenduntur vero bona novo testamento propria illo Dei promisso *Jer. XXXI, 33. 34.* Ad primam quidem loci hujus lectionem fatetur Autor credidisse sese, quod non magis ad Christianæ Ecclesiæ, quam Judaicæ fideles bona ea pertineant. Enimvero addit, considerata pressius duorum testamentorum natura, nec non vi vocum prophetiæ hujus, secundum expositionem Apostoli ad Hebræos pensitata, facile deprehensum iri, quàm eminenter novæ œconomiz hæredibus ea competant. Est: *dabo legem meam in medio eorum.* Durante œconomia Moïsis, spissa ceremoniarum nube involuta erant salutis mysteria, promissaq; obscuro velut velut facies Moïsis oblecta, sed tempore Evangelii Jesus Christus, ærumnæ ejus, mors, justitia & merita clare sunt proposita, idem ipse in medio nostri est suo spiritu. *2. Cor. III, 18. 1. Thess. V, 15. II: scribam legem meam in corde eorum.* Confirmaverat Deus vetus testamentum, data Israelitis lege tabulis inscripta lapideis, sed lex hæc & infinita in ipsorum gratiam, facta miracula, eos non converterant, *Deut. XXXIX, 23. 24.* Parum adeo urgebantur promissiones divinz de Messia & remissione peccatorum, quæ solæ ingens istud opus efficere possunt, ut potius ex proponerentur ænigmatica ratione, qua cor movere non poterant: cum contra legis operum comminationes implerent aures. Sed postquam nunc Jesus Christus peccatoribus est propositus, ut *in sanguine* per fidem in suo sanguine, amor iste Dei, qui dedit nobis proprium filium, cor penetrat, suavique violentiæ mentem ad reddendum Deo amorem attrahit, Boda anto loci hujus expositionem confirmante ex *2. Cor. III, 45. 6. Ili: Ero eis in Deum, & ipsi mibiverant in populum,* hoc est, secundum autorem nostram: *ego benedicam illis, & recipse ostendam, complendis meis promissionibus ipsaque veritate post figuræ exhibenda, me esse Deum illum, qui factus cum eis pepigit.* Huc refert *Gen. XVII, 8. Levit. XXVI, 12.* Ita ergo, subjicit autor, phrasis hæc sese habet, ut illa, quæ dicit Deus, non se nomine JEHOVA patriarchis fuisse cognitum, siquidem designatur eo proprie ens potens atque

fidele

fidele ad servanda promissa, neque dum tamen data posteritati eorum de possessione terræ Canaan fides, fuerat impleta. Ita Deus asciscit titulum Dei Christianorum & eos peculiari ratione *suum* appellat populum, quia sub novo testamento demum prophetarum vaticinia misso in mundum Messia complemento comprobavit. Peculiari adhuc respectu, secundum Cocceji discipulos, hæc ipsa gaudet formula. Judæos regebant LXX Seniores, inter quos Moysi *divinus* erat spiritus. Hi tutores erant veteris populi, *usque ad præfinitum tempus a Patre, Gal. IV. 2.* Vocabantur *Dei*, quoniam *ad hos sermo Dei erat factus, Job. X. 35. & oracula pronuntiabant super terrâ, Hebr. XII. 25.* Sed cum venisset Jesus Christus, *Deus manifestatus in carne*, regnum eorum, qui deorum gerebant nomen, finivit, mortuique sunt, ut reliqui homines, *Pf. LXXXII, 6. 7.* confer locum, *Pf. XCVII, 7.* allegatum ab Apostolo ad *Hebr. I, 6.* ubi Elohim, hoc est, Judæorum magistratus adorare primogenitum jubet Deus. Videtis etiam *Es. IX. 3. 6.* Ac proinde formula: *ero visus Deum*, id efficit, regnaturū Dominū sub evangelio per semetipsum, Jesum Christum regem ecclesiæ non habiturū socium, nec fore sive in cælo sive in terra Deum alium præter Patrem, aut Dominum alium, præter Jesum Christum, *1. Cor. VIII, 5. 6.* *IV: & non docebit ultra vir proximum suum, dicendo, cognoscere Dominum. Nam omnes ipsi cognoscent me a minimo usque ad maximum.* Successores Moysi *clavem* tenebant *cognitionis*, sedebant in illius cathedra, hos adire oportebat, si qui illustrari sensum legis intelligereque cupiebant, quid vellent sibi tot umbræ & figuræ, *Deut. XVII, 8. Mal. II, 7.* Verum enim vero ut filii Dei passiones & gloria clavis sunt omnium prophetiarum, *Luc. XXIV, 25. 38.* minimi jam fidelium N. T. divina hac clave gaudent, postquam sciunt omnes, Jesum Christum esse *conceptum a S. Spiritu, esse natum ex Maria virgine &c.* Hic est ille Spiritus, quem Deus promisit velle se effundere in servos servasque sine ætatis alteriusque conditionis discrimine, *Joel. II, 29.* Dum ergo S. Spiritus unctionem fideles accepere omnes, omnesque cognoverunt omnia, nempe veritates ad salutem necessarias, *1. Job. II, 20-27.* verbumque evangelii prope ipsis est *in ore & corde Rom. X, 4-8*; tantum abest, ut pedagogo opus habeant, ut potius tyrannica agendi ratio, omnes decisiones suas sub pœna anathematis credi postulans, antichristi sit character *1. Job. II, 18. 19. V: beneficium est remissio peccatorum.* Dum Autor propriam

priam fidelibus Nov. Test. facit hanc gratiam, non negat, sanctos ante Messiae adventum fuisse salvatos, vel simulac sunt defuncti, aeternam beatitudinem adeptos. Jesus Christus idem est heri, hodie & in secula, ejusque redemptio infiniti valoris est; sed non semper aequae clare ea fuit cognita, neque etiam tanta vi operata est in animos hominum. Jam tum vidimus, quod ob idololatriam vitulo aureo perpetrata, ceremoniarum onus Deus veteri testamento addiderit: Apostolo discrete istud affirmante *Gal. III, 16.* legemque hanc appellante *ministerium condemnationis 2. Cor. III. 9.* Cum enim sancita fuerit ad puniendos ob grande crimen Israelitas, neque tamen purificare posset conscientiam sanguis taurorum hircorumve; universus ille sacrificiorum apparatus nil istis proderat, nisi ut meruisse se Dei iram, & nondum (quoniam novis quotidie opus erat oblationibus) expiata peccata esse recolerent. Hinc Bodaan hanc promissionem ita *ἡ ἀφεσις*: *remittam iniquitates illorum, hoc est, liberabo eos gravi ceremoniarum jugo cum legis maledictionibus conjunctarum, imposito iis in Sinai propter rebellionem, & ut meminerint, non factam esse expiationem peccatorum eorum.* Hoc fundamento nititur celebris illa distinctio inter *ἀφεσις* & *πίσις*. *Αφεσις* ex mente Theologorum hypotheses auctoris sequentium, remissionem notat absolutam integrumque lytrum supponit; cum contra *πίσις* dicatur de indulgentia, qua in debitorem utimur, dum rebus eum suis tranquillum gaudere permittimus, quasi solvisset, modo bona fide confiteatur debitum, creditoremque grati animi cultu veneretur.

Demonstrato postea usu hujus systematis in intelligenda rectius Scriptura, dataque eum in finem epistolarum ad Hebraeos, Romanos & Galatas Analyti, nonnulla consilia tractandi studii theologici subjicit, damnato simpliciter usu philosophiae scholasticae, quae, ejus judicio, non nisi vocabula habet nihil significantia, neminiq; utilis est, nisi qui monachorum ac Romanae Ecclesiae doctorum scripta volent legere. Non idem de philosophia censet Cartesii, quam credit excolendo ingenio idoneam; cavendum tamen esse monens, ne duces sumantur *Pseudo-Cartesiani*, quibus bene cum Hobbesio & Spinoza convenit, religionemque omnem destruere decretum est; renunciari potius oportere omnibus speculationibus metaphysicis, quatenus Christianis veritatibus adversae sunt. Ut adeo optimum sit consilium, cognoscendo stylo & sermone Scripturae Sacrae, illique, quo Deus ibi agit cum hominibus, modo incumbere solite.

F Ut

Ut prodesset ecclesiae Amstelodamensi, Bodaanus hunc suscepit laborem. Initio non nisi homilia erat de professione fidei; quam quotannis die Jovis ante pascha Belgicae faciunt ecclesiae: sed crevis praeter opinionem sciagraphia ista, & si vita auctori fuisset prorogata, amplum inde efformasset theologiae corpus; siquidem, quanquam nihil fere nisi initium nos habemus, ultra octoginta tamen plagulas conficiunt partes duae & praefationes. Agitur parte prima de Deo, Scriptura, SS. Trinitate, attributis Dei ac decretis, quae quidem ordine suo autor mente concepit, quo Scriptura revelavit; facit itaque a creatione initium, finem in signis, quae primum secundumque Christi adventum praecedere voluit. Parte secunda ordinem ostendere executionem horum decretorum statuerat: sed ultra doctrinam de Mediatore non processerat, cum mors pias hasce occupationes interrupit. Eiusdem tamen amici secundam hanc quantumlibet imperfectam partem curarunt imprimi, & sane utraque pars excepta applausu tanto fuit, ut brevi temporis intervallo hic liber bis editus fuerit. Eodem volumine tres ejusdem auctoris habentur sermones, primus de resurrectione duorum illorum testium, Apoc. XI, 11. reliqui de officiis ministrorum evangelii, super Ezech. XLIV, 23. 24. & 1. Petr. IV, 11.

## BARTHOLOMAEI CRASSI NEAPOLI-

*TANI de Planurae Dominis Elogia & Carmina.*

Neapoli, apud Salvatorem Castaldum, 1684, in 4.

Quemadmodum illustris Auctoris hujusce Parens, cum juvenilem adhuc dum aetatem aegeret, Musas amoeniores colebat fervide, ita & ipse genium non degenerem indeptus, paterna vestigia pressit legit haecenus, eruditaeque adolescentiae egregia edidit specimina, Elogia scilicet, seu, ut alias appellari solent, Inscriptiones, argumentum scribendi genus, & Carmina, ab ipso veluti Apolline dictitata. Fuit autem unice, hoc quidem in opusculo, occupatus in celebrandis Heroibus, Regibus nempe ac magnanimis Ducibus, iisque qua mortuis, qua adhuc superstites, qui invicta animi fortitudine, armorumque felicitate per totum orbem inclaruerunt. Exhibentur itaque primo

*libro Christiani Orbis Trophaea seu Vienna Triumphans, ubi Johannes*

III.

Poloniae Rex, tanquam Viennae a Turcis obsessae liberator, & Innocentius XI Pontif. Max. quem nemmos sine numero in bellum Anti-Turcicum impendisse autor dicit, elogiis; elegidiis vero praeter Regem Poloniae jam laudatum, primogenitus ejus Princepsque Serenissimus, Jacobus Sobieskus; Ernestus Comes de Starenberg, tanquam praestantissimus Viennae defensor; Carolus Lotharingiae Dux, tanquam Caesarei Exercitus contra Turcas supremus moderator, & cui hoc ipsum quoque opusculum dedicatum est, Leopoldus Caesar Augustus tanquam triumphator, exornantur. Sequuntur *Bellica praestantissimorum Ducum*, & quidem tam barbarorum, quam Christianorum, *monumenta & elogia*; & tertio denique loco *carmina diversa*, qua sacra, qua profana, seu epigrammata, vividum ubique felixque Autoris ingenium ostentantia, quibus & epigramma Josephi Barberii in laudem Autoris annectitur.

*TRAITE DU CORPS ET DU SANG DU  
Seigneur, &c. i. e.*

De Corpore & Sanguine Domini Liber, Latine conscriptus ante octingentos annos a Ratramno seu Bertramo Presbytero, Monacho Abbatiae Corbejenfis; Gallice versus, cum Notis.

Paris. apud Viduam Edm. Martini & Joh. Boudotium  
1686, in 12.

**D**iversissima nuper apud Pontificios facta habuerunt *Ratramnus & Prædestinatus*. Hunc enim, cum orthodoxus huc usque, apud Jesuitas praesertim, audivisset, eoque nomine in Bibliotheca PP. (Lugduni a. 1672. edita) Tomo XXVII locum sortitus esset, orthodoxorum albo expungendum esse, peculiari scripto (prolixius impostera memorando) censuit *Seraphinus Piccinardus*. Illum contra ab heterodoxias infamia, qua apud transubstantiationis patronos haecenus laboraverat, magno molimine vindicavit operis hujus editor, *Jacobus Boileau*, Facult. Theol. Paris. Doctor & Socius Sorbonicus, nec non Metropolitanæ Ecclesiae Senonensis Decanus, cujus & in Actis



1682, pag. 331. A. 1684. pag. 172. & A. 1685. pag. 259. 367. mentionem injecimus.

Equidem *Ratramni de corpore & sanguine Domini librum, jussu Caroli Calvi Imperatoris seculo nono conscriptum*, Sigebertus Gemblacensis & Johannes Trithemius consensu placitis Ecclesie Catholice convenientissimum laudaverant. Imo anno adhuc 1526 Johannes Fischerus Episcopus Roffensis, cum Johanni Oecolampadio suos *Sacramento Eucharistiae* libros opponeret, inter *impugnatus Paschasti Ratberti*, (quem Transsubstantiationis parentem esse, communis Reformatorum sententia est,) Ratramnum recensuerat. At, cum anno 1532 Coloniae typis fuisset exscriptus, qui usque dum solius calami beneficio superstes fuerat, editionemque curassent Protestantes, ac in suis contra Transsubstantiationem disputationibus creberrime testem illum vocarent, suspicio Pontificiis subnata fuit, *abortum* hunc esse *Oecolampadii*, qui sub illustri Ratramni nomine virus suum, quo occultius, eo perniciosius spargere voluisset. Hinc a Censoribus Tridentinis inter libros prohibitos relatus, & a Sixto Senensi, Claudio Espenczo, Claudio de Saintes, Clemente VIII. R. P. Bellarmino, Quiroga, Sandovallo, Anno Cardinalibus, pro suppositio ac *pernicioso* agnitus fuit.

Longe mitius de eo senserunt anno 1571 Doctores Lovanienses, quos *Theologos Duacenses* vulgo dicunt, quique tum Indicem expurgatorium conficiebant. Tolerandum quippe decreverunt, modo duriores quaedam illius phrasae *corrigerentur*; non scalpello scilicet, sed clariori interpretatione, prout quidem mentem illorum, post Jacobum Gretserum, exponit Autor noster. Horumque sententiam certatim suam fecerunt Gregorius de Valentia, Jacobus Gretserus, Antonius Possevinus, Nicolaus Roméus.

Postquam vero ex non uno Codice Manuscripto abunde constat, opusculum hoc ætatem nequaquam mentiri, nondum tamen autori illius æquiori fortuna uti licuit. Neque enim Cardinalis Perronius ipsum Ratramnum cum hoc suo foetu hæreseos postulare veritus est; quemadmodum jam dudum Genebrardus in Chronico Ratramnum inter hæreticos seculi noni, (nec minus tamen ad annum 1215 inter Transsubstantiationis hyperaspistas,) retulerat. Idem judicium fuit Anonymi illius, quem Cellotius Jesuita a. 1655 cum no-

tis

tis vulgavit, dum *Ratramnum contra Paschasium Ratbertum scripisse*, autor est. Id quod tamen impune non tulit. Boileau enim indignum fuisse pronuntiat, qui tot tantisque commentariis stipatus publicæ luci datus fuerit.

Alii famæ Ratramni parcendum rati, hunc de *corpore & sanguine Domini* librum, non a Calvinianis quidem, a priscis tamen, quos Pontificii putant, hæresiarchis Ratramno suppositum fuisse conjecerunt. Nimirum Petrus de Marca, (Epistola Kalendis Januariis anno 1657 data ad Lucam Dacherium, frontique tomi II. *Spicilegii* præfixa,) contendit, a coætaneo Ratramni, *Johanne Scoto Erigena* compilatum, meritoque damnatum in Concilio Vercellensi sub Leone IX, & combustum in Concilio Romano, Nicolao II Pontifice, cum a Berengarii sequacibus sub Scoti nomine allegaretur. Duobus autem seculis recentiorem esse, authoremque habuisse Berengarium hujusve asseclas, opinatus est *Pater Parisiensis*, Canonicus Regul. S. August. & Professor Theologus Abbatiz S. Genovesæ.

Authoritatem tantorum virorum fraudi fuisse cæteris Pontificiorum Theologis, ut cæco impetu in libri hujus condemnationem consentirent, observat Boileau, qui post Dominum de Sainteboeue, Johannemque Mabillonium, & *genuinum Ratramni fatum, & Ecclesia Romana dogmatibus non adversum esse*, persuasissimus videri cupit. Cum ergo non dubitaret, multum ad odium, quo suæ communionis homines in opusculum illud flagrarunt, contulisse Versiones Gallicas annis 1558, 1600, & 1672, editas, in quibus (si Autori nostro fides,) a Calvinianis editoribus sana mentis suæ sensa Calvinianis formulis eloqui coactus fuit Ratramnus; operæ se pretium facturum credit, si novam & magis fidam versionem vernaculam adornaret, publicæque juris faceret, una cum ipso Latino archetypo, correcto ad apographum cum cura & fide exscriptum a Joh. Mabillonio ex codice manuscripto Abbatiz Lobienfis, quem octingentorum annorum esse doctissimus ille Benedictinus judicaverat, *Prefat. P. II. Sec. IV. Actorum Benedictinorum pag. 45. §. 83.* Varias lectiones editionum veterum in marginem rejecit; totumque opusculum in Paragraphos CII distinxit.

Præmittitur præfatio, subjiciuntur annotationes. Utrobique Editor scopum & mentem Patris hujus clariorem reddere studet, asseritque

Paschasium & Ratramnum non inter se invicem, nec contra eor-  
dem, sed contra plane diversos pugnasse in suis, quos singuli edide-  
runt, *de corpore & sanguine Domini* libris. Illum habuisse adverfa-  
rios, qui nil præter *figuras*; hunc, qui nullas prorsus *figuras* in Ec-  
charistia dari, statuerint. Ideoque, quum Ratramnus ex professo  
refuter dicentes, *nulla sub figura, nulla sub obvelatione Sacramentum  
fieri*, contra vero affirmet, *non in veritate, sed in mysterio corpus Do-  
mini in S. Cena tradi*; ex locis parallelis tum ipsiusmet, tum  
Paschasii aliorumque Scriptorum, qui apertius Transsubstantia-  
tioni favent, contendit, Ratramno *veritatem* dici non præfen-  
tiam realem, sed manifestationem substantiæ sensibilem; *ve-  
rum* autem vel *figuram* eidem nihil aliud esse, quam accidentia pa-  
nis transubstantiati, sub quibus lateat corpus Christi, nec sine illo ve-  
lo arte accipi queat.

Cæterum, quum singulis fere paginis summa illa concordia  
Paschasii & Ratramni observanda proponatur, non possumus non  
meminisse, hujus *de Nativitate Christi* librum a Paschasio fuisse im-  
pugnatum, qua de re fusius egit (quem Anno 1682. pag. 213. produxi-  
mus,) F. Natalis Alexander, *Selectorum Historia Ecclesiastica capitulum  
Seculo IX, & X. Diss. XIII.* ubi & Ratramni opera recenset, e quibus  
ad nostras oras vix alia allata sunt, quam libri duo *de Prædestinatione*  
a Mauguino anno 1651 publicati, & libri quatuor *de Refutatione Græco-  
rum*, quorum editionem Lucæ Dacherio debemus.

Id denique adjicere liceat, habere inter Codices Bibliothecæ  
nostræ Academiæ manuscriptos, *Ratramni Epistolam ad Rimbertum  
Presbyterum de Cynocephalis, an ex stirpe Adæ sint progeniti, an ani-  
mas bestiarum habeant*, clarissimo Felleræ nostro memoratam *Cata-  
logi* pag. 125.

## DIALOGUES ENTRE PHOTIN ET Irenée sur le dessein de la Reunion des Religions &c.

id est:

id est :

Dialogi inter Photinum & Irenæum de negotio  
Reunionis Religionum, & de quaestione: An liceat  
pœnis aut præmiis uti ad convertendos hæreticos.

Pars prima &amp; secunda.

Moguntia, 1685, in rz.

Quemadmodum belli tempore pacis consilia non plane abjicienda sunt, ita non defuerunt, qui de pace Ecclesiis Christianis acciter inter se concertantibus reddenda fuerunt solliciti. Nolumus nunc catalogum texere omnium ac singulorum hoc nomine susceptorum congressuum, nec recensere illos, qui bellorum quasi pertasi, positis tantisper armis, Christiano orbi pacem eamque veram ac certam polliceri non dubitarunt. Omnis videlicet superioris non minus ac præsentis seculi historia plena est consiliorum de pace restituenda. Nec dubium est, quin successus sortitura sint exoptatos, dummodo eadem omnibus, quotquot dissident, luberet agere pietate dicam an dexteritate. Certe *Johannes le Sueur* optime rei Christianæ consulit, quando *Historia Ecclesiastico-Civili*, Gallico concinnatæ idioma, ad tempora Nicæni Concilii protractæ, Epitomen doctrinæ Christianæ subjungit, quæ ad illam usque ætatem viguerit recepta. Hac proposita ostendit brevissimis, quam longe Ecclesia Romana hodierna ab avita illa Christiana recesserit. Dehinc concludit, cum tanta fidei & morum ætatis utriusque difformitas, vera ac unica dissidiorum Christianos inter exortorum fuerit causa, non aliud superare pacis redintegrandæ medium, quam si Ecclesia universa eandem induat faciem, qua primitiva illa se nobis sistit conspiciendam. Ita neminem habiturum, quod de injuria juste conqueratur. Nos literam hanc nostram facere haud immerito veremur, non tamen ingratum fore lectori arbitramur, si quæ Dialogistæ præsentis de nova Religionum unionis publicæ exposuerunt luci, tamen si ferius paulo, & postquam consilia illa pacifica in atrocem persecutionem in Gallia deserunt, paucis recenseamus. Occasionem scripti haud difficulter conjicit unusquisque, quia neminem, quæ de hac causa in Gallis annis

abhinc bene multis gesta sunt, fugere possunt. Partes Dialogorum sunt duæ, quarum utraque sex absolvitur Dialogis.

Dialogo I. Irenæus pacem suadet ceu rationem Ecclesias Gallo-  
rum Reformatas ab interitu imminente [ nondum enim prodeunte hoc  
scripto gravissimæ cœperant persecutiones ] salvas præstandi ac incolu-  
mes, allegata hanc in sententiam formula pacis ineundæ, per omnes  
provincias sparsa. Contradicit Photinus, & natalibus schismatum ex-  
cussis, cum Paulo veritatem esse sequendam & caritatem, h. e. carita-  
tem veritati non adversam pronunciat, & ad hanc regulam pacem a  
Gallis hactenus propinatam examinans, pie desiderari unionem legi-  
timam sed frustra expectari contendit.

Dialogo II. probat Photinus, fœdus a Papistis oblatum suspectum  
esse debere, cum pacem exhibentes hæresarii, fidem hæreticis datam,  
licet juramento fuerit firmata, juste rescindi posse publice profitean-  
tur, & medias inter pacis consultationes flammam vomant ac ignes,  
nec persequi Ecclesias Protestantium destiterint unquam, nisi coacti.  
Rationes Irenæi contrarias refellit Photinus, & exemplis domesticis  
ex Franciscis Annalibus depromptis demonstrat, non aliud pacis præ-  
textu Pontificios querere, quam ut Reformati juribus omnibus volen-  
tes excidant, quibus postmodum destituti vel nolentes cœtui Papista-  
rum aggregentur.

Dial. III. impossibilem esse Religionum unionem declarat, &  
imprimis ex Francicarum & Germanicarum rerum monumentis id-  
ipsum evincere nititur. Hoc insuper urget, non potuisse hac-  
tenus Lutheranos, Reformatos & Arminianos fœdere jungi sociali,  
qui tamen, ipso iudice, conveniant in omnibus, quæ ad fidem, aut ad  
mores, si essentiam spectes & fundamentum, pertineant, licet cœtus  
unus altero sit purior. Differit de colloquiis ad pacem revocandam  
inter Lutheranos & Reformatos, inter hos & Remonstrantes habitis,  
at successu plane nullo. In quo cum historia ipsi suffragetur, nos  
contradicentes non habet. Sed negamus, culpa nostratum acci-  
disse, quod huc usque vivamus discordes. Æqui certe rerum arbitri  
aliter pronunciant. Dicit porro de colloquiis variis, & hunc mo-  
dum insufficientem plane deprehendi ad pacem Ecclesias reducen-  
dam affirmat. Nec Protestantium Ministros monere prætermittit, ut  
rerum suarum satagant, & Colloquia hujusmodi periculi plenissima devi-

devitent. Exemplum omni quali exceptione majus allegat colloquium Dn. Claudii cum Episcopo Meldensi, & Ministri cujusdam meminuit, qui interrogatus, cur ipse & socii cum Episcopis de Religionis unionem colloqui renuerent, responderit: *quia hæc colloquia frustranea fore non ignoramus. Rex vobis Catholicis (decreto peculiari, ad quod non semel a Collocutoribus provocatur) interdixit, ne Religionem amplectamini nostram. Quod si ergo vestros convicerimus Episcopos, neque vobis neque illis liberum erit secundum conscientiam præscriptum agere. Tollantur hujusmodi interdicta, neque nos vobis colloquium petentibus sententiam adversos.*

Dial. IV. pluribus de Colloquiis verba facit, & de colloquiis generalibus mentem suam exponit, ostendendo, inausita eadem extitisse semper iis, qui eodem quamvis jure, non tamen viribus congressi fuerint paribus. Nec majoribus feliciores fore posteros, recentiorum temporum comprobatur eventibus, trinis præterea allegatis rationibus, quæ omnem Colloquii liberi expectationem animis ejiciant, *authoritate Papæ, zelo Regis pro Religione Romana, & judicio fidei ac controversiarum, quod Episcopi sibi arrogant.*

Dial. V. de Conciliis agit, eorumque fata æque infelicia esse ad componenda in Ecclesiis dissidia, multis evincit. Conciliorum brevem conficit enumerationem, ita tamen ut potiorum saltim meminisse juvet, quæ in Ecclesia Christiana olim, vel non ita pridem fuerunt celebrata, videlicet Hierosolymitani, Nicæni, Constantinopolitani I, Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani II & III, Tyrii, Antiocheni, Ariminensis, Ephesini II & III, Constantinopol. IV, Nicæni II, Francofurtensis, Lugdunensis, Ferrariensis, Basileensis, Pisani, Tridentini, & Synodi, quam vocant, Dordracenæ.

Dial. VI. easdem causas memorat, Concilium liberum, vel nationale, vel œcumenicum impediens, quas Dial. IV. colloquio ab Irenæo proposito opposuerat, non omissis difficultatibus aliis negotio huic obstantibus. Examinat quoque Episcopi Tinenensis consilia pacis per omnem Germaniam nuper disseminata, & fraudem non unam sat prudenter ab ipso celatam detegit. Et quamvis Irenæus allaboret conatu magno, ut Concilii formam præscribat, quod neutri dissidentium obesse possit, subscribere tamen sententiæ ejus:

G

vere-

veretur Photinus, quod innumera ubivis optatum spei hujus exitum remoratura sint obstacula.

Dial. VII. qui Partis secundæ primus est, argumentum colloquendi ut suppetat uberius, Irenæus bina producit scripta, alterum: *Epistolam quorundam Protestantium Pacificorum de negotio Reunionis Religionum ad Congregationem Cleri Gallicani &c.* alterum: Discursum succinctum *Dn. Jurieu*, præmissum Præjudiciis legitimis contra Papismura (enarratis a nobis anno 1685 M. Novembri) cui titulus: *Consilium ad Protestantes Europa, tum Augustana tum Helvetica Confessioni addictos.* Cumque de iis dixissent erudite, ad priores regrediuntur operas, & modos unionis quatuor examini subjiciunt. Primus est *tolerantiæ mutue*, quam Deistæ (les Espris fors) suadent; alter *expositionis*, cujus dux & auctor primarius reputatur Episcopus Meldensis Bossuetus, quem sequuntur pacificatores, ut audiunt, reliqui; tertius *relaxationis*, quam eligunt novi Reformatores, de jure suo remittendum aliquid esse hortantes, quos inter eminere creditur Auctor libri hoc insigniti titulo: *Media certa & honesta pro conversione omnium hæreticarum &c.* (a nobis recensiti M. Octobr. 1682, pag. 310; ) quartus denique *conversionis*, cui applaudunt converfores, quibus Papistarum plerique annumerari debent, ductoribus gaudentes Archiepiscopo Parisiensi, P. la Chaise, & Dn. Pelisson. Inter has pacificandi rationes primam & ultimam ad concordiam recuperandam nequaquam conducere, rem ipsam edisserere affirmat Photinus.

Dial VIII. prolixius de religionum *tolerantiâ* loquitur, nunquam a Romano-Catholicis expectanda, & male a Reformatis nonnullis propugnata. Ex multis nominat quendam *Duiffreau* Ministrum Salmuriensem, qui libro *de Reunione Christianismi*, probare ausus sit, omnes Christianos eadem communione frui debere, non obstante sententiarum diversitate, & alios quosdam, quibus tamen masculine contradicit. Postea quæstionem decidit: *an Concilium Tridentinum in Gallia sit receptum?* adstruens, venerari omnino Gallos Concilium Tridentinum, seu universalem fidei normam ac regulam, etsi, ad disciplinam Ecclesiasticam quod attinet, in aliquibus ab eo recedant. Progreditur ad deprecanda quamplurima, quibus scætet Pontificiorum Religio, tam detestanda, ut a Reformatis plane nequeant tolerari.

Dial.

Dial. IX. aduersus Meldensem pugnat Episcopum, qui *expositionem* suadet, ut uidelicet, quemadmodum ipse prætendit, dissipentur ideæ falsæ Religionis Romanæ, quæ a Ministris Reformatarum Ecclesiarum depingi soleant. Sed alias latere causas, easque longe ueriores Photinus subodoratur: studere nimirum Pontificios expositione malefida persuadere, partim aliam plane doctrinæ Catholico-Romanæ esse faciem, quam quæ vulgo mentibus impressa hæreat, ut eo facilius societati ipsorum inferi se patiantur Reformati; partim superstitiones atque errores Ecclesiæ Romanæ corrigere, & nullo sentiente reformare.

Dial. X. de *relaxatione* quædam profert. Hanc distinguit in *condescensam* & *reformationem*. Neutram harum specierum ad promouendum reunionis negotium quicquam conducere posse evincit. Præsertim reformationem rejicit, utpote sibi suisque Ecclesiis minus necessariam, Romano-Catholicis uero impossibilem. Neque solum Gallicanam Ecclesiam reformationi talis modi sufficere, quæ pacem generet firmam atque salutarem, abunde demonstrat. Finem dicendi facturus Epistolam Protestantium Pacificorum censuræ submittit.

Dial. XI. de *conversione* disserit, quæ etsi non maximam, potissimam tamen, si uel solum inspiciamus titulum, hujus scripti absolvit partem. Duo observanda docet conversuris, prius, ne decipiantur ipsi, de Religione, qua imbuere laborant alios, sententiam laturi; alterum, ut mediis non nisi legitimis, doctrina & persuasione, ad avocandos ab erroribus homines utantur. His positis de quæstione disquiritur, inter B. Auctorem Novorum Reip. literariæ, & A. de L. R. Auctorem Ephemeridum Eruditorum Parisiis publicatarum, disceptata: *an pœnis aut premiis uti liceat ad convertendos?* Assentitur Photinus B. qui irregularem dixerat conversionem Regis Norwegicæ Olai, de qua dubitetur merito, an vere paganismum ex animis eiecerit, quamvis A. de L. R. rationibus non paucis contra ipsum dimicaverit. Ne uero nulla ratione motus ad castra B. transisse credatur, exemplis Christi, Apostolorum & doctorum primitivæ Ecclesiæ, assertis universonum ac singulorum perspicuis, & argumentis ex ratione & æquitate depromtis idem it probatum.

Dial. XII. objectiones amolitur, & cum alias inter Augustini auctoritate fuisset pugnatum, Donatistarum Annales paucis contextit, in-



justitiæ Papistæ Reformatorum in Gallia persecutores accusat, & censuram libri *Media certa* &c. cujus mentionem jamtum fecimus, subjungit.

*Relatio de insignibus novi cujusdam speculi  
istorii effectibus, Communicata a D. T.  
in Litteris ad N.*

**D**E speculo istorio, quod non ita pridem hic in Lusatia confici curavi, sequentia accipe.

I. Ejus simile hactenus confectum non est. Nam & magnitudine ingens illud, quod Parisiis certo ære spectandum exponitur, cujusque mensuram inde mecum huc tuli, tribus pene octavis ulnæ Lipsicæ exsuperat. Harum fere tres continet arcus speculi mei maximus; & ex lamina cuprea constat vix duplo crassiori, dorso cultri communis, indeque facile de loco in locum transferri, usibusque suis disponi potest; cum cætera (quæ quidem mihi videre contigit) grandiora & producondis insignioribus effectibus idonea, ex massa diversorum metallorum fusa, mole sua & gravitate minus sint tractabilia. Ipsa speculi constructio, quæ circa alia ejus magnitudinis immensi foret & incredibilis laboris, ob artificia singularia a me inventa, unius hominis opera facillime brevique temporis spatio absolvi potest.

II. Adeo exactæ est polituræ, ut quævis objecta accuratissime, & pro diverso situ suo, horizontali, perpendiculari &c. mire transformata insolitaque magnitudine referat: ex. c. pusionem, ingentis viri, caput aliudve membrum monstrosæ magnitudinis specie. Oculo propius ipsi speculo admoto, quam est foci ab hoc distantia, objecta omnia intra speculum tanquam remotissima, erecto situ conspiciuntur; at eodem ultra foci distantiam a speculo remoto, eadem omnia extra speculum inversa apparent: & quia focus duabus ulnis a speculo distat, non sive voluptate, videre est objecta distinctissime velut in aere pensilia: ita ut strictum versus speculum gladium, ludibriorum hujusmodi optice ignarus spectator, sibi in faciem improvise impingentem, subito sed vano terrore experiatur.

III. Vis speculi hujus caustica ejus potentia est, ut vel Chymicis, quibus tamen præcipue cognita sunt ignis vires, nisi propriis oculis experimentum capiant, vix effectuum horum fidem facturis sis. Nam  
L. admo-

MENSIS JANUARIJ A. M DC LXXXVII.

7

1 admotum foco speculi lignum momento flammam concipit, quam ne ventus quidem valentior facile extinguat.

2 aqua intra vasculum figlinum ei applicatum extemplo effervescit, ut ova injecta statim fiant edulia: retento ibidem parumper vasculo, aqua omnis evaporat.

3 massa stanni plumbive, tres pollices crassa, simulac foco admovetur, guttatim liquefcere, pauloque ibi detenta continue fluere incipit, donec spatio 2 aut 3 minorum plane perterebretur.

4 lamina ferrea aut chalybea foco admota, in averfa a speculo superficie, qua parte focum contingit, illico candescere conspicitur, pauloque post in foramina dehifcit: quorum tria intra sex minuta horaria memini me laminæ maffisse. Nec minus

5 cuprum, argentum &c. foco admota colliquefcunt, cujus experiendi causa diversæ speciei monetas adhibui: ex quibus unciali (Reichsthaler) Saxonico idem, quod laminæ supra memoratæ, intra quinque aut sex minuta contigit.

6 quæ liquefactioni obnoxia non sunt, ut lapides, lateres &c. brevi instar ferri igniti candescunt.

7 ardofia e vestigio candescit, & intra pauca minuta in vitrum nigrum non inelegans transmutatur: cujus si pars aliqua candescens forcipula prehensa detrahatur, in fila vitrea simul diducitur.

8 regulæ, intensissimum ignis æstum alias perpessæ, exigui temporis lapsu in vitrum flavum deliquefcunt; quemadmodum &

9 testæ ex ollis non solum probe percoctis, sed multo etiam ignis admoti usu duratis, in vitrum nigro-flavum.

10 pumex, montium, ut volunt, ignivomorum in officinis ustus solari hoc igne in vitrum candidum & pellucidum funditur.

11 crucibuli solidissimi pars foco appofita, intra 8 minuta in vitrum conflata est. Sunt etiam mihi

12 ossa in vitrum aliquod opacum; & gleba ex terra excisa in flavum aut subviride vitrum mutata.

Notabis vero, hæc omnia experimenta exeunte Augusto & Septembri a me tentata & perfecta fuisse: quo tempore notum est, Solem non ejus energiz esse, atque cum circa cardinem æstivum altissimus nobis incedit; quo tempore mihi longe adhuc præstantiores effectus polliceor: quanquam ex his etiam liquido constat, non alium ejusdem virtutis & efficaciz ignem nobis suppetere.

Essent

Essent adhuc alia hujus argumenti in promptu, commemoratu non indigna; e quibus hoc unum subjungo: tentatum etiam a me effectum concentratorum hoc speculo radiorum Lunæ plenæ, in maxima sua altitudine existentis; at nihil quicquam caloris, lucis tamen non exiguum augmentum deprehensum.

*EMANUELIS KÖNIG, PHIL. ET MED.*

*Basil. Regnum Minerale, &c.*

Basileæ, sumptibus & typis Eman. & Joh. Georgii König,  
1686, in 4.

**Q**uam laudem ex æditione Regni animalis mense Aug 1683 in Actis nostris recensiti, consecutus Clar. Auctor est, eam non minori jure ex præsentis libri evulgatione tuebitur. Magna enim rerum varietate gravis est, ita ut quicquid singularium virium ex regno minerali peti in medicamina solet, id hic indigitatum curiosus Lector inveniat. Liber autem ipse in IV sectiones, hæque in diversa capita dividuntur. Sectio I. agit de regni mineralis nomine, differentiis, ortu, nutritione, vita & partibus. Quinque istis, quibus constat, capitibus denominationis rationem, tum metallorum generationem, quam per analogiam cum vegetabili & animali regno, medianæ ovo quodam imperfecto contingere autumat, fusius perquirat. Hinc augmentationem, ut continuatam generationem profequitur, ac mineralibus organa sive partes analogice tales ad nutritionem necessarias attribuit, radicem nempe, corticem, substantiam ipsam, ac vasa: Quibus præmissis sectionem II. aggreditur, ubi de metallis veris 6 capita proponens, Solem, Lunam, Martem, Venerem, Jovem & Saturnum juxta particularum porarumque configurationem, differentias, & nobiliora inde præparata per vestigat. Mercurium vero numero verorum metallorum eximit, quod hic nec ductilis sit, nec fluat in igne, sed in halitum abeat. Nihilominus hunc, ut & antimonium, tanquam metalla spuria, attentius considerat, quibus affine corpus cinnabarim statim subjungit ac ultimo capite de bismutho, auripigmento, arsenico, cadmia, sandaracha & zinco eodem respectu agit, eandem methodum, qua in metallorum verorum descriptione usus est, & hic, & in sequenti Sect. III. obser-

Wans,

vans, ubi de lapidibus, eorumque natura, ortu, generatione, differentis, tribus prioribus capitibus tractat. Hinc lapidum pretiosorum minorum sive gemmarum examen instituit, & a revelato modo, quo gemmæ artis ope parantur, declarare nititur productionem earundem naturalem. Sistit vero adamantem, rubinum, granatum, hyacinthum, saphirum, smaragdum, chrysolitum, topazium, turco- idem, bafonium, opalum, oculum mundi, oculumque catti, de quo ultimo memorat, quod Indi ipsum maxime æstiment, persuasione ducti, ejus qui hanc gemmam possideat, non posse facultates imminui, sed indies incrementum sumere. Porro lapides pretiosos majores crystallum, jaspidem, heliotropium, malachitem, prassium, nephriticum, achatem, onyeha, calcedonium, carneolum, phengitem, amethystum, juxta colores potissimum & vires describit; ac mox lapides minus pretiosos minores, magnetem, hæmatitem, simiridem, schistum, lazuli lapidem, Armenum lipim, astroitem, lapidem Judaicum, belemnitem, morochrum, ætitem, ostracitem pari ratione exponit. Inde autem procedit ad majores lapides ignobiles, tum duros, saxum, silicem, pyritem, cotem, marmor: tum molliores, saxum calcarium, gypsum, lapidem Bononiensem, pumicem, topnium, asium, stalactitem, osteocollam, cornu fossile sive lithomargam albam, amianthum, lapidem specularem, & talcum. His omnibus corallia subnectit (ut ut in regno suo vegetabili inter plantas relata) quod duritie insigni prædita sint, atque ob sulphure nobile cum omnibus fere lapidibus virtute certent. Cæterum sectione IV mineralia media propositurus, ea dividit in salia, sulphura & terras, adeoque III partes constituit, easque in diversa iterum capita dispescit. Præmissis vero generalibus de ortu & mixtione eorum, salia primo loco profert, eorumque insignem differentiam, quoad diacrisin non tantum insinuat, sed & requisita diversa velut menstrua, in quibus liquentur, & cum quibus ratione texturæ & compositionis conveniant, enumerat. Hinc de sale communi, sale gemmæ, nitro, borrace, vitriolo, alumine & sale armoniaco specialiter agit, ac parte II sulphura simili ratione explanat; considerando sulphur in specie, hinc succinum, asphaltum, gagatem, petroleum, carbonem fossilem, ambram gryseam & camphoram. Tandem parte III terras varias medicas explicat, alba ut Samiam, lac Lunæ, ter-

ram.

ram Melitensem, bolum album & Lignicensem, terram sigillatam Lemniam; mox rubras, ut terram Lemniam rubram, bolum Armenum, bolum Toccaviensem: inde luteas, ut terram Silesiacam sigillatam, ochramque e variis Europæ mineris metallicis erutam. Postea terras artificum enucleat, argillam, cretam, rubricam fabrilem, umbram & tripolim, appendicis loco acidularum & thermarum descriptionem curatam addens. Sic suspenso saltem pede percurrimus doctissimum tractatum, quem perlegisse curiosum Lectorem nunquam poterit pœnitere.

## LIBRI NOVI.

- F**rancisci Willougbeji de historia Piscium libri IV. Oxon. 1686, in fol.  
**S.** Clementis Epistolæ duæ ad Corinthios. Paulus Colomæsius recensuit & notarum spicilegium adjecit. Accedunt Thomæ Brunonis Dissertatio de Therapeutis Philonis, & Epistolæ aliquot singulares. Londini 1687, in 8.  
 Novissima idea de Febribus & earundem cura, mechanicis rationibus suffulta, Aut. Jacobo Sylvio. Dublini 1686, in 8.  
 De ipsa Natura, sive libera in receptam Naturæ notionem Disquisitio; auctore Roberto Boyle. Londini 1687, in 12.  
 De Nieuw Hervormde Anatomie, door Steph. Blanckaerd. t. Amsterdam, 1686, in 8.  
 De Gereformeerde Geneeskunst, door H. Overkamp. t. Amsterdam 1686, in 4.  
 Rolandi Marefii Epistolarum Philologicarum libri II. Lipsiæ 1687, in 12.  
 Johannis Schmidii Commentarius in Prophetas Minores. Lipsiæ 1687, in 4.  
 Joh. Henr. Heideggeri in Viam Concordiæ Protestantium Ecclesiasticæ Manuductio. Amstelod. 1687, in 8.  
 Reflexions on Mr. Varillas's History of the Revolutions that have happned in Europe in matters of Religion; by G. Burnet. Amsterdam 1686, in 12.  
 Critique du Neuvieme livre de l' Histoire de Mr. Varillas &c. Traduite de l' Anglois de Mr. Burnet. a Amsterdam. 1686, in 12.  
 Medicina Mentis, sive Tentamen genuinæ Logicæ, in qua differitur de Methodo detegendi incognitas Veritates: Medicina corporis, seu Cogitationes admodum probabiles de conservanda fanitate. Amstel. 1687, in 4.

## Errata.

In Actis a. 1686, pag. 386. l. 20. lege *Cozzandus*. pag 578. l. 16. lege Job. III, 22. pag. 579. l. 1. lege Pf. LVIII. 5: l. 2. lege Hof. VI. 8.

Præterea monendus es, Lector Benevole, figuras quas in Malpighii Operibus neglectas in nostro ad minimum exemplari, supra pag. 17. innuimus, reperti integras in exemplaribus, quæ paucos ante dies, cum typis jam exscripta esset nostra illa de Operibus Malpighianis relatio, ad nos pervenerunt, adeoq; in hac omnium Malpighii operum editione plane nihil desiderari.



# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Februarii, Anno M DC LXXXVII.*

## JOHANNIS SCHMIDII IN PROPHETAS *Minores Commentarius.*

Lipsiæ, sumptibus Hæredum Friderici Lanckisch,  
1687, in 4.

**P**erbene nuper de Ecclesia orthodoxa non minus, ac beatis *Johannis Schmidii*, Theologi quondam Argentoratensis Conventusque Ecclesiastici Præsidis gravissimi, Manibus meritqs est *Balthasar Fridericus Saltzmannus*, SS. Theol. Doctor & Ecclesiastes Argentoratensis, dum posthumum hunc Profocerisui in Prophetas Minores commentarium publici fecit juris. Cum enim Nostrates toto XXVIII annorum intervalló (ex quo is ad meliorem vitam transiit) editionem operis hujus, quod in illius schedis adhucdum superesse inaudiverant, enixe quidem, frustra tamen hætenus expetiissent; hoc demum anno Admodum Reverendi *Saltzmanni* beneficio, voti sui sunt damnati. Neq; etiam monumentum melius, injuriisve temporis minus obnoxium memoriæ meritissimi Viri parari poterat, cum, Hebræorum proverbio, *Justorum verba* monumentorum perpetuorum vices omnium optime suppleant.

Methodum, qua Noster usus est, commodam præcul dubio ac facilem experientur Exegefsos sacre cupidi. Præmissis namque tum in universos, tum in singulos Prophetas *Prolegomenis*, exponit ante omnia *Argumentum & Partitionem* cujusvis capituli. Eruit deinceps *ex ovæpñia* textus, locis parallelis fideique analogia, *sensum vocum* tantum non omnium. Quia hic vero succinctæ brevitati studuit, prolixius deinceps proponendas & cum cura ventilandas duxit *questiones*, quas circa Prophetarum verba Philologi aut controversiarum Theolo-

H

gi.

Logicarum casuumve conscientiarum Scriptores movere consueverunt. Subjunguntur tandem *Locimorales & doctrina*, ubi quicquid e Textu Sacro ad didascaliam, aut elenchum, aut epanorthosin, aut pædiam applicari potest, brevibus & perspicuis thesibus exhibetur.

Et hoc quidem filo commentarium in universum XII Prophetarum volumen Auctor pertexuisset, nisi hanc laborum telam cum vitæ staminibus immatura fata abrupissent. Cum igitur *Haggæus, Zacharias & Malachias* Schmidium interpretem non haberent, visum fuit Editori, commentaria *Friderici Balduini* Theologi quondam Wittebergensis celeberrimi in isthanc divinorum Vatum trigam, recusa succenturiare Schmidianis. Calcem Voluminis quadruplex index occupat, *Quæstionum* puta, *Locorum Scripturae, Vocum Hebraarum, Rerumque memorabilium*. Cætera Theologi cordatissimi opera dudum typis Argentoratensibus aut Francofurtensibus exscripta, longa hic serie recensere animus esset, nisi otium nobis fecisset *M. Henningus VVitten*, qui Decadi Nonæ *Memoriarum Theologorum nostri seculi* p. 1276. seq. eorundem Catalogum locupletissimum inseruit.

*HISTOIRE DE LA REFORMATION DE  
l'Eglise d'Angleterre. Seconde  
Partie. i. e.*

**D. Gilberti Burneti** Historiæ Reformationis Ecclesiasticæ in Anglia Pars Secunda, Gallice versa  
a Dn. de Rosemund.

Londini, apud Richardum Chiswell, 1685, in 4.

**N**Acti tandem excerpturique diu desideratam continuationem versionis Gallicæ celeberrimi operis Barnetiani, (quod Anglice Londini jam anno 1680, iterumque anno 1683, pulcherrimis typis *in folio*, duobus tomis excusum prodiit) non opus esse putamus multa præfatione. In recensu enim primæ partis, anni 1684, mense Augusto p. Actor. 383. & seqq. quantum sufficere credimus, & de Autore, & de interprete dictum est. Eorum uterq; in secunda etiam parte eruditionis & industriæ suæ insignè dedit documentum, ut æqui Lectores sine dubio

dubio agnoscent. Divisus est alter hic tomus in libros tres. *Primus* exponit gesta sub *Eduardo VI*, Henrici octavi filio, qui puer decennis patri anno 1547 succesit, & immatura morte anno 1553 sublatus, ob incredibiles ingenii dotes, magnum civibus sui desiderium, & immortalem memoriam etiam exteris reliquit. Hic non modo tutorum suorum judicium, sed & suum, quod in tenera illa ætate ad senilis prudentiæ perfectionem profectum ostendit, secutus, reformationem a patre coeptam ita promovit, ut jam non in mores aut opes Cleri, sed in dogmatum emendationem opera impenderetur. Non tamen adeo quietum aut faustum ei fuit imperium, quin non solum repugnantes haberet ex clero & populo, qui veteri sacrorum consuetudini tenaciter inhærebant; sed & procerum æmulatione agitatus, variisque criminibus offensus, severis animadversionibus, fusoque illustri sibi-que cognato sanguine, tueri auctoritatem regiam coactus fuerit. *Libro secundo* regnum Mariæ, quam Henricus VIII ex Catharina Arragonia progenit, describitur, a morte Eduardi ad An. 1558. Quam cruentum id fuerit, postquam Maria, oppressa statim, quam ei procerum factio opposuerat, *Johanna Graja Semeria*, miræ alioqui virtutis & regii sanguinis matrona, Philippo Caroli V filio, Hispaniarum postea Regi, nupsit, & Romana sacra reducere summo cum rigore annexa est, ex plurimis scriptoribus dudum innotuit, divisis tamen in partes, & pro suo affectu gesta illius extollentibus aut deprimentibus. Autor noster, etsi religioni, quam Maria ferro & igne persequabatur, addictus, ita tamen hanc partem operis omnium fortassis difficilissimam tractasse videtur, ut neque illis, qui Regiæ consilia regebant, *Reginaldo Polo* Cardinali, ( inter omnes quidem modestissimo ) severioribusque aliis, laudes suas detrahat. Sicuti nec ab omnibus defectibus immunes sistit, qui sub hoc regno pro religione reformata mortem passi sunt, inter quos primarius fuit celeberrimus ille *Thomas Cranmerus* Archiepiscopus Cantuariensis, qui sub Henrico VIII inter multas dissimulationes, variaque fortuna, sub Eduardo aperte, mutationem in sacris promovit, & tandem regnante Maria vivicomburium resumto animo subiit, cum paulo ante infirmitati succumbens, sententiam suam de religione revocasset. *Libro III.* lata Protestantibus mutatio breviter refertur, quam mortua absque liberis Maria, succedens altera Henrici Octavi ex infelici illa *Anna Bullena* filia *Elisabetha*, procuravit, & ad



finem usque regni & vitæ per multos annos adversus odia & vim summorum in Europa Principum tenuit: fœmina sane, sed quæ regnandi arte exemplum, quod viri difficulter assequantur, proposuit.

Quamquam vero multa in memorabili hac (si quæ ulla alia est,) historia ab Autore producta sint, neglecta aliis, vel aliter tradita, neque nobis molestum esset, multa ex iis annotare, prolixitas tamen vitanda fuit, & utilitati legentium melius consulturos nos esse putavimus, si de documentis, quæ Burnetus utriusque operis sui tomo magna copia adjecit, aliquid afferamus. Constituunt enim illa plus quam tertiam operis partem, nec ab interprete Gallo, quod sciamus, translata fuerunt. Unde singula nactus fuerit Autor, vel in opere ipso retulit, vel in margine annotavit, ut de fide illorum nemo, ut existimat, dubitandi causam habeat. Indicem omnium exhibere non possumus, quippe quod nimis longum, nec utile fortassis fuerit. Aliqua tamen præ cæteris notatu digna, interque ea, quæ Latina sunt, indigitabimus. *Parte I. sub Num. 1.* adjecta est formula juramenti, quo etiam ante Henrici VIII tempora Episcopi Anglicani Regibus obstringebantur, stricta profecto, in hoc præsertim regno, in quod Pontificatus Romanus singulare sibi jus arrogaverat. Jurabant autem inter alia his verbis ad stylum illius seculi compositis: *Ero (Regi & hæredibus ejus) verus ligens, & fidelitatem in ligentia mea pure & sincere servabo, fideleque & verum obsequium, secundum optimum posse meum, faciam & impendam, contra quas-cunque personas, cujuscunque status, gradus, præ eminentia aut conditionis existant.* Speciatim inde promittunt, se Regi fidele consilium, si vocentur, duros, ejusque secreta nemini revelaturos, tum si quæ habeat negotia Romæ, diligenter curaturos esse. Addunt denique, *servitia & homagia pro temporalibus Episcopatus, quæ recognoscere & tenere a Rege, ut supremo domino suo profitentur, fideliter præstituros, ut appareat, priora illa capitâ ad ipsorum personas pertinuisse.* Inter documenta ad num. usque 47. pleraque ad causam illam famosam divortii Henrici VIII a Catharina uxore pertinent, & ex iis, quæ Anglica fere lingua a Rege ad legatos & procuratores suos Romam, & ab his ad Regem scripta sunt, arcana aulæ & Pontificiæ & Regiæ non pauca patefcunt. N. 34. extant sententiæ Theologorum *Parisiensium, Aurelianensium, Andegavenensium, Bituricensium & Tholosanorum*, qui omnes unanimiter contra dispensationem Pontificiam, quæ Henrico viduam

viduam fratris ducenti data erat, pronuntiant. Mirum magis, quod & Bononienses idem senserunt, quorum hæc sunt verba: *non potest sanctissimus Papa (qui tamen fere omnia potest) cui collatae sunt a Christo claves regni caelorum, non inquam potest super huiusmodi contrahendo matrimonio quenquam dispensare. Patavini addunt rationem, cum illa, qua sunt jure divino prohibita, non subsint ejus potestati, nec in illa gerit vicem Dei, sed solum super ea, quae sunt commissa jurisdictioni hominum.* In hoc quidem consentientes habuere Lutherum & Collegas, ad quos anno 1530 Henricus legatos miserat, sententiam eorum rogantes; sed permoveri se non sunt passi, ut contractum & consummatum matrimonium rescindi posse decernerent; repulsæ tamen obtegendæ causæ, petierunt, ut ulterius cogitandi spatium Rex non ægre concederet. Integrum eorum responsum extat N. 35. collaudatum a Burneto, quod libertatem & bonam fidem, & conscientiam Apostolici temporis simplicitate dignam ostenderint, iniquissimo licet Protestantium rebus tempore, quo Regi blandiri pro prudentia haberi potuisset. Sententia pro divortio a Thoma Cranmero Archiepiscopo Cantuariensi pronuntiata inserta est N. 47.

*Lib. II.* adduntur plurima edicta aliaque documenta, ex quibus prolixè apparent, quæ Henricus in assertione supremi juris Ecclesiastici, & purgandis quibusdam abusibus in ritu & dogmatibus, tum adversus mores cleri, aut ad facultates Monachorum imminuendas egit. N. 9. *Bulla* extat Pontificia in Henricum regem, anno 1538 summo cum rigore verborum vibrata: N. 19. Sententia *Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis* & totius cleri, ad eam rem convocati, qua irritum pronuntiant matrimonium regis cum *Anna Clivensi*. Accesserè huic libro II post collectanea, sub *Additionum* titulo alia, inter quæ est (N. 6.) prolixa Melanchthonis ad Henricum epistola, Francofurti anno 1539 data, in qua Regem hortatur, ut in cœpta reformatione progrediatur, indicatis quæ maxime mutari debeant. Hæc non reperitur in volumine Epistolarum Melanchthonis Londini A. 1642. recuso. N. 7. scriptum extat, quod Legati Electoris Saxonici & Landgravii Hassiæ, *Franciscus Burcardus* & *Georgius a Boyneburg*, itemque *Fridericus Myconius* Ecclesiastes (ita scripsit) *Gothanus*, Regi d. 5. Augusti anno 1538 exhiberunt, in quo multis agunt de continuanda a Rege reformatione. in tribus præsertim capitibus, in permittenda nempe populo *communione*

*sub utraq;*, abolitione *Missa privata*, & concedendo Clericis *conjugio*. Ad-  
 junctum etiam est N. 8. responsum Regium humanissimum quidem &  
 elegans, multisque laudibus Principum & Legatorum refertum, sed  
 addita simul refutatione eorum, quæ Legati in tribus illis capitulis  
 proposuerant, ita tamen ut Rex ad uberiores deliberationes rem dif-  
 ferret. Clausit responsum his verbis: *qua vero Christi puram atque sinceram doctrinam promovere, qua Christi Evangelium dilatare, qua ad repurganda Ecclesia Anglicana vitia tendere, qua ad extirpandos abusus atque errores omnes spectare, qua denique Ecclesia candorem exornare posse videbuntur, ea totis viribus sectabimur, his studebimus, his Deo volente in perpetuum incumbemus. De articulis vero, quos jam differuimus, maturius cum Theologis nostris, quam primum vacabit, agemus, atq; ea demum statuemus, qua ad Christi gloriam Ecclesiaeq; sponsa ejus decorem conducere existimabimus. Vobis autem, praestantissimi Oratores, qui tot labores terra marique perpessi estis, ut nos inviseretis, qui cum Theologis nostris tam diu contulistis, qui ob Evangelii negotium a patria abfuissetis multis mensibus, immensas atque innumeras habemus gratias; nec miramur, si dulcis amor patriae, post diuturnam absentiam vestram, ad reditum vos invitat. Itaque post expleta Principum vestrorum mandata, post absoluta in totum negotia vestra, si non gravabimini nos invisere, vester ad nos accessus admodum gratus erit, vosque in patriam non modo libenter dimitemus cum bona venia, sed ad Principes etiam vestros litteras dabimus, summa diligentia vestra in exequenda legatione testimonium perhibentes.*

*Secunda pars non minorem copiam documentorum adjunctam habet. Inter quæ primum & maxime memorabile est Diarium Eduardi VI Regis, ab anno regni sui primo ad quintum usque, in quo pleraque notatu digna, a se Rege, aut se regnante gesta sua manu Anglice consignavit; simplici, & ea, quæ regem decet, narratione. Servata etiam alia quaedam ex autographis ejus producuntur a fol. 68 ad 88, inter quæ est designatio quaedam abusu in ecclesia & politia, de quorum remedio cum Statibus regni acturus erat; item reformatio ordinis periscelidis, ab ipso rege Latine versa. N. 8. extat formula precum publicarum ante reformationem usitatarum, in quibus primo omnium Pontifex, omnesque Cleri ordines ad monachos usque, & post illos omnes, Rex & magistratus Deo*  
 com-

commendantur. N. 19. *Martini Bucer* epistola ad *Job. Gropperum* celebrem in Germania Theologum Pontificiarum partium, qui tamen ad concordiam inclinare videbatur, quod ex hac ipsa epistola apparet, in quo proposito eum Bucerus fraterna quadam fiducia cohortatur. N. 26. indiculus indulgentiarum a Pontificibus ab aliquot seculis concessarum, inter quas sunt, quæ ad centena annorum millia porriguntur: aliusque N. 29. precatiuncularum ad sanctos, interque eos ad *S. Georgium, Christophorum, undecim mille virgines*, Parisiis anno 1520 & 1526 impressi. N. 34. Lutheri epistola ad Bucerum refertur, sine die & anno, per quam media aliqua via in controversia sacramentaria proponitur, ut nempe *ex parte Reformatorum concedatur, Christum vere adesse; Lutherani vicissim concedant, panem solum manducari*; de quo documento iudicium aliis relinquimus. Quoniam vero in Bucerii mentionem hic incidimus, non ingratum putamus futurum Lectoribus, si Eduardi Regis verba, ex diario ejus latine versa huc transcribamus, quibus mortem & exequias ejus annotavit, ad d. 28. Febr. fol. 22. *Bucerus, inquit, vir doctus, mortuus est Cantabrigia; biduo post sepultus in templo S. Mariae. Tota Universitas cum tota civitate ad trium millium numerum funus comitata est. Elegantissimam parentationem habuit M. Haddon, aliam (hic nomen Parkeri, quod Regi exciderat, suppletur in margine,) tertiam M. Redmainus. Hæ tres orationes mire ad lamenta moverunt populum. Tandem omnes docti, totaque Academia epicedia in ejus laudem scripserunt, & sepulchro ejus apposuerunt.* N. 35. sententia Archiepiscopi Cantuariensis legitur, qua formidam quandã, ob Anabaptisticos errores, & pertinaciter negatam divinitatem & incarnationem Christi, hæreseos condemnavit, & magistratui puniendam tradidit. Rex factum his verbis retulit ad d. 2. Maji 1549. fol. 12. *Johanna Bucheria, alias de Kent dicta, combusta est, quod statuerat, Christum non esse incarnatum ex virgine Maria: condemnata anno superiori in custodia habita fuit spe conversionis, & 30. Apr. Episcopi Londinensis & Eliensis persuadere eam conati sunt; sed resistit illis, & ad mortem usque predicatorum convitata est.* N. 51. diploma Regis habetur, quo Germanis aliisque peregrinis, ob religionem exulantibus, templum Augustinianorū Londini concessit, permittens ut Superintendentem constituerent, & quatuor ministros: Superintendens autem eorum factus est *Johannes de Lasco*, Polonus. N. 55. exhibentur articuli fidei, ut Eduardi

duardi tempore ab Episcopis lingua Anglica compositi fuerunt, & margini additum est, quid in iis Elisabetha postea mutaverit. Inter eos articulus XXIX de S. Cœna, regnante Eduardo ita conceptus fuit, ut præsentia realis aperte negaretur, addita ratione de ascensu Christi in cœlos, & quod corpus non possit simul esse in duobus locis. Sed omitti hæc fecit Elisabetha & substitui: *Corpus Christi datur, accipitur, & editur in Cœna solummodo cœlesti & spiritali modo, & medium, quo accipitur & editur corpus Christi in cœna, est fides.*

*Libro II.* adjecta sunt edicta Mariæ severissima adversus Reformatos, & Acta Episcoporum quorundam, *Eduardi* in primis *Bonneri* Londinensis, qui Reginæ mandata promptissime exequatur. N. 18. literæ Reginæ afferuntur, per quas oratoribus procuratoribusq; suis Romæ negotium dat, ut *Cardinalem Polum*, ad vacantem morte Pauli III Pontificatum commendarent. N. 35. apponitur diploma vetus, quo Henrici Archiepiscopi Cantuariensis appellatio a Pontifice ad concilium continetur an. 1427. *Libro* denique *III* pauca addita sunt ad Elisabethæ tempora pertinentia, v. g. mandata Reginæ, quibus ecclesiarum visitationem fieri jussit: Acta cum *Matthæo Parkero*, ut Archiepiscopatum Cantuariensem acceptaret, quod ægre ab eo impetratum fuit: formula ceremoniarum consecrationis dicti Archiepiscopi, Latine conscripta; Bulla etiam Pontificis, qua Elisabetham regno indignam pronuntiavit.

Paucis monemus, *secunda* huic parti operis præmissam esse in Anglicana editione prolixam & gravissimam præfationem, quam cur non verterit interpres Gallus, ignotum nobis est. In hac denuo multos laudat D. Burnetus, & proceres & literatos, a quibus in continuatione laboris sui adjutus fuerit; ingenue etiam profitetur se a *Fulmanno* quodam, viro docto & historię patriæ perito, monitum, errores quosdam circa tempora aliaque ejusmodi correxisse, & paratum se dicit, id semper facere, & veritati palmam porrigere. Dein ad præcipuas objectiones adversus Reformationem fieri solitas respondet, neque tamen negat superesse, quæ perfectiorem emendationem Ecclesiæ admittant. Inter quæ habet restitutionem disciplinæ, ad primitivæ Ecclesiæ exemplum; officium pastorum, ad majus emolumentum auditorum & diligentiorum animarum curam applicandum; porro, sustentationem eorum commodius ordinandam. Celebrat *Jacobi Regis* & filii

& filii ejus *Caroli I.* curam in *Scotia* adhibitam, qua factum sit, ut pastoribus singulis ad minimum *quingenta librarum Sclerlinensium* i. e. plusquam ducentorum imperialium annuus reditus fuerit assignatus in fundis aut decimis, optatq; ut in *Anglia* pari providentiæ locus fuisset. Addit inde notabilia quædam de regimine Episcopali, quale in *Anglia* retentum est, & Presbyteriali ad exemplum Helveticarum Ecclesiarum a quibusdam desiderato, & quid hujus differentię occasione *Elisabethæ* Reginæ tempore agi cœptum sit memorat; unde motus & separationes postea scutz fuerint. Salutaria etiam monet de correctione morum, qua neglecta reformationis fructus corrumpitur: subjungit querimonias de incrementis *Deismi* & *Atheismi*.

CRITIQUE DU NEUVIEME LIVRE DE L'  
*Histoire de M. Varillas. Traduite de l'An-*  
*glois de M. Burnet. i. e.*

Animadversiones in Librum Nonum Historiarum  
Antonii Varillasi, de Mutationibus, quæ circa reli-  
gionem in *Anglia* contigerunt; ex Anglico Gilberti  
Burneti Doctoris Theologi Gallice  
versæ.

Amstelodami, apud Petrum Savouret, 1686, in 12.

**L**ibellum hunc cõmmodè subjungi posse existimavimus *Historia*,  
quam nunc retulimus, *Anglicana*. Ejus enim defendendæ causa,  
& ad errores novi in Gallia Historiographi *Antonii Varillasi* demon-  
strandos, ab autore *Anglicæ* conscriptus, & a docto interprete Gallice  
versus est. *Varillasi* *Historiam de Hæresibus* nuper recensuimus *mensè*  
*Octobri anni præteriti* pag. 506. ita quidem, ut commõitione aliqua  
opus esse etiam nobis visum fuerit, ad cavenda quæ illi exciderant, cum  
manifesta rerum veritate pugnancia: sed nos intra terminos annotatio-  
nis pro scopo nostro subtitimus; nec Scriptori laudem eloquentiæ  
& industriæ, cum alios ejus libros memorandi occasio fuit, invidimus.  
Causæ autem fuerunt *D. Burneto*, ut strictius illum aggrediretur, nec  
solum librum, quo res *Anglicæ* tractavit, examinaret, sed & in ingenium  
& mo-

& mores censuram stringeret; quam malumus in ipso tractatu, qui brevis est, quam hic relatam legi; sicut nec ea necesse esse duximus excerptis, quæ in *Maimburgium* nuper defunctum, ejusque occasione etiam in Societatem, cui is addictus fuit, acriter dicta sunt. Sane si non de factis (quæ judicanda hic non sumimus) sed de jure & honestate quaeratur, nullus satis gravis critices rigor esse potest, quem non mereantur, qui sub historica veritatis specie, non affectus solum sed & figmenta sua producunt, majoris etiam impudentiæ rei, cum ad libros & documenta, tanquam sibi visa & lecta, falso provocantes, ruptis bonæ fidei, & naturalis, nedum Christianæ probitatis vinculis, orbi illudunt. Neque excusari ista protervia religionis zelo potest. Inter veræ enim religionis regulas maxima est, veritati studere, nec vel ob bonam causam fraude & mendaciis uti, ut graviter adversus aliquod *Varillasi* dictum Auctor commentatur pag. 24. & 126. Novum autem historiæ scribendæ genus, quod ad fabularum dulcedinem corruptum sit, *Maimburgii* quidem prodigiosæ inventioni tribuit *Burnetus*: sed ita, ut se judice, *Varillasius* ut stylo potior aut amœnior, ita fingendi libertate minus circumspectus magistrum superaverit. Confirmat eadem Interpres Gallus in præfatione erudita, & inter alia notat monstratque, ut *Varillasius* in historia *Wicestica*, quam antea suppresso nomine suo editam, *Historia de Hæresibus* inseruit, loca quædam, (inter alia de Husii morientis constantia) per quæ ingenuitatis encomium ex prima editione meruit, (vid. *Acta nostra anno 1683. pag. 506.*) jam imitationi *Maimburgii*, aut Patronorum obsequio intentior, expunxerit & mutaverit. Præter ista & alia quæ generatim opponuntur, ad mores aut sectam spectantia; ad objectum sibi a *Varillasio* partium Protestantium, & laudandi *Cranmeri Archiepiscopi* Cantuariensis studium ita respondet *Burnetus*, ut ex aliquibus argumentis colligat, suam historiam ne lectam quidem *Varillasio* fuisse; neque enim, si legisset, possibile futurum fuisse, ut vel dubitaret de ejus veritate, vel tot falsa libro suo *Nono de rebus Anglicanis* insereret. Narrat inde pag. 27. & seqq. ut Lutetiæ cum Abbate quodam docto & sincero, in ipsa Bibliotheca Regia, assistentibus celeberrimis viris *Thevenosio* & *Azouto*, in colloquium venerit, & dubitationes aliquas adversus historiæ suam Anglicanam propositas ita removerit, ut Abbas non contentus solum esset, sed & plura documenta sibi suppeditaturum se esse promitteret. De *Cranmero* vero nihil nisi verum & probatum

attu-

attulisse se, asseverat; dein alio loco pag. 203. & seqq. quæ adversus illum ex malevolis autoribus aut suo judicio protulit Varillafius, refellit. Negat inter alia, unquam illum in Annæ Bullenæ aut ejus familiæ ministerio fuisse, neque ob defensam *Henrici* Regis adversus *Catharinam Arragoniam* causam, sed ob eruditionem & morum simplicitatem, ab omni etiam ambitione alienissimum, ad *Archiepiscopatum Cantuariensem*, invitum quidem & reluctantem evectum fuisse, cum privatus viveret *Cantabrigiæ*, & jam antea Regis divortium suffragio suo probasset; accessisse *Capituli* electionem & Bullam Pontificiam. Neque verum esse, quod subdole & clanculum protestatus sit, dum juramentum Pontifici, ut moris erat, præstaret, se id coactum facere; sed publice ad summum altare in templo bis testatum esse, se nolle illo juramento obligari, quo minus legem Dei & privilegia regis ac regni, & reformatæ in melius fidei & disciplinæ opus vinculo illi præferret. Repulsa autem adversarii de qua diximus suggillatione, ad indicandos ex libro ejus nono errores speciales a pag. 39. ad finem usque libelli progreditur, & ultra quinquaginta eruit, quosdem ex ingenio, ut ait, autoris effictos, plerosque vero ex *Sandro* depromptos; quem non fectetur solum, sed & judicandi & conjectandi licentia vincat. Longum foret hos enumerare. Duos in præfatione tetigit versionis Gallicæ autor; scilicet quod de iis, qui conjugium *Mariæ*, *Henrici* filix, vivo adhuc patre appetebant, loquens, ex *Carolo Casare & Rege Hispania* duos fecerit: dein quod dispensationem a *Julio II* ad nuptias *Henrici* cum vidua fratris, ideo indulgam fuisse refert, ne Rex conjugem ex hæretica quadam familia quæreret; cum tamen illa dispensatio anno 1503 facta sit, diu ante schisma & hæreticorum illa nomina. Sed anachronismi & imperitiæ historiarum, ut & maledicentiæ multis aliis locis accusatur Varillafius, v. g. cum *Catharinæ Arragoniæ* quinque liberos assignat, quæ non nisi tres habuit: cum gubernatorem *Eduardi Regis* pueri non *Sommerfetum*, sed *Northumbrium* facit: cum inter historicos Anglos *Mortonum* refert, qualis nullus fuit: cum *Henricum Mariæ* *Scotiæ* reginæ maritum & inferiori nobilitate ( *simple Gentlehomme* ) fuisse scribit, qui ex familia *Stuartorum*, & Comitum *Lennoxii* filius primogenitus, ( *Lords* ) procerum titulo jam generis sui prærogativa ornatus, imo materno ex genere proximus post *Mariam* Regni hæres erat: dum *Henrici VIII* ex proavo paterno genus, ut ignobile



bile taxat, cum tamen Theodori (*Tudors*) ex antiqua & primaria inter Cambros nobilitate, & Regiæ Gallorum genti affinitate conjuncti fuerint: dum *Sanderum* ob librum suum pulsum a Protestantibus, in Anglia occubuisse tradit, quod tamen in Hibernia factum sit, rebellionis, non libri causa, quippe qui demum post mortem ejus prodierit: cum *Cajetanum* jussu Pontificis de causa divortii judicium suum aperuisse, librisque suis inseruisse narrat, qui tamen diu ante litem inter Regem & uxorem scripserit: cum decretum, quo Episcopi regni Henrico obsequium detulerunt, *Cranmero Cantuariensi* & *Léo Ebpracensi* Archiepiscopo imputat; cum id factum sit biennio ante quam *Cranmerus* ad dignitatem illam pervenisset, sub *Warbamo Archiepiscopo Cantuariensi*, & repugnante *Léo*, consentientibus vero aliis omnibus, etiam *Fisebero Roffensi*, qui tamen unus a cæteris in causa divortii dissentiebat. Ubi iterum taxatur *Varillasius*, quod non omnes aut plurimos, sed obnoxios tantum quosdam Regis causam probasse refert. Reliqua ex ipso tractatu, & collatione ejus cum libro *Varillasii* rectius intelliguntur.

*AN ESSAY OF THE GREAT EFFECTS OF EVEN languid an unheeded Motion, vvhhereunto is annexed an Experimental Discourse of some little observed causes of the Insalubrity and Salubrity of the Air and its Effects, by the Honourable Robert Boyle, Fellowv of the Royal Society. i.e.*

Tentamen magnorum effectuum languidi etiam & inobservati Motus, cui annectitur Discursus Experimentalis de causis quibusdam salubritatis & insalubritatis, ejusque effectuum, parum observatis. Autore Roberto Boyleo, Nobili Anglo & Societatis Regiæ Socio.

Londini, apud Richardum Davis, 1685, in 8.

Etiam

**E**tiam si ætate hac nostra in motus localis natura legibusque explanandis, Mathematicorum æque ac Physicorum varii defudarint felicissime, tantum tamen abest, ut ab his Autor noster ingeniosissimus omnem eam exhaustam existimet doctrinam, ut potius multa etiamnum ibi superesse perscrutanda, Tentamine præsentis, in gratiam Qualitatum occultarum facilius enodandarum alias conscripto, expresse doceat. Ante vero quam ipsam motus languidi efficaciam demonstret, concedi sibi id, quod alibi jamdum, forsan *Tr. de Origine Formarum & Qualitatum* prodit annotatum, postulat: corpora videlicet non veluti totidem materiæ portiones sive massas, magnitudine solummodo ac figura invicem differentes, sed potius tanquam corpora texturam peculiarem, eamque internam non secus ac figuram externam obtinentia, esse respicienda, adeoque propter structuram hanc eorum pleraque tanquam ejusmodi machinas consideranda, quæ ita & formata, & alia inter corpora locata sint, ut quandoque agentia cæteris debilia, notabiles in easdem exerere queant operationes. Hinc pro magnis motus localis, quem vel minus evidentem, vel languidum censent, effectibus detegendis *octo* pandit *Observationes*, singulas, cum motuum talium virtus negligi vulgo soleat, aperientes. Scilicet *primo* magnam celeritatis efficaciam in minutis etiam corporibus, præsertim si hæc per exiguum saltem moveantur spatium, plerumque minus attendi observatur; cum ingentem nihilominus vim rapidiori motu corpori communicatam, nos tantum glandes plumbeæ e machinis bellicis vibrata, sed metalla quoque varia celerem inter tornationis motum ita incallescunt, ut fragmentula inde projecta manifesto sæpius calore palpebras & manus lædant artificis; item chalybis silice facta concussio, mox scintillulas ceu veras lapidis particulas motus vehementia vitrificatas & ignitas producat, ad sensum præter alia exempla adducta evincant. Neque ipsa fluida hic corpora, tametsi exigua prædita mole, a potentia insignes in solida impressiones exercendi, modo magna celeritate gaudeant, removenda esse, radiorum solarium speculo ustorio collectorum, flammæ lampadis, atque aeris excellenti sclopeto pneumatico inclusi exemplis ostenditur. *Secundo*, equidem satis nos proclives esse indigitamur corporibus fluidis propter mollitatem horum ac motum insensibilem, omnem in solida

effectum sensibilem denegandi; aut quo jure, mirandis aliquot soni operationibus, in solida corpora & ad distantiam notabilem editis, haud obscure coarguit Autor, v. g. tormenta bellica explosa, præterquam quod e longinquo audiantur, ac vel absque vento manifesto fenestras domorum multo intervallo distantium concutiant, sæpiusque penitus, si præsertim sono directe objiciantur, diffringant, in ipsis nonnunquam agris evidentem molestiæ procreare sensum; item a machina quadam parva, cujus exterius navibus applicitæ auxilio artifex quidam has demergere novit, tantam dum agit circumcirca excitari tempestatem, ut naves aliæ aliquo ab eo spatio distitæ perquam violenter inde commoveantur. *Hinc* motiones corporum, ob summam sui exilitatem sensibus haud patentium justo minus æstimari, eorum non obstante numero, quo turmatim agere valeant, movetur querela; effluvia quandoquidem corporum talia concipi debere, quæ intuitu exilitatis & quandoque figuræ, intimos aliorum corporum recessus promte subire, ibique, quia multa & celerrime agitentur, magnam in particulas, ex quibus itidem solida corpora coagmentantur, vel quiescentes, vel lente perquam motas, edere vim possint. Veritatis hujus illustrandæ gratia plures suggeruntur instantiæ, v. g. licet cum sacchari, tum succini portio simul aquæ vel cerevisiæ immittantur, succinumque tanquam levius fundum vasis tardius petat, unice tamen saccharum a particulis liquidi subito penetrari, totumque brevi temporis momento dissolvi; sic Mercurium repetita olei vitrioli abstractione fixatum, ab aqua limpida affusa exteriusque commota confestim pariter permeari, manifesteque ita alterari, ut colorem modo album cum citrino nunc commutet; sic tenuem cupri laminam a spiritus vini accensi flamma paucioribus minutis adeo penetrari, ut incallescens sensibilis, minimas ejus moleculas a particulis igneis varie ac vehementer agitari, satis indicio sit; item particulas aqueas frigidam in glaciem concrecentes, quamvis tardius moveantur, quia magnus tamen earum numerus, tanta sæpius vi expansivum exerere motum, ut vel ipsa vasa e metallo confecta probeque obturata disrumpantur. *Tum* de incuria, qua minus accurate adverti solet, quomodo motus localis per diversa quoque media & corpora solida propagari possit, disserit Illustris Autor, quatuor potissimum occasiones, quarum intuitu motus communicatio difficilior longe ipsa concipiatur; partim annotando,

do, partim contrarium aliquot exemplis declarando. Et quamvis porro de effectibus plerumque, quos invisibilis fluidorum motus determinatus in dispositis animalium corporibus valet producere, vix cogitari observetur, manifestæ tamen ejusmodi operationes, quæ a durantibus sonis similibusque aeris aliorumve fluidorum agitationibus continuis, solida in corpora interdum non sine stupore proficiuntur, qualesque plures, e. g. a strepitu liquidi per epistomium decurrentis non neminem ad urinam reddendam stimulari, item fœminæ cuidam a certo Musicæ tono lacrymas etiam invitat extorqueri &c. una hic recensentur, eo minorem in Autore nostro pariunt admirationem, quo exactius hic ictuum multitudinem a fluidorum particulis in momento quasi corpori consistenti & prædisposito illatorum expendit. Ast in corpora ipsa inorganica magnam pariter invisibili fluidorum motui competere potentiam, respectu saltem ad determinatam quandam convenientiam sive relationem, inter peculiarem texturam unius, & peculiarem modificationem motus alterius habito, instantiis aliquot petitis v. g. a chordarum unisonarum sympathia, a vitris ad distinctum saltem instrumenti musici sonum trementibus, item a certo tantum tono sub arcu resonante &c. *Observatio sexta* vindicat. *Inde* corpora diversa, etiam si violento in statu tensionis vel compressionis revera tunc detinentur, falso nihilominus respici solere, tanquam partibus absolute quiescentibus prædita, innuitur; sic v. g. ferrum vel argentum malleo probe percussum, quoad intestinas commoveri particulas, nullo equidem discerni oculo, tactu tamen accedente ex calore, vel saliva adspersa e strepitu manifesto idem deprehendi; sic vitra, quæ optime videntur confecta, sæpius aliquo tempore post, quam ab igne remota sunt, sponte sua agere rimas, plerumque non nisi ob validam, sed inæqualem, partium vitri contractionem; item strictiones cupri excandefacti, nec non mixerum nonnullorum fragilitatem, de simili quadam partium contractione palam attestari. *Tandem* ratio palmaria &ultima, cur motus ejusmodi languidi prætermittantur, similiter in nos rejicitur, qui hærentes tantummodo circa solidorum corporum motus, ubi eorum unum ab altero toto dispellitur, vel ad minimum sensibilibus ad alterum impingit, vix eos affectus, quorum ortus motibus intestinis ab agente externo in partibus ejusdem corporis excitationis debetur, observemus; ac ne gratis videatur prolata, largum produci-

ducitur epistomium æneum, cujus clavis si hinc inde in cavitate contigua vertatur, brevi temporis spatio partes contiguas mutua ista attritione adeo incallescendo intumescere, ut clavis instar cunei infixi prorsus resistet immobilis, nec prius, quam partes refrigeratae sese contraxerint, circumverti denuo queat. Eundem in finem instrumenta quoque ferrea acuta, nimis incallescendo temperiem deperdentia, item vitra optica inter poliendum dehiscencia, neque non corpora varia vim electricam motu attritionis acquirentia, similiaque exempla allegantur. Ex quibus observationibus cunctis haud frustra colligitur, motus ejusmodi, qui plerumque aut penitus non observantur, aut observatu indigni judicantur, insignes in corporibus prædispositis edere posse operationes, ad eoque ad diversa difficilia naturæ phænomena producenda multum momenti conferre.

Experimentalis autem, qui adjungitur, discursus aerem salubrem & insalubrem, quatenus uterque effluviis subterraneis adscribendus veniat, *quatuor illustrat Propositionibus.* *Primo* siquidem diversis in locis salubrem non minus ac insalubrem aeris constitutionem, in genere consideratam, multum expirationibus subterraneis, ac speciatim iis, quæ emissiones ordinariæ Nobilissimo Autori salutantur, deberi, probabiliter ex eo inferitur, quod in locis quibusdam, ubi aer magis propitius deprehenditur, quam qui a qualitatibus manifestis expectari talis possit, causa cui aeris habitudo ista adsignari valeat, præter suavia miasmata e terra exhalantia, appareat nulla, utpote quæ vel transpirationem promovendo, vel fermentorum morbificorum productionem impediendo, aut activitatem saltem cohibendo, vel particulas noxias destruendo, aliisve viis corpora regulari in statu, sanitatis nomine indigitato, conservent. Effluvia equidem mineralia plerumque nociva reputari & vegetabilibus & hominibus, esse tamen posse præterea, quæ cum utrisque amice conspirent, fodinis quibusdam statim in occidentali Angliæ parte sitis, ubi arbores supra mineras æque virescunt, ac metalli fossiores sanam longamque vitam degunt; item Hungariæ exemplo, in qua aer fodinis Cinabaris mineraque *Nothgülden-Erz* vulgo dictæ incumbens, sanitati præprimis deprehenditur conveniens &c. declaratur: quin imo cum fossilia quædam analysi chymicæ sub,

subjecta multum præbeant falis volatilis virtute medica vix destituti, haud frustra supponitur, particulas ejusmodi e solo aerem petentes salutari hujus quam maxime conducere dispositioni. Quod vero aer perniciosus quoque respectu effluviiorum subterraneorum existat, minus videbitur dubium iis, qui non solum multitudinem mineralium exitiosorum præ salutaribus majorem, sed & vim horum nocendi longe efficaciorum, exemplo Auripigmenti, Sandarachæ & Arsenici, expirationibus suis subitaneas noxas inferentium, considerant, itemque Marcasitas acri sale vitriolico præditas, multoque, quam vulgo quidem constat, frequentiores contemplantur. At quemadmodum *secundo* in diversis locis morbos endemicos, ita *tertio* epidemicos pariter quosdam ex parte ad minimum ab effluviis subterraneis descendere conjicitur: endemicos quidem, quod sæpius nulla horum causa manifesta cernatur, e diverso e corporibus subterraneis miasmata penetrantia copiosius emitti, ipsumque corpus humanum ratione cutis porosæ una pervium esse, exemplis ostendatur: epidemicos autem, quod partim ipsa aeris intemperies calida vel frigida, humida vel sicca, quibus istorum multi alias adscribuntur, ab exhalationibus ejusmodi corporum subterraneorum, quorum natura nos penitus adhuc latet, oriri possit; partim etiam, quod phænomena pestis, de cujus productione ac curatione multa differuntur, hanc ab effluviis quandoque subterraneis provenire, aut saltem per eadem propagari, probabile reddant. *Quarto* denique plures morbos, qui novi salutantur Medicis, ab halitibus subterraneis, tanquam causa vel primaria, vel socia exurgere, eo minus dubitatur, quo magis tum aliæ causæ, v. g. astrorum influxus, intemperies aeris quæcunque manifesta, procreandis iisdem insufficientes demonstrantur, tum globus terraqueus diversis mineralibus nocivis, quorum multa nostram quoque fugiant notitiam, turgidus asseveratur. Quæ cunctæ propositiones hætenus verisimiliter assertæ quo majori suffulciantur fide, aliquot Autor Nobilissimus subnectit Experimenta Chymica, ipsa metalla perfecta exhalationum specie in aerem elevari posse, quod minus forsitan probabile videretur, detergentia; v. g. tenues cupri laminas, cum æquali vel duplo interdum Mercurii sublimati pondere destillationi expositas, caput mortuū reliquissè de resinosa natura instar ceræ Hispanicæ fluente ac inflammabili participans, hoc grossius pulverisatum ac aeri libero primum reli-

K

ctum,

ctum, hinc spiritu salis sæpius affuso perfecte saturatum, speciem quamdam viridis æris exhibuisse, quod rursus cum tripoli aliove additamento fixo & insipido mixtum & destillatum, multum liquoris suppeditavit, omni quidem colore instar aquæ communis destituti, mox tamen ab affuso spiritu cornu cervi, vel salis ammoniaci colorem obscure atque eleganter viridem adsciscentis, adeoque corpusculorum cupri præsentiam commonstrantis.

*ROLANDI MARESII EPISTOLARUM PHILOLOGICARUM libri II. cum aliquot amicorum ad eum, nec non aliorum Cl. virorum ad alios, non dissimilis argumenti epistolis; curante L. A.*

*Rechenberg.*

Lipsiæ, sumptibus Joh. Casp. Meyeri, anno 1686.

in 12.

**I**N tanta epistolarum clarorum ac illustrium virorum copia, supervacaneum videri poterat, novas seculo imprimis tam erudito in lucem emittere publicam; cum pauci reperiantur, qui veterum doctissimas licet epistolas debita evolvant industria. Enimvero si quis *Maresii* hæc cum illis antiquorum contendere instituat, aut affectu in eum fallimur, aut majorem istis hæc studiosæ juventuti ac scholis asserentur utilitatem. Cum enim *tria* sint epistolarum genera; *unum*, cujus causa res ipsa est, ut certiores faciamus absentes, si quid est, quod scire aut nostra, aut ipsorum intersit, nimirum quo privata negotia tractantur; cujus generis proventus superiori & hoc nostro seculo decurrente fuit maximus; *alterum* familiare & jocosum, nonnisi inter conjunctissimos amicos receptum; *tertium* serium & grave, quod vel ad rempublicam, vel ad studia literarum pertinet: hoc postremum *Maresius*, vir exquisitæ doctrinæ & judicii, cum Plinio Juniore hæc elegit; & quidem quod studia, rationem studendi, scribendi, scripta emendandi, explicandi, judicandi de scriptoribus tum antiquioribus, tum recentioribus (sed vita functis) attinet. De his ergo & universa re litteraria, sine fuce, & absque convitio in epistolis suis ad amicos & celeberrimos viros exaratis, sententiam suam aperit. V. g. l. 1. Epist. 2. *de ratione scribendi vetero-*

rum atque exterorum : 3. de veteribus ac bonis libris legendis : 7. de styli vitiis atque virtutibus agit. Ep. 8. Tacitum & Lucanum ob graves crebrasque sententias laudat. Ep. 9. doctos etiam paucorum librorum lectione atque attenta meditatione fieri : 10. publicas bibliothecas parum prodesse studiis, quibus libri non commodantur : 26. adolescentibus schola egressis non Apulejum aut Barclajum, sed Ciceronem maxime sequendum demonstrat. Ep. 32. de comædiis prisca ac nostris : 33. de ἐγκυκλοπαιδείᾳ cuique, ut eruditus habeatur, necessaria : 34. de privatis bibliothecis & de habendo librorum defectu : 35. de conventibus prudentum ac doctorum virorum in bibliothecis, ac de eorum utilitate : 40. de ratione legendi interpretes juris agit. Ep. 46. non omnia antiqua, sed tantum necessaria ac utilia examinanda & ediscenda esse, monet. Ep. 49. de antiquariis, & de Ciceronis, Athenæi Lipsique dialogis tractat.

Lib. II. Epist. 4. de Ciceronianis & de coactis in post argumentis, quæ improbat : 5. de vitarum scriptoribus, quales esse debeant : 6. de Plauti & Terentii, ut & Propertii & Tibulli comparatione : 7. de duobus Criticæ generibus : 8. de linguæ Græcæ cognitione & necessitate : 9. de causis, cur hac ætate plurimi docti, sed pauci elegantes scriptores inveniantur, disserit. Ep. 12. quibus scientiis ornatum esse conveniat Theologum, ostendit. Ep. 14. dicit raro nunc contingere, ut aliquis simul sit in philosophia & philologia egregius : quod tamen apud antiquos fuerit vulgare. Ep. 16. fructum præcipuum doctrinæ, utilitatem publicam esse ait. Ep. 18. de litium multitudine, quæ ubique, sed præcipue in Gallia viget, queritur, quam magna ex parte Juri Romano acceptam refert. Ep. 20. de malis hodiernis scriptoribus & eorum vitiis agit : 21. de monumentis antiquitatibus, & præcipue de nummis ; qua occasione, Trifanum laudat. Reliquarum argumenta similiter erudita ac plane utilia, & initio libri & epistolis singulis præmittuntur.

Sub finem Maresianarum, quoque epistolæ amicorum ad ipsum exarata, sed non minus elegantes annexæ sunt : ut Nicolai Heinsii, Dionysii Petavii, Joh. Fred. Gronovii & Francisci Ogerii. His propter argumenti similitudinem, Editor harum clarissimus subjunxit Rudolphi Agricole epistolam ad Jacobum Barbirianum de formando studio, Rogeri Aschami Angli Epistolæ ad Job. Sturmium partem, quæ de imitatione agit & libr. 1. Famil. Epist. pag. 6. laudati Aschami legitur. His






Succedunt selectæ aliquot epistolæ Galli doctissimi *Johannis Ludovici Balzaci* de peregrinis vocibus & citatione alienis in orationibus; de spuria dictione ex vernacula & pluribus linguis aliis confarcinata; de styli dotibus, vel vituperiis; de optimo dicendi genere; de jocis innoxiiis & titulorum inanibus, & Apologia pro Plutarcho: item *Jacobi Thomasi* de ritu coronandi Poetas, & *Thoma Reinesii* ad laudatum Thomasi de lauru poetica, & hujus ad *Gottfridum Guilielmum Leibnizium* de dissensu Aristotelis a Cartesio & philosophis novis. Tandem duæ Epistolæ *Benedicti Hopferi* de viris eruditis, quos in Gallia, Anglia, Batavia, inferiori Saxonia, Dania & Suecia salutavit, appendicem hanc eruditæ & historiæ litterariæ studiosis forte non ingrati finiant.

NOVUM GENUS HYGROMETRI, MINUTISSIMAS  
aeris mutationes duplici modo ostendens,  
inventum a M. Gothofredo Teubero,  
*Ciza-Misnico.*

TAB. II. **H**ygrosopia vulgaria, quæ hætenus videre nobis licuit, hac ratione sunt constructa, ut, vel unica revolutione, vel certa tantum arcus parte, vel prorsus incerta graduum distinctione absolvantur. Hinc, quia neque instrumto satisfacere, neque mutationi aeris exacte respondere viderentur, nobis de perfectiori structura sollicitis, motus spiralis & cochlealis in mentem venit; qui etiam ex voto cessit.

Fecimus enim *primo* simplex quoddam, hoc est, ex unico asserculo abietino constans hygrometrum, indice helicem seu lineam spiralem describente præditum, quod insensibilem alias aeris mutationem per aliquot annos nobis exactissime monstravit. Formam ejus repræsentat *Fig. I.* Hoc simplicioris structuræ Hygrometrum, nupera meditatione non infeliciter monstrandi virtute adhuc augere aggressi sumus. Nam unius loco sumendi sunt quatuor asserculi abietini, paratisque subscudibus fulcatis *ab, cd, ef, gb*, ut exhibet *Fig. II.* in crenas *ab & c.* decenter inserantur tam capaces, ut occupante humiditate poros asserculorum *iklm*, libera tamen sui motione sursum deorsum gaudeant. Primus asserculorum *l* *Fig. VI.* in suprema parte *n* firmiter infigatur, ut humiditate crescente incrementum





mentum exinde proveniens inferiorem versus partem  $o$  detrudat, cui scapus volubilis  $p q$  Fig. II. additus ex altera parte  $r$ , elevabit asserculum  $m$  secundum, qui, dum supra infixum scapum  $s$  elevat, alterum hujus crus  $t$  tertium asserculum  $k$  deprimet, & iterum huic adjunctus scapus  $u x$ , dum descendit parte  $u$ , ex altera sui parte  $x$  quartum asserculum  $i$  in altum protrudet, cui affixa firmiter regula dentata  $y z$  in superiorem cistulam  $CDEF$  porrecta, dentibus suis circumvolvitur rotulam  $\gamma$ , quæ grandiolem sibi vicinam  $\delta$  habet, grandior  $\delta$  circumducit aliam superiorem  $\epsilon$ , cum concavo cylindro suo  $\zeta$ , circa alium immobilem cylindrum  $\iota$ , concavo  $\zeta$  inditum, mobili, ut Fig. III & IV. docet. Exterior autem cylindrus  $\zeta$  in anteriore parte sexangulari  $\kappa$  incisus est, ad dimidiam fere sui crassitiem, ut interioris immobilis cylindri  $\iota$  dentes  $\lambda$ , appositi, interque duas lamellas  $\mu \nu$  (fulcum  $\xi$ , quanta est latitudo & crassities indicis  $o$ , habentes) conclusi indicis  $o$ , congruentes incisuras  $\pi \rho$  comprehendere, & ita vi cylindri mobilis  $\zeta$ , & laminarum  $\mu \nu$ , cochleis  $\dagger \Delta$  combinatorum circumductum, mox longiori, mox breviori distantia a centro propellant, & sic ductos illos spirales Fig. I. exhibeant. Cum enim index  $o$  loco moveri nequeat, & tamen circumvolvatur, necessario immobilis cylindri  $\iota$  dentes  $\lambda$  comprehendunt nunc hos, mox alios indicis  $o$  dentes  $\pi \rho$ , & ita leni motu intra fulcos  $\xi$  huc illuc trahent. In quo etiam totum consistit artificium, cum alias motus circularis simplex unica revolutione omnia monstrare debeat, plures enim, dum idem principium repetit, distincte animadvertere non licet. Sic igitur gyratione indicis  $o$ , vicissitudines aeris qua humiditatem siccitatemque patefiunt. Nota, quo facillimo negotio ex hujus indicis structura, circinus, ad describendas lineas spirales seu helices, aptus esse formari possit, non est, quod prolixius hic describamus.

Accedit & alia meditatio, aliusque modus explorandi ascensionis descensionisve, ut Fig. V & VI. monstrat. Nempe rotula illa  $\gamma$  innixa linea dentata  $y z$ , ex altera quoque parte annexam habet vicinam, rotulam  $\sigma$  coronatam (vulgo *fronrad*) quæ secum circumvolvitur rotulam  $\psi$ , foramen quadratum  $A$  habentem, in quo linea est oblonga quadrata  $Gv$  facile in eo foramine  $A$  mobilis, superiore parte  $X$  cochleata, inque matricè sua  $B$  congruente disposita. Quando ergo circumvolvitur rotula  $\psi$ , secum necessario circumducit lineam hanc

quadratam *Gv*, illa autem a matrice sua *B* pro ratione motus, mox in altum, mox profundum trahetur: huic igitur si orbiculum  $\omega$  imposueris, ut *Fig. V* monstrat, collocaverisque homunculum  $\phi$  indice, digito vel virga, circumductio ejus in vitro *ILHK* gradus convenientes in linea spirali monstrabit, quæ distantiam *HK* vel *IL* a semet eam servabit, quæ est inter cochleæ *X* ductus. Poterunt autem ad tegendum artificium, tum infra *or*, tum superius *aC* & *MN* apponi asserculi alii, ut cistulæ *MNor* oblongæ figuram torum Hygrometrum referat, uti *Fig. VI* monstrat. Sic vel levissimas aeris mutationes patefactum iri non immerito, experientia hactenus edocti, putamus.

*CHRISTIANI WEISII INSTITUTIONES ORATORIÆ  
ad Praxin hodierni Seculi accommodata, &c.*

Lipsiæ, apud Jacobum Gerdesium, 1687, in 8.

**M**ulsis miscendas nunquam non esse Gratias, hoc est, sapientiæ & Eloquentiæ studia indivulso conjungenda nexu, usitata illa Græcis pariter, ac Romanis olim phrontisteriorum insignia, Mercurii videlicet & Minervæ statuæ vni insistentes fulcro cum hoc lemmate, **HERMATHENA TE DELECTET**, non obscure monuerunt. Tametsi verò nihil cum Deastrorum simulachris commercii possit esse Christianorum gymnasii, minus erraturum tamen opinamur, qui limatum hoc Systema Institutionum officinam dixerit, effingendis affabre Hermathenis utilissimam æque ac instructissimam. Omnem siquidem in illo operam, omnes ingenii nervos eo intendit Autor meritis in rem literariam, & juventutis studia clarissimus, ut *ἡδίστη* illα *οὐλογία*, & copiose loquens sapientia, quam priscum ævum Hermathenis suis adumbratam voluit, certis immotisq; fundamentis nixa, in optimis ingenii mature accendatur, exercitatione indefessa foveatur, augeatur, ornetur, atque perficiatur.

Non itaque proprio solum exemplo in Præfatione docet, quibus mediis facultatem Oratoriam excoluerit ipse, sed in universo etiam opere, quæ sum ad Inventionem, tum ad Dispositionem, tum ad Elocu-

Elocutionem, & si quæ sunt alia Rhetorum officia, ulla possunt ratione facere, summo studio, methodo perspicua gravique consilio est complexus. Et primum quidem in eo locum Libro dedit *PRÆPARATORIO*: Generali parti medium: postremum vero Speciali. Iste Progymnasmata: illa & Inventionis, & Elocutionis doctrinam: hæc Eloquentiam Scholasticam, Politicam, & Ecclesiasticam Lectorum oculis proponit. A Dispositione autem, quam ab Inventione, initium ducere maluit, quod usus demonstrat informationem hoc servato ordine longe felicius succedere; dummodo Præceptor contingat a rerum copia instructior, qui inventionis defectum certis suppeditatis argumentis expleat. Integram ergo Dispositionis doctrinam, pro discipulorum quidem captu, in Libro Progymnasmatis tributo sic explicandam duxit, ut initio quibus parari adminiculis *verborum copia* ostendat. Et sane quæ de permutatione, adjectione, & variatione, velut præcipuis copię fontibus hic proferuntur, non parum confirmandis iis proderunt, quæ eodem de argumento summi in hoc genere artifices, Erasmus, J. Camerarius in *Elementis Rhetorica* p. 37. & 138. A. Buchnerus de *Commata ratione dicendi*, C. Arnoldus in *L.L. ornatu*, Jac. Thomasius noster in *suis de Copia verborum Tabulis*, nervose præceperunt.

Hinc de *Verborum Connexione*, seu de Periodo disseritur. Quæ cum nihil aliud sit, quam enunciatio Logica, cujus subjectum & prædicatum verborum vel rerum adjectionibus illustratur: cumque adjectiones istæ nunc meris commatibus distinguantur, nunc præter commata unum vel alterum accedat colon, aut semicolon, in tribus maxime dilucidandis hic Autoris opera versatur: videlicet quid subjectum sit & prædicatum, quæ verborum & rerum sit adjectio, quæ denique commatis, coli, semicoli, & puncti differentia. Reales adjectiones docet fieri jam per formulas judicantes de connexionis, quæ subjecto cum prædicato intercedit, veritate, vel etiam bonitate: jam per circumstantias, ubi primi quasi fontes amplificationum aperiuntur: jam per allusionem, quæ *in re quævis bene facta*, commendatam etiam I. Top. XIII. XVII. & XIX. ab Aristotele, hoc est, simile, comparatum, exemplum, testimonium & hujus generis alia respicit: jam per concessionem, adhibitis Grammaticorum particulis concessi-

vis:

vis: jam per conditionem, quæ præcipuam habeat particulam conditionalem *sc.* in sensu positivo, vel in sensu dubio exaudiendam.

Tertium inter Progymnasmata locum *Periodorum* assignavit *connexioni*, explicans quomodo ista primo *per Chriam*, secundo per antecedens & consequens, tertio per thesin & hypothesin institui haberique in Oratione possit. Chriæ quatuor assignantur partes: protasis, quæ thesin habeat primariam, cujus explicatio suscipienda est: ætiologia, quæ rationem afferat, cur thesis hæc sit vera: amplificatio, quæ variis illustramentis id agat, ut ætiologia commendetur: & conclusio, quæ protasin, annexa nonnunquam facili consequentia exinde fluente meditatione, repetat. Porro amplificationum tres constituuntur classes, vulgaribus a dialecticis, & his a singularibus diremtis. *Vulgares* capi notat a contrario, quo & amplificationem ab objectione videas referri; a simili, ab exemplo, a testimonio: his accensentur comparata, emblemata, monetæ, inscriptiones, & apophthegmata: *Dialecticas* topicis e locis, notatione, definitione, genere & specie, toto & partibus, causa efficiente, finali, materia, forma, effectu, circumstantiis, & adjunctis. *Singulares* e tribus derivantur fontibus: interpretatione seu paraphrasi, eaque rursus vel grammatica, quæ sensum; vel politica, quæ fundamenta; vel historica, quæ occasionem; vel eventum dicti afferat: insinuatione, quam nunc a persona loquentis nunc ab audientis, nunc a circumstantiis argumenti sumere oporteat: meditatione denique seu consectariis, quibus vel doctrina, ad disciplinam aliquam realem; vel adhortatio ad vitam & mores; vel consolatio ad fortunam perferendam spectans contineatur. Atque hæc amplificationum genera ut frequentissimo usui sint Theologis, sic novam iis gratiam afferre aliquando Rhetorum figuras, Sermocinationem, Profopopœiam, & Apostrophen.

Artificium porro connectendi periodos *per antecedens & consequens* expositurus Auctor, observat primo ab ætiologia oratorem hic ad protasin procedere, eoque per inversam chriam: secundo dispositionis fundamentum in enthymemate latere Logico: tertio, connexionis hujus usum in gratulatione nuptiali, in formula solandi alicujus luctum, in voto propemptico, in objurgandi formula, & cæteris honestamentorum generibus; præterea in epistolis maxime deprehendi; nec posse ullum in vita humana casum emergere, qui dispositionem talem

talem non admittat. Connexionem denique *per thesin & hypotbesin* considerans, formam initio & dispositionem, partesque in ea occurrentes persequitur; deinde materiam & applicationem triplicem; utpote facilem, generis puta ad speciem, totius ad partem, causæ ad effectum, regulæ ad exemplum, exempli ad exemplum: mediam, similitium, æqualium, & inæqualium, dissimilitium: & difficilem, instituendam per allegoriam; quæ primo in liberam & adstrictam, porro in primam & secundam, rursus in simplicem & compositam dispescitur. Eucleato artificio, monstratur qua ratione thesis & hypothesis, antecedens & consequens junctim orationē integram constituent: quodq; major propositio & minor in syllogismo non aliter quam thesis & hypothesis: præmissæ vero & conclusio plane ut antecedens & consequens sibi invicem respondeant. Id quod confirmari putes doctrina etiam Aristotelis, juxta quam eversa conclusione, præmissarum aliquam everti constat, perinde ut destructo consequente, antecedens omnino contingit destrui.

A periodorum, ad ipsarum *Chriarum*, e quibus totum orationis corpus formatur, *connexionem* progressus, de rhetoricis orationis partibus sic sentit, ut duas, propositionem & tractationem, pro necessariis: duas rursus, exordium & conclusionem, pro accessoriis habeat, narratione relata ad exordium, confutatione ad tractationem ipsam. Postquam igitur de *Exordii* cum inventionem, tum amplificationem præcepit, suum de fine & decore in exordiis servando, nec non de exordio generali, speciali, & specialissimo judicium interponit. *Narrationem* in naturalem & artificialem distribuit. In *Propositione* utut brevitatem & perspicuitatem commendat, explosas tamen plane allegoricas & ænigmaticas propositiones noluit. *Tractationem* componi totidem e chrisi statuit, quot habet illa partes, eoque in elaboratione dandam esse operam, ut protases sint in promptu, suis ætiologiis postmodum & amplificationibus explicandæ. Atque in re laudanda protases ab honesto, ab utili, a jucundo, a facili, a necessario desumi: vicissim in vituperanda a turpi, a damno, a molesto, a difficili, a fuga necessaria: neque dissentire adeo has partes Topicis a Locis, ut non resolvi facilissimo negotio in eisdem queant. In *Confutatione* adversariorum argumenta sic initio exponenda monet, ne aliquam forte falsitatis opinionem instillet auditori stylus ad satyram compositus: postea respon-

L dendum



dendum tot esse modis, quot a Logica, ubi de solvendis objectionibus tractat, præscribuntur: hic per concessionem limitatam, illic per retorsionem similitudinis, per simplicem negationem alibi; irrisionibus vero uti, rejectionibus, sophisticisque digressionibus, nil aliud esse pronunciat, quam auditorem decipere. *Conclusione* denique vel membra tractationis repeti, ut denuo auditor docilis reddatur; vel affectus moveri eo fine, ut idem sit vel oratori, vel themati benevolus.

Ultimum in Progymnasmatum classe locum *periodorum exercitia* occupant. Duo eorum ponit genera: *adscrip̄ta*, quæ aliorum orationes studeant imitari; & libera, quæ proprium dispositionis & elocutionis arbitrium sequantur. Et quoniam in oratoria docente magnus imitationum usus est, ipsoque Buchnero iudice, plurimum imitationis & artis habere debet eloquentia; ad cujuslibet auctoris lectionem, ejus cum primis qui ad praxin destinatur, interpretationem, dispositionem, & imitationem requirit. Interpretatio ex Auctoris nostri mente sensum eruit, ut loquentis scopus rite intelligatur: dispositio vel integram orationem, cujus periodi certo artificio conjunguntur, spectat, vel periodos etiam singulas, quæ suam structuram habent, suumque antecedens & consequens: Imitationem probat auctor triplicem, nudarum phrasium, solius dispositionis, & denique adjectionum in periodo. Primum imitationis genus orationem ipsam propositam aliis, ut ait, verbis exprimere conatur: alterum, dum novam eligit protasin, pari modo de novis ætiologiis & amplificationibus cogitat: tertium genus exemplis e Mureti oratione de Doctoris officio petitis, sic auctor illustrat, ut quamlibet dictæ orationis periodum in propositionem planam & simplicissimam resolvat, artificium in ea adhibitum demonstrat, ipsamque imitationem verbis conceptam propriis subjungat. Exercitia periodorum *libera* quomodo instituenda sint, & quomodo facienda periodorum connectio, inter alia exemplo orationis ostenditur, de officiorum promittitudine, quantum ea conciliandis Promotoribus conducatur, agentis. Hæc utcunque summa eorum est, quæ docentur in libro harum Institutionum Præparatorio.

Reliquum, ut dispiciamus de ipsis earundem partibus. Et *GENERALIS* quidem duobus libris absolvitur, quorum *unus Inventionis*, alter Elocutionis artificium contemplatur. Sub finem tamen primi, liber de

de Inventione singularis inseritur, qui Juris naturalis, unde peti principia honesti solent, compendium continet. Postquam enim naturam & usum inventionis, quod alia thematis, alia propositionis, & alia rursus probationis sit seu argumentationis, exposuisset, reales inventiones ab instrumentalibus secernit: illas disciplina realis, ad quam thema quodque pertinet, vel experientia etiam oratori suppeditare dicitur: Instrumentales Dialectica partim, partim Rhetorica pollicetur. Argumenta dialectica ex subjecti & prædicati convenientia ducit erudenda; nec improbat tamen ingenii lusum, Casparo Knittelio familiarem, de quo *in Actis anni 1682. fol. 366.* Rhetorica trium sunt ipsi generum: persuadentia, quæ ab honesto, utili, jucundo, facili, necessario, vel abs horum quoque contrariis petuntur: conciliantia, ubi mores dicentis examinantur, & doctrina insinuationis proponitur uberius: commoventia, quæ naturam, varietatem, usum & motum affectuum expendunt. Bonitati quæ vocari communiter honesta solet, normam dedit legem Dei, cui quicquid convenit, dicatur pium: dictamen rationis rectæ, unde quid vocetur honestum: leges Civiles, unde quid appelletur justum: consuetudinem, unde quid habeatur decorum: & opinionem meliorum hominum, unde quid æstimetur gloriosum.

*Singularis* de Inventione libellus, quem hoc loco insertum conspicias, *honesti principia* investigat. Quæ non juxta doctrinam revelatam solum, verum & juxta dictamen rationis rectæ, ejusdemque scintillas, ex unico AMORIS fonte perspicua admodum & nervosa ratione deducit Vir sui nominis. Initio enim Amoris specimina seu officia (qualia sunt præviæ personæ amandæ cognitio, & veniens ab ea cognitione desiderium: quod ipsum sibi proponit semper, ut personæ amatæ placeat, ut eidem inserviat, & ut ipsa fruatur tandem) explicat generatim: postea ad Deum specimina singula, ad nosmet ipsos, ad proximum, & quia proximorum perfectissima societas in Rep. conspicitur, ad Remp. distinctis capitibus applicat. Inde quam vim & efficaciam principia semel constituta in commendandis virtutibus, & evellendis animo vitiis habeant, evincit. Et tandem enumeratione nonnullarum virtutum specialium, obedientiæ v. g. diligentia, constantia in eligendo vitæ genere, hospitalitatis, taciturnitatis, rem omnem sic illustrat, ut qua ratione non in vita solû, sed in eloquentiæ

tia maxime studio, transferri doctrina hæc ad usum possit, luculenter appareat. Priores Compendii theses dilucide habes expositas parte sequenti, ubi didascalicarum orationum exempla proferuntur, pag. 597. seqq.

*Secundus* liber partis generalis in explicando *elocutionis* artificio occupatur. Nam naturam elocutionis primo, deinde styli, qui e diverso elocutionis artificio nascitur, constitutionem aperit & varietatem ex effectu, a causa, ingenii nempe diversitate, ab exemplis Mureti & Curtii, singulari artificio probatam. Postmodum ut sua orationi constet dignitas, de præcipuis, ad stylum exornandum quæ requiruntur, adminiculis differit: nimirum de elegantissimis realibus, quas cum suo, tum celeberrimi Bossii judicio, verbalibus contradistinguit: de dictione arguta: de dictione sententiosa: de dictione amœna: de tropis denique, & figuris Rhetoricis. Amœnæ dictionis exempla commendantur in orationibus Illustris Seckendorffii: pro amœnitatum Poeticarum exemplo carmen additur, in Balbini Historiam Boleslaviensem & Miscellaneorum Bohemicorum priores Tomos, ab Auctore nostro compositum.

Partem denique Institutionum *SPECIALIEM* tribus libris distinctam dedit. Pro varietate namque thematis, quod supra in Scholasticum, Politicum, Ecclesiasticum, & Mixtum dividitur, ipsa nunc oratio species suas nacta est. *Primus* liber itaque de orationibus agit *Scholasticis*, ad cathedram cum Scholasticam, tum Academicam pertinentibus. Cujus generis declamationes sunt discentium, & orationes docentium, siue sint prolusiones, hoc est, orationes quæ haberi in Lectionum, vel Disputationum auspiciis solent, siue allocutiones, siue disciplinarum interpretationes didascalicæ. Huc referuntur etiam Panegyricæ, ut & Panegyrica Carmina.

*Medius* liber de orationibus *Politicis*, quæ in congressibus hominum civilibus requiruntur, tractat hoc constituto servatoque ordine: Primo Politicarum orationum indoles & natura evolvitur, probaturve quod aliquid heroici, aliquid politici, & aliquid oratorii requirant. Cumque aliæ extemporaneæ sint, aliæ præmeditatæ: nonnullæ ad præsentem dicantur, ad absentem scribantur aliæ; extemporaneæ rursus vel liberæ sint, vel ab aliis conscriptæ; actum hic porro legas ex professo de conscribendis epistolis, subjectumque adeo doctrinæ epistolice compendium: de orationibus extemporaneis, ita quidem ut liberæ e

Novel-

Novellis ordinariis (ubi venusta immiscentur de exercitio Novellarum oratorio;) ab aliis vero conscriptæ & propositæ ad imitandum, ex Vincentii Fabricii, Reip. Gedanensis quondam Syndici & Consulis operibus petantur: postremo de orationibus politicis præmeditatis, quo quantum confusa miscellanea, & Loci Communes adjumentum afferant, simul exprimitur.

*Tertius* librorum idemque ultimus (mixto enim orationum generi peculiarem & propriam non dedit librum, quod quid earum nomine intelligatur, quemque præsentem usum, ex pag. 214. 222. & 360. seqq. satis appareat) de oratoria *Ecclesiastica*, quæ exigitur in Concionatore, præcipit. Facit autor eam duplicem: Academicam, quæ realibus iarenta Theologiam exegeticam, dogmaticam, moralem, paracleticam ita proponat, ut quid ex his ad concionatorem pertineat, in tempore cognoscatur: & scholasticam, quæ de instrumentalibus, hoc est, de connectendi, amplificandi, & eloquendi artificio cogitet. Amplificationi docet paraphrasin cum naturalem, tum artificialem, ut & consuetudina inservire plurimum. Quot vocabula sint in textu occurrentia, tot formari posse subjecta, quibus e reliquæ contextu prædicata assignentur, evidentibus admodum declaratur exemplis. Libri denique finem regulæ afferunt, in studio sacro Homiletico, & acquirenda concionandi facultate usum certissimum habituræ.

*LA MORALE DE TACITE, DE LA FLATERIE, par le Sieur Amelot de la Houssaie, i. e.*

Ethica Taciti de Adulatione. Autore Dn. Ameloto de la Houssaie.

Paris, 1686, in 8.

**A**dulationem, magnæ semper fortunæ comitem, *Velleji* verbo, Aularumque pestem perpetuam, delineaturus Autor, Taciti potissimum coloribus eam depingit, collectisque ea fini ex Historicorum principe *tribus ac centum* hujus argumenti *locis*, suam ac Ablancurtii (quam subinde perstringit, v. num. 1. 5. 16. &c.) interpretationem.

Gallicam, & Discursum deinceps moralem, ejusdem Cornelii ac Patreculi sententiis passim refertum subjungit, quo & loca ea illustrat, & vitii deformitatem variis ex eventis sequioribus luculentius exponit.

Ipsi Tractationi *Discursum*, quem vocat, *Criticum* præmisit, quo (*nonnullos*) Taciti (1) Commentatores (2) Interpretes & Paraphrastas (3) Encomiastas recenset ac judicat. E quibus primos illos non pigrabimur huc accersere, ut, quæ ab Ameloto tulerunt judicia, aliorum vicissim judiciis exponantur. Primo loco sistitur

Philippus Cavriana Italus,

Caroli IX & Henrici III Galliarum Regum, eorumque Matris, Catharinæ Medicæ Archiatræ, ad priores 5. Annalium libros, vernaculo sermone redditos, commentatus. Discursum ejus atque exempla ait Autor præceptis Medicis, ipsisque præcipue Hippocratis Aphorismis, sæpe accommodari: instituto tamen non illaudabili, nec aliis Politicis, ipsisque cum primis Tacito adeo infrequenti. Ceterum versionem ejus Italicam ipso Commentario potiore habet, quippe quo politicum Taciti sensum ac civilis doctrinæ vim rarissime assecutus, saltim allegatis uno vel duobus exemplis similibus rem confectam putarit. In eo potissimum laudandus, quod Galliarum Regum supra dictorum mores ac gesta, ipse *ἀποστέλλει* passim ibidem ac verissime omnium adscripserit.

2. Marchio Virgilius Malvezzi.

Commentarius ejus in 1. Annalium Librum, multum eruditionis ostendere dicitur *Autori*, sed gemino corruptus instituto, tum quod Scripturam sacram Patresque sæpius citet, cum Tacito rebusque modernis politicis parum omnino congruenter; tum quod pedanticis, ut vocat, distinctionibus sæpe usus, ostendendæ in his studiis eruditionis causa, philosophum potius, quam politicum agat, nisi forte & genium, gustumque patriæ secutus.

3. Trajanus Boccalini.

Hujus Notas, antequam ederentur, scriptas se legisse aliquando perhibet Autor, sed tam steriles bonæ frugis, ut impressas quo relegeret, animum inducere necdum potuerit. Veritus scilicet operæ ac temporis

poris jacturam, quum Oratorem potius, quam Politicum ibi deprehenfum Boccalinum meminerit, & qui pauca multis dicat, quum Tacitus contra plurima paucis edisserat.

4. Christophorus Forstnerus.

De hoc ipsa Autoris verba, pauca quippe, subjungere placet, ne versioni forte nostræ, censuræ asperitas dicam, an injuria? imputetur:

Ses Notes sur Tacite ne sont proprement, que des lieux communs, avec des exemples tres souvent mal enchassez; & par consequent son livre n'est d' aucune utilité pour apprendre la Politique.

Notæ ipsius ad Tacitum, proprie loquendo, non nisi loci quidam communes sunt, cum exemplis perperam sapissime insertis. Unde consequitur, librum ejus ad discendam politicam nulli prorsus usui esse.

5. Johannes Freinshemius.

Ejus Specimen Paraphraseos Cornelianæ ad 4. priores Annalium libros utilissimum illis perhibet, qui sine interprete Tacitum legere non possint, quippe ex septem collatis inter se versionibus adornatum.

6. Dux de la Rochefoucault.

Hujus Resolutiones de dissidiis Gallorum circa imperium, post mortem Ludovici XIII, deque bello Civili Parisiensi, Commentario Corneliano æquiparandas statuit, quod pleraque Taciti verbis & sententiis expressa sint; quarum aliquibus inde adductis, fidem dum facit, verendum, ne imitatore potius, quam commentatore cum arguat.

7. Amelot de la Houssaie.

Denique de se ipso Autor, deque Commentario suo, cui titulum *Tiberii* fecit, impresso Bruxellis in 4to & Parisiis in 8vo anno 1684, modeste addit: *ad hoc sub judice lis est.* Esse vero omnino sub judice litem, certo certius est, postquam, ut in *Novæ Reip. Litterariæ Roterodamensibus* mensè Decembri superioris anni videre est, surrexit jam quidam Ablancurtii vindex, qui versionem Gallicam Taciti ab eo adornatam, summoque hætenus in pretio habitam, sugillari indignatus, calarnum adversus Amelotum strinxit, edito libello hoc titulo: *Monsieur Perrot d' Ablancourts vengé, ou Amelot de la Houssaie convaincu de ne pas parler François, & d' expliquer mal le Latin.* De quo dicturi fortasse plura sumus, quam primum ad nos perlatus fuerit.

ספר חסד לאברהם חברו הכיני  
 וגם חקר האלוק מוהר" אברהם בן מרד  
 מרדכי מאזולאי זלה"ה מקריית ארבע  
 הי"ת חברו.

*LIBER, INSCRIPTUS BENIGNITAS ABRAHAMI,  
 Autore Excellentissimo Doctore R. Abrahamo,  
 Mardochei filio, ex gente Asulaa, p.m.  
 Incola Kirjatb-Arba, qua & Hebron dicitur.*

Solisbaci, sumtibus Mosis Blach, anno 445, i. e. Christi  
 1685, in 4.

Quanto studio abstrusissima Judæorum mysteria retexuerit *Vir Perillustris*, qui *Kabbalam denudatam* publicæ luci exposuit, omnes norunt, quotquot aut ipsum illud opus, aut, quæ de eo in Actis anni 1684 (pag. 309. f.) more nostro, i. e. historice, censuraque ac judicio Lectori relicto, disseruimus, inspexere. Nec alio sine castigatissimam *Libri Sohar* editionem eodem anno 1684 curavit, in Acta anni sequentis 1685 (pag. 359. f.) a nobis relata. Cæterum cum tria summorum Artis Kabbalisticæ mystarum opera manuscripta multo sibi ære comparasset, nec illorum usum literario orbi voluit invidere; quin spem eorum aliquando edendorum in præfatione, tomo II Kabbalæ Denudatæ præmissa §. 13. 14. liberalissime fecit. Sunt ea *Etz Chajim*, seu absolutissimum Kabbalæ Systema R. *Jsaaci Lorientis*; porro *Jalkut Reubeni*; denique *Sepher Chesed Abraham*. Ex quo vero *Jalkut Reubeni* anno jam 1681. *Wilmersdorfii* typis excscriptum fuisse, vel ex Actis nostris anno 1684. pag. 8. f. patuit, non illubenter illum accepisse putamus, magna curarum parte se jampridem levatum esse. Sed & immensa *Lorientis systematis* moles eidem forsitan impedimento hæcenus fuit, quo minus, præter excerpta quædam Latina, *Librum* nempe *primum Druschim, commentarium in librum Zenitha, tractatum item de revolutionibus animarum*, Kabbalæ Denudatæ insertos, quicquam illius publici juris faceret. Tertiam autem, (quamvis editionis autor nomen non adscripserit) non sine Viri supra laudati

laudati auspiciis evulgarum esse, facili conjectura Lectores assequentur.

Ignotus is hucusque fuerat orbis Europæi eruditus, eo quod *Buxtorfium*, *Plantavitium*, *Bartoloccium* ipsum illius nomen fugerat, quodque *R. Abraham Ruben Ben R. Hofckke* in Jalkut Reubeni, *R. Schabbtai* in Siphre Jeshchenim, ipse denique *Perillustris* Kabbalæ denudatæ *Autor* solum nomen absque ulteriori aut Rabbini historia, aut libri argumento commemoraverant. Lubet ergo nonnulla de utroque commentari, unde Bibliothecarum Rabbinarum lacunæ quodammodo suppleri poterunt.

Est illi nomen *Abrahamo*. Patrem habuit *R. Mardocheum*; Avum *Afulæum* quendam a beneficentia, modestia & suavitate cantiorum Nepoti laudatum; Patriam **OND Phas**, h. e. urbem illam Colchidosive Mengrelæ celeberrimam, quæ isto nomine non a Judæis modo, sed & Arabibus, præsertim *Geographo Nubiensi* 89. 3. n. vocitatur; Latinis & Græcis *Pbasis*, Italis *Fazzo* dici suevit. Sita fuit ad fluvium cognominem, quem Turcis *Fachs*, indigenis *Rione* appellari, autor est nuperrimus Itinerarii Persici conditor, *Johannes Chardinus*, ex quo & hoc novimus, vestigia urbis illius, non minus ac *Sebastopolæos*, injuria temporis ac bellorum penitus fere intercidisse. Et sane conqueritur Noster, iratum Numen patriam suam evertisse, seque adeo lares suos omnesque fortunas linquere coactum fuisse, unde apud se constituerit ex profanis illis regionibus in terram Sanctam commigrare. Devenit igitur *Kirjath - Arbam*, quæ & *Hebron*, sedemque ibi fixit. Cumque in patria olim urbe Sapientum cœtibus immixtus, quicquid sapientiæ ex traditione aut speculatione haberi posse credunt Judæi, impiger imbibisset, vastum heic in *Sobar* commentarium concinnavit, quem *Sepher Kirjath Arba* appellatum voluit. At cum anno 379 i. e. Christi 1619 oppidum illud dirissima peste corripere, fuga suæ suorumque salutis consulendum ratus, Hierosolymam petiit. Verum & illam eodem malo laborare compertus, iter remensus est in Hebronis viciniam, ubi votum conceptis verbis fecit, hoc, in quo recensendo nunc occupamur, opus conscribendi, si præsentissimum illud capitis periculum incolumis evasisset. Pervenit tandem Gazam, quæ quondam ad tribum Judæ referebatur, (Jof. XV, 46.) Illic votum exsolvit, *omniaque Fidei Judaica*



*capita* non ex Scripturæ dictis, nec Talmudistarum allegoriis, multo minus rationibus Philosophorum, sed ex mera Kabbala seu Theologia mystica in *Sohar* præsertim latente, commodo ordine, styloque, ut res ferunt facili, explicare aggressus est.

Docuit hæc in præfatione, quam אבן שתיירר *Lapidem fundamentalem* inscripsit, unde dehinc (ad Zach. III. 9. alludens,) שבעה עינים *Septem fontes*, (h. e. libros) deducit, quorum quilibet in bene multos *fluvios*, (seu capita) diffunditur. Singulis *fontibus* ex Biblicis locis, (ubi עין ipsi *fontem* perpetuo notat, quamvis incongrue quandoque & præter mentem Authorum sacrorum, quo saltem ad Allegoriam suam loca illa quadrarent,) nomina petit. *Primus* ei dicitur עין כרם (Ex. X. 15.) *Fons omnium*, agitque de Dei providentia ac præsentia gratiosa. *Alter* עין הקורנת *fons invocantis* (Jud. XV. 19) de coeli & terræ machina, divinæ item legis quidditate, excellentia, studio nocturno, atq; renovatione futura, credenda suggerit, adjectis variis diversorum præceptorum Mosaicorum rationibus. *Tertius* עין הארץ *Fons terra* (Num. XXII. 5.) in terræ Israeliticæ prærogativis proferendis totus est. *Quartus* עין יעקב *Fons Jacobi* (Deut. XXXIII. 28) exponit, quantum cætera animalia homo, hominem Israelita, Israelitam, quid? ipsos Angelos, Justus antecellat. Porro quid sit peccatum, quid pœnitentia, confessio, timor Dei, mors denique justorum, statusque animæ separata. Sed hæc posteriora largius haurire licebit ex fonte *quinto*, cui (ex Gen. XIV. 7.) עין משפט *Fons judicii*, nomen est; scætet is observationibus de defunctorum præmiis & pœna, de Paradiso & Gehenna, de revolutionibus animarum. Succedit *sextus* עין נגרים *Fons Hortorum* (Jof. XV. 34) de LXX Angelis præsidibus gentium, de præminentia, qua una gens magis quam altera gratiosam Dei præsentiam mereatur, item de LXX. linguis. *Septimus*, idemque ultimus est עין נהרי *Fons Hædi* (Jof. XV. 62 Cant. I. 14) ac consideranda exhibet putamina, concupiscentiam bonam & malam, diabolos, hujusque furfuris alia. Fluenta isthæc omnia confluunt in ברכת אברהם *piscinam Abrahami*, (phrasi desumpta ex Gen. XXVIII. 4. ubi tamen, ne nomen illud ab allegoria alienum esset, neglectis vocalibus *Berechath* Piscinam, pro *Bircath* benedictionem, legisse videtur,) sive constituunt hoc Abrahami Mardochaidis opus, quod novendecim omnino plagulis absolvitur, & in  
fron-

fronte titulum ex Mich. VII. 20. adscriptum præfert **חסד לאברהם**  
**CHESED LE ABRAHAM**, *Benignitas Abrahami*; sensu duplici, ut  
 scilicet innuatur tum *benignitas* divina, quam *Abrahamus* noster luis  
 pestiferæ tempore expertus est, tum propria *benignitas Abrahami*, qui  
 magnifice de foetu hoc suo sentit, magnumque eo ipso *beneficium* apud  
 gentem suam posuisse se, confidit. Ut vero suum cuique tribuat, an-  
 notat ad singulorum capitum finem, num observationes inibi contentas  
 ex proprio ingenio, an ex *R. Isaaco Loriensi* aut *R. Mose Corduero*, aut  
*manuscripto quodam anonymo*, deprompserit.

**MICHAELIS SIRICII D. OSTENSIO FUNDAMENTALIS**  
*abominationum Papatus, circa religio-*  
*sum creaturarum cultum: Tribus distincta*  
*libris; cum præfatione & supplemento D. Val.*  
*Alberti.*

Güstrovii & Rostochii, apud Joach. Wild, anno  
 1687, in 4.

**D**E hoc foetu posthumo Parentis optimi sententiam suam dixerunt  
 publice Facultas Theologica Lipsiensis, & Wittebergensis, per  
 Literas, quæ huic Scripto integræ sunt præmissæ. Nos igitur, quod  
 nostrarum partium est, eo brevius exequimur, quo certius de pretio  
 doctissimi hujus laboris per tantos testes jam constat. Ex occasione  
 vero privati cujusdam colloquii, B. Autor discursum extemporaneum  
 de nonnullis abominationibus Papatus idololatricis, in chartam con-  
 jecerat, fretus autoritate ac mandato Serenissimi Ducis Megapolitani, Do-  
 mini sui Clementissimi; cujus etiam indulgentia copia hujus scripti Ba-  
 roni Erlencampio, novitio Papistæ, facta est; & cum ab hoc Docto-  
 ribus quibusdam Pontificiis illud communicatum fuisset, duo ex his  
 anonymi Scriptores suas super eo censuras in aulam illustrissimam  
 laudatissimi Principis miserunt; quibus B. Autor duas mox Apologias  
 opposuit; altera tamen ad umbilicum non perducta, cum filum hujus  
 operæ operisque non minus ac ipsius vitæ, mors immatura, eheu!  
 abrupisset. Hinc opus fuit supplemento, postquam jussu Inclutissimi

Ducis Megapolitani hæc omnia ἀποβόαια scripta in lucem publicam emittenda essent; quod etiam una cum præfatione prompte adjecit D. Val. Alberti, Collega noster celeberrimus. Totum autem Scriptum in Tres distinguitur Libros, quorum primus complectitur 1. Præfationem D. Alberti; 2. Judicium Facult. Theolog. Lipsiensis; 3. Censuram Facult. Theol. Wittebergenfis; 4. Ipsum discursum extemporaneum B. D. Siricii; & 5. Literas Baronis d' Erenkamp de hoc conflictu: secundus constat Antilogia & Apologia prima: tertius Antilogia & Apologia secunda, una cum supplemento D. Alberti, in quo etiam dicta e literis Baronis Erenkampii excerpta modeste declinantur. His omnibus Indices tam Autorum, quam rerum utiliter subjunguntur: nobis, postquam scriptum eruditissimum brevissimis delineavimus, prolixissimo affectu lugentibus obitum B. Siricii Theologi de Ecclesia meritissimi; quem in Successore Aulæ & Academiz Megapolitanæ propediem ex gratia reddat Deus!

MISCELLANEA, AUTORE THOMA SMITH  
Ecclesia Anglicana Presbytero.

Londoni, impensis Samuelis Smith, 1686, in 8.

Cum Autor communionem infantum apud Græcos sub sola vini specie antehac professus, postea a *Dodwello* meliora doctus, eandem in iterata epistolæ suæ de hodierno Ecclesiæ Græcæ statu editione pernegasset, *Bossuetus* id partium studio factum arguit, ut Pontificiis Scriptoribus, pro communionem sub una militantibus, quæsitum a Græcis præsidium eriperetur. Hinc natum primum Miscellaneorum caput, seu præmonitio ad lectorem de infantum communionem apud Græcos, in qua se omni levitate procul habita, post diligentius examen, argumentorum pondere victum, priorem sententiam mutasse, per conscientiam, & Deum supremum conscientiæ arbitrum testatur, & apud Græcos communionem infantum sub sola vini specie, tanta confidentia a Pontificiis Scriptoribus assertam, minime vigere breviter ostendit.

Alterum Miscellaneorum caput, opponitur Autori libri de fide & ritibus Orientalium Domino *de Moni*, sub quo nomine *Richardum Simo-*

*Simonium* delitescere in Actis nostris 1684 mense Novembri, pag. 490 non vano conjecimus augurio. Dixerat Smithus in sua de hodierno ecclesie Græcæ statu epistola, *Gabrielem Severum* Philadelphie Archiepiscopum, hominem nullius aut imbecillis ingenii, Scholasticorum tricus deditissimum, & fortasse, dum Patavii & Venetiis ageret, a Romanensibus circumventum, vel primum, vel saltem inter primos fuisse, a quo vox *μετασίωσις*, exprimendo transubstantiationis figmento perquam idonea, fuerit efficta. Negat id Simonius, & producit Autorem plus quam centum annis Gabriele antiquiorem. Is est *Georgius Scholarius*, qui capta a Turcis Constantinopoli, in Patriarchale solium evehctus, ab eo tempore *Gennadius* audire maluit. Respondet Smithus, locum e Gennadio productum esse suspectum, & a *Meletio Syrico* Græculo tenebrione, Romanis partibus addictissimo, Gennadio dolose supponi; in Gennadii scriptis editis & ineditis nihil tale deprehendi, nec sine jactantia triumphaturos fuisse *Allatum* & *Possevinum*, si Gennadium bella hac *μετασίωσις* voce, causæ suæ quodammodo annuentem reperissent; mirum præterea videri, cur tot Autores, qui post Gennadium scripserunt, etiam ubi de industria de sacramentis agunt, vocabulo isto tanquam inauspicato abstinerint, si illud Patriarcha Gennadius auctoritate sua munivisset; ignotum esse illum terminum *Hieremie Patriarchæ* in decessoris sui scriptis non mediocriter versato, & Simonium frustra objicere, quod Jeremias ob styli elegantiam a barbara ista voce abhorrens, æquipollentem adhibuerit. Nec enim Jeremiam styli delicias tantopere sectari, nec idem esse *μεταβελήν* & *μετσίωσις*, cum illa vox qualemcunque panis & vini consecrati mutationem, hæc vero substantialem elementorum in carnem & sanguinem Christi conversionem innuat. Ex his aliisque argumentis concludit, *προβελήμωσις* esse Gennadium a Meletio Syrico, & inde a Simonio productum. Qua occasione etiam *Monachum* quendam *Benedictinum Anglum* breviter perstringit, qui vocis controversæ originem jam iude a tempore primi concilii Niceni intoleranda audacia arcessat. Dixerat porro Smithus, Gabrielis *καυφωρίαν*, qua tantopere sibi placuit, paucis arrisisse. Nec dicti ipsum pœnitet. Nihil moratur objectos ab Historico Critico novitios Græculos, qui post editam Cyrilli confessionem, linguas suas Romanis auribus attemperaverint, plerosque nullius apud exteros famæ, nullius apud suos auctoritatis. Nihili

æstimat *Gregorium Hieromonachum*, ejusque synopsis dogmatum ecclesiæ Græcæ anno 1635 Venetiis excusam, de quo libro se, cum Constantinopoli ageret, ne fando quidem unquam audivisse testatur; nihili Gregorii hujus parastatam & mutuam encomiasten, *Georgium Coresum*, ex Medico *μεγάλης ἐκκλησίας Θεολόγου*, & ex acerissimo ecclesiæ Græcæ defensore Curia Romanæ parasitum, qui a Patriarcha Constantinopolitano sacris interdictus, cum a nemine ad colloquium & familiarem congressum admitteretur, forte ex animi impotentia, ut hanc infamiam vindicaret, Romanensium gratiam aucupatus fuerit. Ejusdem pretii esse censet *Meletium Syrigum*, *Michaelem Corracium* Cretem, & *Agapetum* Montis Sancti incolam; sufficere ratus, si his infensissimis Cyrilli hostibus, *Gerganum Artensem* & *Metrophanem Critopulum*, qui Cyrilli susceperunt patrocinium, opponat. Denique si vel maximo privati homines voce ista, quæ transubstantiationem Græcæ exprimit, usi fuerint, publica tamen autoritate firmatam & stabilitam esse negat, asserens ne duabus quidem synodis Cplitanis, sub *Cyrillo Berrhaensi* & *Parthenio* hoc solo nomine coactis, ut Cyrillus Lucaris ejusque confessio anathema subiret, *μετυσίωσιν* assertam, cum utraque nulla vocis istius mentione injecta, tantum ex elementis per sacerdotis benedictionem, & Spiritus sancti adventum, corpus & sanguinem Christi fieri statuatur. Quod assertum contra Simonium id negantem maseule defendit. Dixerat porro Smithus, in ea quam supra memoravimus epistola, vocem *μετυσίωσιν* Patribus incognitam, nec in Liturgiis & symbolis admissam. Fatetur id Simonius, ejusque rei causas hinc arcessit, quod ante Berengariana certamina ejusmodi vocabulis opus minime fuerit; interim tamen rem ipsam voce ea signatam, primitivæ Græciæ ignotam fuisse negat. Verum Smithus in hac epistolæ suæ apologia, argumentum suum negativum non vocem solam sed rem ipsam spectasse, & adductam omisæ per tot secula vocis rationem omni fundamento destitui respondet. Tandem cum Simonius Autori nostro imperitiam Theologiæ Græcorum ex eo objiciat, quod symbola consecrata eodem tempore, quo ipsummet corpus & sanguis Christi, dicuntur a Græcis *τὴ ἀντίτυπα τῆ ἀγίας σώματος καὶ αἵματος* a Græcis appellari dixerit, sententiam suam e liturgia *S. Basilii* aliisque Græcorum testimoniis depromptam esse docet.

Cæterum cum Simonius, occasione hujus controversiæ, *Cyrilli Lucaris vitam* breviter exponat, & autor noster narrationem illam ex *Allatio*, aliisque Cyrilliani nominis hostibus, & incertis rumusculis eorrasam arguat, aliam Cyrilli Lucaris historiam eamque satis prolixam, quæ tertium horum Miscellaneorum caput constituit, concinnat, seu potius jam ante quinquennium Anglicano idiomate concinnatam, in Simonii aliorumque gratiam, Latine repetit. In ea narrat, Cyrillum patria Cretensem Venetiis *Maximum Margunium* præceptorem habuisse; peragrata Italia, cæteras quoque Europæ regiones perlustrasse; & conversatione cum Reformatis eorundemque libris, Romanarum traditionum odium imbibisse; ad Græcos reversum, a *Meletio Pega*, cujus laudes & scripta obiter recensentur, in ordine sacerdotali constitutum, & postea Archimandritam factum; in synodo anni 1596 Bestæ habita, ab eorum partibus stetit, qui unioni cum Romanis renunciandum censuerunt. Anno 1600 prædictus Meletius Alexandrinus Patriarcha, a Sigismundo Poloniæ Rege rogatus, ut Romanum Pontificem supremum ecclesiæ caput agnosceret, responsorias literas Cyrilli, quem sedis suæ Exarchum constituerat, curæ ac fidei commisit. Verum cum Cyrillus omnibus exteris, cum Romana ecclesia non unitis, gravissimum in Polonia periculum impendere exemplo *Nicephori Cplitanæ* sedis Exarchi didicisset, ne easdem pœnas capite lueret, literas Meletii suppressit, & mense Januar. anno 1601 apud Archiepiscopum Leopoliensem confessionem Romanis principiis conformem edidit; nisi forte *Scarga* Jesuita, ex cujus unius fide hæc referuntur, constandæ infamiæ causa, hanc Cyrillo inconstantiam affinxit, quod Autor noster in dubio relinquit, minime dubius, dignum fuisse Cyrillum, qui non modò post Meletii obitum Alexandrinæ ecclesiæ, cujus clavum per 19 annos tenuit, præesset, verum etiam Timotheo fati functo, quod anno 1621 contigit, in ipsum Cplitanæ sedis thronum eveheretur. Quæ autem *Allatius* de Timotheo, & Cyrillo ejusque fautoribus, ope Appollonii Chii medici mille aureis conductis, & *Iosaphati Andrii Archimandritæ*, in mensa Oratoris Batavi feralibus veneficiis sublato retulit, ea cum omni veri specie careant, putidissimis calumniis annumeranda censet. Hinc quibus insidiis Cyrillus ab adversariis, ac imprimis a Jesuitis Gallici Oratoris præsidio fuffultis, aliquo-

quoties sede patriarchali dejectus fuerit, alternante fortuna toties restitutus, ex chartis *Thomæ Rowæi*, Equitis aurati & Britannici Regis ad Portam Ottomannicam Oratoris ordinarii, Autor noster memorat, cætera quæ post Rowæi in patriam reditum contigerunt, ex *Cornelii de Haga* Batavi Oratoris literis, aliorumque schedis & collectaneis per texens. Longa est injuria, longæ ambages, nec singula referre nobis integrum. Summa tantum fastigia sequemur. Primum de *Gregorio Amaseno*, quod is supremam P. R. potestatem agnosceret, in Cyrilli submovendi locum promovendo consilia agitata sunt, quæ cum in fumum abiissent, coram Vizirio muneribus corrupto, Cyrillus læsæ majestatis postulatus, & succumbente coram iniquissimo judice innocentia, Rhodum deportatus est. Dignitatem venalem, quam Gregorius pecunia destitutus, ultra decem septimanas tueri non poterat, a Turcicis exactoribus redimit *Anthimus* episcopus Hadrianopolitanus, sed mox conscientiæ stimulis agitatus, Cyrillo jam Cplin reverso locum, ultro cedit, reliquum vitæ tempus in monasterio S. Athanasii transacturus. Cyrillo igitur jam restituto, ne pax illa diuturna foret, anno 1623 Roma monachus quidam Constantinopolin appellit, cui anno 1624 tres emissarii succedunt, cum Cyrillo varia acturi, quibus postquam res e voto non successisset, Antipatriarcha licet solo suffraganei apostolici titulo ornatus, adjuncto Quæstore ad Cyrillum sede sua deturbandum mittitur; verum is, antequam Cplin venisset, præcipiti fuga Turcicos satellites vix evasit, episcopis, quos titulo tenus creaverat, in carcerem conjectis. Neque tamen a novis turbarum occasionebus aucupandis, Cyrilli adversarii deterriti fuerunt. Cum enim anno 1627 Calogerus quidam seu monachus, *Nicodemus Metaxa*, prela, typos & reliquum artis typographicæ apparatus Cplin advehi curasset, cui Cyrillus libellum suum de fide & doctrina ecclesiæ imprimendum dedit, Iesuitæ a nova hac typographia religioni suæ apud Græcos non exiguum detrimentum metuentes, ut eam funditus everterent, omnem lapidem moverunt, eoque consilio alium quendam Cyrilli librum, apud Anglos pridem editum, in quo Divinitatem Christi contra Iudæos & Mahumedanos asseruerat, Vizirio obtulerunt, & Alcorani religionem, & Græcorum obsequium, a typographicis istis machinis periclitari, persuasum ipsi cupientes. Quibus calumniis non difficulter effectum, ut nobilissima illa typographica supellex a Ianizariis direpta

jactu-

jacturam irreparabilem subiret, quamvis Iesuitæ & Græculus ille, cujus ministerio apud Vizirium usi fuerant, impune id minime tulerint, post detectam Cyrilli innocentiam in carcerem conjecti, & laqueo destinati, quem vix effugissent, nisi Anglici Oratoris intercessio impetrasset, ut mitigata damnationis sententia, turbatores illi publicæ pacis Imperio Turcico expellerentur. Etsi vero typographicam officinam in suburbio Constantinopolitano, cui Galatæ nomen, Metaxæ ministerio non sine maximis difficultatibus paratam Iesuitæ perdidissent, Cyrilli tamen confessionem abolere minime potuerunt, quæ cum anno 1629 Latine tantum prodidisset, & multis parum verisimile videretur Græcum Latine scribere, postea ab Autore Græce conversa a. 1633 Genevæ lucem publicam aspexit. Hanc fidei confessionem, cui *Matthæus Curyophilus* censuram perfidæ Calvinianæ sub Cyrilli nomine latentis opposuit, vere a Cyrillo scriptam, & ad extremum usque halitum defensam Autor noster asserit. Negat, quod *Grotio* visum, pretio inductum Cyrillum hanc confessionem edidisse; exprobrat *Arnaldo*, quod Allatii vestigia legens, Cyrillum nihil tale meritum amarulentis convitiis proscindat, ipsique detestandæ dissimulationis crimen impingat; refellit *Bethleemica synodi* assessores, seu potius libelli, qui illorum decretis præfigitur, autorem, qui tradit, Cyrillū neque in ulla synodo, neque in ecclesia, nec in privatis cujusquam orthodoxi ædibus ea docuisse, quæ sub ejus nomine circumferantur, imo spissum volumen Cyrilli propria manu scriptum superesse, quo contraria continentur. Quæ a vero abesse ex eo convincit, quod Cyrillum confessionis suæ adeo non puduerit, ut potius ejus causa tot odia & inimicitias cordatissime pertulerit. Fatetur aliquam veri speciem habere, quod a pluribus objectum fuerit, neque episcopos, neque reliquum clerum, capitula illa aut novisse, aut manu subscripta approbasse; verum his *Cornelii de Haga* auctoritatem opponit, asserentis inter Metropolitæ & Episcopos, qui Constantinopoli frequentes affuerint, vix ullum isto tempore reperiri potuisse, quin pro Cyrillo ejusque fidei confessione fortunæ, vitam, & si quid vita carius, prodigere paratus fuerit. Confessione Cyrilli vindicata, ad reliquum vitæ curriculum progressus, quid duo Græci antistites transfugæ, & postea anno 1633 *Cyrillus Contarinus Berrboensis* episcopus contra Cyrillum moliti fuerint, exponit. Ab his pergit ad *Atbanasium Patellarium* Theſſalonicensem Archiepiscopum,



pum, qui anno 1634 quinquaginta mille thaleris patriarchalem dignitatem, qua vix per mensem frui licuit, a Turcis mercatus effecit, ut Cyrillus Tenedum relegaretur; unde mense Junio reversus, amicis adjuvantibus & argento pondus addente, pristinam dignitatem recuperavit, qua ipsum a. 1636 *Cyrillus Berrhæensis* altera jam vice ad hoc fastigium aspirans, iterum depulit, post sesquiannum a Cyrillo Lucario tertia jam vice restituto paria perpeffus. Tandem qua ratione Cyrillus anno 1638 adversariorum calumniis oppressus, jussu Turcici Imperatoris captus, in lembum trusus, & post colaphos aliasque contumelias, gutture chorda eliso suffocatus, exanime vero corpus in mare projectum, a piscatoribus inventum, ab amicis tumulatum, ab hostibus exhumatum, & iterum in mare projectum, postea iterum ex aquis receptum, in quapiam insula clam omni turba sepultum, & postremo *Parthenio* Patriarcha procurante Constantinopolin allatum, post solennes in patriarchali templo exequias, decenti pompa in templum apud Ortakui deductum & terræ mandatum fuerit, non tam ex Nathanaelis Conopii Protosyncelli relatione, quam ex ore *D. Pocokij*, qui istoc tempore Constantinopoli versatus est, breviter exponit, & se Cyrillum, quicquid Arnaldo videatur, pro sancto & martyre habiturum profitetur.

Sequitur quartum Miscellaneorum caput, quod *hymnum Græcorum matutinum*, ex codice antiquissimo Alexandrino descriptum, & cum aliis editis & manuscriptis exemplaribus collatum comprehendit, cujus initium est: *δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ Πτὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, αἰνῆμα σε, διλογῆμα σε* &c. Hunc hymnum, qui in nostris quoque ecclesiis latine decantari solet, a quotidiano apud Græcos usu matutinum, a natalitio angelorum hymno, qui statim in frontispicio occurrit, angelicum, communissime autem *μεγάλην δόξαλογίαν* a Græcis appellari, & hoc nomine a minori *doxologia*, cujus post singulas fere Psalmorum sectiones & alias in sacro officio frequens usus est, distingui Autor animadvertit, ejusque venerandam antiquitatem maximopere commendat, non dubitans, Christianos, cum juxta *Plinium* stato die ante lucem carmen Christo quasi Deo dicere consueverint, hunc hymnum Davidicis annectere solitos, merito in eorum numerum referendum, quos *Eusebius* *αἰὼν δέχτης*, seu a primis Christianismi initis, a Christianis Christi divinitatem

tatem celebrantibus decantatos memorat. Adducit quoque auctoritatem *Athanasii*, qui hunc ipsum hymnum virginibus commendat, & suspicatur, hunc ipsum hymnum esse ᾠδὴν illam *πλουάνουμον*, quam *Lucianus* in Philopatride fuggillat. Hymno huic matutino ejusque latinæ interpretationi, ex *S. Nothæri* antiphonario depromptæ, subjungit non modo versiculos quosdam e variis psalmis collectos, quos una cum hymno matutino a Græcis recitatos ex prædicto Alexandrino codice colligit, verum etiam hymnum vespertinum, quem *Basilius* in libro de Spiritu S. ad Amphiloichium *ἄρχαγγελίου ὀπιλήχου* appellat. Falli autem observat eos, qui hymnum illum ad *Athenogenem* autorem referunt, cum *Basilius M.* hymnum Athenogenis a vespertino hoc hymno clare distinguat; nec minus falli Græcos, qui hymnum hunc *Sophronio* Hierosolymitano adscribunt, cum longe antiquior *Sophronio* videatur. Notat quoque *Usserium*, qui *ὀπιλήχου ἄρχαγγελίου* cum *ὀπιλήχου ψαλμῶ* confuderit.

Postremo loco comparet in his Miscellaneis *Henoticum*, sive de causis remediisque dissidiorum, quæ orbem Christianorum hodie affligunt, exercitatio Theologica, in qua post gravissimas de Christianorum inter se dissidiis querimonias, primam & præcipuam eorum originem esse statuit, quod a primæva fidei simplicitate immane quantum recedatur; alteram quod dogmata, quæ salvo fidei fundamento ignorari possunt, longe pluris, quam par est, æstimentur; tertiam quod Romanus Pontifex supremum & in reliquos episcopos, & in univèrsam ecclesiam imperium sibi vendicet, & effrenem in omne jus divinum humanumque grassandi licentiam sibi sumat; & quartam denique, quod pietatis studium refrixerit. Quibus morbis quæ remedia opponat, non difficili conjectura cuilibet assequi licebit. Quamobrem iis enarrandis immorari superfluum arbitramur.

JOH. LUDOVICI PRASCHII ASSERTIO  
*Reipublica Achaica, ejusdemque cum Germanica comparatio,*

Ratisponæ, typis Joh. Georg. Hofmann, 1686, in 4.

pum, qui anno 1634 quinquaginta mille thaleris patriarchalem dignitatem, qua vix per mensem frui licuit, a Turcis mercatus effecit, ut Cyrillus Tenedum relegaretur; unde mense Junio reverfus, amicis adjuvantibus & argento pondus addente, pristinam dignitatem recuperavit, qua ipsum a. 1636 *Cyrillus Berrbænsis* altera jam vice ad hoc fastigium aspirans, iterum depulit, post sesquiannum a Cyrillo Lucario tertia jam vice restituto paria perpeffus. Tandem qua ratione Cyrillus anno 1638 adversariorum calumniis oppressus, jussu Turcici Imperatoris captus, in lembum trusus, & post colaphos aliasque contumelias, gutture chorda eliso suffocatus, exanime vero corpus in mare projectum, a piscatoribus inventum, ab amicis tumulatum, ab hostibus exhumatum, & iterum in mare projectum, postea iterum ex aquis receptum, in quapiam insula clam omni turba sepultum, & postremo *Parthenio* Patriarcha procurante Constantinopolin allatum, post solennes in patriarchali templo exequias, decenti pompa in templum apud Ortakui deductum & terræ mandatum fuerit, non tam ex Nathanaelis Conopii Protosyncelli relatione, quam ex ore *D. Pocokii*, qui istoc tempore Constantinopoli versatus est, breviter exponit, & se Cyrillum, quicquid Arnaldo videatur, pro sancto & martyre habiturum profitetur.

Sequitur quartum Miscellaneorum caput, quod *hymnum Græcorum matutinum*, ex codice antiquissimo Alexandrino descriptum, & cum aliis editis & manuscriptis exemplaribus collatum comprehendit, cujus initium est: *δοξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ Ππὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, αἰὲν ἔμμε σε, διλογῆ ἔμμε σε &c.* Hunc hymnum, qui in nostris quoque ecclesiis latine decantari solet, a quotidiano apud Græcos usu matutinum, a natalitio angelorum hymno, qui statim in frontispicio occurrit, angelicum, communissime autem *μεγάλην δοξολογίαν* a Græcis appellari, & hoc nomine a minori *doxologia*, cujus post singulas fere Psalmorum sectiones & alias in sacro officio frequens usus est, distingui Autor animadvertit, ejusque venerandam antiquitatem maximopere commendat, non dubitans, Christianos, cum juxta *Plinium* stato die ante lucem carmen Christo quasi Deo dicere consueverint, hunc hymnum Davidicis annectere solitos, merito in eorum numerum referendum, quos *Eusebius* αἰὲν δέχης, seu a primis Christianismi initiis, a Christianis Christi divinitatem

tatem celebrantibus decantatos memorat. Adducit quoque auctoritatem *Athanasii*; qui hunc ipsum hymnum virginibus commendat, & suspicatur, hunc ipsum hymnum esse ᾠδὴν illam πολυώνυμον, quam *Lucianus* in Philopatride suggillat. Hymno huic matutino ejusque latinæ interpretationi, ex *S. Nocteri* antiphonario depromptæ, subjungit non modo versiculos quosdam e variis psalmis collectos, quos una cum hymno matutino a Græcis recitatos ex prædicto Alexandrino codice colligit, verum etiam hymnum vespertinum, quem *Basilius* in libro de Spiritu S. ad Amphilochium Ἀχαεῖσιον Ἐπιλόχιον appellat. Falli autem observat eos, qui hymnum illum ad *Athenogenem* autorem referunt, cum *Basilius M.* hymnum Athenogenis a vespertino hoc hymno clare distinguat; nec minus falli Græcos, qui hymnum hunc *Sophronio* Hierosolymitano adscribunt, cum longe antiquior *Sophronio* videatur. Notat quoque *Usserium*, qui Ἐπιλόχιον Ἀχαεῖσιον cum Ἐπιλόχιον Ψαλμῶν confuderit.

Postremo loco comparet in his *Miscellaneis Henoticum*, sive de causis remediisque dissidiorum, quæ orbem Christianorum hodie affligunt, exercitatio Theologica, in qua post gravissimas de Christianorum inter se dissidiis querimonias, primam & præcipuam eorum originem esse statuit, quod a primæva fidei simplicitate immane quantum recedatur; alteram quod dogmata, quæ salvo fidei fundamento ignorari possunt, longe pluris, quam par est, æstimentur; tertiam quod Romanus Pontifex supremum & in reliquos episcopos, & in universam ecclesiam imperium sibi vendicet, & effrenem in omne jus divinum humanumque grassandi licentiam sibi sumat; & quartam denique, quod pietatis studium refrixerit. Quibus morbis quæ remedia opponat, non difficili conjectura cuilibet assequi licebit. Quamobrem iis enarandis immorari superfluum arbitramur.

JOH. LUDOVICI PRASCHII ASSERTIO  
Reipublicæ Achaicæ, ejusdemque cum Ger-  
manicæ comparatio,

Ratisponæ, typis Joh. Georg. Hofmann, 1686, in 4.

Ediderat Vir Clarissimus *J. Georg. Kulpis tractatum de unitate Reipublica in S. Romano Imperio*, & in capite illius III, in quo argumenta auctoritatis unitatem Reip. Germanicæ impugnantium recensentur & refelluntur, præter *Jacobum Gothofredum & Herman. Conringium*, etiam Virum clarissimum *Job. Ludovicum Praschium*, quanquam non sine præconio, notaverat, quod in libello *de ICTo. vero & personato*, Germaniam nostram Achajam, sed vetere illustriorem appellasset, & in cæteris quoque de Statuum provinciis tanquam singulis civitatibus disseruisset. Praschius itaque, cum præter meritum sententiæ tam pestilentis, ut vocat, videret se argui, mox ad Virum inclytum *Job. Philippum Schæfferum*, qui legendum sibi tractatum illum Kulpisii subjecerat, *epistolam* perscripsit, eamque *Apologeticam de unitate Reip. in S. Rom. Imperio*, quæ anno superiore Reginoburgi d. 30. Julii data, ibique edita est; & quia Kulpisius persuasum habuerat, Achajam non fuisse Rempublicam unam, sed complures fœdere junctas, eandemque & Praschii esse sententiam, Praschius longe aliud quid ex Justino docet, ut qui perspicue dicat lib. 34. c. 1. *Achai, licet per civitates veluti per membra divisissent, unum tamen corpus, & unum imperium habent, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant* &c. Firmat etiam hanc sententiam Polybii ac Livii testimoniis; cumque adeo crediderit Praschius, credatque etiamnum, unam Rempublicam fuisse Achajam, adscribi illis se miratur, qui Rempublicam Germanorum distrahunt; contendit etiam in eodem libello non semel significasse se, Germaniam uno jure vinculoque legum contineri, quod nihil aliud sit, quam unam dicere rempublicam; jus publicum etiam se definivisse, complexum legum civilium de statu Reipublicæ, & mox Germanicæ accommodasse. Non inficiatur equidem Praschius, se alicubi singulos ordines vocasse civitates, respublikas, aut si quid simile, sed laxius & κατ' ἀναλογίαν sic dixisse, cum minime ignoret, singulos subesse Imperatori & Imperio; nec ullum præterea esse simile, quin aliquid etiam habeat dissimilitudinis; animum præterea sibi non fuisse, plenum ibi accuratumque judicium de Imperio nostro, per quod Rempublicam κατ' ἐξοχήν intelligi vult, expromere. Testatur etiam in eadem epistola publice, se a sententia illa, quæ Imperium Germanicum non statuit unam esse Rempublicam, toto pectore abhorrere, eamque neque veritati, neque utilitati publicæ consentaneam credere; ad stipulari potius Instrumen-

to pacis Cæs. Suec. in quo artic. VIII. §. *Habeantur*, Imperium nostrum Respublica diserte dicatur.

Hac epistola accepta *Cl. Kulpisus*, Argentorato tum in aulam Stutgardiensem evocatus, literas responsorias ad eundem Virum amplissimum *Job. Philippum Schefferum* ICtum direxit, easque Stutgardia d. 17. Septembr. anno 1686 exaratas. In hisce minime id in epistola jam recensita concoquere se posse profitetur, quod de injuria sibi a Kulpisio facta conqueratur Praschius; se enim potius de injuria sibi illata posse conqueri, cum animum injuriandi habuerit nunquam, nec nisi cum laude quadam Praschium semper allegarit. De cætero quamvis non abnuat, se eandem Praschio ac Gothofredo sententiam attribuisse ( si quidem & Praschius Germaniam nostram in loco dicto aperte Achajam nominaverit ) errorem tamen a Praschio imputari sibi non sustinet; quin minime errare se contendit, si corpus Achaicum, prout ante dissolutionem Romanis artibus procuratam sese proxime exhibuit, pro systemate civitatum non unius majestatis spiritu, sed vinculo foederis connexo compositoque habeat. Nec obstare locum Justini contra se allegatum ( cum quodlibet rerumpublicarum corpus, *unum corpus* sit, & *unum Imperium* habere dici queat, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exerceatur, ut Belgium Foederatum ) multo minus Polybii & Livii. Allegat etiam pro se Martinum Schookium de Republica Achæorum, Ubbonem Emmium de Rebuspublicis Græcorum, & Antonium Thyrium in Memorabilibus celebriorum veterum Rerumpublicarum, ut qui ex Polybio, Plutarcho, Pausania & Livio hoc ipsum operose docuerit, facta subinde ad Foederati Belgii statum applicatione. Discussio hoc errore sibi attributo, sub finem suam de tota hac re exponit sententiam Kulpisius, subinnuitque non obscure, stattere quidem nunc Praschium, unam esse in Imperio Romano Rempublicam, imo & regularem, vel saltem ex Monarchia & Aristocratia mixtam, post editas adversus Philosophiam Monzambanianam *litteras secretiores*; fieri tamen potuisse, ut tum, cum *de JEsu vero ac personato* fuisset commentatus, paulo liberalius, sed innoxio prorsus consilio, Achajam respexerit; sed posteaquam sententia hujus pericula applicationisque insecutos abusus advertisset, non deseruisse solum illam, sed & palam falsitatis arguere & damnare; quanquam his cogitationibus se Praschium haud urgere vel'e subjicit.

Quid ad literas hæc CL. *Praschius*? Is calamo iterum arrepto, anno eodem 1686 non *Assertionem* tantum *Reipublicæ Achæicæ*, sed & *ejusdem cum Germanicæ Comparationem* scripsit atque evulgavit. Afferit autem primum, Achajam eo tempore, quo pollebat, unam omnino, non ex pluribus Rebuspublicis constantem societatem, quæ *Kulpisii* sententia sit, fuisse Rempublicam. Quamvis enim singulis civitatibus tantum juris commodique remanserit, ut videri possent liberæ Respublicæ, imperium tamen non penes singulas stetit (quippe quæ se habuerint velut membra ad corpus) sed penes universos, seu penes concilium Achajæ commune, quod synedrium Pausanias appellavit; plane sicut Civitates Imperii nostri dicantur liberæ, & Principes nostri superioritatem sibi vendicent, licet Imperatori & Imperio subsint, & cum eo unam efficiant Rempublicam. Assertum hoc sum probat *Praschius* illustri loco *Polybii*, historici non tantum oculatissimi, sed & Achæi principis, ex quo clare pateat, non solum *συμμαχικήν καὶ Φιλικήν κοινωνίαν πραγμάτων* fuisse inter Achæos, sed & communionem legum, magistratuum & omnium omnino reliquorum, atque adeo unam fuisse civitatem ac rempublicam, cui nihil ad unitatem defuerit, quam mœnia, & externa facies. Deinde, ut clariora reddat omnia, imperium summum in partes secat, & de juribus Majestatis, ut vocantur, separatim cognoscit, & ex *Ubbone Emmio* (quem sequendum *Praschio* proposuerat *Kulpisius*) ostendit, jus legum civilium non penes singulas civitates, sed penes synedrium Achæicum, resedisse. Quamvis enim primo penes singulas civitates id fuerit, postea tamen quam in easdem leges mutuo conspirarint, jus *ἀνισονομίας* in universos transiisse, ut singulæ neque abdicare leges illas, neque condere alias potuerint. Nec aliter se habuisse jus magistratuum, siquidem receptum semel imperandi modum abjicere postmodo aut polluere non licuerit. Declarat id non ex *Emmio* tantum jam dicto, sed & ex *Pausania*, *Polybio*, *Livio*, ac *Strabone*; ubi illud quoque vel maxime urget, quod singulis civitatibus etiam jus legationis fuisset imminutum. Summam quippe potestatem penes Concilium fuisse, quin plane ita habuisse in Achajâ, prout dixerit *Thysius* a *Kulpisio* contra *Praschium* allegatus. Ita autem ille: *Summa, inquit, potestas penes concilium erat, ex cujus decreto bella suscipiebantur, fœdera percutiebantur, omnes graviores causa dicebantur.* Ut ut enim regesserit *Kulpisius*, quodlibet Re-

rum.

rum publicarum corpus *unum corpus esse*, & *unum imperium habere* dici posse, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exercentur, dubitat tamen Praschius, an ullus scriptor Respublicas socias *unum corpus* vocet, atque *unum imperium habentes*. Nec illud officere ait, quod ex lege conventionis socii ad communionem imperii asciti fuerint. Tametsi enim singulæ civitates in communi concilio exercent imperium, exercere tamen ex parte tantum, sed ex parte reliquorum sociorum voluntati se subicere, ac unius corporis civilis membra fieri. Ambabus itaque manibus accipit, quod confitetur Kulpisius, imperium exerceri in communi concilio; sic enim non tam pactum sociale, quam civile id dicendum esse, in quo transigatur de Imperio. Exempla Fœderati Belgii, & Helveticorum Pagorum, quæ adduxerat Kulpisius, probare dicit dubium per dubium, ac veluti τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; nec nihil responsi etiam reliquis Kulpisii objectionibus reponit. Sed ea prætervecti mox alteram hujus tractatuli partem, h. e. *Comparisonem Reipubl. Achaica cum Germanica* recensendam sumimus.

In hac illud fundamenti loco præstruit *CL. Praschius*, initio Achaëis non minus, ac Imperio nostro, unam citra dubium fuisse Rempublicam; ac primum quidem eos imperio regio usos a Tisameno usque a Ogygam, sed quia filii hujus insolentius se gessissent, in popularem statum rempublicam abiisse. Invalescente Macedonum potentia, discordiam ab illis inter Achæos fuisse seminatam, sed quia multo propius se quam unquam junxerint, formidabiles fuisse factos. Concordiam hanc assecutos illos esse 1. pietate in Jovem Homorium, 2. prudentia cum humanitate, benevolentia, justitia, fide studioque concordia conjuncta, 3. incorrupta Principum Ducumque bonitate. Jam omnia hæc accommodat ad Imperium Germanicum Praschius, dumque id agit, non inconvenienter insimul docet, qui & dissidia, quæ Macedones hujus temporis serunt, præcavenda, & arctior concordia sit stabilienda. Pietatem etiam & εὐβελίαν commendat maxime, sed lites ob ἀνεξιχνίασιν enascentes graviter improbat. Deinde, ut comparisonem semel cœptam continet, dicit Achæos, licet per civitates veluti per membra divisi fuerint, suaque possederint territoria, unum tamen corpus habuisse, & commune concilium, cujus præcipua pars fuerit prætor, a quo convocati fuerint, proximi fynarchontes, principes inde reliqui. Nec aliam hodieque rei Ger-



Quid ad literas hæc CL. *Praschius*? Is calamo iterum arrepto, anno eodem 1686 non *Affertionem* tantum *Reipublicæ Achæicæ*, sed & *ejusdem cum Germanicæ Comparationem* scripsit atque evulgavit. Afferit autem primum, Achajam eo tempore, quo pollebat, unam omnino, non ex pluribus Rebuspublicis constantem societatem, quæ *Kulpisii* sententia sit, fuisse Rempublicam. Quamvis enim singulis civitatibus tantum juris commodique remanserit, ut videri possent liberæ Respublicæ, imperium tamen non penes singulas stetisse (quippe quæ se habuerint velut membra ad corpus) sed penes universos, seu penes concilium Achajæ commune, quod synedrium Pausanias appellavit; plane sicut Civitates Imperii nostri dicantur liberæ, & Principes nostri superioritatem sibi vendicent, licet Imperatori & Imperio subsint, & cum eo unam efficiant Rempublicam. Assertum hoc sum probat *Praschius* illustri loco *Polybii*, historici non tantum oculatissimi, sed & Achæi principis, ex quo clare pateat, non solum *συμμαχικὴν καὶ φιλικὴν κοινωνίαν πραγμάτων* fuisse inter Achæos, sed & communionem legum, magistratuum & omnium omnino reliquorum, atque adeo unam fuisse civitatem ac rempublicam, cui nihil ad unitatem defuerit, quam mœnia, & externa facies. Deinde, ut clariora reddat omnia, imperium summum in partes secat, & de juribus Majestatis, ut vocantur, separatim cognoscit, & ex *Ubbone Emmio* (quem sequendum *Praschio* proposuerat *Kulpisius*) ostendit, jus legum civilium non penes singulas civitates, sed penes synedrium Achæicum, resedisse. Quamvis enim primo penes singulas civitates id fuerit, postea tamen quam in easdem leges mutuo conspirarint, jus *ἀἰσιονομίας* in universos transiisse, ut singulæ neque abdicare leges illas, neque condere alias potuerint. Nee aliter se habuisse jus magistratuum, siquidem receptum semel imperandi modum abjicere postmodo aut polluere non licuerit. Declarat id non ex *Emmio* tantum jam dicto, sed & ex *Pausania*, *Polybio*, *Livio*, ac *Strabone*; ubi illud quoque vel maxime urget, quod singulis civitatibus etiam jus legationis fuisset imminutum. Summam quippe potestatem penes Concilium fuisse, quin plane ita habuisse in Achaja, prout dixerit *Thysius* a *Kulpisio* contra *Praschium* allegatus. Ita autem ille: *Summa, inquit, potestas penes concilium erat, ex cujus decreto bella suscipiebantur, fœdera percutiebantur, omnes graviores causa dicebantur.* Ut ut enim regesserit *Kulpisius*, quodlibet Re-

sum-

rum publicarum corpus *unum corpus* esse, & *unum imperium habere* dici posse, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exercentur, dubitat tamen Praschius, an ullus scriptor Respublicas socias *unum corpus* vocet, atque *unum imperium habentes*. Nec illud officere ait, quod ex lege conventionis focii ad communionem imperii asciti fuerint. Tametsi enim *singulæ civitates* in communi concilio exercent imperium, exercere tamen ex parte tantum, sed ex parte reliquorum sociorum voluntati se subicere, ac unius corporis civilis membra fieri. Ambabus itaque manibus accipit, quod confitetur Kulpisius, imperium exerceri in communi concilio; sic enim non tam pactum sociale, quam civile id dicendum esse, in quo transigatur de Imperio. Exempla Fœderati Belgii, & Helveticorum Pagorum, quæ adduxerat Kulpisius, probare dicit dubium per dubium, ac veluti τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; nec nihil responsi etiam reliquis Kulpisii objectionibus reponit. Sed ea prætervesti mox alteram hujus tractatuli partem, h. e. *Comparisonem Reipubl. Achaica cum Germanica* recensendam, sumimus.

In hac illud fundamenti loco præstruit *CL. Praschius*, initio Achæis non minus, ac Imperio nostro, unam citra dubium fuisse Rempublicam; ac primum quidem eos imperio regio usos a Tisameno usque a Ogygum, sed quia filii hujus insolentius se gessissent, in popularem statum rempublicam abiisse. Invalescente Macedonum potentia, discordiam ab illis inter Achæos fuisse seminatam, sed quia multo propius se quam unquam junxerint, formidabiles fuisse factos. Concordiam hanc assecutos illos esse 1. pietate in Jovem Homorium, 2. prudentia cum humanitate, benevolentia, justitia, fide studioque concordia conjuncta, 3. incorrupta Principum Ducumque bonitate. Jam omnia hæc accommodat ad Imperium Germanicum Praschius, dumque id agit, non inconvenienter insimul docet, qui & dissidia, quæ Macedones hujus temporis serunt, præcavenda, & arctior concordia sit stabienda. Pietatem etiam & εὐβουλίαν commendat maxime, sed lites ob ἀπεδρία enascentes graviter improbat. Deinde, ut comparisonem semel coeptam continuet, dicit Achæos, licet per civitates veluti per membra divisi fuerint, suaque possederint territoria, unum tamen corpus habuisse, & commune concilium, cuius præcipua pars fuerit prætor, a quo convocati fuerint, proximi synarchontes, principes inde reliqui. Nec aliam hodieque rei Ger-

ספר חסד לאברהם חברו הקטן  
 וגם חקר האלוקה מוהר"ר אברהם בן מרדכי  
 מרדכי מאזולאי זלה"ה מקרית ארבע  
 הי"ת חברה.

*LIBER, INSCRIPTUS BENIGNITAS ABRAHAMI,  
 Autore Excellentissimo Doctore R. Abrahamo,  
 Mardochai filio, ex gente Asulea, p.m.  
 Incola Kirjatb-Arba, quæ & Hebron dicitur.*

Solisbaci, sumtibus Mosis Blach, anno 445, i. e. Christi  
 1685, in 4.

Quanto studio abstrusissima Judæorum mysteria retexuerit *Vir Perillustris*, qui *Kabbalam denudatam* publicæ luci exposuit, omnes norunt, quotquot aut ipsum illud opus, aut, quæ de eo in Actis anni 1684 (pag. 309. f.) more nostro, i. e. historice, censuraque ac judicio Lectori relicto, disseruimus, inspexere. Nec alio sine castigatissimam *Libri Sobar* editionem eodem anno 1684 curavit, in Acta anni sequentis 1685 (pag. 359. f.) a nobis relatam. Cæterum cum tria summorum Artis Kabbalisticæ mystarum opera manuscripta multo sibi ære comparasset, nec illorum usum literario orbi voluit invidere; quin spem eorum aliquando edendorum in præfatione, tomo II *Kabbalæ Denudatæ* præmissa §. 13. 14. liberalissime fecit. Sunt ea *Etz Chajim*, seu absolutissimum *Kabbalæ Systema R. Jsaaci Lorientis*; porro *Jalkut Reubeni*; denique *Sepher Chesed Abraham*. Ex quo vero *Jalkut Reubeni* anno jam 1681. *Wilmersdorfsi* typis exscriptum fuisse, vel ex Actis nostris anno 1684. pag. 8. f. patuit, non illubenter illum accepisse putamus, magna curarum parte se jam pridem levatum esse. Sed & immensa *Lorientis systematis* moles eidem forsan impedimento hætenus fuit, quo minus, præter excerpta quædam Latina, *Librum* nempe *primum Druschim, commentarium in librum Zenitha, tractatum* item *de revolutionibus animarum*, *Kabbalæ Denudatæ* insertos, quicquam illius publici juris faceret. Tertiam autem, (quamvis editionis autor nomen non adscripserit) non sine Viri supra laudati

laudati auspiciis evulgatum esse, facili conjectura Lectores assequentur.

Ignotus is hucusque fuerat orbis Europæi eruditis, eo quod *Buxtorfium*, *Plantavirium*, *Bartoloccium* ipsum illius nomen fugerat, quodque *R. Abraham Ruben Ben R. Hofcbke* in *Jalkut Reubeni*, *R. Schabbtai* in *Siphtê Jeshenim*, ipse denique *Perillustris* *Kabbalæ* denudatæ *Autor* solum nomen absque ulteriori aut Rabbini historia, aut libri argumento commemoraverant. Lubet ergo nonnulla de utroque commentari, unde Bibliothecarum Rabbinarum lacunæ quodammodo suppleri poterunt.

Est illi nomen *Abrahamo*. Patrem habuit *R. Mardocheum*; Avum *Afulæum* quendam a beneficentia, modestia & suavitate cantiorum Nepoti laudatum; Patriam **OND** *Phas*, h. e. urbem illam Colchidosive Mengreliaæ celeberrimam, quæ isto nomine non a Judæis modo, sed & Arabibus, præsertim *Geographo Nubiensi* 89.3. II. vocitatur; Latinis & Græcis *Phasis*, Italis *Fazzo* dici suevit. Sita fuit ad fluvium cognominem, quem Turcis *Fachs*, indigenis *Rione* appellari, autor est nuperrimus Itinerarii Persici conditor, *Johannes Chardinus*, ex quo & hoc novimus, vestigia urbis illius, non minus ac *Sebastopolæos*, injuria temporis ac bellorum penitus fere intercidisse. Et sane conqueritur Noster, iratum Numen patriam suam evertisse, seque adeo lares suos omnesque fortunas linquere coactum fuisse, unde apud se constituerit ex profanis illis regionibus in terram Sanctam commigrare. Devenit igitur *Kirjath-Arbam*, quæ & *Hebron*, sedemque ibi fixit. Cumque in patria olim urbe Sapientum cœtibus immixtus, quicquid sapientiæ ex traditione aut speculatione haberi posse credunt Judæi, impiger imbibisset, vastum heic in *Sobar* commentarium concinnavit, quem *Sepher Kirjath Arba* appellatum voluit. At cum anno 379 i. e. Christi 1619 oppidum illud dirissima peste corripere, fuga suæ suorumque salutem consulendum ratus, Hierosolymam petiit. Verum & illam eodem malo laborare compertus, iter remensus est in Hebronis viciniam, ubi votum conceptis verbis fecit, hoc, in quo recensendo nunc occupamur, opus conscribendi, si præsentissimum illud capitis periculum incolumis evasisset. Pervenit tandem Gazam, quæ quondam ad tribum Judæ referabatur, (Jof. XV, 46.) Illic votum exsolvit, *omniaque Fidei Judaica*

*capita* non ex Scripturæ dictis, nec Talmudistarum allegoriis, multo minus rationibus Philosophorum, sed ex mera Kabbala seu Theologia mystica in *Sohar* præsertim latente, commodo ordine, styloque, ut res ferunt facili, explicare aggressus est.

Docuit hæc in præfatione, quam אבן שתיים *Lapidem fundamentalem* inscripsit, unde dehinc (ad Zach. III. 9. alludens,) שבעה עינים *Septem fontes*, (h. e. libros) deducit, quorum quilibet in bene multos *fluvios*, (seu capita) diffunditur. Singulis *fontibus* ex Biblicis locis, (ubi עין ipsi *fontem* perpetuo notat, quamvis incongrue quandoque & præter mentem Authorum sacrorum, quo saltem ad Allegoriam suam loca illa quadrarent,) nomina petit. *Primus* ei dicitur עין כרם (Ex. X. 15.) *Fons omnium*, agitque de Dei providentia ac præsentia gratiosa. *Alter* עין הקורא *fons invocantis* (Jud. XV. 19) de cœli & terræ machina, divinæ item legis quidditate, excellentia, studio nocturno, atq; renovatione futura, credenda suggerit, adjectis variis diversorum præceptorum Mosaicorum rationibus. *Tertius* עין הארץ *Fons terra* (Num. XXII. 5.) in terræ Israeliticæ prærogativis proferendis totus est. *Quartus* עין יעקב *Fons Jacobi* (Deut. XXXIII. 28) exponit, quantum cætera animalia homo, hominem Israelita, Israelitam, quid? ipsos Angelos, Justus antecellat. Porro quid sit peccatum, quid poenitentia, confessio, timor Dei, mors denique justorum, statusque animæ separatæ. Sed hæc posteriora largius haurire licebit ex fonte *quinto*, cui (ex Gen. XIV. 7.) עין משפט *Fons judicii*, nomen est; scatet is observationibus de defunctorum præmiis & poena, de Paradiso & Gehenna, de revolutionibus animarum. Succedit *sextus* עין גנים *Fons Hortorum* (Jof. XV. 34) de LXX Angelis præsidibus gentium, de præminentia, qua una gens magis quam altera gratiosam Dei præsentiam mereatur, item de LXX. linguis. *Septimus*, idemque ultimus est עין גדי *Fons Hædi* (Jof. XV 62 Cant. I. 14) ac consideranda exhibet putamina, concupiscentiam bonam & malam, diabolos, hujusque furfuris alia. Fluenta isthæc omnia confluunt in ברכת אברהם *piscinam Abrahami*, (phrasi desumpta ex Gen. XXVIII. 4. ubi tamen, ne nomen illud ab allegoria alienum esset, neglectis vocalibus *Berechath* Piscinam, pro *Bircath* benedictionem, legisse videtur,) sive constituunt hoc Abrahami Mardochaidis opus, quod novendecim omnino plagulis absolvitur, & in  
from



Ducis Megapolitani hæc omnia *ἀποβόια* scripta in lucem publicam emittenda essent; quod etiam una cum præfatione prompte adjecit D. Val. Alberti, Collega noster celeberrimus. Totum autem Scriptum in Tres distinguitur Libros, quorum primus complectitur 1. Præfationem D. Alberti; 2. Judicium Facult. Theolog. Lipsiensis; 3. Censuram Facult. Theol. Wittebergensis; 4. Ipsum discursum extemporaneum B. D. Siricii; & 5. Literas Baronis d' Erenkamp de hoc conflictu: secundus constat Antilogia & Apologia prima: tertius Antilogia & Apologia secunda, una cum supplemento D. Alberti, in quo etiam dicta e literis Baronis Erenkampii excerpta modeste declinantur. His omnibus Indices tam Autorum, quam rerum utiliter subjunguntur: nobis, postquam scriptura eruditissimum brevissimis delineavimus, prolixissimo affectu lugentibus obitum B. Siricii Theologi de Ecclesia meritissimi; quem in Successore Aulæ & Academiæ Megapolitanae propediem ex gratia reddat Deus!

MISCELLANEA, AUTORE THOMA SMITH  
*Ecclesiæ Anglicanae Presbytero.*

Londoni, impensis Samuelis Smith, 1686, in 8.

CUM Autor communionem infantum apud Græcos sub sola vini specie antehac professus, postea a *Dodwello* meliora doctus, eandem in iterata epistolæ suæ de hodierno Ecclesiæ Græcæ statu editione pernegasset, *Bossuetus* id partium studio factum arguit, ut Pontificiis Scriptoribus, pro communionem sub una militantibus, quæsitum a Græcis præsidium eriperetur. Hinc natum primum Miscellaneorum caput, seu *præmonitio ad lectorem de infantum communionem apud Græcos*, in qua se omni levitate procul habita, post diligentius examen, argumentorum pondere victum, priorem sententiam mutasse, per conscientiam, & Deum supremum conscientiæ arbitrum testatur, & apud Græcos communionem infantum sub sola vini specie, tanta confidentia a Pontificiis Scriptoribus assertam, minime vigere breviter ostendit.

Alterum Miscellaneorum caput, opponitur Autori libri de fide & ritibus Orientalium Domino *de Moisi*, sub quo nomine *Richardum*  
*Simo-*

*Simonium* delitescere in Actis nostris 1684 mense Novembri, pag. 490 non vano conjecimus augurio. Dixerat Smithus in sua de hodierno ecclesie Græcæ statu epistola, *Gabrielem Severum* Philadelphie Archiepiscopum, hominem nullius aut imbecillis ingenii, Scholasticorum tricis deditissimum, & fortasse, dum Patavii & Venetiis ageret, a Romanensibus circumventum, vel primum, vel saltem inter primos fuisse, a quo vox *μετασίωσις*, exprimendo transubstantiationis figmento perquam idonea, fuerit efficta. Negat id Simonius, & producit Autorem plus quam centum annis Gabriele antiquiorem. Is est *Georgius Scholarius*, qui capta a Turcis Constantinopoli, in Patriarchale folium evehctus, ab eo tempore *Gennadius* audire maluit. Respondet Smithus, locum e Gennadio productum esse suspectum, & a *Meletio Syrigo* Græculo tenebrione, Romanis partibus addictissimo, Gennadio dolose supponi; in Gennadii scriptis editis & ineditis nihil tale deprehendi, nec sine jactantia triumphaturos fuisse *Allatum* & *Poffevinum*, si Gennadium bella hac *μετασίωσις* voce, causæ suæ quodammodo annuentem reperissent; mirum præterea videri, cur tot Autores, qui post Gennadium scripserunt, etiam ubi de industria de sacramentis agunt, vocabulo isto tanquam inauspicato abstinerint, si illud Patriarcha Gennadius auctoritate sua munivisset; ignotum esse illum terminum *Hieremie Patriarche* in decessoris sui scriptis non mediocriter versato, & Simonium frustra objicere, quod Jeremias ob styli elegantiam a barbara ista voce abhorrens, æquipollentem adhibuerit. Nec enim Jeremiam styli delicias tantopere sectari, nec idem esse *μεταβελην* & *μετασίωσιν*, cum illa vox qualemcunque panis & vini consecrati mutationem, hæc vero substantialem elementorum in carnem & sanguinem Christi conversionem innuat. Ex his aliisque argumentis concludit, *προβαλιμαϊον* esse Gennadium a Meletio Syrigo, & inde a Simonio productum. Qua occasione etiam *Monachum* quendam *Benedictinum Anglum* breviter perstringit, qui vocis controversæ originem jam inde a tempore primi concilii Niceni intoleranda audacia arcessat. Dixerat porro Smithus, *Gabrielis κρηθωνίαν*, qua tantopere sibi placuit, paucis arrisisse. Nec dicti ipsum pœnitet. Nihil moratur objectos ab Historico Critico novitios Græculos, qui post editam Cyrilli confessionem, linguas suas Romanis auribus attemperaverint, plerosque nullius apud exteros famæ, nullius apud suos auctoritatis. Nihili



æstimat *Gregorium Hieromonachum*, ejusque synopsin dogmatum ecclesiæ Græcæ anno 1635 Venetiis excusam, de quo libro se, cum Constantinopoli ageret, ne fando quidem unquam audivisse testatur; nihili Gregorii hujus parasitatum & mutuum encomiasten, *Georgium Coresium*, ex Medico μεγάλης ἐκκλησίας Θεόλογον, & ex acerbissimo ecclesiæ Græcæ defensore Curæ Romanæ parasitum, qui a Patriarcha Constantinopolitano sacris interdicitus, cum a nemine ad colloquium & familiarem congressum admitteretur, forte ex animi impotentia, ut hanc infamiam vindicaret, Romanensium gratiam aucupatus fuerit. Ejusdem pretii esse censet *Meletium Syrigum*, *Michaelem Corracium* Cretem, & *Agapetum* Montis Sancti incolam; sufficere ratus, si his infensissimis Cyrilli hostibus, *Gerganum Artensem* & *Metrophanem Critopulum*, qui Cyrilli fusciperunt patrocinium, opponat. Denique si vel maxime privati homines voce ista, quæ transubstantiationem Græcæ exprimit, usi fuerint, publica tamen autoritate firmatam & stabilitam esse negat, asserens ne duabus quidem synodis Cplitanis, sub *Cyrillo Berrbænsi* & *Parthenio* hoc solo nomine coactis, ut Cyrillus Lucaris ejusque confessio anathema subiret, μετασίωσιν assertam, cum utraque nulla vocis istius mentione injecta, tantum ex elementis per sacerdotis benedictionem, & Spiritus sancti adventum, corpus & sanguinem Christi fieri statuat. Quod assertum contra Simonium id negantem maseule defendit. Dixerat porro Smithus, in ea quam supra memoravimus epistola, vocem μετασίωσεως Patribus incognitam, nec in Liturgiis & symbolis admissam. Fatetur id Simonius, ejusque rei causas hinc arcessit, quod ante Berengariana certamina ejusmodi vocabulis opus minime fuerit; interim tamen rem ipsam voce ea signatam, primitivæ Græciæ ignotam fuisse negat. Verum Smithus in hac epistolæ suæ apologia, argumentum suum negativum non vocem solam sed rem ipsam spectasse, & adductam omiſsæ per tot secula vocis rationem omni fundamento destitui respondet. Tandem cum Simonius Autori nostro imperitiam Theologiæ Græcorum ex eo objiciat, quod symbola consecrata eodem tempore, quo ipsummet corpus & sanguis Christi, dicuntur a Græcis τὸ ἀντίτυπον ἔστιν αἴμα τῆς σαρκὸς καὶ αἵμα, a Græcis appellari dixerit, sententiam suam e liturgia *S. Basilii* aliisque Græcorum testimoniis depromptam esse docet.

Cæterum cum Simonius, occasione hujus controversiæ, *Cyrilli Lucaris vitam* breviter exponat, & autor noster narrationem illam ex *Allatio*, aliisque Cyrilliani nominis hostibus, & incertis rumusculis eorrasam arguat, aliam Cyrilli Lucaris historiam eamque satis prolixam, quæ tertium horum Miscellaneorum caput constituit, concinnat, seu potius jam ante quinquennium Anglicano idiomate concinnatam, in Simonii aliorumque gratiam, Latine repetit. In ea narrat, Cyrillum patria Cretensem Venetiis *Maximum Margunium* præceptorem habuisse; peragrata Italia, cæteras quoque Europæ regiones perlustrasse; & conversatione cum Reformatis eorundemque libris, Romanarum traditionum odium imbibisse; ad Græcos reversum, a *Meletio Pega*, cujus laudes & scripta obiter recensentur, in ordine sacerdotali constitutum, & postea Archimandritam factum; in synodo anni 1596 Bestæ habita, ab eorum partibus stetit, qui unioni cum Romanis renunciandum censuerunt. Anno 1600 prædictus Meletius Alexandrinus Patriarcha, a Sigismundo Poloniæ Rege rogatus, ut Romanum Pontificem supremum ecclesiæ caput agnosceret, responsorias literas Cyrilli, quem sedis suæ Exarchum constituerat, curæ ac fidei commisit. Verum cum Cyrillus omnibus exteris, cum Romana ecclesia non unitis, gravissimum in Polonia periculum impendere exemplo *Nicephori Cplitanæ* sedis Exarchi didicisset, ne easdem poenas capite lueret, literas Meletii suppressit, & mense Januar. anno 1601 apud Archiepiscopum Leopoliensem confessionem Romanis principiis conformem edidit; nisi forte *Scarga* Jesuita, ex cujus unius fide hæc referuntur, conflandæ infamiæ causa, hanc Cyrillo inconstantiam affinxit, quod Autor noster in dubio relinquit, minime dubius, dignum fuisse Cyrillum, qui non modò post Meletii obitum Alexandrinæ ecclesiæ, cujus clavum per 19 annos tenuit, præfesset, verum etiam Timotheo fati functo, quod anno 1621 contigit, in ipsum Cplitanæ sedis thronum eveheretur. Quæ autem *Allatius* de Timotheo, a Cyrillo ejusque fautoribus, ope Appollonii Chii medici mille aureis conducti, & Iosaphati Andrii Archimandritæ, in mensa Oratoris Batavi feralibus veneficiis sublato retulit, ea cum omni veri specie careant, putidissimis calumniis annumeranda censet. Hinc quibus insidiis Cyrillus ab adversariis, ac imprimis a Jesuitis Gallici Oratoris præfidiò fuffultis, aliquo

æstimat *Gregorium Hieromonachum*, ejusque synopsis dogmatum ecclesiæ Græcæ anno 1635 Venetiis excusam, de quo libro se, cum Constantinopoli ageret, ne fando quidem unquam audivisse testatur; nihili Gregorii hujus parastatam & mutuam encomiasten, *Georgium Corestum*, ex Medico *μεγάλης ἐκκλησίας Θεόλογον*, & ex acerzimo ecclesiæ Græcæ defensore Curiz Romanæ parasitum, qui a Patriarcha Constantinopolitano sacris interdictus, cum a nemine ad colloquium & familiarem congressum admitteretur, forte ex animi impotentia, ut hanc infamiam vindicaret, Romanensium gratiam aucupatus fuerit. Ejusdem pretii esse censet *Meletium Syrigum*, *Michaelem Corracium* Cretem, & *Agapetum* Montis Sancti incolam; sufficere ratus, si his infensissimis Cyrilli hostibus, *Gerganum Artensem* & *Metrophanem Critopulum*, qui Cyrilli fusciperunt patrociniū, opponat. Denique si vel maxime privati homines voce ista, quæ transsubstantiationem Græcæ exprimit, usi fuerint, publica tamen autoritate firmatam & stabilitam esse negat, asserens ne duabus quidem synodis Cplitanis, sub *Cyrillo Berrbænsi* & *Parthenio* hoc solo nomine coactis, ut Cyrillus Lucaris ejusque confessio anathema subiret, *μετασίωσι* assertam, cum utraque nulla vocis istius mentione injecta, tantum ex elementis per sacerdotis benedictionem, & Spiritus sancti adventum, corpus & sanguinem Christi fieri statuat. Quod assertum contra Simonium id negantem maseule defendit. Dixerat porro Smithus, in ea quam supra memoravimus epistola, vocem *μετασίωσης* Patribus incognitam, nec in Liturgiis & symbolis admissam. Fatetur id Simonius, ejusque rei causas hinc arcessit, quod ante Berengariana certamina ejusmodi vocabulis opus minime fuerit; interim tamen rem ipsam voce ea signatam, primitivæ Græciæ ignotam fuisse negat. Verum Smithus in hac epistolæ suæ apologia, argumentum suum negativum non vocem solam sed rem ipsam spectasse, & adductam omissæ per tot secula vocis rationem omni fundamento destitui respondet. Tandem cum Simonius Autori nostro imperitiam Theologiæ Græcorum ex eo objiciat, quod symbola consecrata eodem tempore, quo ipsummet corpus & sanguis Christi, dicuntur a Græcis *τὸ ἀντίτυπον ἔστι τῆς σαρκὸς καὶ αἵματος* a Græcis appellari dixerit, sententiam suam e liturgia *S. Basilii* aliisque Græcorum testimoniis depromptam esse docet.

Cæterum cum Simonius, occasione hujus controversiæ, *Cyrilli Lucaris vitam* breviter exponat, & autor noster narrationem illam ex *Allatio*, aliisque Cyrilliani nominis hostibus, & incertis rumusculis corrasam arguat, aliam Cyrilli Lucaris historiam eamque satis prolixam, quæ tertium horum Miscellaneorum caput constituit, concinnat, seu potius jam ante quinquennium Anglicano idiomate concinnatam, in Simonii aliorumque gratiam, Latine repetit. In ea narrat, Cyrillum patriam Cretensem Venetiis *Maximum Margunium* præceptorem habuisse; peragrata Italia, cæteras quoque Europæ regiones perlustrasse; & conversatione cum Reformatis eorundemque libris, Romanarum traditionum odium imbibisse; ad Græcos reversum, a *Meletio Pega*, cujus laudes & scripta obiter recensentur, in ordine sacerdotali constitutum, & postea Archimandritam factum; in synodo anni 1596 Bestæ habita, ab eorum partibus stetit, qui unioni cum Romanis renunciandum censuerunt. Anno 1600 prædictus Meletius Alexandrinus Patriarcha, a Sigismundo Poloniæ Rege rogatus, ut Romanum Pontificem supremum ecclesiæ caput agnosceret, responsorias literas Cyrilli, quem sedis suæ Exarchum constituerat, curæ ac fidei commisit. Verum cum Cyrillus omnibus exteris, cum Romana ecclesia non unitis, gravissimum in Polonia periculum impendere exemplo *Nicephori* Cplitanæ sedis Exarchi didicisset, ne easdem pœnas capite lueret, literas Meletii suppressit, & mense Januar. anno 1601 apud Archiepiscopum Leopoliensem confessionem Romanis principiis conformem edidit; nisi forte *Scarga* Jesuita, ex cujus unius fide hæc referuntur, constandæ infamiæ causa, hanc Cyrillo inconstantiam affinxit, quod Autor noster in dubio relinquit, minime dubius, dignum fuisse Cyrillum, qui non modo post Meletii obitum Alexandrinæ ecclesiæ, cujus clavum per 19 annos tenuit, præset, verum etiam Timotheo satis functo, quod anno 1621 contigit, in ipsum Cplitanæ sedis thronum eveheretur. Quæ autem Allatius de Timotheo, & Cyrillo ejusque fautoribus, ope Apollonii Chrii medici mille aureis conducti, & Iosaphati Andrii Archimandritæ, in mensa Oratoris Batavi feralibus veneficiis sublato retulit, ea cum omni veri specie careant, putidissimis calumniis annumeranda censet. Hinc quibus insidiis Cyrillus ab adversariis, ac imprimis a Jesuitis Gallici Oratoris præsidio suffultis, aliquo

quoties sede patriarchali dejectus fuerit, alternante fortuna toties restitutus, ex chartis *Thomæ Rowæi*, Equitis aurati & Britannici Regis ad Portam Ottomannicam Oratoris ordinarii, Autor noster memorat, cætera quæ post Rowæi in patriam reditum contigerunt, ex *Cornelii de Haga* Batavi Oratoris literis, aliorumque schedis & collectaneis pertextens. Longa est injuria, longæ ambages, nec singula referre nobis integrum. Summa tantum fastigia sequemur. Primum de *Gregorio Anaseno*, quod is supremam P. R. potestatem agnosceret, in Cyrilli submovendi locum promovendo consilia agitata sunt, quæ cum in fumum abiissent, coram Vizirio muneribus corrupto, Cyrillus læsæ majestatis postulatus, & succumbente coram iniquissimo judice innocentia, Rhodum deportatus est. Dignitatem venalem, quam Gregorius pecunia destitutus, ultra decem septimanas tueri non poterat, a Turcicis exactoribus redimit *Anthimus* episcopus Hadrianopolitanus, sed mox conscientiæ stimulis agitatus, Cyrillo jam Cplin reverso locum, ultro cedit, reliquum vitæ tempus in monasterio S. Athanasii transacturus. Cyrillo igitur jam restituto, ne pax illa diuturna foret, anno 1623 Roma monachus quidam Constantinopolin appellit, cui anno 1624 tres emissarii succedunt, cum Cyrillo varia acturi, quibus postquam res e voto non successisset, Antipatriarcha licet solo suffraganei apostolici titulo ornatus, adjuncto Quæstore ad Cyrillum sede sua deturbandum mittitur; verum is, antequam Cplin venisset, præcipiti fuga Turcicos satellites vix evasit, episcopis, quos titulo tenus creaverat, in carcerem conjecit. Neque tamen a novis turbarum occasionibus aucupandis, Cyrilli adversarii deterriti fuerunt. Cum enim anno 1627 Calogerus quidam seu monachus, *Nicodemus Metaxa*, prela, typos & reliquum artis typographicæ apparatus Cplin advehi curasset, cui Cyrillus libellum suum de fide & doctrina ecclesiæ imprimendum dedit, Iesuitæ a nova hac typographia religioni suæ apud Græcos non exiguum detrimentum metuentes, ut eam funditus everterent, omnem lapidem moverunt, eoque consilio alium quendam Cyrilli librum, apud Anglos pridem editum, in quo Divinitatem Christi contra Judæos & Mahumedanos asseruerat, Vizirio obtulerunt, & Alcorani religionem, & Græcorum obsequium, a typographicis istis machinis periclitari, persuasum ipsi cupientes. Quibus calumniis non difficulter effectum, ut nobilissima illa typographica supellex a Ianizariis direpta,

jactu-

jacturam irreparabilem subiret, quamvis Iesuitæ & Græculus ille, cujus ministerio apud Vizirium usi fuerant, impune id minime tulerint, post detectam Cyrilli innocentiam in carcerem conjecti, & laqueo destinati, quem vix effugissent, nisi Anglici Oratoris intercessio impetrasset, ut mitigata damnationis sententia, turbatores illi publicæ pacis Imperio Turcico expellerentur. Etsi vero typographicam officinam in suburbio Constantinopolitano, cui Galatæ nomen, Metaxæ ministerio non sine maximis difficultatibus paratam Iesuitæ perdidissent, Cyrilli tamen confessionem abolere minime potuerunt, quæ cum anno 1629 Latine tantum prodidisset, & multis parum verisimile videretur Græcum Latine scribere, postea ab Autore Græce conversa a. 1633 Genevæ lucem publicam aspexit. Hanc fidei confessionem, cui *Matthæus Caryophilus* censuram perfidiæ Calvinianæ sub Cyrilli nomine latentis opposuit, vere a Cyrillo scriptam, & ad extremum usque halitum defensam Autor noster asserit. Negat, quod *Grotio* visum, pretio inductum Cyrillum hanc confessionem edidisse; exprobrat *Arnaldo*, quod Allatii vestigia legens, Cyrillum nihil tale meritum amarulentis convitiis proscindat, ipsique detestandæ dissimulationis crimen impingat; refellit *Bethleemirica synodi* assessores, seu potius libelli, qui illorum decretis præfigitur, autorem, qui tradit, Cyrillū neque in ulla synodo, neque in ecclesia, nec in privatis cujusquam orthodoxi ædibus ea docuisse, quæ sub ejus nomine circumferantur, imo spissum volumen Cyrilli propria manu scriptum superesse, quo contraria continentur. Quæ a vero abesse ex eo convincit, quod Cyrillum confessionis suæ adeo non puduerit, ut potius ejus causa tot odia & inimicitias cordatissime pertulerit. Fatetur aliquam veri speciem habere, quod a pluribus objectum fuerit, neque episcopos, neque reliquum clerum, capitula illa aut novisse, aut manu subscripta approbasse; verum his *Cornelii de Haga* auctoritatem opponit, asserentis inter Metropolitanas & Episcopos, qui Constantinopoli frequentes affuerint, vix ullum isto tempore reperiri potuisse, quin pro Cyrillo ejusque fidei confessione fortunas, vitam, & si quid vita carius, prodigere paratus fuerit. Confessione Cyrilli vindicata, ad reliquum vitæ curriculum progressus, quid duo Græci antistites transfugæ, & postea anno 1633 *Cyrillus Contarinus Berrboensis* episcopus contra Cyrillum moliti fuerint, exponit. Ab his pergit ad *Arbanasium Patellarium* Thessalonicensem Archiepiscopum,

pum, qui anno 1634 quinquaginta mille thaleris patriarchalem dignitatem, qua vix per mensem frui licuit, a Turcis mercatus effecit, ut Cyrillus Tenedum relegaretur; unde mense Junio reversus, amicis adjuvantibus & argento pondus addente, pristinam dignitatem recuperavit, qua ipsum a. 1636 *Cyrillus Berrhaensis* altera jam vice ad hoc fastigium aspirans, iterum depulit, post sesquiannum a Cyrillo Lucario tertia jam vice restituito paria perpeffus. Tandem qua ratione Cyrillus anno 1638 adversariorum calumniis oppressus, jussu Turcici Imperatoris captus, in lembum trusus, & post colaphos aliasque contumelias, gutture chorda eliso suffocatus, exanime vero corpus in mare projectum, a piscatoribus inventum, ab amicis tumulatum, ab hostibus exhumatum, & iterum in mare projectum, postea iterum ex aquis receptum, in quapiam insula clam omni turba sepultum, & postremo *Parthenio* Patriarcha procurante Constantinopolin allatum, post solennes in patriarchali templo exequias, decenti pompa in templum apud Ortakui deductum & terræ mandatum fuerit, non tam ex Nathanaelis Conopii Protosyncelli relatione, quam ex ore *D. Pocokii*, qui istoc tempore Constantinopoli versatus est, breviter exponit, & se Cyrillum, quicquid Arnaldo videatur, pro sancto & martyre habiturum profitetur.

Sequitur quartum Miscellaneorum caput, quod *hymnum Græcorum matutinum*, ex codice antiquissimo Alexandrino descriptum, & cum aliis editis & manuscriptis exemplaribus collatum comprehendit, cujus initium est: *δοξα ἐν ὑψίστοις Θεῶ καὶ Πτὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, αἰῶν ἄμην σε, εὐλογεῖμεν σε &c.* Hunc hymnum, qui in nostris quoque ecclesiis latine decantari solet, a quotidiano apud Græcos usu matutinum, a natalitio angelorum hymno, qui statim in frontispicio occurrit, angelicum, communissime autem *μεγάλην δόξολογίαν* a Græcis appellari, & hoc nomine a minori doxologia, cujus post singulas fere Psalmorum sectiones & alias in sacro officio frequens usus est, distingui Autor animadvertit, ejusque venerandam antiquitatem maximopere commendat, non dubitans, Christianos, cum juxta *Plinium* stato die ante lucem carmen Christo quasi Deo dicere consueverint, hunc hymnum Davidicis annectere solitos, merito in eorum numerum referendum, quos *Ensebius* *αὐτὸν δεχῆς*, seu a primis Christianismi initiis, a Christianis Christi divinitatem

tatem celebrantibus decantatos memorat. Adducit quoque auctoritatem *Athanasii*; qui hunc ipsum hymnum virginibus commendat, & suspicatur, hunc ipsum hymnum esse ὡδήν illam πολυώνυμον, quam *Lucianus* in *Philopatride* suggillat. Hymno huic matutino ejusque latinæ interpretationi, ex *S. Notkeri* antiphonario depromptæ, subjungit non modo versiculos quosdam e variis psalmis collectos, quos una cum hymno matutino a Græcis recitatos ex prædicto Alexandrino codice colligit, verum etiam hymnum vespertinum, quem *Basilius* in libro de Spiritu S. ad Amphiloichium Ἀρχιεπίσκοπον Ἀθηνῶν appellat. Falli autem observat eos, qui hymnum illum ad *Athenogenem* autorem referunt, cum *Basilius M.* hymnum *Athenogenis* a vespertino hoc hymno clare distinguat; nec minus falli Græcos, qui hymnum hunc *Sophronio* Hierosolymitano adscribunt, cum longe antiquior *Sophronio* videatur. Notat quoque *Usserium*, qui Ἰππύχωνος Ἀρχιεπίσκοπον cum Ἰππύχωνος Ψαλμῶν confuderit.

Postremo loco comparet in his *Miscellaneis Henoticum*, sive de causis remediisque dissidiorum, quæ orbem Christianorum, hodie affligunt, exercitatio Theologica, in qua post gravissimas de Christianorum inter se dissidiis querimonias, primam & præcipuam eorum originem esse statuit, quod a primæva fidei simplicitate immane quantum recedatur; alteram quod dogmata, quæ salvo fidei fundamento ignorari possunt, longe pluris, quam par est, æstimentur; tertiam quod Romanus Pontifex supremum & in reliquos episcopos, & in univèrsam ecclesiam imperium sibi vendicet, & effrenem in omne jus divinum humanæque grassandi licentiam sibi sumat; & quartam denique, quod pietatis studium refrixerit. Quibus morbis quæ remedia opponat, non difficili conjectura cuilibet assequi licebit. Quamobrem iis enarrandis immorari superfluum arbitramur.

JOH. LUDOVICI PRASCHII ASSERTIO  
*Reipublica Achaica, ejusdemque cum Germanica comparatio,*

Ratisponæ, typis Joh. Georg. Hofmann, 1686, in 4.



**E**ddiderat Vir Clarissimus *J. Georg. Kulpis* tractatum *de unitate Reipublica in S. Romano Imperio*, & in capite illius III, in quo argumenta auctororum unitatem Reip. Germanicæ impugnantium recensentur & refelluntur, præter *Jacobum Gothofredum* & *Herman. Conringium*, etiam Virum clarissimum *Job. Ludovicum Praschium*, quanquam non sine præconio, notaverat, quod in libello *de ICTo. vero & personato*, Germaniam nostram Achajam, sed vetere illustriorem appellasset, & in cæteris quoque de Statuum provinciis tanquam singulis civitatibus differuisset. Praschius itaque, cum præter meritum sententiæ tam pestilentis, ut vocat, videret se argui, mox ad Virum inclytum *Job. Philippum Schefferum*, qui legendum sibi tractatum illum Kulpisii subjecerat, epistolam perscripsit, eamque *Apologeticam de unitate Reip. in S. Rom. Imperio*, quæ quæ superiore Reginoburgi d. 30. Julii data, ibique edita est; & quia Kulpisius persuasum habuerat, Achajam non fuisse Rempubicam unam, sed complures fœdere junctas, eandemque & Praschii esse sententiam, Praschius longe aliud quid ex Justino docet, ut qui perspicue dicat lib. 34. c. 1. *Achai, licet per civitates veluti per membra divisæ sint, unum tamen corpus, & unum imperium habent, singularumque urbium pericula mutuis viribus propulsant* &c. Firmat etiam hanc sententiam Polybii ac Livii testimoniis; cumque adeo crediderit Praschius, credatque etiamnum, unam Rempubicam fuisse Achajam, adscribi illis se miratur, qui Rempubicam Germanorum distrahunt; contendit etiam in eodem libello non semel significasse se, Germaniam uno jure vinculoque legum contineri, quod nihil aliud sit, quam unam dicere rempublicam; jus publicum etiam se definivisse, complexû legum civilium de statu Reipublicæ, & mox Germanicæ accommodasse. Non inficiatur equidem Praschius, se alicubi singulos ordines vocasse civitates, respublicas, aut si quid simile, sed laxius & κατ' ἀναλογίαν sic dixisse, cum minime ignoret, singulos subesse Imperatori & Imperio; nec ullum præterea esse simile, quin aliquid etiam habeat dissimilitudinis; animum præterea sibi non fuisse, plenum ibi accuratumque judicium de Imperio nostro, per quod Rempubicam κατ' ἐξοχήν intelligi vult, expromere. Testatur etiam in eadem epistola publice, se a sententia illa, quæ Imperium Germanicum non statuit unam esse Rempubicam, toto pectore abhorrere, eamque neque veritati, neque utilitati publicæ consentaneam credere; ad stipulari potius Instrumen-

to pacis Cæs. Suec. in quo artic. VIII. §. *Habeantur*, Imperium nostrum Respublica diserte dicatur.

Hac epistola accepta *Cl. Kulpifius*, Argentorato tum in aulam Stutgardensem evocatus, literas responforias ad eundem Virum amplissimum *Job. Philippum Schefferum* Ictum direxit, easque Stutgardia d. 17. Septembr. anno 1686 exaratas. In hisce minime id in epistola jam recensita concoquere se posse profitetur, quod de injuria sibi a Kulpifio facta conqueratur Praschius; se enim potius de injuria sibi illata posse conqueri, cum animum injuriandi habuerit nunquam, nec nisi cum laude quadam Praschium semper allegarit. De cætero quamvis non abnuat, se eandem Praschio ac Gothofredo sententiam attribuisse (si quidem & Praschius Germaniam nostram in loco dicto aperte Achajam nominaverit) errorem tamen a Praschio imputari sibi non sustinet; quin minime errare se contendit, si corpus Achaicum, prout ante dissolutionem Romanis artibus procuratam sese proxime exhibuit, pro systemate civitatum non unius majestatis spiritu, sed vinculo foederis connexo compositoque habeat. Nec obstare locum Justiniani contra se allegatum (cum quodlibet resumplicarum corpus, *unum corpus* sit, & *unum Imperium* habere dici queat, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exerceatur, uti Belgium Foederatum) multo minus Polybii & Livii. Allegat etiam pro se Martinum Schookium de Republica Achæorum, Ubbonem Emmium de Rebuspublicis Græcorum, & Antonium Thyrium in Memorabilibus celebriorum veterum Rerumpublicarum, ut qui ex Polybio, Plutarcho, Pausania & Livio hoc ipsum operose docuerit, facta subinde ad Foederati Belgii statum applicatione. Discussio hoc errore sibi attributo, sub finem suam de tota hac re exponit sententiam Kulpifius, subinnuitque non obscure, statueret quidem nunc Praschium, unam esse in Imperio Romano Rempublicam, imo & regularem, vel saltem ex Monarchia & Aristocratia mixtam, post editas adversus Philosophiam Monzambanianam *litteras secretiores*; fieri tamen potuisse, ut tum, cum de *ſcto vero ac personato* fuisset commentatus, paulo liberalius, sed innoxio prorsus consilio, Achajam respexerit; sed posteaquam sententia hujus pericula applicationisque infecutos abusus advertisset, non deseruisse solum illam, sed & palam falsitatis arguere & damnare; quanquam his cogitationibus se Praschium haud urgere velle subjicit.

Quid ad literas hæc CL. *Praschius*? Is calamo iterum arrepto, anno eodem 1686 non *Affertionem* tantum *Reipublicæ Achæicæ*, sed & *ejusdem cum Germanica Comparationem* scripsit atque evulgavit. Afferit autem primum, Achajam eo tempore, quo pollebat, unam omnino, non ex pluribus Rebuspublicis constantem societatem, quæ *Kulpisii* sententia sit, fuisse Rempublicam. Quamvis enim singulis civitatibus tantum juris commodique remanserit, ut videri possent liberæ Respublicæ, imperium tamen non penes singulas stetit (quippe quæ se habuerint velut membra ad corpus) sed penes universos, seu penes concilium Achajæ commune, quod synedrium Pausanias appellavit; plane sicut Civitates Imperii nostri dicantur liberæ, & Principes nostri superioritatem sibi vendicent, licet Imperatori & Imperio subsint, & cum eo unam efficiant Rempublicam. Assertum hoc sum probat *Praschius* illustri loco *Polybii*, historici non tantum oculatissimi, sed & Achæi principis, ex quo clare pateat, non solum *συμμαχικὴν καὶ Φιλικὴν κοινωνίαν πραγμάτων* fuisse inter Achæos, sed & communionem legum, magistratuum & omnium omnino reliquorum, atque adeo unam fuisse civitatem ac rempublicam, cui nihil ad unitatem defuerit, quam moenia, & externa facies. Deinde, ut clariora reddat omnia, imperium summum in partes secat, & de juribus Majestatis, ut vocantur, separatim cognoscit, & ex *Ubbone Emmio* (quem sequendum *Praschio* proposuerat *Kulpisius*) ostendit, jus legum civilium non penes singulas civitates, sed penes synedrium Achæicum, resedisse. Quamvis enim primo penes singulas civitates id fuerit, postea tamen quam in easdem leges mutuo conspirarint, jus *ἀισιονομίας* in universos transiisse, ut singulæ neque abdicare leges illas, neque condere alias potuerint. Nec aliter se habuisse jus magistratuum, siquidem receptum semel imperandi modum abjicere postmodo aut polluere non liquerit. Declarat id non ex *Emmio* tantum jam dicto, sed & ex *Pausania*, *Polybio*, *Livio*, ac *Strabone*; ubi illud quoque vel maxime urget, quod singulis civitatibus etiam jus legationis fuisset imminutum. Summam quippe potestatem penes Concilium fuisse, quin plane ita habuisse in Achajæ, prout dixerit *Thysius* a *Kulpisio* contra *Praschium* allegatus. Ita autem ille: *Summa, inquit, potestas penes concilium erat, ex cujus decreto bella suscipiebantur, fœdera percutiebantur, omnes graviores causa dicebantur.* Ut ut enim regesserit *Kulpisius*, quodlibet Re-

rum

rum publicarum corpus *unum corpus* esse, & *unum imperium habere* dici posse, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exerceatur, dubitat tamen Praescius, an ullus scriptor Respublicas socias *unum corpus* vocet, atque *unum imperium habentes*. Nec illud officere ait, quod ex lege conventionis socii ad communionem imperii asciti fuerint. Tametsi enim singulae civitates in communi concilio exercent imperium, exerceretamen ex parte tantum, sed ex parte reliquorum sociorum voluntati se subicere, ac unius corporis civilis membra fieri. Ambabus itaque manibus accipit, quod confitetur Kulpisius, imperium exerceri in communi concilio; sic enim non tam pactum sociale, quam civile id dicendum esse, in quo transigatur de Imperio. Exempla Foederati Belgii, & Helveticorum Pagorum, quae adduxerat Kulpisius, probare dicit dubium per dubium, ac veluti τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; nec nihil responsi etiam reliquis Kulpisii objectionibus reponit. Sed ea praetervecti mox alteram hujus tractatuli partem, h. e. *Comparisonem Reipubl. Achaica cum Germanica* recensendam, sumimus.

In hac illud fundamenti loco praestruit *CL. Praescius*, initio Achaëis non minus, ac Imperio nostro, unam citra dubium fuisse Rempublicam; ac primum quidem eos imperio regio usos a Tifameno usque a Ogygum, sed quia filii hujus insolentius se gessissent, in popularem statum rempublicam abiisse. Invalescente Macedonum potentia, discordiam ab illis inter Achaëos fuisse seminatam, sed quia multo propius se quam unquam junxerint, formidabiles fuisse factos. Concordiam hanc assecutos illos esse 1. pietate in Jovem Homorium, 2. prudentia cum humanitate, benevolentia, justitia, fide studioque concordiae conjuncta, 3. incorrupta Principum Ducumque bonitate. Jam omnia haec accommodat ad Imperium Germanicum Praescius, dumque id agit, non inconvenienter insimul docet, qui & dissidia, quae Macedones hujus temporis serunt, praevenda, & arctior concordia sit stabilienda. Pietatem etiam & εὐβελίαν commendat maxime, sed lites ob *αὐβελίαν* enascentes graviter improbat. Deinde, ut comparisonem semel coeptam continuet, dicit Achaëos, licet per civitates veluti per membra divisi fuerint, suaeque possederint territoria, unum tamen corpus habuisse, & commune concilium, cujus praecipua pars fuerit praetor, a quo convocati fuerint, proximi synarchontes, principes inde reliqui. Nec aliam hodieque rei Ger-

Quid ad literas hæc CL. *Praschius*? Is calamo iterum arrepto, anno eodem 1686 non *Affertionem* tantum *Reipublicæ Achæicæ*, sed & *ejusdem cum Germanica Comparationem* scripsit atque evulgavit. Afferit autem primum, Achajam eo tempore, quo pollebat, unam omnino, non ex pluribus Rebuspublicis constantem societatem, quæ *Kulpisii* sententia sit, fuisse Rempublicam. Quamvis enim singulis civitatibus tantum juris commodique remanserit, ut videri possent liberæ Respublicæ, imperium tamen non penes singulas stetit (quippe quæ se habuerint velut membra ad corpus) sed penes universos, seu penes concilium Achajæ commune, quod synedrium Pausanias appellavit; plane sicut Civitates Imperii nostri dicantur liberæ, & Principes nostri superioritatem sibi vendicent, licet Imperatori & Imperio subsint, & cum eo unam efficiant Rempublicam. Assertum hoc sum probat *Praschius* illustri loco *Polybii*, historici non tantum oculatissimi, sed & Achæi principis, ex quo clare pateat, non solum *συμμαχικὴν καὶ φιλικὴν κοινωνίαν πραγμάτων* fuisse inter Achæos, sed & communionem legum, magistratuum & omnium omnino reliquorum, atque adeo unam fuisse civitatem ac rempublicam, cui nihil ad unitatem defuerit, quam mœnia, & externa facies. Deinde, ut clariora reddat omnia, imperium summum in partes secat, & de juribus Majestatis, ut vocantur, separatim cognoscit, & ex *Ubbone Emmio* (quem sequendum *Praschio* proposuerat *Kulpisius*) ostendit, jus legum civilium non penes singulas civitates, sed penes synedrium Achæicum, resedisse. Quamvis enim primo penes singulas civitates id fuerit, postea tamen quam in easdem leges mutuo conspirarint, jus *ἀίσιονομίαις* in universos transiisse, ut singulæ neque abdicare leges illas, neque condere alias potuerint. Nec aliter se habuisse jus magistratuum, siquidem receptum semel imperandi modum abjicere postmodo aut polluere non licuerit. Declarat id non ex *Emmio* tantum jam dicto, sed & ex *Pausania*, *Polybio*, *Livio*, ac *Strabone*; ubi illud quoque vel maxime urget, quod singulis civitatibus etiam jus legationis fuisset imminutum. Summam quippe potestatem penes Concilium fuisse, quin plane ita habuisse in Achaja, prout dixerit *Thysius* a *Kulpisio* contra *Praschium* allegatus. Ita autem ille: *Summa, inquit, potestas penes concilium erat, ex cujus decreto bella suscipiebantur, fœdera percutiebantur, omnes graviores cause dicebantur.* Ut ut enim regresserit *Kulpisius*, quodlibet Re-

rum.

rum publicarum corpus *unum corpus* esse, & *unum imperium habere* dici posse, quatenus ex lege conventionis in communi concilio exerceatur, dubitat tamen Praschius, an ullus scriptor Respublicas socias *unum corpus* vocet, atque *unum imperium habentes*. Nec illud officere ait, quod ex lege conventionis focii ad communionem imperii asciti fuerint. Tametsi enim singulæ civitates in communi concilio exercent imperium, exercere tamen ex parte tantum, sed ex parte reliquorum sociorum voluntati se subicere, ac unius corporis civilis membra fieri. Ambabus itaque manibus accipit, quod confitetur Kulpisius, imperium exerceri in communi concilio; sic enim non tam pactum sociale, quam civile id dicendum esse, in quo transigatur de Imperio. Exempla Fœderati Belgii, & Helveticorum Pagorum, quæ adduxerat Kulpisius, probare dicit dubium per dubium, ac veluti τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; nec nihil responsi etiam reliquis Kulpisii objectionibus reponit. Sed ea prætervecti mox alteram hujus tractatuli partem, h. e. *Comparisonem Reipubl. Achaica cum Germanica* recensendam, sumimus.

In hac illud fundamenti loco præstruit *CL. Praschius*, initio Achæis non minus, ac Imperio nostro, unam citra dubium fuisse Rempublicam; ac primum quidem eos imperio regio usos a Tifameno usque a Ogygum, sed quia filii hujus insolentius se gessissent, in popularem statum rempublicam abiisse. Invalescente Macedonum potentia, discordiam ab illis inter Achæos fuisse seminatam, sed quia multo propius se quam unquam junxerint, formidabiles fuisse factos. Concordiam hanc affecutos illos esse 1. pietate in Jovem Homorium, 2. prudentia cum humanitate, benevolentia, justitia, fide studioque concordia conjuncta, 3. incorrupta Principum Ducumque bonitate. Jam omnia hæc accommodat ad Imperium Germanicum Praschius, dumque id agit, non inconvenienter insimul docet, qui & dissidia, quæ Macedones hujus temporis serunt, præcavenda, & ætior concordia sit stabienda. Pietatem etiam & εὐβουλίαν commendat maxime, sed lites ob *αἰσθησίας* enascentes graviter improbat. Deinde, ut comparisonem semel cœptam continuat, dicit Achæos, licet per civitates veluti per membra divisi fuerint, suaque possederint territoria, unum tamen corpus habuisse, & commune concilium, cujus præcipua pars fuerit prætor, a quo convocati fuerint, proximi synarchontes, principes inde reliqui. Nec aliam hodieque rei Ger-

manicæ esse faciem. Nam & singulis Imperii ordinibus suas esse arces, urbes, pagos, limites, æraria, administratos; magni tamen imperii partes esse, eique tum religione sacramenti, tum propria utilitate obstringente subjici. Esse huic quoque commune concilium, idque illustrius Achaico, cujus caput sit Cæsar. Achæorum concilia non fuisse olim perpetua; sed quotannis bis eos coivisse, vel potius quoties necessitas postularit. Nobis Comitia olim rara fuisse, quæ annua esse & crebra, secundum Recessus duos Imperii, qui allegantur, deberent; quod quidem diuturnitate temporis nunc compensetur; quanquam & legem extare optat Praschius, quæ negotia cujuscunque temporis brevioribus includeret spatiis, quo temporis, sumtum, laborisque fieri posset compendium. Porro, in singulis civitatibus Achæorum Democraticam apparuisse speciem affirmat. Sed hoc Imperio nostro neque per leges, neque per alias rationes convenire; non male tamen facturos Principes ac Senatores, si auctoritatem clementia attemperando tale quid legis sibi dixerint. Denique, Achæis omnibus leges fuisse easdem, eosdemque magistratus; nobis, quia nec eadem ubique imperii sit facies, easdem plane esse haud posse, nec eosdem legum custodes; jus interim Romanum, quod propterea & commune dicatur, passim vigere quadantenus, summisq; in tribunalibus sententiâ dicere. Quod leges Achæorû attinet, recipi a nobis illâ non obscure optat Praschius, (nisi rationes aliæ obstarent) quæ singulas civitates legatos mittere absque concilii consensu vetuit; ut & illam, qua id, quod Achæi rite decreverant, saxo aut columnæ incidebant, & jurejurando interdum obfirmabant; nec non istam, quia vetitum erat, ne quis, sive privatæ conditionis sive magistratum gerens, ullam ob causam dona a rege aliquo caperet; ut & illam Achæorum florentium consuetudinem, qua ad delicta non connivebant, sed pœnas severe exigebant, & bene merita honoribus afficiebant. De legibus Achæorum dum differit, rem monetariam quoque illorum tangit, ejusque communem penes illos rationem fuisse ait. Id ipsum Imperio ob ingentem juris monetæ abusum optabile esse innuit; nec difficilem fore, si animi concordessent, ponderum ac mensurarum similitudinem. Evolvit tandem causas, cur Respublica Achæorum sit collapsa, dicitque excidium enatum esse tum ex perfidia Achæorum quorundam, Callicratis in primis, aliorumque honores ac opes aucupantium, tum ex disidiis  
inter

inter Achæos a legatis Romanorum sparsis. Nec dissimile quid hactenus Germaniam fuisse passam subjicit; nam & externos navasse operam, ut corpus Germanorum dissolverent. Sed notasse se sibi, consilia ista erupisse tandem in nervum, atque in contrarium vertisse; & sperare se, fore ut ob gliscentem hostium violentiam, in arctiorem concordiam ad Imperium vel ulciscendum vel tutandum coeatur; quanquam perfecta & stabilis sperari vix possit, ob animorum varietatem, & vel ob vaticinium, quod lutum misceri ferro negat, ante casum ingentis illius lapidis, qui utrumque & omnia comminuet.

## HISTORIÆ PLANTARUM TOMUS I.

*Auctore Johanne Rajo.*

Londini, apud H. Faithorne 1686, in fol.

**Q**uandoquidem studium Botanicæ amplissimum circa infinitas versatur species, integrum omnino requirit hominem, ac talem, qui cunctis posthabitis universam vitam impendat meditationibus profundis, lectionibus & conciliationibus dissentientium Auctorum, sed maxime peregrinationibus ac visitationibus diversorum hortorum, pratorum, montium; sylvarumque, & si quæ alia sunt loca vegetabilibus exornata. Majorem proinde laudem Rajus, nec minorem admirationem Historia Plantarum præfens meretur; siquidem ille non ex professo Medicus, sed gravioribus negotiis destinatus, horis solum succisivis rem aggressus est: in opere tamen hoc egregio nihil est quod desiderari queat, nisi forte, quod typographi minus promte festinanti Auctoris calamo respondere queant, in addendo Tomo altero. Quem vero non mirari subeat, virum pene sexagenarium Historiam hanc plantarum propria exarasse manu? Et quanquam non unus sit, cujus vel scripta vel observationes communicatas hinc inde adhibeat, nemo attamen est, quem socium laboris voluerit Auctor, quippe cujus patientia, judicio innixa firmo, nec curiositate in inquirendo, nec ingenuitate in referendo destituitur. Qua vero methodo utatur, ipse jam antehac exposuit peculiari scripto, relato a nobis in Actis Erudit. mensis Maji a. 1683. p. 184. Quemadmodum  
 O autem



autem sunt temporis saltem hujus novæ methodi fundamentum & compendium, ita nunc historiam universam ei accommodatam tradere non dubitavit, mutatis interdum nonnullis, ampliatis omnibus. Præmittit igitur in libro primo ea, quæ de Plantis in genere moneri poterant, circa partes earundem, nutritionem, propagationem, staturam, ætatem, vires &c. Inter alia curiosior est cap. 5 in via succi nutritii plantarum investiganda, varioque instituto tentamine clare monstrat, succum non tantum per corticem, sed omnem plantæ substantiam ascendere & descendere, vasaque illa succifera inter se communicare, ita ut læsa quadam trunci parte, nutrimentum ex integro latere affundatur. Jucunda sunt similiter, quæ cap. 12 & seqq. differit de plantarum quarundam fecunditate, de seminum variante magnitudine, ac duratione, de plantula seminali &c. Nec displicent observationes circa plantarum transmutationem; præterquam enim quod triticum in lolium, rapum in raphanum, ocymum in serpillum &c. mutari vulgo credatur, sæpius accidisse asserit, ut e brassicæ floridæ semine enata fuerit capitata, ex apii dulcis, quod Itali vocant Ceseri, semine paludarium vulgare ingratum, item e fœniculo dulci post iteratam per aliquot annos sationem fœniculum omnino commune. Confer lib. 1. cap. 21. & lib. 9. cap. 6. & 15. Nimirum in universum, ubi specialius de herbis singulatim spectatis agit, præter ea quæ proprie ad cognitionem botanicam requiruntur, non infrequenter superaddit curiosa physica, vel medica, vel etiam mechanica. Semen sinapeos tritum cum vino multas centurias scorbuticorum in obsidione Rupellensi restituisse, vide lib. 16. cap. 15. Alias cochlearia hunc in finem usitatissima est, communiter cum vino aut lacte exhibita; satius tamen arbitratur Auctor per experientiam edoctus, si recens cerevisiæ infundatur pro potu ordinario. Gutta Cambodia, lachryma esulæ cujusdam Indicæ vomitoria est; hanc vero præparare docet affuso aceto acerrimo, digerendo per octiduum in radiis solaribus iterumque post colaturam inspissando, cujus grana 12 ad scrupulum unum sine molestia sufficienter & copiose purgant. Glasti præparationem ad artis tinctoriæ usum qui desiderat, juxta legitimam Anglorum methodum, adeat lib. 16. cap. 19. Porro ocymi noxa unde sit, quæ ratio Plantarum sensitivarum, & similia.

plu-

plura recensere, cum nimis prolixum foret, institutum nostrum nec postulare, nedum admittere videtur.

RELATION DE L'AMBASSADE DE MONS.  
le Chevalier de Chaumont à la Cour du  
Roy de Siam, i. e.

Historia Legationis ab Equite de Chaumont in Au-  
la Regis Siamensis administratæ.

Amstelod. apud P. Mortier, 1686, in 12.

**P**ROdiit anno 1684 Gallico idiomate Parisiis, auctore *Domino de l'Isle*, Historica de regno Siamensi Relatio, ex variis cum antiquis, tum recentioribus scriptoribus, quorum catalogus operi ipsi præfixus est, collecta ac composita. Constitueramus etiam, Excerpta ex eadem nonnulla, tametsi liber novitatis gratiam jam exuisset, in Acta nostra transferre; quod persuasum haberemus, desiderari a multis accuratam illius gentis notitiam, qua cum arctiori fœdere jungi, gloriosum sibi & proficuum ducere Rex Galliarum Potentissimus proximis annis fuit visus. Quotusquisque enim est, qui ignoret, missum anno 1685 a Rege Gallo in aulam Siamensem oratorem fuisse Equitem de Chaumont: & vicissim a Siamensi Rege tres in Galliam legatos superiore anno venisse, exceptos magnifice, & per magnam Galliarum partem summo cum honore deductos, nuperque in patriam cum amplissimis ad Siam Regem donis dimissos. In eo vero dum essemus, incidit in manus nostras libellus alius, ab ipso Galliarum Regis ad Siamensem legato Chaumontio conscriptus, ex quo eo lubentius nonnulla jam commemorabimus, quod *Islii* quidem Historia nonnisi ex Auctoribus aliis, qui dudum innotuerunt, doctisque lecti sunt, compilata sit; in hoc vero Chaumontii Itinerario ea recenseantur, quæ vel ipse Auctor oculis suis usurpavit, aut ab hominibus fide dignis accepisse se profite-  
tur.

Solvit Eques Chaumontius Brestia die 30 Martii anno 1685: ad Promontorium Bonæ Spei d. 31 Maji appulit: exeunte demum Septembri Regnum Siamese, & urbem ejus principem Juthiam ingressus. In quo itinere enarrando, inter alia Promontorii dicti fertilitatem deprædicat, narratumque sibi ait, tanto ibi cum fœnore sementem a terra agricolis reddi, ut aliquando centum & sexaginta spicas ex uno calamo prodeuntes viderit: cervorum, ubi de animalibus agit, eam ibidem copiam deprehendi refert, ut in planis camporum viginti eorum millia (nisi forte sphalma hic typographicum irrepsit) quandoque simul conspiciantur: hortum commendat, Societatis Indiæ Orientalis Belgicæ sumptibus adornatum, & in quatuor areas sic divisum, ut una Africanas, Asiaticas altera, tertia Americanas, & quarta Europæas arbores plantasque complectatur. Notat etiam obiter eorum, qui tabulas Geographicas ediderunt, errorem, quod insulam *Moni* prope nimis *Java* admovent, unde tamen centum & quinquaginta milliarium spatium dirempta sit; sita nempe sub decimo gradu & novendecim minutis latitudinis Australis, & circiter sub centesimo vigesimo gradu & 41 minutis longitudinis.

Memorat inde, quanto honore, cum Regni Siamesis fines contigisset, exceptus a ministris regis fuerit, & adverso fluvio Menan, ad urbem regni primariam Juthiam comitatus: quanto cultu & reverentia habitæ fuerint Galliarum Regis ad Siamesem litteræ, quas qui ad excipiendum missi erant, primariæ nobilitatis & dignitatis viri, (Manderinos vocant) ausi non fuerint contingere, nisi postquam ter toto corpore in terram prostrati, oculis dejectis manibusque supra frontem junctis eas velut adorassent: quibus ceremoniis ad solenne cum Rege colloquium, quo durante octoginta Manderini in terram prostrati immotique jacuerint, admissus fuerit; inserta etiam orationis ad Regem habitæ formula, digna utique Christianissimi Regis legato, quippe composita ad religionis Christianæ cultum Regi idololatræ persuadendum. Ubi obiter refert, dum palatium Regis perlustraret, visum sibi quoque fuisse elephantem album, cui cibus potusque in vasis aureis administratur, quemque ex autoribus aliis laudatus supra Dn. de *l'Isle* tanto in pretio apud illas orientis gentes haberi tradit, ut inter titulos Regios nullus majoris æstimetur, quam si Rex tali gaudens bestia, *Dominus Elephan-*

*phantis albi* insigniatur, vel eo nomine omnibus aliis Regibus superiorum se reputans: quemadmodum & olim non tam de regionum ac provinciarum, quam de Elephantis albi possessione inter Peguanos & Siamenses Reges cruentis bellis fuerit certatum. Progreditur inde Chaumontius in enarrandis iis, quæ toto legationis tempore in Regno Siamensi sibi obtigere, & peculiari postea digressionem, de forma regiminis apud Siamenses, de populi moribus, religione, commerciis, aliisque differit, ex qua pauca quædam excerpere, tametsi & ipsa proluxa non est, non gravabimur, seu observata primum a Chaumontio, seu ab aliis tradita jam ante, sed nunc confirmata.

Regnum Siamense trecenta quoad longitudinem, non computatis tributariis Regnis, milliaria complexum, versus septentrionem Regno Peguano terminatur: versus occidentem fluvio Gange: versus meridiem freto Malacano, ubi urbem Malacam Lusitanis belli jure ereptam Societas Indiæ Orientalis Batavica hodie possidet: versus orientem denique mari & montibus, quibus a regnis Laos & Cambages discernitur. Urbs regia Juthia sub decimo quarto gradu & dimidio latitudinis septentrionalis, ad amplissimum fluvium Menan sita est, qui quatuor quotannis mensibus littus omne inundat: magna quidem incolarum molestia, utpote qui ædes hanc ob causam palis superstruere opus habent, & semper parati esse coguntur a navigiis, quibus ultro citroque commeent; sed vicissim magno eorum cum fructu, dum fertilitatem terræ istæ inundationes valde promovent. Mirum utique est, quod Auctor perhibet, orizam, quam largissimo proventu regio illa fert, sub aquis crescere, imo & cum aqua, velut quadam æmulatione; ita ut si aqua intra horas viginti quatuor pedem crescat, in parem altitudinem eodem spatio & oriza assurgat, caule semper supra aquam eminente. Rex in subditos, cujuscunque dignitatis, absoluto dominatu gaudet, tantaque veneratione colitur, ut nemo nisi humi prostratus in conspectum ejus veniat, aut alloqui eum sustineat, nec integrum subditis sit vel intueri Regem, aut nomine eum sito appellare. Mancipia Regis subditi sunt, minimumque per quatuor menses, & propriis quidem sumptibus, nullo recepto stipendio, servitia illi præstare tenentur, & diutius etiam, si Rex jubeat: quæ causa est, cur foeminae negotientur ut plurimum, & rem domi gerant, maribus Regi famulantibus.

bus. Poena severissime ab iis, qui quid deliquerint, exigitur, siquæ plures ejusdem delicti, in quod capitis supplicium constitutum est, complices extiterint, præcipuo eorum caput amputatur, illudque collo correi per tres dies atque noctes affigitur, foetore inde orto tantum non enecandi. Exteris omnibus liber in Regnum aditus patet, nec ob religionis professionem cuiquam creatur molestia, neque facile urbs est, quam plures exteri frequentent, & in qua commercia magis vigeant, quam princeps illa Siamensis Regni Juthia. Sacerdotum, quos Talapones vocant, ingens in ea regione numerus est, ut tertiam prope partem incolarum ex Auctoris nostri sententia constituent. Nec mirum, cum & liceat iis statum sacerdotalem deserere, ducta uxore & abjecto flavo, quo uno a cæteris distinguuntur, vestium habitu; & summo tamen honore fruuntur, adeo ut Regi collocuturi se non, ut reliqui, prosternant, prioresque a magnatibus, imo Rege ipso salutentur. Omnis etiam religio Siamensium non alium habere scopum videtur, quam ut commodis sacerdotum inserviat, nec aliud a populo exigi prope solet, quam ut Talapones illos beneficiis cumulent. Nullum gens illa Numen adorat, & idola cultu nonnulla prosequitur, non quod divinitatem iis inesse credat, sed in memoriam virorum, quos representant, bene de republica quondam meritorem, quorum animam in Regem quendam, aut sacerdotem migrasse censent. Metempsychosin enim velut fundamentum religioni suæ substernunt, id unum expectantes probitatis & virtutis præmium, ut post obitum animæ suæ in corpus Regis cujusdam, hominis divitis, magnaque in dignitate constituti, aut saltem animalis cujusdam mitis, velut vaccæ, vervecis &c. transmigrare liceat: eam unam vitiorum metuentes poenam, ne anima post mortem in corpus hominis pravi, aut tigridis, porci &c. detrudatur. Infernum statuant tamen, in quo puniantur scelerati; paradysum, in quo præmia virtutum capiant. Probi; sed ad certum tantum temporis spatium, quo elapso in corpus iterum, seu hominis, seu bruti animalis sit migrandum. Summum beatitudinis gradum reputant, si cujus anima plane annihiletur, transmigrationis nimirum illo onere liberata. Tres Talapones memorant post multas ejusmodi transmigrations Deos factos, cumque Dii jam essent, id meruisse præterea, ut annihilarentur. Horum præ-

præcipuus Nacodon iis salutatur, quem 5000 corpora successive inhabitasse somniant, nec sine periculo: cum enim aliquando ex Talapone vacca factus esset, parum abfuisse, ut a fratre per imprudentiam occideretur. Et Nacodonum quidem fingunt in nihil tandem redactum, nullo adeo nunc Deo superstitè: fratrem vero ejus in infernum præcipitatum, ibique crucifixum fuisse. Quam causam Auctor noster arbitratur, cur cæca ac miserrima gens imaginem Jesu Christi crucifixi abominetur, persuasum nempe habens, adorari a Christianis magni sui quondam Dei Nacodoni fratrem ob crimina crucifixum. Quæ cum legimus, quidni ad gratitudinem æterno Numini, cujus immenso beneficio lumine sacrosancti Evangelii collustrati, & ad veram salutaremque religionem perducti sumus, sanctimonia vitæ, & intemerata in Christum Servatorem nostrum fide præstandam omnes accendamus? Sequuntur deinde apud Auctorem nostrum quædam de Siamensium nuptiis, commerciis, urbibus, navigiis, aliaque notatu non indigna, imprimis de ceremoniis, quibus a Siamensi Rege exterorum Principum, tam quos obnoxios sibi habet, quam qui majestate plena & absoluta in suis ditionibus fruuntur, legati excipi consueverint: quæ in libello non magnæ molis, legi ab harum rerum curiosis facili negotio possunt.

Finit opusculum Relatio itineris, quo in Galliam Chaumontius, adductis secum tribus supra memoratis Siamensis Regis ad Gallum legatis, superiore anno, mense Junio reversus est; nec non catalogus munerum a Siami Rege ejusque filia, quam unicam habet, & fidissimo ministro Constantio, ad Regem Galliarum, Delfinum, ejusque conjugem & liberos, ministrosque primarios missorum.

**DICTIONARIUM HISTORICUM, GEOGRAPHICUM,**

*Poeticum: a Carolo Stephano inchoatum, ad incudem vero revocatum & auctum per Nicolaum Lloydium.*

Londini apud B. Toocke &c. 1686, in fol.

**U**Ti magno dudum usui eruditis fuit Dictionarium illud *Caroli Stephani*, multoties typis exscriptum: ita majori in pretio haberi cepit, postquam suppletum illud locisque pene infinitis emaculatum, Oxonii a. 1671 edidit *Nicolaus Lloydius*, Collegii Wadhamentis in celeberrima Oxoniensi Academia, dum viveret, Socius. Tredecim illi editioni

tioni annis Lloydius superstes fuit, quo temporis intervallo perficiendo magis magisque huic operi sedulus incubuit: ex quo intelligi facile potest, novissimam hanc, quæ Londini anno superiori prodiit, Dictionarii illius editionem tanto accuratiorem & locupletiozem esse prioribus, quanto plura tanto tempore in hoc studiorum genere observari, notarique a diligentissimo auctore potuerunt. Accessit editioni huic Index Geographicus, recentiora regionum, urbium &c. nomina antiquis præfigens; quæ & id peculiare habet, quod Historico-Poetica & Geographica nomina, quæ promiscue in prioribus collocata fuerant, distincte nunc comparent, priore operis parte Lexicon Historico-Poeticum, altera Geographicum seorsim exhibente.

*Dum hac scribimus, Lector Benevole, non sine marore accipimus, clarissimum illud Astronomia lumen, Johannem Hevelium, nuper extinctum. Decessit enim Vir de scientia ista longe meritissimus Gedani die 28 Januarii s. n. septuagesimo sexto ætatis anno, eodem die, quo olim hanc lucem primum aspexit.*

## LIBRI NOVI.

**D**E' Fatti Veneti dell' Origine della Republica, sino' all' anno M. D. LXX. Volume I. e II. in Venetia, 1686, in fol.

Le Grand Dictionnaire de l' Academie Française. Première partie. A Paris 1686.

Jugement sur les methodes rigides & relachées d' expliquer la Providence & la Grace. Prour trouver un moyen de reconciliation entre les Protestans qui suivent la Confession d' Ausbourg, & les Reformez. A Rotterdam 1686, in 11.

Refutation de l' heresie de Calvia, par la seule doctrine de Mrs. de la R. P. R. a Paris 1686, in 11.

Commentariorum de Rebellione Anglicana ab anno 1640 ad a. 1685, pars I. Auctore R. M. Equ. Aur. Londini 1686, in 8.

Lettre à Monsieur l' Abbé P. D. & P. en Th. touchant l' Inspiration des Livres sacrées. Par R. S. P. D. B. a Roterdam 1686, in 4.

Jugemens des Sçavans sur les principaux Ouvrages des Auteurs. Tome IV contenant les Poetes. a Paris 1686.

Determinatio Fr. Joannis Parisiensis Prædicatoris de modo existendi corpus Christi in Sacramento Altaris, alio quam sit ille quem tenet Ecclesia. Nunc primum edita ex MS. Codice S. Victoris Paris. Cui præfixa est Præfatio Historica de Dogmate Transsubstantiationis. Londini 1686, in 8.

## Errata quædam.

Pag. 20. l. 16. pro *indicarunt*, lege *judicarunt*. Pag. 21. l. 27. dele vocem *etiam*. P. 25. l. 11. lege Joh. VI, 63 Pag. 55. l. 20. lege *Galatitem*. P. 56. in fine pro *Malpighius*, lege *Malpighius*.

# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Martii, Anno M DC LXXXVII.*

THE LIFE OF JAMES USHER, LATE LORD ARCH-  
Bishop of Armagh,  
live,

*VITA JACOBI USSERII, ARCHIEPISCOPI QUONDAM AR-  
machani ac totius Hiberniæ Primatis; cui subjungitur Sylloge CCC E-  
pistolarum, inter ipsum virosque plurimos pietate ac eruditione  
tum eminentes reciprocatarum; opera Rich,  
Parr, Th. D.*

Londini, sumptibus Nathanaëlis Raney, 1686, in fol.

**N**on defuerunt quidem hæcenus, qui viri incomparabilis, quique non minus in re literaria, quam in statu Hiberniæ Ecclesiastico, inter primates censerî promeruit, Jacobi Usserii vitam describere sunt aggressi: meminimus etiam nos in Actis hæc anno 1682 pag. 12 retulisse, a *Guil. Baresio* inter alias magnorum hominum vitas hanc quoque traditam reperiri. Quin tamen præsentis operis collector *Rich. Parr* omnibus istis præripuerit hæc in parte palmam, nemo facile in dubium vocabit, si vel id solum consideret, illos pleraque omnia fere non nisi ex sermone funebri a *Doct. Bernardo* in defuncti honorem habito hausisse; hunc nostrum vero non tantum per integros tredecim annos familiari cum eo consuetudine usum, quippe cujus etiam cum moreretur Capellanus fuit, sed & eum esse, cujus fidei decedens omnem suam suppellectilem charitatem commiserit, unde facili negotio complura aliis ignorata decerpere ipsi licuit specialia, vitam istius concernentia; quorum insuper haud pauca perdidit ex conversatione cum *Domino Tyrrel*, de-

P

functi



functi ex filia nepote; tametsi non diffiteatur, plurima a se quoque ex dicto Bernardi sermone hanc in rem deprompta fuisse. Non ingratum fore speramus, si ut alia simili occasione data fecimus, potiora vitæ hujus capita brevissimis hic ac velut per indicem tantum commemoremus, in gratiam eorum, quibus prolixiorum ejus historiam, & Anglico quidem idiomate conscriptam pervolvere, non est integrum. Utque de gente ejus primo dicamus, progenitus fuit ex antiqua nec incelebri in Hibernia *Usseriorum* familia, nomen hoc primitus nactorum ab uno e majoribus ipsorum, qui cum apud Regem Johannem apparitoris (quem sua lingua *Usher* vocitant) munere fungeretur, familiari istius seculi more nomen officii in gentilitium adoptavit, cum alioqui patria ejus stirps Nevilii, *The Nevils*, appellarentur. Natus vero noster Usserius est Dublini, die 4. Januarii anno 1580, patrem nactus *Arn. Usserium*, Cancellariæ Secretarium; matrem vero *Margaretam, Jac. Staniburst*, Prætoris Dublinensis filiam; qui Regi-næ Elisabethæ primus suasor fuisse fertur fundandæ celeberrimæ nunc Academiæ Dublinensis, e cujus gremio intra nonaginta annorum spatium, præter alios viros præstantissimos, plusquam 50 Episcopi prodiisse memorantur. Quis puerum prima literarum elementa docuerit, dicere nil attineret, nisi fidem pene superaret, quod narratur, duas ipsi fuisse amitas perspicacissimi quidem ingenii ac tenacissimæ memoriæ, at a prima usque infantia cæcas, atque has ipsum primo Anglice legendi artem docuisse. Cæterum præceptores postea habuit viros duos egregios, quorum uterque in aula Regis Jacobi præter nobilitatem splendidis muniis dein condecorari meruit, nempe *Jac. Ful-tertonum* & *Jac. Hamiltonum*, qui a dicto Jacobo, tum Scotiæ solum imperante, secreto in Hiberniam ablegati, (ut Nobilium Protestantium animos clam ad regis sui partes pertraherent, ac in casum mortis Elisabethæ, rebus istius ibi curandis præsto essent) quo melius propositum tegerent, non dubitarunt Dublini pro ludimagistris se gerere, maxime quod raros tunc ibi deprehenderent, qui laboriosum hoc vitæ genus profiterentur. Tam citos autem in humanioribus literis profectus fecit Usserius, ut jam anno 1593, cum Dublini Collegium Trinitatis exstructum ac perfectum esset, dignus habitus fuerit, cujus nomen in albo academicorum hujus collegii alumnorum primum locum occuparet, ut ut tum non nisi tertium decimum ætatis annum ageret. Præ-  
terea

terea cum studio historico apprime delectaretur, adolescens 15 vel 16 annorum jamtum justam bibliorum chronologiam, quousq; Libri regum p̄tingunt, concinnasse fertur. Tameſi vero ipſum pater jurisprudentiæ studio deſtinaverat, nihilominus hoc anno 1598 mortuo, Theologiæ ſeſe impendere maluit, ut ad quam dudum ejus animus propendebat. Utque liberius ſacris hiſce Muſis vacare poſſet, delatam primogenito ſibi paternam hereditatem, amplam quidem, at multis involutam moleſtiis, & fororum, quas ſeptem habuit, portionibus gravatam, univerſam fratri Ambroſio reſignavit, reſervata ſolum ſibi parte, quæ ad ſtudia perſequenda parandumque victum neceſſaria ſufficere poſſet. Cumque adeo tanto animi fervore ſacrarum literarum cognitioni incubuerit, fieri non potuit, quin præcoces etiam, cum feliciffimo præſertim ingenio polleret, hac in parte fructus oſtenderet. Unde cum tunc temporis quidam e Societate Jeſu, *Henricus Fiz-Symonds*, Dublini captivus detineretur, atque hac occasione, ſua fretus eruditione, auſus eſſet Proteſtantium doctiffimum ad ineundum ſuper religionis ſuæ controverſiis certamen diſputatorium provocare: communi academiæ conſenſu placuit Uſſerium, qui tum non niſi Artium Baccalaureus 18 aut 19 ætatis annum agebat, cum ipſo committere: qui utut ab initio ab antagoniſta ſuo fere pro puero ac deſpectui habefetur, poſt unum tamen alterumque colloquium adeo præſidentiam ejus perdomuit, ut ad incitas ſe, certe ad ſilentium redactum mox agnoſceret, nec ulterius conſigere, ne provocatus quidem auderet: quin & in publico poſtea ſcripto, ubi forte Uſſerii mentionem injece- rat, non dubitarit ipſum vocare *A catholicorum doctiffimum*. Cæterum cum videret Uſſerius, a Pontificiis ſcriptoribus paſſim, pro confir- manda dogmatum ſuorum antiquitate, Patres eccleſiæ allegari, idque ſubleſta ſæpiuſcule fide fieri ſubolſaceret, quo certioſem ſe hac in parte redderet, propoſuit ſibi omnia Patrum ſcripta verbotenus perle- gere: atque immenſum hunc laborem, quem juvenis 20 annorum aggreſſus eſt, indefeſſâ dein patientia ad annum uſque 38 ætatis continuavit; præſinito ſibi in ſingulos dies certo penſo: atque intra hoc temporis ſpatium perluftravit omnes Patres, tam Græcos, quam Latinos, pleroſque inſuper Scholaſticos ac Doctores a ſeculo 1 uſque ad 13; concinnatis etiam ad horum ſcripta notis ac obſervationibus, ſuum ſubinde judicium adjeçit, quænam ex iis genuina, quæ ſpuria ha-  
benda

benda essent. Atque hæc quidem collectanea velut fundamenta posuerat magni cujusdam operis inde conficiendi, cui *Bibliotheca Theologica* titulum destinaverat, quod tamen morte præventus ad umbilicum perducere non potuit: ac tametsi moribundus ulteriorem libri elaborationem Doctori *Langbaine* demandasset, isque eundem etiam describere, expolire ac supplere cœpisset, tamen & ipse anno 1657 operi immortalis est; cujus copia seu apographum adhuc in Bibliotheca Bodlejana asservari dicitur, cum ipsum *Usserii* autographum nunc apud *D. Edvv. Stillingfleet*, Decanum S. Pauli custodiatur. Quem admodum vero, ut ex hæcenus dictis liquet, doctrina æque ac judicio prope maturuit Noster, ita solito etiam citius muneribus ecclesiasticis admotus est: anno enim ætatis 21 jam Dublini a patruo suo *Henrico Usserio*, tum Archiepiscopo Armachano, Diaconus atque presbyter creari meruit. Anno 1607 Baccalaureus Theologiæ, ac paulo post ejusdem Professor creatus fuit in eadem academia. Sic magis magisque crevit ejus existimatio; unde cum anno 1615 Parlamenti atque Cleri conventus Dublini celebraretur, super punctis quibusdam religionem ac disciplinam Ecclesiasticam concernentibus; negotium ipsi datum est, certos quosdam articulos hac de re componendi, qui communi Ordinum consensu firmati, ac ab ipso dein Rege approbati fuerunt. Ac tametsi a malevolis, quibusdam *Usserius* inculatus sit, ac si in iis ab harmonia ecclesiæ Anglicanæ recessisset, ac ea propter apud regem quoque delatus esset, ac si Puritanismo studeret: (quæ calumnia ob indefinitam latitudinē tum passim ad denigrandos bonos viros adhibebatur;) tamen suam innocentiam clare mox probatam dedit, adeo ut rex omni sinistra suspicione abjecta, anno 1620 proprio motu ipsi Episcopatum *Meath* conferret. Quadriennio post in locum defuncti *D. Hamtoni* Archiepiscopus Armachanus nominatus atque electus est, centesimus qui post *S. Patritium* id muneris sustinuerit. Anno 1640 in Angliam profectus, (ut quidem antehac singulis fere trienniis facere consueverat,) animo bibliothecas in Academiis ejus regni perlustrandi, indeque quæ ad scopum laborum suorum facerent, delibandi, ac dein ad sedem suam redeundi: at omnem præter opinionem nunquam posthac suam revisere Hiberniam ipsi licuit; ingruente mox horrenda illa totique regno fatali rebellionē ac bello intestino: cujus furore etiam omnibus rebus opibusque, quibus antea gavifus erat, spolia-

spoliatus fuit; unica saltem bibliotheca excepta; quam deinde in Angliam ad se transportari curavit; eum in munita Hiberniæ arce *Drogheda* servata fuisset. In solamen damnorum ita acceptorum Rex quidem ipsi vacantem tunc Episcopatum *Carlisle* in commendam contulit: verum & hic ipsirursus ablatus fuit; cum Parliamentum factionarium omnes terras episcopales aliquò posthac tempore invaderet. Oblatum quidem præterea & Batavis ipsi fuit munus Professoris in Academia *Lugdunensi*; invitatus etiam & Cardinali *Richelieu*, ut in Galliam veniret, propositis conditionibus sat splendidis; utrumque tamen recusavit, ac in Anglia manere maluit; ubi non defuerunt ex optimatibus, qui vitæ subsidia lubentes ipsi subministrarunt, dummodo suavi ejus consortio ac imprimis egregiis ipsius sermonibus sacris perfrui possent. Denique anno 1647, cum Londini apud Comitissam de *Petersborough* commoraretur, Societas quam vocant *of Lincolns - Inn* ipsum elegit concionatorem suum, assignata ipsi habitatione ac pensione congrua; quod etiam munus per octennium fere exercuit, donecnes qui anno circiter ante mortem suam, ob visus debilitatem dentiumque defectum eo se rursus abdicaret. Tametsi vero in arte concionandi mire excelluit, utpote quam etiam tanti fecisse fertur, ut hæc apostoli verba *lemmatis* loco sigillo suo archiepiscopali voluerit inserta: *Va mihi, si non evangelizavero*: nihilominus e concionibus ab eo habitis non nisi duæ ejus permittu impressæ fuerunt, altera quidem in *1. Cor. 10, 17*; altera ad *Ephef. 4. 13*: cujus ratio dubio procul ea fuit; quod suæ confusus memoriæ ac facundiæ vix aliquid præter summæ sermonis capita in chartam conjicere fuit solitus. In hac tamen ejus vitæ descriptione hinc inde fragmenta de sermonibus ab eo prolatis adferuntur, uti in specie *pag. 19* recensetur, quomodo ad convincendos quosdam, qui solenne illud juramentum *Suprematæ & Allegiantiæ* quod vocant, præstare recusaverant, egregia oratione vim ejus ac justitiam explicuerit: quemadmodum etiam *pag. 87* diversa ejus consilia proponuntur, quæ iis observanda commendavit Vir disertissimus, qui sacræ oratoricæ operam navare sibi proposuissent. Coram Rege *Carolo I* etiam sapiens concionari jussus est, utpote qui summopere ipsum dilexit, ac in rebus sæpe dubiis in consilium adhibuit: id tamen, quod vulgo tum perhibitum fuit, ipsum necem *Comitis Straffordiar* Regi suavisse, falsum omnino, & a calumnia profectum fuisse, latius

probat hujus vitæ scriptor *pag. 45. seq. & pag 61.* De cætero tragicum Regis exitum acerbissime tulit Usserius; unde non solum ad spectaculum instantis ejus parricidii animi deliquium passus, sed etiam tristem infausti illius diei memoriam quotannis jejunando, quoad vixit, recoluisse fertur. Adduci quoque nullatenus potuit, ut Cromvello vel minimum ablandiretur, quamvis hic semel iterumque, instituto familiari colloquio, eum ad suas partes pertrahere oblique anniteretur: quinimò cum aliquando Cromvellum ex ulcere pectoris ægrotantem forte inviseret, non dubitavit arrepta hac occasione libere eum monere, vereri se, ne profundius ac incurabile ulcus in ipso corde circumgestaret. Prædixisse etiam narratur, haud diutinum fore in vaforis hujus imperium; sed brevi, se tamen non amplius vivo, emerfurum iterum legitimum regni heredem; sicut & alias plus vice simplici compertum est, eum vi quadam futura præfagiendi pollere; ut cum magnam illam rebellionem Hibernicam 40 annis antequam fieret, in concione quadam, definito etiam annorum numero, prædixisset tum quidem non advertentibus, dicitur *pag. 9.* annum item mortis suæ, ex verbis quibusdam ominosis, quæ calendario suo inscriptis, præscivisse visus fuit *pag. 76.* Decessit vero vir piissimus in Comitatus *Surrey* oppido *Riegal* die 21 Martii, anno Christi 1655, ætatis 76; morientisque hoc ultimum suspirium fuit: *o Domine, condona quæso mihi, imprimis peccata omissis.* Creditus quidem fuit ex morbo sciatico obiisse; sed revera fuisse pleuritidem, post ex inspectione cadaveris patuit: in quo præterea id speciale observatum fuit, quod crassa quædam membrana adipe oblecta, quamque pro continuato omento agnoscit biographus noster, visa fuerit sese extendere super totum stomachum, superius peritonæo annexa, paulo infra diaphragma: quam quidem membranam, haud parum ad facillimam, qua gavifus est, digestionem contulisse creditum est. Id quoque de se perhibuisse dicitur, se nunquam ne in magna quidem commotione, ullam cordis palpitationem persentiscere potuisse. Sepultus fuit anno sequenti in Westmonasteriensi capella Henrici IV, juxta præceptorem quondam suum Jac. Fullertonum, factæque ipsi exequiæ splendidæ jussu Cromvelli, gratiam vulgi hac quoque ratione astute, non suis quippe, sed aliorum impensis captantis, tametsi familia, quo sumtibus parceret, eum in loco obitus humatum minoribus ceremoniis maluisse.

huisset. Non nisi unicam reliquit prolem, filiam nempe, ex 40 annorum conjugio cum *Phæbe, Luca Challonerii* Th. D. filia susceptam, quæ *Timotheo Tyrrel*, Governatori *Caerdisſæ* in Wallia nupta, adhuc in vivis esse fertur; ejus vero mater sesqui anno ante mariti Usserii obitum decessit. Hereditatem hujus haut admodum amplam fuisse, collectu facile est, cum ex fortunis, quibus olim potitus fuerat, nil fere ipsi temporibus afflictis mansisset reliquum, præter bibliothecam: quam 10000 prope voluminibus constantem, etsi care satis ab initio vendere filia potuisset; cum & Rex Daniæ, & Cardinalis Mazarinus eam ambirent; distrahi tamen vetuit absque suo consensu Cromvellus; ex residuo forte odio, & ut ægre faceret defuncti posteris: unde tandem mediocri pretio emta est ab exercitu Hibernico pro collegio Dublinensi, ad æmulationem copiarum Elisabethæ, quæ & ipsæ anno 1603, fuis in Hibernia Hispanis, inter se collegerant 1800 libras, pro emendis libris ad instruendam melius bibliothecam Dublinensem, Bodlejanæ Oxoniensi cœtaneam. Atque hæc quidem de vita Usserii retulisse sufficiat; de cujus externa forma, præter imaginem æri incisam, id adhuc additur, fuisse mediocriter procerum, fusco capillo, complexionem sanguinea, vultu gravi ac expressu difficili: unde non nisi semel exacte depictus narratur, nempe a Dn. *Lilly*, qui post equitis dignitatem adeptus est.

De epistolis, quæ alteram Voluminis hujus partem faciunt, nunc dicendum restat, paucis tamen, ne in nimium excrescat relatio. Collectæ fuerunt trecentæ hæ, quæ exhibentur a Parrio editore, ex aliis compluribus lectu minus dignis: digestæque fere secundum temporum, quibus quælibet scripta, seriem, quandoque tamen per incuriam, non adeo exacte servatam: quibus superpondii loco adjiciuntur septendecim aliæ, nec ab Usserio, nec ad Usserium exarata, sed alios quosdam viros egregios attinentes, quæ inter reliquas defuncti schedas una repertæ fuerant. De epistolis vero hisce Latino partim, partim Anglico idiomate scriptis, vel ideo pauciora nobis verba facere licebit, quod maxima earum pars aut meram continet verborum civilitatem, aut novas gestorum particularium relationes, aut quæstiones, quæ dein resolutæ non apparent: etsi quæ forte sunt diligentius elaboratæ, aut de materiis eruditioribus tractantes, ita comparatæ sunt, ut earum tenor vix adeo arctis lineis, quales hoc nostrum institutum ex-

pōsit,

poscit, includi valeant. Speciminis tamen loco paucatum saltem contenta indicabimus. In *Ep. 3. Guilb. Eyre* Usserio communicat sciagraphiam operis cujusdam latioris, a se contra Josephi Scaligeri opinionem, de punctis vocalibus Hebræorum eorumque antiquitate componendi: quod an postea perfecit, non satis constat: certe materia hæc fusius posthæc a Buxtorfio, Capello aliisque tractata fuit. In *ep. 10. & seq. Sam. Wardus* varia eaque curiosa, primas Canonum collectiones concernentia annotat. *Ep. 22. 23.* quæ Usserium autorem habet, fusius discutitur quæstio de universalitate satisfactionis Christi, ac respondetur iis, qui eundem ob hæc de re totam opinionem, heterodoxias postulare fuerant annisi. *Ep. 49* idem ex Walafrido Strabone aliisque probat, antiquioribus Ecclesiæ Christianæ temporibus, hodiernum morem templi præcise orientem spectantia extruendi, non ita attentum fuisse: quorsum dubio procul restrendum fuit Parisiense templum S. Benedicti, cujus altare occidentem versus ædificatum permansit ad tempus usque Francisci I, quo demum mutata structura situs ejus correctus fuit; unde hodiernum vocatur *S. Benoist le bien tourné*, uti narrat *Dn. le Maire* in Descriptione Lutetiæ. *Ep. 101. seq.* Radulphus *Skimmer* prolixam facit recensionem de scriptis *Maimonidis*, quæque imprimis erronea, aut etiam proficua & ad Scripturæ explicationem facientia inde annotari mereantur. *Ep. 77.* Thomas *James* annotat, in antiquissimis, quæ viderit, exemplaribus Juris Canonici nullum apparere vestigium Donationis Constantini. *Paleas* quoque quæ ibi notantur, multum variare: dum ibi plures canones *pælearum* nomine veniant, quæ in recentioribus exemplaribus ita non appellantur; & vice versa. *Ep. 99.* scribit Usserius, se ex Mesopotamia natum esse vetus manuscriptum Syriacæ translationis Pentateuchi, ut & illas particulas novi testamenti, quæ in versione ista hætenus desideratæ fuerint, videlicet Historiam adulteræ, II. Epistolam Petri, ut & Johannis Epistolam II, III, & apocalypsin. Quemadmodum etiam hinc inde Thomæ Davis epistolæ ex Aleppensi civitate ad Usserium exaratæ exhibentur: cujus opera videlicet mediante transmitti sibi curavit manuscriptum Pentateuchi Samaritanum, quod primum fuit ex iis, quæ ad occidentales has oras unquam pervenerunt, quoq; etiam commødato usus est Waltonus in adornandis bibliis suis polyglottis. *Ep. 105.* multis probatur, Israelitas non per transversum maris rubri tran-

transfisse, ut quidem Geographorum plerique sibi persuaserint, sed ad ejusdem lateris littus oblique regressos fuisse. In *ep. 162.* differitur de efficacia baptismi in infantibus, uti *ep. 205.* de sanctificatione sabbathi ejusque cum in primitiva Ecclesia, tum apud exterarum gentium observatione. *Ep. 253.* agitur de ratione scribendi apud prisca Saxones, ac exhibentur alphabeti apud ipsos usitati literarum. *Ep. 267.* Usserius multis examinatis opinionem Capelli ejusque Criticam Sacram, utpote arbiter a Capello electus inter ipsum & antagonistam ejus Bootium. Inter alia ibi inculpatur Capellus, quod accuratam illam Pentateuchi versionem a 70 interpretibus curante Ptolemæo Philadelpho concinnatam, quæ tamen (ut Usserius statuit) in famosa illius bibliothecæ incendio una perierit, confundat eam maiore illa totius veteris Testamenti translatione, quæ quidem vulgo eodem titulo superbiat, ast post quartum demum annum regni Ptolemæi Philometoris a Dositheo quodam Judæo confecta fuerit. *Ep. 285. seq.* Thom. Walley probare annitur, Adamum per plures dies & annos forte in Paradiso commoratum, nec inde tam prope, ut quidem vulgo creditur, exarctum fuisse. Plura hujusmodi allegare ad vitandam prolixitatem superfedemus. Quod reliquum est, appendix vitæ Usserii subnectitur, directæ præcipue contra criminationes D. Petri Heylin, qui in Tractatu, cui nomen fecit: *Respondet Petrus*, Usserium incusaverat, ac si conformitatem doctrinæ ac disciplinæ ecclesiasticæ Anglicanæ scriptis suis violasset: quod tamen ab ipso neutiquam factum esse, per singulos articulos controversos latius ostenditur. Concernunt vero hi 1. moralitatem sabbathi, 2. discrimen inter Episcopum & Presbyterum, 3. universalitatem redemptionis Christi, 4. modum præsentis corporis Christi in S. Coena, 5. potestatem remittendi peccata ministris Ecclesiæ competentem, 6. descensum Christi ad inferos. Denique id quoque tacendum non est, subjici catalogum plenarium omnium Usserii scriptorum, tam impressorum, quam MStorum, extantium æque ac, deperditorum: quemadmodum & in ipsa vitæ descriptione non omisit Parrus ad singulos annos commemorare, quando quodlibet præcipuorum ejus operum in lucem publicam prodierit, breviter enarrata cujusvis materia ac methodo: quorum tamen hic facere mentionem nolimus, partim quod eruditus jam tum satis nota existimamus, partim quod de Vita ac Epistolis, non de libris ac operibus



peribus ejus differere nos jussit præsentis Voluminis rubrica ac præcipuus scopus, unde hac quidem vice præter necessitatem latius divagari noluimus. Nisi forte id unum moneri adhuc commode potest, *Usserii Annalium V. & N. Testamenti* editionem tertiam, ad Londinensem & Parisiensem collatam, Bremæ impensis H. Braueri superiori anno prodiisse.

THE WORKS OF Dr. HAMMOND;  
id est:

Henrici Hammondi Doctoris Theologi Opera.

Londini, in Typographeis R. Royston & R. Davis 1684, in fol.

**J**acobo Usserio *Hammondum* jungere æquum videtur, cum dogmatibus, eruditione, fide in Regem, ac quas ea de causa subiit, persecutionibus, itemque, quod caput est, amicitia mutua *Usserio* conjunctissimus fuerit. Illius argumentum sunt epistolæ eorum amœbæ, quæ in *Usserianarum Volumine*, n. 241. 242. 243. 244. 245. 246. leguntur. Nec optimam hæc occasionem prætermittendam opinamur, qua Clarissimo *Joanni Clerico* Amstelodamensium Professore, communi orbis literarii nomine in memoriam revocemus spem amplissimam, quam in *notis ad Davidis & Stephani Clericorum opuscula*, de Hammondi operibus Latine non sine augmento edendis, liberalissime fecit. Quamvis enim in *Bibliotheca Universali Historica* instruenda occupatus nunc esse feratur, nulli tamen ambigimus, quin aliquam subcifarum horarum partem operi tantæ molis dudum sacram esse jussit, nosque adeo & quotquot bonarum literarum amore ducuntur, voti nostri, quod in Actis anni 1685 p. 234. exposuimus, propediem compotes facere valeat.

Quæ vero impræsentiarum differere animus est, duorum generum sunt. Alia enim *Hammondi*, alia *Operum* ejus historiam illustrabunt. Illuc faciunt, quæ habentur in ejus *Vita* tom. I. Operum præfixa, auctore *Johanne Fello, Oxoniensi*, dum in vivis erat, *Episcopo*, cujus Manibus dignissimum successorem *Samuelem Parkerum* merito gratulamur. Hinc ergo compertum habemus, natum esse Nostrum d. 26. Aug. a. 1605. *Certhesia* Surræ oppido, patre *Joanne Hammondo*. Henrici principis Jacobi R. filii archiatro. In schola *Ætonensi* Latinam Græcamque linguam perquam sibi familiarem reddidit, posuitque Hebrææ

bræ rudimenta; dignus eapropter habitus, qui decimo tertio ætatis anno in Academiam *Oxonienſem* profectus, mox inter Collegiū *Magdalenæi Demifocios* (quos vocant,) anno autem 1622 inter *Socios* legeretur. Poſt, ubi ſupremum in Philoſophia gradum conſcendiſſet, *Phyſicam* publice prælegere, vicibusque binis *Langtonio* præſidi parentare juſſus eſt. Ordine ſacris anno 1629 initiatus, paulo poſt primam in theologia lauream obtinuit. Anno dehinc 1633 *Reſtor* *Eccleſiæ Penſeburſiæ* conſtitutus, concionum frequentia, ardore precum, ſolicita ſacramentorum diſpenſatione, eleemoſynarum decimarumque erogatione, modeſtia item, eruditione vitæque ſanctimonia omnibus placuit, cum primis vero *Briano Waltono* *Wintonienſi* Epifcopo, cujus etiam beneficio Archidiaconi *Ciceſtrenſis* muneri præfectus eſt. Anno 1639 Theologiæ *Doct̃or* creatur.

Sed tota jamjam Anglia inteſtiniſ bellis tum temporis conflagrare cœperat. Jam Regi fidum rituumque antiquitus receptorum tenacem fuiſſe, criminis morte piandi nomine rebellibus cenſebatur. Quia igitur fidei in Regem ſibi conſcius erat *Hammondus*, fuga ad lares *D. Buckneri*, quo tutore olim gavifus fuerat, elabitur, die 25. Julii, a. 1643. Cum autem incertus percrebuiſſet rumor, *Hammondum* illic locorum ad capitis ſupplīcium quæri, *Oxonium* petit. Hinc *Londinum* comitatur Duceſ *Richmondanum* Comitēq; *Southamptonienſem*, Legatos Regios, qui de pace cum ſeditioſis tranſigere debebant. Illis tunc a concionibus privatis erat Noſter. Mox *Uxbrigia*, cum aliis ſuarum partium theologis, colloquio intereſt cum *Presbyterianis* habito. Sortitus illic fuerat adverſarium *Vinium* quendam, qui præter expectationem, argumentorum calumniarumque indigeſtam moleſtiam ex charta recitat. *Hammondus* nulla mora calamo excipit ſingula notis que auget, adeo ut cum ille legendi finem feciſſet, ſolidam jamjam abſolviſſet reſponſionem; qua audita *Vinius* Deum ſanctosque angelos teſtes vocavit, etiamſi memoria nunc non ſuggereret, quod reſponderet, alio tamen tempore id ſibi facillimum fore. Meruit hoc ipſo a Regelocum inter *Canonicos Collegii Eccleſiæ Chriſti*, ab *Academia* vero *Oratoris* titulum. Anno 1645 menſe Martio inter concionatores aulicos regios cooptatur. Interea *Scoti* Angliſ Regem vendunt. Raptus is captivus in caſtellum *Holdenby*. Ægre tandem *Hammondus* cum aliis ad Regem admittitur. Nec illum deſerit; cum *Woburnam*,

Ham-

*Hamptoncourtium*, denique in insulam *Wight* deducitur, locum non carcerem mutaturus. At anno 1647 circa natale Servatoris festum, totum Regis famulitium, cujus pars *Hammondus* erat, insula *Wight* excedere jubetur. Reversus *Oxonium*, Subdecani munere intrepide fungitur. Parlamenti decreto igitur exiit officio ac libertate. Exegerat septimanas decem in carcere, cum in *Novum Testamentum annotationes* suas auspicaretur; venia vero a Parlamento obtenta *Claphamum* deportatur, ubi familiaritate *Philippi Warwickii*, & vernacula Commentariorum suorum Latine primitus exaratorum versione, custodiæ molestias fefellit. Cum vero anno 1649 *Carolus* capite multassent parricidæ, nec patroni deessent tanto sceleri, *Aschamus* nempe & *Goodwinus*, non potuit sibi temperare *Hammondus*, quia ab horum calumniis innocentissimum Regem vindicaret. Hoc tamen scriptum hodiernum superstes esse, non putamus. Vertente dein tempore, pristinae libertati restitutus *Westwoodum* in *Vigornia* tendit, hospitem ibi nactus *Johannem Packingtonum*. Cumque paulo post *Carolus II*, jus suum in patrium regnum armis vindicaturus, *Vigornia metropolim* cognominem accessisset, vidit illum *Hammondus*, clementissime ab eo exceptus, literasque ab eo obtinuit, quibus Anglicanam religionem, cujus causa divus Pateris martyrium subiisset, toto pectore se amplecti testabatur, dumque viveret, defensurum se spondebat. Inter hos civilium bellorum strepitus, qui Regi faventibus luctuosissimis fuerunt, maximam operum suorum partem *Hammondus* enixus est, quibus tum Scripturæ facem accendit, tum depravatos seculi mores emendare annisus est. Sed & contra secus sentientes pugnantum erat, quos inter familiam ducebant e Pontificiis *Nobilis* quidam, ejusque armiger *S.VV.* e Presbyterianis *Cawdry & Jeanes*, ex Independentibus denique & Anabaptistis *Owenus & Tombs*. Hi omnes longe minorem terrorem ipsi incusserunt, ac alia hostium classis, *podagra*, malum *colicum*, *spasmus*, &c, ex quo d. 25. Aprilis a. 1660. mortuus est, *rennum calculus*. Impedivit hoc pacto mors, quo minus Dioecesi *Vigornienfi* præficeretur. Illius quippe curam a Rege *Carolo II*, cujus reditum anxie tunc præstolabantur subditi ad sanioerem mentem redacti, sibi destinatam esse resciverat. Exuviae ejus in Ecclesia Parochiali *Hamptonensi* die sequenti tumultatae sunt. Atque hæc hæctenus in prima & tertia sectione ab illustrissimo *Fello* dicta noveris. Sectione autem

autem mēdia προσηγορῶν Φίαν Hammondi facunde persequitur, omnesque tum corporis tum animi dotes iusto ordine enarrat. Videas heic illum in virtutes ejus evagari, singulasque exemplis aliquot memoria sane ac lectu dignissimis illustrare.

Matrimonium nunquam inīit, quod sobole non egeret, qui in tot tantisque ingenii *facibus* semper se fore superstitem haud vane sperare poterat. Horum nunc catalogum ac historiam texere operæ erit pretium. Sequemur autem ordinem servatum in ultima hac studio *VVilhelmi Fulmanni* curata editione, ubique annotaturi, quo tempore & loco quilibet illorum publicam lucem primitus aspexerit. Distinguantur *Voluminibus quatuor*. Primum complectitur opera practica, alterum polemica, tertium & quartum exegetica. De singulis distinctius nunc agemus.

*Volumine* igitur PRIMO exhibentur (1) *Catechismus Practicus*, editus olim Oxonii anno circiter 1644. (2) *Apographum* Epistolarum aliquot amœbarum *Autoris* Catechismi Practici & *Francisci Cbeynelli* Oxon. 1647, in 4. (3) *Vindiciatium* locorum Catechismi practici, Lond. 1648, in 4. (4) *de Conscientia*. (5) *de Scandalo*. (6) *de ἐπιλοθρησκεία*. Hane opusculorum trigam edidit Oxonii 1644, in 4. (7) *de Superstitione*, Oxonii 1645, in 4. (8) *de Idololatria*, Oxonii 1646, in 4. (9) *de peccatis infirmitatis & pernicia*, Oxonii 1645, in 4. (10) *de penitentiâ sera moribundi*, ibidem 1645, in 4. (11) *de correptione fraterna*, Londini 1647. 4. (12) *de resistentia adversus magistratum legitimum sub religionis pretextu*, Oxonii 1644, in 4. (13) *Epistola ad Fairfaxium*, data 15. Jan. 1648, qua a supplicio Regis capitali ipsum ejusque Concilium bellicum dehortatur, impressa Londini 1649, in 4. (14) *Ejusdem Vindicia*, Londini 1650, in 4. (15) *Conspectus* novi directorii, ac *Vindicia* veteris Liturgiæ, Oxonii 1645, in 4. (16) *Considerationes mutationis Regiminis ecclesiastici*, Oxonii 1644, in 4. (17) *de Potestate Clavium*, Londini 1647, in 4. (18) *de Religione Christiana cum sanatione convenientia*, Londini 1650, in 12. (19) *de articulis fundamentalibus*, Lond. 1654, in 12. (20) *de schismate*, Londini 1654, in 12. (21) *Paranesis ad filios Ecclesiæ Anglicanæ*, cum discursu *de Heresi*, Londini 1656, in 12. (22) *Epistola* responsoria ad sex quæstiones, quæ agunt *de modo decidendi controversias in Scriptura nondum clare diremptas*, *de matrimonio cum sorore uxoris*, *de polygamia & divortio*, *de baptismo infantum*, *de*

*impositione manuum in ordinatione, denique de celebratione Natalis Domini aliorumque festorum, Londini 1653. in 12. (23) Discursus pacificus de Gratia & decretis divinis, Londini 1660. in 8. (24) de panis infernalibus, Oxonii 1664. in 12. (25) Precationes duæ, Lond. 1660. in 8.*

*Volumen SECUNDUM, polemicum ac bipertitum est. Parte priori habentur scripta Antipapistica, quibus præmittuntur (1) Vicecomitis Falklandii discursus de infallibilitate, quam Ecclesia Romana habere se putat. (2) Exceptiones Pontificii cujusdam contra hunc Falklandii discursum, Oxonii 1646. in 4. (3) Alia responsio ad eundem discursum, cum Falklandii replica, Londini 165. . in 4. (4) Epistola Gualteri Monzacutii ad Patrem suum H. E. de Manchester, de causis conversionis suæ ad religionem Romano-Catholicam, una cum Responsione tum Patris tum Vicecomitis Falklandii. Londini 1641. in 4. Sequuntur Henr. Hammondi (1) Replica ad Nobilis Pontificii B. P. responsionem ad Tractatum de Schismate. Accessit relatio de Appendice quam H. T. suo Controversiarum Manuali annexuit, de responsione a Dinotbo Abbate Bangoriensi data Augustino Monacho Gregorii Magni P. R. Legato, se nempe cum cateris Britannicis ecclesiis, parere Archiepiscopo Caerleonensi, non Romano Episcopo, Lond. 1654. in 4. (2) Dexteritas illius, qui tractatui de Schismate arma detrudere conatus est, sub examen revocata, opposita cuidam S. W. autori Schismatis armis exuti, Lond. 1656. in 4. (3) tertia defensio tractatus de Schismate, cui inseritur conspectus possessionis & traditionis oralis, qua Papistæ gloriantur, juxta methodum Whitii, Londini 1659 in 4. (4) Αἰὲν ἀληθεύων, sive brevis relatio de Pontificii hominis adversus tertiam defensionem objectionibus, Lond. 1660. in 4. Altera parte Voluminis secundi continentur ea, quæ sequuntur: (1) Dissertationum de Episcopatu vindicatio ab exceptionibus Ministrorum Londinensium, in libro, cui titulum fecere: *Jus divinum ministerii Evangelici*, Lond. 1654. in 4. (2) Responsio ad Joannis Oweni animadversiones in Dissertationes de Epistolis Ignatii, quique iisdem nititur, *Episcopatu*. Lond. 1654. in 4. (3) Secunda *Apologia pro H. Grotio*, sive vindiciæ digressionis de eo, contentæ in responsione ad Oweni animadversiones, Londini 1655. in 4. (4) Eiusdem *continuatio*. Londini 1657, in 4. (5) *Padobaptismus defensio* contra exceptiones Tombii in *Antipadobaptismo*. Londini 1655. in 4. (6) Relatio de triplici Diatriba auctore Cawdrey, de superstitione, ἐπιλοθρησκία & festo*

festo natali Servatoris, Londini 1654. in 4. (7) *Εκτενέ; ε;εν* sive de *gradibus fervoris precum Christi*, conciliatis cum ipsius *gratia habitualis plenitudine*, contra authorem *Mixtura Theologiae Scholasticae & Practicae*. Londini 1656. in 4. (8) *Ευχρημόνας κα; να; τα; τά;εν*, sive *fundamenta uniformitatis*, juxta 1. Cor. XIV, 40. vindicata ab exceptionibus *Jeanii*. Londini 1657. in 4.

*Volumen TERTIUM* constituunt *paraphrasis & annotationes in universos N. T. libros*. Lond. 1659. fol.

*Volumine* denique *QUARTO* continentur (1) *Paraphrasis & Annot. in Psalmos*, Lond. 1659. fol. (2) *Commentarius in Proverbiorum Capita X. priora*, nunquam antea editus. (3) *XXXI Conciones*, quarum novem priores *obligationem Christiani ad pacem & charitatem* demonstrant, impressae Londini 1649. in 4. Sequentes duae aliquot *utiles regulas sacerdotibus aequae ac populo observandas* exponunt, typis olim Londinensibus exscriptae anno 1657. in 8. Reliquae novendecim varii argumenti sunt, antehac editae Londini 1664. in fol. Et haec quidem *Hammondi opera* haecenus recensita *Anglica lingua conscripta* sunt omnia.

Illius igitur linguae ignari si specimen cupiant rerum ab *Hammondo* memoriae proditarum, evolvant *Matthaei Poli Synopsis Criticorum*, Trajecti ad Rhenum anno superiori ex recensione *Clarissimi Theologi Joannis Leusdeni*, sumtibus *J. Ribbii, J. Van de Water, & Fr. Halmae* recusam. Illic enim amplissima ex *Commentariis in Psalmos & N. T.* excerpta reperire licebit. Agmen claudit biga haec operum *Latinorum*: (1) *Dissertationes IV. de juribus Episcopatus*, adversus *Blondellum*, Londini 1651. in 4. (2) *de Confirmatione, sive benedictione post Baptismum solenni per impositionem manuum Episcopi celebrata, commentarius*, *Dallæo ac Maresio* oppositus, editus quondam Londini 1661. in 8.

OROPHILE EN DESORDRE, OU L' ART CONVAINCU  
d' imposture dans l' usage de la Seignée.

h. e.

OROPHILUS CONFUSUS, SIVE ARS CONVICTA IMPO-  
stura in usu venesclionis.

Coloniae, anno 1686. in 12.

Nihil

**N**ihil frequentius circa morborum curas in Gallia fieri, quam ut repetita sæpius venæsectione sanguis prodigatur, nemo facile ignorabit. Hujus autem perversi moris vanitatem perstricturus auctor præsentis scripti anonymus, ad genium fabulæ Romanensis voluit nonnihil commentari, forsan ut suavius alliceret Lectorem, ac interspersis subinde poematis floribus defestaret. Existimat autem venam secandi consuetudinem ex illarum numero rerum esse, quarum error mater, fraus & impostura obstetrix, & præoccupata vulgi credulitas nutrix est. Nam primum ejus inventorem putat a diabolo esse edoctum hanc praxin; ne tamen id innotesceret, finxisse ab hippopotami exemplo, certo tempore mare egressi, super calamos recens extinctos femora convolventis & crura, ut pedibus vulneratis cruor egestus sagina distentum faciat levem, si licet uti verbis Ammiani ex L. 22, introductam istam sanguinis prodigalitatem. Nec facile magis brutum concipi consilium posse, quam demere sanguinem, spiritus, vires & vitam, ubi natura victrix debet evadere mali non nisi per vires, spiritus & vitam ipsam superandi. Id quod fusius deducit probando in sanguine vitam nidulari, omnesque actiones vitales ab eo dependere. Hinc de exemplis loquitur eorum, qui vel ex usu venæsectionis perierunt, vel vitam breviorē aut infelicem reddiderunt. Nam & cruribus vel brachiis mutilatos, marasmo confectos, visu privatos, in pallorem coniectos, icterō defædatos passim ait occurrere. Mox fermento & digestioni ventriculi nocere incisionem venæ, ac inde totius corporis œconomia vim inferri fusius declarare nititur. Sicut verō temeritatis arguit eos, qui phlebotomiam celebrari jubent: ita imprudentiæ notas non effugituros autumat, qui ipsi se subjiciunt. Enimvero abominaturum statim, qui consideret, hoc juvandi prætextu Galliarum Regiæ vires vitamque in vigore ætatis suæ ereptam: & numerum infantum, tanquam innocentium victimarum, esse innumerabilem, quos crudelitas matrum gravidarum per frequentes venæsectiones immolarit. Pergit deinde perstringere finem, quem perniciosæ, ut vocat, hujus praxeos sectatores proponunt; & operosa demonstratione evincere conatur corruptionem in sanguine, quamdiu per vasa sua in circulum currit, plane impossibilem esse, nec illam ex varietate coloris aut consistentia emissi cruoris innotescere posse. Imo nec fermenta maligna sanguini illapsa sic corrigi, nec fermentationes febriles

briles h. m. supprimit. Quid quod corruptio sanguinis potius accersatur per venæsectionem, quam avertatur. Et si illam concipere liquor vitalis queat, tamen vanitatem remedii in venæ aperturam positi, ex lege circulationis perpetuæ facile apparere. Ac frustra omnino delectum venarum secundarum, & huic vel illi visceri aut parti respondentium institui, quod plus noxæ, quam utilitatis, eeu prolixius monstrare præsumit, inde inferatur. Absurdum quoque esse, & in mortem proximi destinatum consilium, educere 20 vel 30 partes purissimi optimique sanguinis, ut una vel duæ partes aliquali corruptionis nota damnandæ eliminentur, mistura boni malive satis cognita. Atque hoc idem fere esse, ac si quis 30 fidissimorum sibi amicorum occidere haud vereatur, modo vel unicum inimicum inter illos latentem simul perimat. Quicquid etiam de revulsione, derivatione & plethora auctores specioso prætextu interferant, aliquot rationibus destruere satagit, ut ubi vis meram illusionem & fraudem manifestam detegat. Galenum denique & Celsum meticuloſe admodum venæsectionem præcepisse, ita ut doctissimus quidam Medicorum bene asseruerit, si quis Galeni juxta monita velit se gerere, rarissime occursuras esse valetudines, quibus mederi per hoc remedii genus liceat. Hinc Cratonem, Cnoſſelium, Brunonem, ac obiter quoque Helmontium allegat, ejusmodi sanguinis effusionem plane detestantes: Hippocratis vero aphor. 6. sect. 1. male a quibusdam auctoribus in favorem venæsectionis detorqueri ostendit. Tandem ut quis averſetur cum horrore istam medendi methodum, facile credit moveri posse, quod ipsius origo sit monſtroſa, intentionem DEI lædat, leges naturæ aboleat, effectus horribiles producat, falſitatem indicationum prodat, vanitatem prætextuum aperiat, & illusionem fundamenti fraudesque omnes patefaciat.

*SPECIMINUM SINICORUM ANDRÆ MULLERI  
Greiffenbagii DECIMÆ DE DECIMIS, una cum  
Mantisſis,*

Anno 1685, fol.

**P**Ridem est, quod Auctor tota Europa ob cognitionem Sinicæ litteraturæ celeberrimus varia scripta sua ad nos misit, quæ cum aliorum copia superioribus annis recensione nostræ subtraxisset, novissimum eorum,

R



rum, cujus titulum adscripsimus; nobis in memoriam rediit hoc tempore, quo de salutifera Domini passione in Ecclesia agitur. Etenim Specimen illud Sinicum nihil aliud est, quam *Disquisitione de Eclipsi Passionali* in Sinicis etiam Annalibus descripta, quæ res non solum in admirationem Huetium aliosque eruditos rapuit, sed insignem quoque confirmationem Religionis Christianæ suppeditat, qua impulsus Müllerus Disquisitionem hanc instituit, præmisso textu Sinico, notis genuinis descripto, cum lectione Mandarinica, synonymis variarum linguarum, & versione Latina, quam in gratiam Lectorem subjungemus: *Anno septimo Imperatoris Quang-vu-ti, durante vere, Luna tertia, Sol sub Quai-bai densam patiebatur Eclipsin: cum hujusmodi Edictum Imperator universis populis promulgabat: Est hoc opus superioris Domini. Quare vocula & assecatu titulus noster Xim porro ne usurpetur a supplicibus, nec admittatur a scribis aut cancellariis.* Subjicit Mullerus *Notas ad versionem Latinam lectu dignissimas.* Hinc sequitur *Specimen Lexici Mandarinici*, per occasionem vocis *Xim*, quæ in textu palmaria est. In eo præsertim notatu digna sunt, quæ differit Mullerus ex authentico Confutii textu circa Huetii observationem, ac si iste Philosophus Sinicus de Messia olim venturo obscuram quandam spem gesserit. Postea ipsa *de Eclipsi Passionali Disquisitione* inchoatur, in qua post descripta *testimonia veterum tam sacra, quam profana*, exhibentur summa omnium generis conjecturarum & relationum de anno, mense & die passionis Dominicæ, statimque demonstratur verum tempus, per hypothesein ad thesui deductam, sustinetque Mullerus, *Christum mortuum esse anno Æræ vulgatae XXX.* Hæc excipit summa variarum opinionum de Eclipsi passionali, pariterque demonstratur vera sententia, per hypotheseis ad theses deductas, qua contendit Mullerus, I. *veram fuisse Eclipsin, contra Africanum, Origenem & Cedrenum*, qui improbant, recte Eclipsin dici, quod de *caussa efficiente* concedit Mullerus, non de *effectu.* II. *esse eandem cum Pblegomea*, contra Vossium, Keplerum, Bodinum & Curtium, quia consonant anni; utrinque dicitur, Eclipsin factam esse hora sexta; utrinque dicitur, *ἐν πεινοσελήνω*, in plenilunio; utrinque mendo fit subsequuti terræ motus. III. *esse eandem cum Quang-vu-tiana, in Sinki observata*, contra Yam-quam-sien, Sinam, Christiani nominis hostem acerrimum, qui inficiabatur in libro anno 1666 edito, ullam in Sinarum Commentariis memo-

memoriam hujus Eclipseos inveniri. Sed repererunt eam in annalibus Sinicis Hadr. Greslonius, & Joh. Dominicus Gabiani, quorum verba describit Mullerus, additque eundem locum se invenisse in istis Annalibus anno 1683 Berolinum ex India translatis, & jussu Serenissimæ Electricis in Germanicam linguam vertisse, & nihil non congestisse, quod ad historię hujus illustrationem faciat. Quare desiderium integri operis in eruditis concitavit, cujus sciagraphiam & titulum eidem Dissertationi intexuit. Proposuit ibidem quinta editione *Clavem Sinicam*, toto jam orbe celebratam, qua statuto aliquo præmio patefacere vult *Arcanum illud impossibilibus a plurimis annumeratum, quo Sinicorum characterum lectio facile, & facilius, quam ullius alius scriptura, expediri, totaque legendi ratio exactissime cognosci potest, ut scribit num. 10.* Imo plura pollicetur num 14. *Nihil autem est, quod amplius promittam, nisi quod soluto sub cautione præmii dimidio (alioqui, ne in sinistras manus post facta deveniat, nihil de struenda Clave laborans) Deo dante, intra semestre, aut citius Clavem concinnaturus, posteaque quemcunque, etiam mulierculas & pueros, intra paucos dies docturus sim, ut nihil non integrorum contextuum ex quibuslibet libris aliisque congrue scriptis chartis, non Sinice quidem, sed Latine vel Germanice, vel Anglice, vel Gallice, vel Belgice, vel alias legant.* Subdit denique *Catalogum tam librorum Sinicorum Bibliotheca Electoralis Brandenburgica, CCC circiter tomorum, quam Sinicorum, aliorumque variorum, maxime manuscriptorum, in privata sua Bibliotheca existentium, nec non Indicem Opusculorum suorum tam editorum, quam editioni paratorum.*

Hæc sunt, quæ isto Mulleri Specimine continentur. Misit autem ad nos, ut diximus, alia etiam scripta sua, quæ breviter indicabimus, quum maximam partem longe ante initium Actorum nostrorum proderint. Etenim Berolini anno 1673 excusæ sunt *Symbola Syriaca*, duabus partibus constantes, quarum prior exhibet *Epistolas duas Syriacas ambeas, unam Mosis Mardeni, Sacerdoti Syri; alteram Andrea Maffii, Icri & Consiliarii olim Cliviaci, cum versione & notis*: posterioꝝ *Dissertationes duas de rebus iidem Syriacis, alteram de Mose Mardeno, alteram de Syriaci librorum sacrorum versionibus.* Sequuta est anno 1674 *Monumenti Sinici* (de quo Kircherus aliique Pontificii mirum in modum gloriantur) *Historia, Textus, Illustratio per Commentarios, &*

*Examiniis Initium.* Præterea emisit in lucem *Abdalla, Perse, Historiam Sinensem*, Persice & Latine, cum notis marginalibus & appendice duplicis itineris, quorum alterum Legatus Russicus, alterum Zacharias Wagnerus Dresdensis, cum in alias orbis partes, tum præcipue in Sinam confecerunt. Deinde *Commentationem Alphanumericam de Sinarum magnaue Tataria rebus*, multis notatu dignis observationibus refertam, de *Abdalla* pag. 1. de *Annalibus Sinensium* p. 4. 5. de *anniis eorum*, sive *Chronologia* p. 5. 6. 7. ubi hæc habet inter alia: *porro stupendus ille annorum numerus, quem Sina comminiscuntur, non tam Chronologicæ, quam Rhetoricæ intelligendus est, arbitror. Consueverunt enim nihil non myriadibus deputare, quæ magnifice extollere amant.* Porro de *Chimia Sinensium* p. 10. de *Confusio* pag. 11. 12. 13. 14. 15. de *Creatione & Antiquitate mundi* ex *Sinensium* sententia p. 15. 16. 17. de *Horda* p. 28. 29. quam vocem Mogolicam, & castra regia proprie significare statuit. de *Medicina Sinensium* p. 40. 41. de *Serpentibus* p. 51. qui nobis detestabile, *Sinis auspiciatum animal*: ubi simul addit, serpentem ex abyssu fumarii, cujus Ferd. Mendez Pintus in suo itinerario multoties meminit, *non esse fumentum Pinti*, ut nonnullis visum est. *Pleni enim*, ait, *hujusmodi draconum & serpentum sunt libri Sinensium, Brachmanum, aliorumque. Fabula absque omni dubio ex Historia primi serpentis conficta videntur.* Denique de *Tataris* p. 55. 56. 57. 58. 59. 60 & 61 delle *Kiao*, scilicet *Sinensi*, quæ *Xacam* sequitur, & in Sinam intravit anno Christi 66, *Evangelium* in India superiore spargente *Bartholomæo* Apostolo &c. Protulit hinc *Mullerus Basilicon Sinense*, quo primorum hominum, Regum & Imperatorum *Sinensium* seriem, nomina, cognomina, ætatem, res quasdam gestas, aliaque, ab exordio ad nostra usque tempora comprehendit, & cum annis ante & post Christum natum componere studuit *Berlini* anno 1679: *Mappam Geographicam*, e mappa amplissima, quam ipsi *Sinæ* ediderunt, in angustiorem formam traductam, & *Latinis literis* expositam: *Nomenclatorem Geographicum Imperii Sinarum Alphanumericum*: *Epistolas de invento Sinico amabaas* Inventoris & *Kircheri*, *Adami Adamandi* & aliorum: *Orationem Dominicam* tam *Sinice* seorsim, quam conjunctim centum fere versionum: *Hebdomadem Observationum Sinarum*: denique *Specimen Analytica Literaria*, quo in *Responsio* ad *Ludolfi* epistolam ostendit, partem *Orationis Dominicæ* in *Copticam* linguam verâ *Ethiopico* caractere expressam esse,

esse ; imo affirmat, quamlibet ignotam linguam cognoscere sese & interpretari posse.

Hæc sunt præcipua, quæ lingua Latina edidit celeberrimus autor, quæ cum alia, tum Germanice etiam nonnulla publicavit, inter quæ præsertim ad res Sinicas spectant, quæ Grebnizio opposuit, nec non Catalogus Annalium Sinicorum eorundemque argumenta, quæ anno 1683 Berolini partim in quarto, partim in folio impressa sunt. Quod superest optamus, ut clarissimo viro liceat propediem feliciter in publicum proferre, quæ domi suæ parata partim, partim affecta habet, majus præcipue opus de *Eclipsi Trinuna*; *Examen Monumenti Sinici*; *Commentarium de Pentateuchto Ebraico anno Christi 334 scripto*, & similia, quæ rei sacræ & literariæ magno commodo esse possunt.

**D. PETRI STOCKMANS OPERA OMNIA,**  
*nunc primum in unum corpus collecta.*

Bruxellis, typis Jodoci de Griecq, 1686, in 4.

SI sola nobis novitatis ratio habenda foret, quæ quidem in hoc scribendi genere maxime legentium animos demulcet, facile commemorandis his clarissimi Stockmanni operibus superfedere in totum possemus, utpote quæ antea separatim prodierant, & nunc uno volumine exhibentur. Ast in defectu tamen scriptorum juridicorum recentium, quorum quidem pauca ad nos proximis mensibus pervenerunt, non ingratum fore jurisprudentiæ cultoribus existimavimus, si quam paucissimis argumentum atque scopum operum Stockmannianorum indicaverimus. Prior itaque pars complectitur Decisiones Brabantinas, ut inscribuntur: quibus id potissimum intendit autor, ut eam juris partem, quæ receptis jurisprudentum sententiis absolvitur, in Brabantie regionibus vigentem elucidaret. Tametsi vero ipse agnoscat, se hac in re jamjam alios prævios habuisse, puta *Joh. Deckberum*, *Franciscum* item & *Henricum Kinsbosios* aliosve; Philominus se hoc præ illis præcipui habere contendit, quod istis quidem nec jus suffragii in auditoriis causarum fuerit, nec aditus ad intima patuerit consilia: cum e diverso sibi per 20 annorum spatium in Dicasteriis sedere, ac fundamenta decisionum velut coram intueri atque imbi-

Bere contigerit. Expromunt vero hæc decisiones partim receptas per totam Brabantiam consuetudines, v. g. quod ibi filii familias testamenta condere valeant de iis etiam, in quibus patri ususfructus & administratio competeat; quod inter spurios eorumque matrem nulla admittatur successio, sed fiscus utrobique præferatur; quod bonorum possessioni, *Unde vir & uxor*, locus non sit, verum deficientibus omnibus etiam cognatis non conjux, sed fiscus succedat; quod legitimatis per rescriptum Principis nullum jus sit ad successionem ab intestato; quod donatio quingentos licet solidos excedens insinuatione non indigeat; quod sponsonibus super incertis eventis initis nullæ tribuantur vires; quod jura testamentorum & codicillorum in totum adæquata sint, nec plures ad utrorumque validitatem quam duo testes cum notario requirantur, ne quidem in cæci ultima voluntate: ob eandem tamen vestigium paucitatem judicatum fuit, legatum ibi locorum peti non posse, quod uni e testibus illis in testamento relictum esset. Partim vero etiam Decisiones hæc concernunt particularia quorundam locorum ejus ditionis statuta, iisque tanquam fundamentis innituntur: exempli causa, quod Antwerpiz locus non sit Senatûs Consulto Vellejano; quod apud Bruxellenses optio comperat viduis, an pacta nuptialia servare malint, an vero his posthabitis ea capere, quæ alias ex statuto iis deberentur; item quod ejusdem civitatis consuetudo omnimodam patri æqualitatem injungat, servandam in testamento inter liberos, in tantum, ut & fidei commissum uni filiorum injunctum pro invalido habeatur, nec illud per taciturnitatem filii suam portionem acceptantis convalidetur. Verum enim vero his aliisque hujusmodi compluribus, hic alias prolixius commemorandis, ob rationem supradictam merito abstinemus. Alteram Stockmappi operum partem absolvit tractatus de Jure Devolutionis, apud plures quidem gentes quadantenus obtinente, Brabantiz tamen incolis maxime recepto ac quasi proprio: quod nil aliud est, quo paucis nos in re non ignota *pediamus*, quam vinculum quoddam, quod dissoluto per mortem matrimonio consuetudo injicit bonis immobilibus conjugis *superstitis*, ne ea ullo modo alienet, sed integra conservet ejusdem matrimonii liberis, ut in ea succedere possint, si parenti huic superfuerint vel ipsi, vel qui ex iis nati fuerint, exclusis liberis secundi vel ulterioris generis. Naturam itaque hujus juris & fundamentis explicat auctor,

spe-

specialia permulta ad perfectam ejus cognitionem facientia tradens, ac dubia complura desuper orta removens. In specie cum huic capiti haud postrema Regis Gallia in Brabantiam pratensio innatur, occupatus est in demonstrando, quam infirmo pede Gallorum petitio nitatur; quamvis insimul protestetur, se publicorum istorum negotiorum minus gnarum, nec ulla publica instructum auctoritate hæc de privato saltem Dévolutionis jure commentari. Cæterum cum Tractatum hunc anonymus quidam autor, natione Gallus, ut videtur, impugnasset, quo hujus argumentis obviaret, secundam ejus partem scribere permotus fuit; cui desiquæ & tertiam, cum secundam quoque idem anonymus subruere adgressus esset, superaddere pro ulteriori sua defensione necessum habuit Autor.

**DETERMINATIO FR. IOANNIS PARISIENSIS**  
*Prædicatoris, de modo Existendi Corpus Christi in Sacramento*  
*Altaris, alio, quam sit ille, quam tenet Ecclesia:*  
*nunc primum edita.*

Londini apud J. Caillouë, 1686, in 8.

**D**OCTOR ille Scholasticus antè trecentos circiter annos vixit, cum aliis scriptis, tum hac præsertim Determinatione, ut vocat, famosus. Quam qui in Anglia edidit, exulem se in istas oras delatum (forsan ex Gallia) innuit in dedicatoria ad Archiepiscopum Cantuariensem epistola, cui has literas nominis sui indices subscripsit: *P. A. E. A. P.* Idem vir doctus & reformatæ religioni addictus, tractatui Ioannis præfixit *Præfationem Historicam de dogmate Transsubstantiationis*, quæ id veteri Ecclesiæ fuisse incognitam, & cum primum in lucem emerfit, prodogmate, quod ad Christianam fidem pertineret, habitum non fuisse ostendit. Prius ex Chrysofomo, Theodoro & Gelasio confirmat. Posterius superiori seculo omnes, qui supra vulgus sapuerunt, falsos esse monet, ac nuper illustrem Pontificium e Gallia agnovisse, cujus de Transsubstantiatione scriptum Gallicum, quo statuat, id dogma pro articulo fidei obrudi non posse Protestantibus, propediem ipsius jussu se editurum pollicetur anonymus, addens, illi se debere copiam *Determinationis Ioannis Parisiensis*, quam nunc emisit, eique illustrandæ dictam præfationem adjunxit, in qua tria præstare voluit.

I. Non

I. Non fuisse Transubstantiationi, seu quæ a Nicolao secundo, seu quæ a Gregorio VII super eodem argumento definita sunt, ac Berengario tanquam de fide præscripta. Quam in rem utramque formulam exhibet, & Gregorium VII de Transubstantiatione fluctuasse, ex ejusdem Commentario in Matthæum MSto probat. Paulo post Rupertum Tuitiensem *impanationem* vel invenisse, vel repertam ab aliis propugnasse statuit, & contra Gerberonium sustinet. Addit, hoc ipso ævo non multis annis post Rupertum acriter impugnatam fuisse Nicolai definitionem, & varias de transubstantiatione sententias viguisse, idque ostendit ex Abbaudo, Gualtero, Petro Lombardo, Petro Pictaviensi, aliis. II. Innocentium tertium in Concilio Lateranensi primum & solum Transubstantiationem sub anathematis pœna in dissentientes definire molitum esse, neque tantam tamen obtinuisse auctoritatem, ut omnes sine dubitatione subscriberent, sed varias potius sententias agitarent atque foverent. Quod cum ex aliis plurimis Scholæ Doctoribus, tum ex Joannis præsertim Parisiensis Determinatione commonstrat. Hunc magni nominis fuisse ait, qui inprimis in controversia inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII delectus videatur, ut jura Regia adversus Pontificis Romani ausus defenderet. Eundem Magistros Parisienses æquos suæ Determinationis judices antea expertum, paulo post iniquos passum fuisse, quippe a quibus Thomistarum opera, lectione, id est, professione publica, & prædicandi jure illi interdictum fuerit. Verum Joannem non cessisse adversariis, curiamque Romanam appellasse, sed post suum eo accessum morte obiisse. Putat quoque, Thomistas in comitiis illis Parisiensibus superasse, allata auctoritate Innocentii Tertii in Lateranensi Concilio, quod tamen a plerisque Pontificiis pro generali habitum non esse demonstrat, nec a Gallis pro tali agnosci posse, ob doctrinam de jure deponendorum Regum ab Innocentio in isto Concilio definitam, sed a clero Gallicano in suo cœtu generali anno 1682, tanquam errorem Regio Statui plane exitialem rejectam. Monet denique illustrem Anglum Pontificium, Prestonum, sub Widringtoni titulo, in libro adversus Lessium, quem *discussionem discussionis* inscripsit, hujus Concilii Lateranensis discussisse auctoritatem, & nullam fuisse apud ipsos Pontificios, demonstrasse. III. A Joannis Parisiensis tempore super eo dogmate non convenisse scholæ Pontificiæ Magistros. Quod plurimorum nominibus

bus scriptisque allegatis comprobat, Lectoremque remittit ad Considerationes Guil. Forbesii de dogmate Transsubstantiationis, in quibus superioris seculi virorum inter Pontificios illustrium sententias super ea Innocentii definitione laudet; quos sequuti sint Petrus de Marca, Joannes Barnes Benedictinus, & alii.

Finita præfatione exhibet *VVillemi Malmesburiensis* Præfationem & epilogos librorum Amalarii de divinis officiis, quæ supra promiserat pag. 24. Dehinc sequitur tandem ipsa *Determinatio Joannis Parisiensis*, qui statim initio profitetur, se existentiam veram & realem corporis Christi in Sacramento Altaris defendere, sed non audeat dicere, quod opinio de permanentia accidentium sine subjecto sub fide cadat. Quare aliter salvari posse arbitratur realem existentiam, cedere tamen paratus, si ostendatur dictus modus determinatus esse per sacrum canonem, aut per ecclesiam, aut per generale concilium, aut per Papam. Posthæc prolixè exponit ac defendere satagit suam sententiam, quàm hoc modo declarat: *sicut igitur Christus vere moriebatur per communicationem idiomatum, per humanitatem assumptam, sic corpus Christi pars manducatur & atteritur per communicationem idiomatum per assumptam paneitatem, mediante ipso.* Existimat porro, antiquos modernosque doctores idem statuissè, & ex his nominatè Guidonem de Cluvigny, qui determinarit in quodlibeto, corpus Christi esse in altari per assumptionem; & similiter panem esse corpus Christi per idiomatum communicationem, & dixerit, se si Papa esset, illam sententiam confirmaturum. Subjicitur denique epictisis Collegii Magistrorum in Theologia Parisiensium, qui utrumque istum modum ponendi Corpus Christi esse in Altari, tenent pro opinione probabili; quia vero nullus determinatus sit per Ecclesiam, idcirco nullum cadere sub fide pronunciant, anathemati subjicientes, quicumque determinate adsereret alterum præcisè cadere sub fide. De quibus omnibus Lectores pro sua prudentia facile judicabunt. Nec quisquam erit, qui non videat, Johannem nostrum Parisiensem eo vixisse & scripsisse tempore, quo regnavit in scholis styli barbaries.



I. Non fuisse Transubstantiationi, seu quæ a Nicolao secundo, seu quæ a Gregorio VII super eodem argumento definita sunt, ac Berengario tanquam de fide præscripta, Quam in rem utramque formulam exhibet, & Gregorium VII de Transubstantiatione fluctuasse, ex ejusdem Commentario in Matthæum MSto probat. Paulo post Rupertum Tuitiensem *impanationem* vel invenisse, vel repertam ab aliis propugnasse statuit, & contra Gerberonium sustinet. Addit, hoc ipso ævo non multis annis post Rupertum acriter impugnatum fuisse Nicolai definitionem, & varias de transubstantiatione sententias viguisse, idque ostendit ex Abbaudo, Gualtero, Petro Lombardo, Petro Pictaviensi, aliis. II. Innocentium tertium in Concilio Lateranensi primum & solum Transubstantiationem sub anathematis pœna in dissentientes definire molitum esse, neque tantam tamen obtinuisse auctoritatem, ut omnes sine dubitatione subscriberent, sed varias potius sententias agitent atque foverent. Quod cum ex aliis plurimis Scholæ Doctoribus, tum ex Joannis præsertim Parisiensis Determinatione commonstrat. Hunc magni nominis fuisse ait, qui inprimis in controversia inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII delectus videatur, ut jura Regia adversus Pontificis Romani ausus defenderet. Eundem Magistros Parisienses æquos suæ Determinationis judices antea expertum, paulo post iniquos passum fuisse, quippe a quibus Thomistarum opera, lectione, id est, professione publica, & prædicandi jure illi interdictum fuerit. Verum Joannem non cessisse adversariis, curiamque Romanam appellasse, sed post suum eo accessum morte obiisse. Putat quoque, Thomistas in comitiis illis Parisiensibus superasse, allata auctoritate Innocentii Tertii in Lateranensi Concilio, quod tamen a plerisque Pontificiis pro generali habitum non esse demonstrat, nec a Gallis pro tali agnosci posse, ob doctrinam de jure deponendorum Regum ab Innocentio in isto Concilio definitam, sed a clero Gallicano in suo coetu generali anno 1682, tanquam errorem Regio Statui plane exitialem rejectam. Monet denique illustrem Anglum Pontificium, Prestonum, sub Widringtoni titulo, in libro adversus Lessium, quem *discussionem discussionis* inscripsit, hujus Concilii Lateranensis discussisse auctoritatem, & nullam fuisse apud ipsos Pontificios, demonstrasse. III. A Joannis Parisiensis tempore super eo dogmate non convenisse scholæ Pontificiæ Magistros. Quod plurimorum nominibus

bus scriptisque allegatis comprobat, Lectoremque remittit ad Considerationes Guil. Forbesii de dogmate Transsubstantiationis, in quibus superioris seculi virorum inter Pontificios illustrium sententias super ea Innocentii definitione laudet; quos sequuti sint Petrus de Marca, Joannes Barnes Benedictinus, & alii.

Finita præfatione exhibet *VVillemi Malmesburiensis* Præfationem & epilogos librorum Amalarii de divinis officiis, quæ supra promiserat pag. 24. Dehinc sequitur tandem ipsa *Determinatio Joannis Parisiensis*, qui statim initio profitetur, se existentiam veram & realem corporis Christi in Sacramento Altaris defendere, sed non audeat dicere, quod opinio de permanentia accidentium sine subjecto sub fide cadat. Quare aliter salvari posse arbitratur realem existentiam, cedere tamen paratus, si ostendatur dictus modus determinatus esse per sacrum canonem, aut per ecclesiam, aut per generale concilium, aut per Papam. Posthæc prolixè exponit ac defendere satagit suam sententiam, quam hoc modo declarat: *sicut igitur Christus vere moriebatur per communicationem idiomatum, per humanitatem assumptam sic corpus Christi pars manducatur & atteritur per communicationem idiomatum per assumptam paneitatem, medianse ipso.* Existimat porro, antiquos modernosque doctores idem statuisse, & ex his nominatim Guidonem de Cluigny, qui determinavit in quodlibeto, corpus Christi esse in altari per assumptionem; & similiter panem esse corpus Christi per idiomatum communicationem, & dixerit, se si Papa esset, illam sententiam confirmaturum. Subjicitur denique epictisis Collegii Magistrorum in Theologia Parisiensium, qui utrumque istum modum ponendi Corpus Christi esse in Altari, tenent pro opinione probabili; quia vero nullus determinatus sit per Ecclesiam, idcirco nullum cadere sub fide pronunciant, anathemati subjicientes, quicumque determinate adfereret alterum præcisè cadere sub fide. De quibus omnibus Lectores pro sua prudentia facile judicabunt. Nec quisquam erit, qui non videat, Johannem nostrum Parisiensem eo vixisse & scripsisse tempore, quo regnavit in scholis styli barbaries.

*S. CLEMENTIS EPISTOLÆ DULÆ AD CORINTHIOS. RE-  
censuit & notarum spicilegium adiecit Paulus Colomeseus, bibliotheca  
Lamberhana Curator. Accedit Thoma Brunonis Canonici VVindesfo-  
Wensis Dissertatio de Therapeutis Pbilonis. His subnexa sunt epi-  
stola aliquot singulares, vel nunc primum edita,  
vel non ita facile obvia.*

Londini, impensis Jacobi Adamson, 1687, in 8.

**C**lementis Romani ad Corinthios epistolæ, quanto reliquis sub ejus nomine vulgatis sinceriores sunt, & a primæva simplicitate minus alienæ, tanto plus operæ iisdem edendis, in alias linguas transferendis & illustrandis impenderunt Viri antiquitatis ecclesiasticæ studiosi. Laudati hoc nomine in Colomesii præfatiuncula *Patricius Junius*, qui insigne hoc ætatis apostolicæ monumentum ex vetustissimo codice, quem manu Theclæ nobilis fœminæ Ægyptiæ circa concilii Niceni I. tempora exaratum, Cyrillus Lucaris ex Alexandrino Constantinopolitanus Patriarcha, per Thomam Rowæum ex oriente reducem, Carolo I Angliæ Regi dono miserat, anno 1633 primus e tenebris produxit; *VV. Bursonus*, qui anno 1647 Anglice vertit & uberioribus notis exornavit; *Jaachimus Johannes Maderus*, qui anno 1654 Junianam editionem Helmstadiensibus typis exprimi curavit, & nova præfatione addita, genuinum esse hunc Clementis fortum, contra quendam nostratium Theologorum demonstravit; *Johannes Baptista Cotelierius*, qui anno 1671 inter opera S. Patrum Apostolis coævorum, universa Clementis Romani opera, adjectis doctissimis notis evulgavit; *Johannes Fell*, Oxoniensium nuper artifex, qui anno 1677 utramque Clementis ad Corinthios epistolam, minori quidem forma, sed notis non minus doctis conspicuam repræsentavit, & *Ezechiei Spanhemius*, qui priorem Clementis epistolam ad Corinthios jam olim in Gallicam linguam transtulit, sed publici juris hætenus nondum fecit. De se ipso horum exemplum imitatus *clarissimus Colomeseus* nihil addit, sed quid in nova hac editione præstiterit, lectoris judicio relinquit.

Præmissa est de Clementis & ejus epistolarum tempore *Godofredi Vendelini* divinatio, quam etiam *Labbeus* T. I. Concil. utriusque Cle-

mentis

mentis ad Corinthios epistolæ adjunxit. Sequuntur ipsæ Clementis epistolæ breviusculis notis illustratæ, prior cum versione *Patrii Junii*, posterior cum versione *Vendelini*, cui & aliud Clementis fragmentum ex Damasceni parallelis *Cotelerio* interprete subjunctum legitur.

Accedit ad has Clementis epistolas, *Thoma Brunonis* de Therapeutis Philonis aduersus *Henricum Valesium* dissertatio, quam in Vossiana bibliotheca seruatam hæcenus & inde acceptam, Colomesius luce publica dignam censuit. Existimat autem Bruno, Therapeutas illos Philonis, Essenorum sectæ quondam additos, postea Marci Evangelistæ, cui Alexandrina ecclesia origines suas debet, ministerio ad Christianam fidem transiisse, quod Eusebii & Hieronymi autoritate probat, duos obesse sibi scrupulos asserens, quo minus in aliorum sententiam concedat. Unus eorum est, cur locus, ubi Therapeutas suos Philo versatos fuisse tradit, loco, quem ab Ascetis Christianis frequentatum Palladius in historia Lausiaca memorat, adeo sit similis, ut lacti, ovum ovo non possit esse magis; cum tamen Judæos viribus potiores, a Christianis sedibus suis expulsos fuisse, minime probabile videatur: alter vero, cum tres insignes Judæorum sectæ fuerint, Pharisei, Sadducæi & Esseni, & per omnes mundi plagas tot Pharisei & Sadducæi reperiantur, qui fiat, ut statim a tempore Philonis ad hunc usque diem Essenorum secta profus evanuerit? Quos scrupulos nulla ratione commodius eximi sibi posse contendit, quam si Essenos a Marco ad fidem Christianam allecitos statuatur. Cum vero *Henricus Valesius*, in suis ad Eusebium notis, Therapeutas a Philone descriptos, neque Essenos, neque Christianos fuisse censeat, ejus argumenta pro utraque assertionis parte allato ordine recenset, & ad singula respondet. Corollarii loco juramentum illud Essenorum explicat, quo se juxta Josephum obstrinxerunt, se præcepta religionis nemini aliter, quam ipsi acceperint, esse tradituros, a latrociniis abstenturos, nec non sectæ suæ libros & angelorum nomina observaturos esse. Existimat autem, eos per Sacramentum Domini Corporis ac Sanguinis jurasse, quod ab initio nascentis ecclesiæ pro juramento fidelitatis habitum fuerit. Porro Essenos, cum se ad custodiendos sectæ suæ libros obligarunt, ad Eleazari, Aristobuli aliorumque veterum Judæorum scripta, allegoricam legis expositionem continentia, digitum intendisse censet, ad quæ Christum etiam respexisse suspicatur, cum Joh. V, 39. Judæis Scripturæ scrutinium commendat,

quasi de Christo ex Scripturæ cortice parum cognoscere potuissent, nisi ad allegoricos sectæ suæ libros recurrissent. Per nomina autem angelorum, verba nuntiorum Dei seu ministrorum conciones publicas intelligit, cum τὰ ὀνόματα apud Philonem, Eusebium & Porphyrium haud raro idem significant ac τὰ ῥήματα, & angelos pro quibusvis nunciis usurpari constet.

Claudent hoc volumen rariores aliquot clarorum virorum epistolæ, partim nondum hæcenus vulgatæ, partim accuratius editæ, aut rarius obviæ, quarum argumenta brevissime referemus. I. Eubulus Cordatus, seu qui sub hoc nomine latet *Ulricus Huttenus*, Montesium post Alexandrum VI & Julium II, quorum pessimos mores notat, sub Leone X meliora sperare jubet. II. *Johannes Calvinus* Laliu Socinum a portentosis speculationibus gravissima objurgatione dehortatur. III. *Hugo Grotius* a *Johanne Crellio* laudatus paria rependit, de nonnullis utriusque scriptis differens. IV. *Justus Lipsius* *Franciscum Villerium* ad Romanam, a qua desciverat, ecclesiam reducere conatur. V. *H. Grotius* ad *Vossum* de Salmasio scribit. VI. *Jac. Sadoletus* suam erga *Sturmium*, *Melancthonem* & *Bucerum* benevolentiam testatur. VII. *Hier. Groslotius* *Jacobo Leclio* *Josephi Scaligeri* Scazontem in urbem Romam legendum probandumque mittit. VIII. *Jacobus Bongarsius* scrupulum ex infelicibus Protestantium armis conceptum, in sinum *Joachimi Camerarii* effundit. IX. Card. *Rschelius* *Barlai* panegyricum remuneratur. X. M. *Hospitalis* falsos de se rumores, qui ad *Pii IV* aures pertigerant, dispellit. XI. *Celiv Calcagninus*, in litteris ad *Jac. Zieglerum*, viros quibuscum Romæ familiariter versatus est, imprimis *Hieronymum Aleandrum*, *Egidium Cardinatem*, *Fabium Ravennatem*, *Rapbaelem Urbinatem*, & *Paulum Jovium* commendat. XII. *Johannes Bona* mittit *Luca Acherio* Capitulare Aytonis, ut spicilegio suo, quod a Summo Pontifice laudatum refert, inserat. XIII. *Andreas Mastius* *Georgium Cassandrum*, cujus nomen in expurgatorium indicem relatum fuerat, Erasmi societate solatur. XIV. *Cornelius van Drebbel* phænomena quædam optica recenset. XV. *Petrus Molinaus Lancelotto Andrewes*, quid de episcopali ordine sentiat, exponit. XVI. *Lancelottus* respondet. XVII. *Robertus Scheilderus Seb. Tegnagelio Freheri* & *Casauboni* mortem nunciat, & leoni mortuo insultat. XVIII. *Andreas Schottus Casaubonum* a Calvini doctrina & scriptis polemice avocare conatur.

conatur. XIX. *Beza* Cod. MS C. quatuor Evangelist. & Act. Academiæ Cantabrigiensi donat, ejusque a vulgaribus codicibus discrepantiam observat. XX. *Samuel Petrus Samueli Sorberio* nepoti suum de episcopalis hierarchiæ antiquitate judicium aperit. XXI. *Jacobus Sirmondus* ad *Seb. Tegnageliûm* scribens, de nonnullis Petavii, & Ducæi, & sui ipsius lucubrationibus agit. XXII. *Claudius Sarravius* data ad *Jac. Ufferium* epistola, Græcam Bibliorum editionem a *Frontone Ducæo* susceptam, a Romanis impeditam & suppressam memorat. XXIII. *Christophoro Carleilus Castalionis* biblia commendat. XXIV. *Cornelius Valerius Mureto* discipulum suum *Lipsum* commendat. XXV. *Ger. Job. Vossius* studium antiquitatis, & *Forbesii*, ad quem scribit, institutiones historico-theologicas commendat. XXVI. *Johannes Boisius* se ab *Henrico Savilio* Chrysofostomum edituro in societatem laboris vocatum gaudet, & ecclesiæ ministros ad Chrysofostomi lectionem invitat. XXVII. *Petrus Carolinus* *Andrea Dudicii* favorem captat, & an ab orthodoxa de Deo doctrina defecerit, explorat. XXVIII. *Petrus Molinaus*, in literis ad *Montacutum*, *Casaubonum* arguit, quod ad papismum inclinaret, ejusque apostasia metuenda, nisi in Anglia servetur. XXIX. *Job. Bapt. Folengius* laudes, ob commentarium in Psalmos ab amicis in se congestas, modesta sui extenuatione declinat. XXX. *Job. Slechta Costelecius* sectam Pyghardorum repræsentat. XXXI. *Erasmus* ad hanc epistolam respondet, & quid in hac hæresi culpandum, tolerandum probandumve censeat, exponit. XXXII. *Ariás Montanus Philippum II* Hispaniæ Regem de cavendis Jesuitis monet. XXXIII. *Hoperus* ex carcere *Johannem Calvinum* de morte *Eduardi VI*, & deplorato Angliæ statu certiore facit. XXXIV. *Richardus Coxus Georgium Cassandrum* per literas consulit, an imagines Christi crucifixi in templis erigere liceat. XXXV. *Johannes Juellus Josia Simlero* pro icone Petri Martyris, & libello de ejus vita & obitu, alioque contra Stancarum edito gratias agit. XXXVI. *Thomas Cranmerus Vadiani* sententiam de Eucharistia sex libris defensam, sibi non probari candide fatetur. Addit tamen *Colomiesus*, ipsum postea a *Ridleyo* persuasum sententiam mutasse. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX. feliæ reformationis in Anglia progressus breviter narratur. XL. *Johannes Hokersus* idoli Cantiani imposturas patefactas, idemq; a populo frustillatum comminutum memorat. XLI. *Philippus Melancthon Gulielmo Bellajo Langao* articulos quosdam fidei mittit, concordiæ tractandæ

causa a se compositos. XLII. *Josephus Hallus M. Antonium de Dominis* a consilio Romam redeundi graviter & prolixè dehortatur. XLIII. *Edmundus Grindallus Zanchii* constantiam in tuenda sententia laudat, & quis rerum in Anglia status, refert. XLIV. *Andreas Dudisbius Quirini Reuteri* discessum votis prosequitur. XLV. *Melanchthon ad Cameracensium* de reformatione Hermanni Colonienſis Episcopi scribit. XLVI. *Cyrillus Lucaris Metropbanem Cristopulum*, Theologiæ discendæ causa in Angliam missum, Cantuariensi episcopo commendat. XLVII. Respondet episcopus, & hunc ex Græcorum seminario surculum Oxoniensi academiæ insertum memorat. XLVIII. *Cyrillus Lucaris* in literis ad eundem episcopum *Georgium*, Jacobi Regis mortem dolet, & successori Carolo felix imperium precatur. XLIX. *Friderici IV* Electoris Palatini confessio fidei Rudolpho II. Imperatori exhibita. L. *Jacobus Bongarsius*, quid de *Bodino* ejusque libris de republica cognoverit, *Ritzersbusio* communicat. LI. *Anniani Celedensis* præfatio in *Chrysoſtomii* homilias de Pauli laudibus, audior & emendatior, quam in editione operum Chrysoſtomi a *Duceo* curata legitur. LII. *Beatus Khenanus* de diffensionibus in ecclesia & pacis impedimentis queritur. Subjungitur *Casauboni* judicium de ritibus ecclesiæ Anglicanæ, e manuscriptis ejusdem ephemeridibus depromptum. LIII. *Muretus* ad *M. Ant. Ciofanum* scribit, cur cum *Nathane Chyrao* aliisque peregrinis, a Romana religione alienis, nihil commercii habere velit, & *Manutium* Romam invitat. LIV. *Johannis Quistorpii* ad *Bernardum Taddelium* de Hugonis Grotii obitu relatio. LV. *Ludovicus Crocius Gerbardum Johannem Voffium* hortatur, ut edat historiam ecclesiasticam de mysterio SS. Trinitatis, cujus spes a *Wolzogenio* sibi facta fuerat.

LE VRAY SYSTEME DE L' EGLISE, &c. PAR LE SIEUR  
Jurieu, Docteur & Professeur en Theologie.

i. c.

PETRI JURIEU, THEOLOGÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS  
verum Systema de Ecclesia & Analyſi fidei.

Dordraci apud yiduum Caspari & Theodorum Goris

1686, in 8.

De

**D**E *Autore* multis scriptis *clarissimo*, quorum non paucā in Acta nostra retulimus, præfari superfluum foret. Apparet etiam ex titulo libri, contra quos potissimum (quanquam & aliis passim respondeatur) opus hoc compositum sit; *Nicolium* nempe & *Feranduth*. Id vero lectione, si quid judicamus, dignissimum tantaque argumentorum & rerum notabilium cōpia refertum, ut difficile fuerit, compendium ejus exhibituros prolixitatem vitare. Factum inde, ut reliquis in mensem proximū dilatis, nunc primi solum libri contenta exponamus.

Quā in principio libri de *Præjudiciis contra Papismum* Autor proposuerat, *Ideam de Ecclesia*, a nobis in Actis a. 1685; pag. 527. breviter relatam, prolixius *libro hujus operis primo*, per XXVI capita probationibus firmandam, & ab objectionibus liberandam sumsit. Insistit ante omnia comparationi inter hominē, qui ex corpore & animo constat, & inter Ecclesiam, cujus animā fides est & charitas, corpus professio fidei & externa charitatis praxis, quæque & verē fideles & hypocritas continet; & occurrit difficultatibus, quæ opponi possent.

*Cap. II.* excludit ab Ecclesiæ idea triumphantem, respondetque ad locā Scripturæ, quibus ea pro parte Ecclesiæ haberi videntur; excludit etiam electos nondum natos, & rejicit divisionem Ecclesiæ in visibilem & invisibilem velut duas, nisi quatenus invisibilitas ad animam ecclesiæ, i. e. veram fidem & charitatem internam, visibilitas vero ad professionem Christianismi externam, i. e. ad corpus ejusdem Ecclesiæ referatur. Hinc *cap. III.* dogma Romanum; quod hypocritæ & mali veræ ecclesiæ membra sint, vehementer improbat, & qualis disputatio inter *Arnaldum* & *Malletum*, ejusdem licet religionis doctores versetur, ostendit; item quomodo *Augustini* sententia a *Scholasticis* discrepet, cum ille veros fideles pro parte essentiali Ecclesiæ habeat, Scholastici solum pro integrante. Absurditatem postea *cap. IV* demonstrat, cum ex *Augustini* dictis, qui hypocritas pro veris Ecclesiæ membris non habet, concludere velint, concilia non errare, et si fieri possit, ut non nisi hypocritæ in illis sedeant. *Cap. V.* diversum respectum, quo quis membrum Ecclesiæ dici possit, pluribus explicat, veramque rationem, de qua jam *cap. I.* aliquid dixerat, affert, per quam fiat, ut hypocritæ muneribus ecclesiasticis in docendo & sacramenta conferendo fungi possint; quia nempe salubris doctrinæ & sacramentorum fructus ex Dei operatione dependet, cui hypocritæ externam tantum



tantum actionem commodant, atque ideo instrumenti solum locum obtinent: ad infallibilitatem vero requiritur speciale Spiritus S. regimen, quod malis non contingit. Secundum systema suum (*cap. VI*) docet, in illis Ecclesie universalis cœtibus particularibus, qui totam veritatem revelatam retinent, neque dogmata aut cultus, qui fundamentum tollunt, adjecerunt, salvari homines, *per doctrinam quemadmodum proponitur*: in illis, qui fundamentales articulos retinuerunt, adjecerunt autem falsos, salvari *conservando ea, qua revelationi conformia sunt, rejectis, aut non explicite & pertinaciter admisfis, qua ultra fundamentū adjecta sunt*: in illis deniq; in quibus non sunt errores, qui fundamentū auferant, licet id debilitet, *ita salvari, qui erroribus adherent, quemadmodū salvantur, qui peccata, qua venialia vocantur, committunt, neq; tamen eorum veniam aperte petunt, quia ea ignota habent*. Errores enim non fundamentales in peccatorum venialium & ignorantium numero esse; interim remissionem peccatorum in genere peti, eamque ex magna Dei misericordia obtineri. Ex hac Ecclesie idea fieri, ut baptismus in cœtibus corruptis administratus, ab Ecclesia puriori non rejiciatur nec repetatur. *Cap. VII.* ex historia Ecclesie deducitur, baptismum hæreticorum primum rejici, & separari cœtus ob hæresin coepisse in Asia, ob monstrosas priorum seculorum hæreses a Simone Mago propagatas, quæ nil nisi nomen Christianismi retinuerint & Mahometismo fuerint deteriores: transiisse eundem morem in Africam, præsertim Cypriani tempore. Stephanum vero Papam a Cypriano dissentientem, distinctam de unitate Ecclesie notitiam non habuisse in eo, quod omnium hæreticorum, etiam in fundamento errantium, baptismum admitti voluerit, ideoque recte ei quoad tales, v. g. Gnosticos & Marcionitas, a Cypriano responsum, & Nicæa in concilio legitime distinctum fuisse inter hæreticos; retento quorundam, rejecto aliorum baptismo, illorum nempe qui divinitatem Christi sive SS. Trinitatem negabant, et si formulam baptismi eandem, quam orthodoxi adhiberent. Notat quandam Augustini circa factum istud difficultatem, sed *cap. VIII.* strictius ejus sententiam de unitate Ecclesie & de hæresibus examinat, & licet eum sui seculi maximum Theologum esse agnoscat, non sati tamen in hoc puncto sibi constituisse existimat, ita ut Donatista de hæreticorum baptismo rectius sentiat; aliquando tamen eum ad justam Ecclesie ideam rediisse: magis

vero

vero *Hieronymi* opinionem cum idea ista convenisse putat, *cap. IX.* Formatur itaque statum quæstionis (*cap. X.*) hoc modo, quod ipse Ecclesiam catholicam & universalem in omnes sectas extendi statuat, inque iis omnibus, quæ fundamentum religionis Christianæ non sustulerunt, vera reperiri ecclesiæ membra putet, etiamsi unitæ externis vinculis non sint, aut mutuo etiam sese excommunicent; adversarii vero afferant, Ecclesiam ad unam solum societatem restrictam esse, sub externo capite aliisque ritibus. Hanc autem sententiam crudelissimam & absurdissimam, pureque *Donatisticam* esse contendit, sive Romanæ, sive Græcæ, sive alii cuicumque Ecclesiæ applicetur; neque fieri posse credit, ut illi aliquis serio adstipuletur, sed actu diaboli paradoxon hoc foveri, ut simpliciores repagulo illo in coetibus retineat, a quibus absque hoc separare se non difficulter possent,

Magnam inde argumentorum aciem pro tutanda sua & destruenda adversariorum sententia educit, quorum *primum* est ab Ecclesiæ dilatazione per orbem terrarum, cujus divinæ promissionis implementum demonstrari nequeat, stante restrictione ad societatem quandam externo vinculo unitam, & exclusis separatis seu schismaticis coetibus; ubi iterum in *Augustini* traditis quædam notat, sed majores adversariorum errores producit, qui dilatazione illam Romanæ Ecclesiæ applicent, ita ut & cum *Donatistis* consentiant. Taxat speciatim, quod sufficere putent, si quosdam suæ religionis spatium in variis provinciis habeant, Pontifici adhaerentes: item quod semper in frequentiori Ecclesia sanam doctrinam quærendam esse existiment, cum id repugnet vaticiniis sacris de ultimis N. T. & Antichristi temporibus, in quibus dilatazio quidem per totum orbem locum habebit, sed major nihilominus multitudo & potentia apud eos futura indicatur, qui Antichristo adherent. *Secundum* argumentum *cap. XI.* sumitur a prædicta mixtura bonorum & malorum, sive tritici & zizaniarum, inter quæ hæreses referre non dubitat, cum non magis obstant universitati Ecclesiæ morum, quam doctrinæ defectus: monstrat etiam, quam iniquum sit, quod Romani nulla distinctione, ob leves non minus & paucos, quam graves aut multos errores, totos coetus condemnent. Notat veteres *Eutybianorum* & *Nestorianorum* hæreses, hodie non nisi verbales esse. Allegat *Historiam Jobii de Abyssinis*, & *Historiam Criticam de Ecclesiis Orientis*, quæ sub nomine *Monii* prædiit, in Acta nostra a. 1684. p. 499. relata. Sed

pro

pro *Jobio* fortasse V. C. *Jobi Ludolfi* historiam Abyssinam nominare voluit. Adducit pro sententia sua locum Pauli I. Cor. III. 11, -12. ex quo cum aliis argumentatur, per *ligna, faxum, stipulam* intelligi debere errores, & quidem non leves, ob quos tamen usque ad diem Domini separatio non sit facienda. *Tertio* (*cap. XII.*) ex conservatione verbi divini & sacramentorum in cœtibus schismaticis concludit, electos in illis esse, cum verbum Dei sine omni efficacia nunquam sit, & non nisi per accidens reprobis prædicetur: concedit tamen horum damnationem nõ Deo, sed cordis eorũ duritiei imputari debere Excludit ab hoc asserto *Socinianos*, tum ob fundamenti defectum, tum quod ob paucitatem computari pro cœtu aut corpore ecclesiastico non debeant. *Quartum* argumentum *cap. XIV.* sumitur a regno Israelitico, in quo, licet schismatico, Deus tamẽ electos & sanctos, & prophetas habuerit. Rejicit exceptionem, quod tales schismatici non adhæserint: adhæsisse enim, dum Hierosolymas ad festa solennia non venirent. *Cap. XV. quintam* rationem facit, quod conversi ex Judæis tempore primitivæ Ecclesiæ schismatici manserint, & cum conversis ex gentibus communionem non habuerint. Notat hic, Zelatores illos legis Mosaicæ *Ebionitas*, i. e. pauperes, teste *Origene lib. 2. contra Celsum*, & *Nazaræos* vocari, non ab Ebione, qui nunquam fuerit. Errores autem eorũ non fuisse de divinitate Christi, sed quod circumcisionem & adorationem in templo Hierosolymitano retinere voluerint; capitaliter utiq; sed non contra fundamentum errantes, quia de Christo omnia crediderint, quæ credere debuerint; ideoque ab Ecclesia non fuisse rejectos, ut constare putat ex *Act. XXI. 20. 22.* etiamsi post decretum illud *Act. XV.* in obstinatione sua persisterent. *Cap. XVI.* progreditur ad argumenta ex adversariorum sententia petita, & ita *septimum* sumit ab æstimatione, quam Græci, ut schismatici, & irreconciliabiliter ab Ecclesia Romana dissidentes, apud eam retinuerunt, eamque probat ex scriptis *Goari Dominicani in Eucologia sive Rituali Græcorum*, & *Leonis Allatii*; sed removet quas inferunt exceptiunculas. *Octavum* argumentum adducit, quod concedant Romani, in aliis cœtibus, v.g. *Arrianis*, verã Sacramenta fuisse, quæ gratiam contulerint, & quod hac ratione etiam electi in illis fuerint, non infantes modo, sed et adulti. *Nonum*, ab eorum jactatione, de consensu schismaticorum *orientalium*, in articulo *transsubstantiationis*, qui absurde allegaretur, si alias extra suam Ecclesias omnes damnent.

Cap.

*Cap. XVII. decimo loco habet, quod Romano-Catholici hæreticos Christianorum nomine, imo fratrum, licet errantium appellent, & undecimo, quod statuunt, (hodierni saltem) salutem tempore Antipaparam, qui tamen excommunicationibus sese invicem proscindebant, in utroque coetu obtineri potuisse, & respondet adversarii exceptioni, eamque niti monet opinione Gallicana de potestate concilii supra Papam, qua admissa hypothesis de unione Ecclesie sub pontifice convelli ostendit.*

Sic adferis, quæ proposuerat, objectiones adversariorum examinata *cap. XVIII.* ad finem libri, quæ, ne abutatur lectorum patientia, quam fieri potest brevissime indicabimus, Respondet d, c, XVIII. ad auctoritatem Augustini & veterum, cui veritatem ipsam ex Scriptura sine ambagibus petendam præfert, Ecclesiam, extra quam non est salus, illam esse asserit, quæ internis vinculis, non quæ externis unita est. C. XIX. removet consecutionem, ac si stante idea Ecclesie universalis, licet cum omnibus sectis communicare, aut in corruptiori persistere, neglecta puriori, *Socinianismus* non magis, ac *Mahometismus*, Christianorum nomen inererit dicitur, licet & hic pro secta ex Christianismo orta habendus sit, *Arianismus* negatur corpus Ecclesie constituisse, quia in Episcopis & doctioribus plerumque hæserit, populo æquivocationes eorum non capiente. Distinguitur inter eos qui fundamentum tollunt, & qui præter fundamentum dogmata adstruunt, quod plurimos coetus in orbe, sed maxime Romanos facere notat, *Cap. XX.* ostendit, qui fiat, ut in sectis errantibus aliqui, veluti per exceptionem, salventur (exclusis iterum *Socinianis*;) interim regulam stabilit, quod separatio a cognitis erroribus sub pœna damnationis fieri debeat, & quod damnentur, qui scientes ex puriori in corruptiorem sectam transeunt. C. XXI. deducitur, quod necessaria fuerit separatio a Pontificia doctrina, tempore *reformationis*. Explicatur, quomodo inter *Lutheranos & Reformatos* communio locum habeat, sine professione opinionum, quas alterutra pars pro erroneis habet, quas tamen negat fundamentales esse. C. XXII. plura affert contra indifferentem communionem inter sectas, & adversus tolerantiam a fanaticis prætentam: negat tamen sectas jam stabilitas vi extirpari, aut ferro & igne stabilimentum earum impediri debere. C. XXIII. examinat, quatenus error tolerari possit; excludit autem erro-

rem juris. C. XXIV. idem facit circa conscientiam errantem, & adimit prætextus persecutoribus, & iis, qui contra fundamentum errant; tractat etiam de fide hæreticis vel dissentientibus servanda. C. XXV. visibilitas Ecclesiæ asseritur, quoad externos quosdam characteres, prædicationem nempe verbi Dei, & rejiciuntur alii characteres, qui tantum conveniunt Ecclesiis particularibus. Defenduntur ista c. XXVI. adversus *Episcopi Meldensis* objectiones, & notatur vocem *Ecclesia* in Scripturis semper de visibili accipiendam esse, neque aliam in Symbolo Apostolico per  *catholicam*  intelligi. C. XXVII. perpetuitatem Ecclesiæ adstruit, neque cessare illius existentiam, etsi non semper omnes articulos profiteatur. Negat itaque unquam sublatam aut invisibilem factam esse, ita ut ne sub *Manasse* quidem cessaverit, sed superfuerint qui juxta verbum DEI publice Deum coluerint; mansisse itaque, & visibilem quidem, etiam in persecutionibus & inter hæreses. Respondet ad quæstionem, ubi Ecclesia fuerit ante Lutherum? Fuisse nempe in coetibus, qui ante illum erant; non sequi tamen hinc, semper puram fuisse; ita & ministerium legitimum semper mansisse, licet erroribus docendis occupatum quandoque fuerit.

### JUGEMENT SUR LES METHODES RIGIDES

*& relaxées d'expliquer la Providence.*

*& la Grace &c. i. c.*

Judicium de methodo, & rigida, & laxiori, in explicanda Gratia & Providentia Dei, ad inveniendum medium reconciliationis inter Protestantæ Augustanæ Confessionis & Reformatos.

Roterodami, apud Abrah. Acher, 1686, in 12.

**A**utores scripti, & stylus & alia manifestant; neque invito illo, nomen *D. Jurieu* proditum esse existimamus in *Excerptis Roterodamentibus, mensis Augusti anni proxime præteriti*. Pro majoris operis præfatione libellum hunc compositum esse, in averfa tituli pagina notatur. Preparari autem illud dicitur adversus novas quasdam opiniones Pelagianismo affines, *modernorum* quorundam, qui Autori quidem non nominantur, in excerptis vero modo dictis a *Pajonio* (qui Ecclesiastes

fastes Reformatorem Aurelianensium fuit) *Pajonista* vocantur: Pro fundamento subternitur, *esse Deum, esse providentiam: & Deum esse ens infinite perfectum*, idque dicitur nec a *Spinosistis* negari, licet ita insaniant, ut ex mundo Deum faciant, cui tamen nec intelligentiam, nec libertatem agendi, nisi quatenus hæc bona in homine, sed imperfecte deprehenduntur, tribuere possint. Sic *Sect. I.* breviter rejecto *Spinosismo*, *Sect. II.* *Socinianismum* etiam ex hoc ipso theoremate, veluti aliud agens, proculcat. Inde *Sect. III.* propius accedit ad propositum, & a perfectione Entis divini excludit *velleitatem*, & quicquid intra votum consistit, & sic non nisi perfectam & determinatam voluntatem, & perfectam omnium futurorum & dispositionem & prævidentiam ei assignat, sicut & omnipotentiam, & quod omnes creaturæ totaliter a Deo dependeant, ut a deo omnes non nisi per Deum subsistant & agant. Hunc conceptum Entis perfectissimi, ex rationis lumine deductum, Scripturæ testimoniis firmare instituit, quæ universa & singula, etiam mala, a Deo non prævideri solum aut permitti, sed (dura alibi phrasi) etiam effici dicat. At ideam hanc magnis difficultatibus laborare non diffitetur *Sect. IV.*, quia stante illa penetrari nequeat, cur Deus tam bonus, sapiens & potens, lapsum hominis non impediverit; cur poenitentiam prædicari faciat, neque tamen vires ad eam omnibus concedat, & alia ejusmodi plura. Inde factum ait, ut sententia Augustini tanta incurreret odia, quasi Deum causam peccati, imo crudelem & injustum sistat, qui peccatoribus æternas poenas irroget, ob actiones, quas ipse Deus ab æterno sciverit, decreverit & efficaciter operatus sit. Hinc tot methodos indagari cœpisse, per quas sanctitas & justitia Dei in tuto poneretur. Ipse itaque Autor nihil magis optare se dicit, quam ut id fieri possit; duas tamen conditiones stipulatus (1.) *ut salva maneat idea de Ente infinite perfecto*, quam proposuit. (2.) *ut omnes omnino difficultates tollantur*, nulla plane residua. Hoc nisi præstetur, satius esse, se in sententia veteri, quam Augustino tribuit, immotum relinqui. Jam *Sect. V.* *Socinianorum* methodum, qui prædestinationem negant, & hominum egram libertatem tribuunt, examinat & destruit: in *Scoti* etiam & qui eum sequuntur *Scholasticorum* opinione, de decretis Dei *conditionatis*, & *concursum indifferentem ad actiones humanas*, perfectioni Divinæ idæ repugnantia ostendere nititur, nec non in modernorum *Scholasticorum invento de scientia media*; quia ut in fine sectionis hujus loquitur,

zur, Deum nihil provideat ut futurum, quodque fieri debeat, nisi prius decreverit, quid secuturum sit. *Señ. VI.* pergit ad examen sententiæ de voluntate Dei generali, qua velle dicitur, ut omnes homines salventur, omnibusque remedia salutis porrigit. Sed nec hanc sententiam scrupulis putat carere, quia in hominis potestate esse dicitur, an media illa apprehendat nec ne, qua ratione Dei potestas imminuatur. Quærit porro, si voluntas illa Dei salvandi omnes homines seria est, cur non sit efficax? quid impedire possit omnipotentiam DEI? Rejicit responsum *Malebranchii*, qui dicit, Deum leges simplices sapientiæ suæ conformes semel statuisse, per quas fieri nequeat, ut omnes salventur. Restare enim ait objectionem, cur tales leges fecerit, & cur eas non mutet. *Señ. VII.* *Remonstrantium* seu *Arminianorum* systema examinat, sed per id sapientiæ Dei detrahi docet, & Pelagii dogma foveri, *Modernos* deinde quosdam non magis scopum tetigisse putat, qui statuunt, Deum agere impressione primordiali, sive generali impulsu creaturas movere, veluti si quis rotam in declivja impellat, quæ per se postmodum volvitur, Contra hos tractatum, de quo dictum est, præparare se refert, Sententiam inde *Cameronis* ventilat *Señ. VIII.* quam convenire dicit in fundamento, ratione decreti electionis & reprobationis, ut & ratione gratiæ efficacis, cum doctrina *Augustini*, & hæcenus ab *Arminianismo* discrepare. Notat *Dordracenam* Synodum favere *Infralapsariis*. Interim methodum *gratiæ unipersaliæ*, licet medium quoddam inter *Semipelagianismum* & sententiam *Augustini* tenere velit, incommodis laborare, atque in ideam Dei, & speciatim in sapientiam ejus impingere. Fatetur quidem suæ etiam, quam *Augustino* tribuit, objici posse, quasi DEO tyrannidem & injustitiam tribuere videatur: negat tamen consequentiam, quanquam agnoscat, se non ita se expedire ab illa difficultate posse, ut vellet; iterumque testatur, se multum alicui debiturum esse, qui eximere ipsi scrupulum possit. Transit inde, ut probet, nulla ex aliis methodis conciliari posse odium, quo Deus prosequi peccatum dicitur, cum ejus œconomia in negotio salutis. Rediit *Señ. IX.* ad *Cameronis* sententiam, quam *Prosperi* fuisse notat, qua efficere voluit, ut Deus omni culpa vacet, quia omnibus offert Christum; manere tamen existimat nodum, cur non omnibus nationibus prædicari Deus fecerit Christum, vel cur fidem, sub cujus conditione salutē decreverit, per gratiam efficacem non omnibus sed electis solum conferat. Parum vero accurate judicare

judicare ait, ex Theologis Augustanæ Confessionis illos, qui putant magnam esse inter Augustini & Cameronis sententiam differentiam, cum tamen hic absolutum decretum non minus atque ille asserat. Effundit hic querelas de iisdem Theologis A. C. quod in doctrinam de gratia particulari tantopere invehantur, eamq; controversiam majoris faciant, quam omnes alias. Speciatim dolet, a D.S. *Sculterto* Particularismum abominabile monstrum vocari, & indignum quem boni viri doceant, in *Deditat. & Prefat. Antididagmatis*; Bossueto Episcopo Meldensi oppositi, & Hamburgi anno 1684 editi. *Seft. X.* causas allegare incipit, cur A. C. Theologi aversionem a doctrina Gratia particularis moderari debeant. (1.) quia terribile & temerarium sit, Augustinum & tot alios, tum eos qui ex plerisque Europæ provinciis Dordraci convenerunt, pro viris bonis non habere. (2.) quia experientia declarat, salutem particulariter contingere, indeque sensus dictorum Scripturæ, quæ universalem gratiam asserat, ipso facto explicetur. (3.) considerari debere, quod controversiæ inter *Gallos Reformatos* ratione particularitatis & universalitatis, deferbuerint, & quod inter eos nihilominus conveniat (ut de Cameronis discipulis affirmavit) de decreto electionis & reprobationis absoluto. Laudat dein eundem *Sculterum* ab æquitate & mansuetudine, qua in allegato libro cap. 38. p. 652. n. 1065, pro *modico fermento* habuerit opinionem de decreto absoluto. Rogat igitur & illum, & moderatos omnes, ut mitius de *particularismo*, qui absoluto decreto innicitur, sentiant, nec opinionem illam *pro monstro horrendo & abominabili* habeant. Notat etiam, *Arnaldum & Jansenistas* non ob dogma de gratia particulari (ut *Sculterus* d. l. n. 1064. scripserit) sed ob alios articulos, quos plerisque *Reformati* cum *Lutheranis* communes habent, tam vehementer debacchari. Quod si ex consequentiis abominabilibus, quas adversarii invidis & reclamantibus *Reformatis* elicere solent, dogmata ipsa dici debeant abominabilia, pro talibus habitum iri doctrinas de *justitia imputata*, & de *certitudine salutis*, ex quibus quid deducant Pontificii, satis appareat. *Seft. XI.* multus est, ut ostendat Aug. Conf. Theologos non tollere difficultates ex doctrina de prædestinatione, dum non negent, ut ex *Gerhardo* adducit, Deum decrevisse ab æterno, se permissurum aut non impediturum esse lapsum hominis, & concedant, quod peccatum sit ex necessitate, non quidem *consequentia*, sed *consequens*. Sic enim manere omnes  
illas



illas angustias cogitationum, cur Deus, cum facillime posset, non impediverit peccatum. Monet deinde, nullum systema magis culpam peccati Deo tribuere, quam *Malebranchii*, cujus verba quædam ex *Moral. part. I. cap. 2. n. 7.* vehementer improbat. Ita fieri putat *Sect. XII.* ut *Libertini & Athei* ex nullo systemate, quod prævidentiam Dei admittit, convinci possint, Deum non esse causam peccati: neque id *Novatores* hodiernos, de quibus supra dixit, præstituros, nisi cum Socinianis stant, Deum primum illum impulsus suum absque prævidentia futuri dedisse; imo nec ipsos Socinianos, etsi præscientiam negent, cum sapientiam tamen & potentiam Deo tribuant, causam peccati ab eo remove posse. Concludit itaque, inter hypothesein *Augustini*, præscientiam & prædestinationem asserentis, & *Epicuri* aut *Aristotelis*, illam vel negantis, vel supra spheram Lunarem restringentis, non dari opinionem, quæ providentiam Deo tribuat, quin hanc difficultatem secum vehat, de causa peccati in Deum recidente; ita ut una licet obstructa rima, alia subinde aperiat. Tutissimum itaque esse asserit *Sect. XIII.* in idea de infinita perfectione Dei persistere, eamque ita concipere, ut peccatum etiam permitti ab eo, & pœna peccantium debuerit, si ad gloriam ejus aliquid conferret. Apparere autem id fieri; nisi enim peccatum permisisset, nec justitiæ, nec misericordiæ Dei; nec præmiis, nec pœnis; nec paradiso, nec inferno locum futurum fuisset. Differentiam opinionum, & inde natas rixas, solum ab idearum humanarum ordine & compositione gigni. Ideam providentiæ Dei in sua semper persistere perfectione; in ea non esse ordinem decretorum, sed actum simplicem, de quo omnes, (dissentientes licet in cæteris) consentiant. Ideoque minime decere, aut operæ præteritum esse, de qua questione circa causam peccati tantas turbas excitare, cum nullus methodus excogitari possit, quæ illam difficultatem liquido dissolvat. Interim *Sect. XIV.* demonstrare nititur, doctrinam de decreto absoluto & gratia efficaci, religionem non extinguere, sed promovere, & imputationem, ac si fatali necessitate introducta, omnibus peccatis licentia daretur, omneque meritum tolleretur, ipso facto refelli; religiosissimos enim & devotissimos esse, qui cum *Augustino* sentiant; itaque nullum vere pium, licet verbis aliud dicere videatur, in animo *Pelagianum* esse: doctiorum illam hæresin, & theoreticam esse, non populi practicam. Deducit uberius, ut humilitas & agnitio sui ex sententia

tia

tia Augustini nascatur ; contra per methodum oppositam, preces & gratiarum actiones minui, & si gratia generalis & prima sufficiat, religionem in ludibrium & mimum verti, neque quicquam superesse, quam exhortationem ad excitandas & impendendas proprias vires. Conciliari itaque posse statuit *Sess. XV* Aug. Conf. & Reformatos cœtus & doctores, eo modo quo jam in precum formulis consentiant, in quibus ex utraque parte peccatorum fiat confessio, petatur remissio & ad observanda mandata Dei auxilium gratiæ, denique sequatur gratiarum actio. Enarrat postea, in quibus dogmatibus convenient & convenire debeant, quæ etsi paulo proluxiora sunt, & optandum foret, ut tractatus hic Latine scriptus esset, quo versionum in his materiis difficultas vitaretur, integra quoad sensum adscribemus. Convenimus (1) scribit, Deum esse summum bonum, peccatum esse summum malum. Sequitur itaque, Deo peccatum summe exosum esse. (2) Stante hoc odio, & quia peccatum per se nihil sive privatio est, Deus non potest esse ejus autor. (3) Peccatum absque voluntate & permissione Dei in mundum non venit : sed (4) in prævidentiam & providentiam ejus intravit. quando gloriam suam manifestare, & omnes virtutes suas exercere voluit, hocque fortuito non est factum. (5) Negari nequit, Deum, qui ab æterno decrevit peccata permittere, etiam in tempore ea permittere. (6) Deus tamen nec fecit peccatum, nec potest facere, quia id naturæ ejus repugnat : verum (7) homo id facit, & quidem libere : (8) neque tamen absque Deo illud facit, id est absque providentia Dei ; hæc enim in actiones hominis extenditur, & Deus quæ ad motum & actiones creaturarum requiruntur, suppeditat ; *in ipso enim vivimus, movemur & sumus.* (9) Quicquid tamen præstet Deus, duæ res certissimæ sunt, prima quod libertas hominis integra manet, secunda quod ad male merendum ipse homo sufficiens sibi causa est, talisque ob quam puniendus venit, & quidem æterna pœna. Fieri autem hoc juste non posset, nisi ipse peccatorum suorum causa esset : nec Deus manifestaret justitiam in puniendis peccatoribus, sed solum supremam potestatem de creaturis pro libitu statuendi. (10) Profitendum est, omnia bona nostra Deo deberi. (11) Non minus asseverandum, ab ipso dari & *velle & perficere* ; ita enim Scriptura expresse loquitur. (12) Agnoscendum est, Deum singulariori modo in bonas actiones nostras, quam in malas influere : efficit enim & juvat, ut bene agamus, non vero juvat in peccatis,

tis, qua talibus. (13) Agnoscendum itidem est, Deum omnes eventus ab æterno prævidisse, & iis prævisis voluisse ab æterno nostram salutem & bona opera, quæ ad eam ducunt. (14.) Confitendum est, præparasse eum in tempore, gratuito modo, omnia media, quæ nos ad finem, id est vitam æternam ducunt: inter illa principale esse mortem Jesu Christi, quæ possibilem facit salutem omnibus credentibus. Afferendum etiam (15) quod Deus per Spiritum suum nos ad vitam æternam ducat, & ad finem hunc obtinendum nos adjuvet. (16) Item quod absque illo impossibile sit donum perseverantiæ habere, & obstacula finem impediencia superare. Neminem inter Christianos putat hæc negare, nisi *Pelagianos, Socinianos*, eorumque fautores, inter quos habet, quos vocat, *Novatores*. Certum itaque se esse dicit, de his consentire *Aug. Conf. & Reformatos* doctores. Nonne (ait) hoc satis est? & nonne reliqua plusquam inutilia sunt? Optat ut quæstiones illæ curiosæ nunquam motæ fuissent, quomodo sanctitas Dei cum permissione peccati consistere, quomodo homo liber manere possit, non obstante permissione Dei, decreto æterno, concursu & gratia ejus efficaci. Quid mirum (scribit) si explicare naturam actionum divinarum nequeamus, cum neque essentiam ejus, neque profunditatem actionum & modorum ejus penetremus: infinitus est, ideoque incomprehensibilis. Post alia eodem tendentia, asseverat, per doctrinam de gratia efficaci impietatem minime foveri, licet sollicitudo moveri possit; itaque incumbere doctoribus & conscientiarum directoribus, ut caute hæc mysteria tractent; in exhortando necesse esse *Pelagiano* stylo loqui, sed in dogmatibus sobrie, & ad evitanda infirmorum scandala. Populum duo saltem necessario scire debere, cui alia omnia innitantur, (1) quod Deus sit causa omnis nostri boni; hoc enim necesse est tenere, quia in eo cultus Dei, preces & gratiarum actiones fundamentum habent. (2) quod nos omnis nostri mali causa simus, juxta illud: *perditio tua ex te Israel*. Hoc scire necessarium est, ut fundamentum humilitatis & aliarum virtutum Christianarum. *Sec. XVI.* ad mutuam concordiam requirit, ne odiosa, quæ satis constat neutros docere, sibi invicem objectent utriusque cœtus Doctores. Ita a *Reformatis*, nec *Pelagianismum Lutheranis* nec Semi-Pelagianismum objici debere, nec illos cum Arminianis confundi, quanquam hi id affectent. Pluribus ostendit, quantum differat *Lutheranorum & Arminianorum* dogma, & ingenue profiteretur

le

se olim aliter sensitse; graviter itaq; Arminianorum errores taxat, maxime vero propensionem ad Socinianismum. Monstrat etiam, ut a *Malebranchii* Systemate discrepent, & ad hujus auctoris paradoxon, & immanem universalis gratiæ extensionem, in *Libr. Meditat. Christi. cap. VII. quod satisfactio Christi ad supplendas damnatorum pœnas pertineat*, quædam annotat, nescire se dicens, an ab aliquo id fuerit animadvertitum. In *Actis tamen nostris anno 1686 relatum id invenietur p. 30. Socinianos non alio sensu pro Christianis habet, quam Mahometanos. Doctrinam Lutheranorum de gratia Dei in conversione hominis valde probat, adducto loco ex Sculteti Antididagm. cap. V. p. 27: etiam a Scholasticorum erroribus absolvit Lutheranos, etsi aliquid circa universalitatem mortis Jesu Christi, & circa decreta conditionalia commune cum iis habeant; Scholastici enim (ait) Pelagiani sunt aut Semipelagiani, & de merito condigni & congrui, ac de viribus liberi arbitrii multa prædicant, a quibus utraq; Protestantium pars alienissima est. Vicissim *Sec. XVII* desiderat, ut abstineant Lutherani ab imputationibus duriorum phrasium, quæ primis ex *Reformatis* doctoribus exciderunt, quasque hodierni non agnoscunt, sed improbant. Citat quædam ex *Gerhardi* loc. de Elect. c. 10. n. 137. & genium seculi illius aliquid contribuisse putat, ad duras & siccas illas formulas, & quæ emolliiri debuerint. Quid fieret (scribit) si duræ ex Lutheranorum libris phrasæ. v. g. qua bonorû operum necessitatem rejecerunt, exciperentur, allegatq; Sculteti ipsius exculationem ex d. c. V. n. 106. eamque etiam pro *Reformatis* valere debere justum putat. Regerit inde quædam adversus ordinem decretorum, ex sententia *Reformatorum* a Gerharo d. l. c. 3. n. 56. recensitum, & proponit eam, quam Synodo Dordracenæ convenire statuit. Duo sibi adhuc monenda esse dicit, primum, quod *Reformati* ex methodo doctrinæ de gratia legem aut articulum fidei non constituent, ideoque dissensum inter doctores suos permittant. Si qui igitur ex his pro rigidioribus haberi possint a Lutheranis, esse tamen etiam quos probare debeant, ut moderatos, inter quos nominat *Zanchium*, quem & ipse *Bezæ* præfert; se vero sentire dicit, decretum de incarnatione præcessisse decreta de prædestinatione, ac Jesum Christum ejusque gloriam esse maximum opus, quod Deus in decretis suis respexerit, finemq; non medium. Justius esse, ut dicatur a Deo nos prædestinatos esse ad gloriam Jesu Christi, quam Deum, postquam nos prædestinasset, decrevisse*

missionem Jesu Christi ad gloriam nostram; nec putat, sibi ob hoc dicam scribi posse. Decretum igitur absolutum & gratitum profiteri se, verum exclusa tantum prævisione fidei, operum & meriti. Se etiam credere, Christum particulariter salutem electorum destinatum esse, neque cum sapientia Dei conciliari posse, si finem sibi præstituerit omnium hominum salutem, cur eum non fuerit pro potentia sua executus. Repetit, velleitatem & imperfectas voluntates non consistere cum idea perfectionis divinæ. Distinguit incarnationem Jesu Christi ab ejus morte: illam primarium Dei finem esse statuit, ad cujus gloriam electi sint prædestinati: sed morte Christi optabiliorem fuisse salutem nostram, itaque mortem ejus esse medium salutis, salutem vero nostram mortis ejus finem esse; sic nec destinari hanc potuisse nisi pro electis. Ordinem itaque decretorum ex sua sententia talem proponit, (1) de manifestanda gloria. (2) de Verbo substantiali cum creatura aliqua, ob majorem gloriæ communicationem & manifestationem uniendo. (3) de creando mundo: (4) de uniendo Verbo, non cum angelis, sed cum homine per incarnationem. (5) de permittendo lapsu hominis. (6) de manifestanda erga corruptam humani generis massam, & justitia, & misericordia Dei: (7) de relinquenda majori parte hominum in sua corruptione, in quo tamen nulla illis injuria fiat, & de eligendis quibusdam ad salutem. (8) medium denique constituisse mortem naturæ humanæ in Verbo. *Señ. XVIII.* occurrit objectioni, si doctrina de prædestinatione non habeatur pro articulo fidei apud Reformatos, cur ergo *Arminianos* per decretum *Synodi Dordracena* ex cœtu ejecerint? Respondet, *Lutheranos* non esse per Synodum illam condemnatos, cum eorum sententia ab *Arminianis* longissime distet. Hos enim Christum ex decreto electionis plane excludere, quem tamen *Lutherani* includant, & saltem addant, quod prævisio etiam fidei decretum ingressa sit. Remedium itaque contra Pelagianismum in Belgio tunc invalescentem, per condemnationem *Arminianorum* quaesitum fuisse; cæterorum opinionum rejectionem tam rigide intelligi non debere, & libertatem aliis Ecclesiis circa hæc dissentiendi ademptam non esse, neque anathema contra omnes pronuntiatum, qui universalitatem mortis Jesu Christi statuunt, aut decretum absolutum negent, sicut nec contra dogma *Supralapsariorum*. Alterum quod *Señ. XVII.* indicare voluit, monitum est, ut *Lutherani* nolint superiores

teriorés esse contra Reformatos, quam Romana Ecclesia est contra dissentientes de eodem articulo, v. g. contra *Dominicanos* & novos qui vocantur *Thomistas*, quorum methodus æque dura sit ac *Supralapsariorum*, aut contra horum veluti antipodes *Molinistas*, qui Pelagiani sint. Utrosque tamen tolerari in Ecclesia Romana. Quanto magis decebit (ait) puras & veras Protestantium Ecclesias, post rejectum communiter Pelagianismum, quem malo more tolerant Romani, leves quasdam differentias inter se ferre? Addit votum, pro conciliatione & unione utriusque ecclesie adversus Papismum:

Prolixiore sic instituimus recensum scripti mole exigui, quam fert instituti nostri ratio. Sed dandum id nostratum Theologorum (quibus examen opusculi hujus merito committimus & commendamus) iis fuit, qui Gallice nesciunt, nec ignari tamen eorum esse debent, quæ recentiores & celebriores adversarum partium Theologi, de tali præcipue argumento, quo sibi nos conciliare laborant, commentantur.

**OBSERVATIO ECLIPSEOS LUNARIS PARTIALIS,**

*d. 19. Nov. ß. vet. a. 1686. celebrata,*

habita Noribergæ a Georgio Christophoro Eimmärto.

*Industrii hujus Astrorum scrutatoris observationem Jovis a Luna eclipsari, dedimus non ita pridem in Actis superioris anni, pag. 493: idem enim est, qui adhibitis suis instrumentis, operaque cum Dn. Zimmermanno, in Actis tum solum nominato, conjuncta, phænomeno illi oculos animumque admovit, socioque suo publicationis dtinceps permisit negotium. Hanc vero Lunaris deliquii observationem ex literis Autoris eo lubentius huc transcripsimus, quod cæli adversa temperies hic alibique observatorum spem deluserit. Ita autem ea se habet:*

Aer hac die densis ac obscuris nubibus referatissimus, parum spei pro instantis deliquii observatione reliquerat; & bona pars noctis eclipsa, quæ Lunæ vel stellarum intuitum (saltem aliqualem) penitus denegaverat, usque dum post horam nonam nubes in rarum abeuntes, tenuiori velamine Dianam nostram detexerant. Delitescerat nihilominus inter hæc nubium tegmina adeo pertinaciter toto sui deliquii tempore, ut vix ac ne vix quidem pateticulis secundis horariis nudam se circumcirca conspici passa fuerit: hinc inde tamen quandoque per dehiscentes

nubes stellæ majores apparuerunt, quarum altitudines & distantia a Luna, prout inclementia tempestatis indulserat, captæ. Quemadmodum ergo hæc qualiacunq; acquirere & annotare licuerat, ita ea fideliter & absque correctione communicata, singula seorsim sequentes Tabellæ comprehendunt.

## TABULA I.

TAB. III. In qua vibrationes perpendiculi, singulis Phasibus ab una ad alteram continua numeratione respondententes.

Fig. I.

Pro certiori initio stellam quandam notabilem in cœli medio existentem eligere placuit: quare jam præterlapsis Phasibus potioribus, inter fissuras nubium tandem expectata se obtulit stella culminans in oculo boreo Tauri. Immersio Lunæ in Penumbra contigit hora 6 horologii majoris: diu quidem ante vestigia umbræginis evidenter cernebantur; sed quia hæc cum densiori aere & nubibus circum Lunam cursitantibus permiscebantur, certum de illius ut & veræ umbræ ingressu indicium & judicium haberi nequivit.

Phas. cresc.	Horol. majus Hor. /	Vibrationes compositæ Sexag. /	Phases decr.	Horolog. majus, Hor. /		Vibrat. compos. Sexag. /
I	6. 15		1	8 0		2. 56
II			2			4. 55
III			3			4. 59
IV	6. 30		4			3. 32
V			5	culm. Sirius		2. 26
VI			6			3. 43
VII			7			3. 12
VIII	7. 0		8			3. 8
IX			9			
X			10			6. 0
XI	Culm. ocul. Bor. Taur.		11	9. 0.		2. 32
XII		8. 55	12	culm. Bellatrix egr. umbræ emergio e Penumbra		4. 53 0. 33
XIII		5. 19.	13			6. 16
Dubium an Quia hic error exercitatis irrepfit.		6. 9.			Mora transitu disci Lunæ per Merid.	1. 24

Ap

Ad Phasin IV cresc. altitudo Capellæ 72.36; ad Phasin 3 decr. altitudo Bellatricis 46.49; azimuth ab ortu ad merid. 73.12.

TABULA II.

Altitudinum & Azimuthorum Lunæ

Phas. cresc.	alt. limb. superioris	Azimutha ab ortu ad mer. centr. Lunæ	Phases decr.	alt. limb. superioris	Azim. a mer. ad ort. centr. Lu.
	o /	o /		o /	o /
I	58 35	53 25	1	62 47	4 10
II	59 48	54 35	2	62 36	8 55
III			3		
IV		56 25	4	62 3	15 55
V		58 40	5	62 0	17 15
VI	60 7	61 20	6		
VII	60 41	63 50	7		
VIII	61 22	67 35	8		
IX	61 57	72 15	9		
X	62 0	74 8	10		
XI	62 26	79 8	11		
XII	62 40	86 45	12	59 30	33 55
XIII	62 48	altitudo meridiana			

TABULA III

Distantiarum Lunæ a Fixis.

Phases cresc.	Distantiæ	Phases de-cresc.	Distantia
VI	Limbi austr. & Aldebaran o / II 6. 2. 5.	2	Limbi super. & Aldeb. o / II 6. 21. 24.
VIII	Limbi Bor. & Capellæ 24. 4. 0.	Aer toto durationis tempore quietus, sed humido frigidus; in superiori regione vento vario, potissimum australi ad nivem dispositus.	
X	Limbi Bor. & Aldebaran 6. 10. 24.		

TABULA



## TABULA IV.

## Digitorum Eclipticorum.

Phases	Digiti	Phases	Digiti	Proportio semidiametro- rum disci Lunaris & baseos coni umbrosi, ut 1000 ad 1675.
I	$\frac{1}{2}$ & paulo plus	1	$6\frac{3}{4}$	<i>Notandum.</i> I Centrum peripheriæ in designatione schematis Lu- naris, est ex observatione per telescopium 12 pedum haud vulgaris notæ triduo ante Eclipsin quæsitum: quod diligenti collatione ante initium Eclipsis, & in- spectione peripheriæ disci Lunaris in eodẽ fere loco
II	1 fere	2	6 exacte	
III	$1\frac{1}{2}$	3	$5\frac{1}{2}$	
IV	$2\frac{1}{2}$ fere	4	$4\frac{1}{2}$ exacte	
V	3 exacte	5	4 exacte	
VI	$3\frac{1}{2}$ circiter	6	$3\frac{7}{8}$	
VII	4 & paulo plus.	7	$3\frac{1}{4}$	
VIII	$4\frac{1}{4}$	8	3 circiter	
IX	5 & paulo plus	9	$2\frac{1}{4}$	
X	$5\frac{1}{2}$ exacte	10	$1\frac{1}{2}$ exacte	
XI	6 circiter	11	$\frac{1}{4}$	
XII	$6\frac{1}{2}$ fere	12	$\frac{1}{6}$	
XIII	$6\frac{1}{2}$ obsc. max.			

immutum deprehensum fuit; nisi quod palus Mœotis, & ibi limbum versus interjectum spatium, paulisper contractius apparere putabatur; verum quoad hoc schema insensibiliter.

II Processus in numeratione oscillationum, taliter erat institutus. Perpendiculum sesquibrarum circiter, laminæ ferreæ tenuissimæ, ad instar gladii formatae, latitudine unius quasi digiti, longitudine 2 pedum Noricorum, firmiter affixum, ad certam semper altitudinem,

nempe 60 elevabatur, cujus vibrationes compositæ 60 numerabantur: his absolutis, rursus (retenta interim in continua numeratione eadem vibrationum mensura) ad eandem altitudinem elevato pendulo, de novo 60 vibrationes compositæ numerari inchoabantur, atque sic porro. Erat autem inclusum, ut ab omni externa aeris agitatione immune, liberrimum sibi que semper æquabilem motum perficere posset.

**OBSERVATIO ANATOMICA CIRCA POROS IN  
piscium cute notandos.**

**D**ari poros in cute hominum aliorumque animalium in aere libero viventium, factos ad transpirationem, extra controversiam est, egre-

egregiisque modernorum observationibus quam maxime illustratum. At vero in aquatilibus tale quid notari, curiosius est, siquidem id genus brutorum, quod undis innatat, vix ac ne vix quidem transpirare, multo minus sudare videtur, ob aquæ ambientis continuum frigus. Cum itaque Cl. Steno in raja primum, deinceps in cane carcharia & anguilla istiusmodi poros meatusque cutaneos reperiret, non male suspicabatur, se offendisse fontes, e quibus prodeat unctuosus ille humor, superficiem piscium lubricans. Liceat Cl. Viri observationibus nostras superaddere qualescunque, in primis concernentes pororum in piscibus cutaneis ortum, progressum, situm, numerum & magnitudinem. Circa ortum præcipue notandum est, poros illos non esse cutis proprios, sed longe altiores interdum radices agere, atque in ipsam quoque ossium substantiam longius abire. Manifestum id est in piscium capitibus; nam & in cranio qui prosequi meatus hos ac denudare velit, necessum habebit, ad medietatem ossa ut dividat, non sine cultri difficultate, præsertim si annosiora tentaverit subjecta: in mandibulis autem, speciatim luci, eosdem absque ullo negotio spectare quis poterit, si modo cum pisce conferat mandibulas, quales in officinis nostris asservantur. Progressus autem diversus est: videas alios profundiores, alios magis superficiales: longiores nonnullos, quosdam breviores: alios rectos, atque vicissim, tortuosos alios. Vide Tab. III. figuram 3. quæ alburnum refert, uti & fig. 4. depictam carpionis squamam ex earum numero, quas linea tangit per medium decurrens ventrem. Sicut quod attinet pororum, deprehendimus equidem eum hinc inde satis regularem, præsertim si jam dictam intueamur lineam, quæ in utroque latere piscium a capite ad caudam usque decurrit, prout in alburni figura qualitercunque a chalcographo expressa est; nihilominus qui diversas piscium species inter se conferre amat, videbit non obscure, singulis peculiarem esse ordinem, ita ut & nonnunquam situs illorum quodammodo confusus ac minus regularis existat.

TAB. III.

Exempli loco sit luci caput, quod duplici schemate fig. 2. expressum ærique incisum apponi curavimus, ut non modo series pororum in superiore, sed & inferiore parte oculis perlustrari queat. Et quemadmodum: situs omnium non est æqualis, ita certe & numerus multum occurrit dissimilis. Paucos vidimus in carpionis capite, adhuc pauciores in perca, quanquam satis ponderosa, copiosissimas autem in

tinc<sup>a</sup>. Interim fatemur ultro, certum nullibi determinari posse numerum, quoniam non pauci adeo sunt exiles atque latentes, ut oculorum quoque aciem non parum eludant. Scilicet in pisciculis junioribus minoribusque vix certus illorum eris, nisi forte microscopii beneficio; in majore pisce nihil jucundius, in specie si lucium sumas; quippe cujus pori non modo setam admittunt, sed & majorem stylum; quod si igitur flatus per tubulum immissus fuerit, pergit idem ex uno foramine ad reliqua communi ductu inter sese connexa, ut sine oblectatione singulari satis spectari non valeat.

**DE NIEUW HERVORMDE ANATOMIE,**

*ofte Ontleding des Menschen Lichaams. i. e.*

Anatomia Nova Reformata, seu, Profectio Corporis Humani, verissimis ac curiosissimis ævi hujus Observatis superstructa, multisque Figuris æneis exornata. Neque non Tractatus de Balsamatione Corporum nunquam antea ita evulgata:

Autore Stephano Blancardo, Ph. & Med.

D. ac Practico Amstelodamensi.

Amstelodami, apud Johannem ten Hoorn, 1686. in 8,

**O**cto annos ab eo tempore, quo primum Anatomem edidit, ut novis hanc locupletaret inventis, Cl. Autorem infumisse, docet Præfatio; adeo, ut nova plane præsentis, cujus & Latina promittitur versio, ab editione priori videatur facies, non solum ex recentissimis Autoribus, puta præter *Tb. Bartholinum, Willisum, Malpighium, Graffum, Harvaum, Lowerum, Stenonem, Whartonum, Needham; Glissonium, Ruyscbium, Lewenbækium, Peyerum, ex Verneo, Perraltio, Caspare Bartholino, Bidloo, Nukio &c.* concinnata, sed figuris etiam plerisque novis illustrata, modoque corpora condiendi exornata. In genere vero partes integram machinam animaleam contextentes non nisi duplicis generis Autor agnoscit, solidas nempe alias, alias fluidas; quarum illæ, ceu unicum Anatomix objectum, nil aliud sunt, quam multiplices tubuli sive canaliculi fluidas partes continentes, invicem omnino continui, nec præterquam magnitudine, capacitate, firmitate aut subtilitate inter se discrepantes, cuncti primum in ovulo delitescentes. Unde omnes

omnes, qui solidas corporis animalis partes ceu contiguas solū ac inter se connexas concipiunt, easque itidem vel in sanguineas & spermaticas, vel in principes & ministras dispeſcunt, longe a veritatis tramite abesse annotat. In specie autem in singularum partium textura, prout in variis quoque animantibus sese habet, evolvenda, usuque via eadem, quam in *Academia Cartesiana* in Actis nostris mense Aprilis anno 1685. p. 145. recensita ingressus fuerat, enodando, neque non morbis diversis, quibus qui partes occupare solent, explanandis, ordinem circulationi sanguinis accommodatum observat sequentem. Scilicet uti cor primum corporis reputatur mobile, a cujus motu omnes reliquarum partium motus dependeant, ita a corde quoque tanquam machina eum in finem sanguinem (cujus globuli microscopio observabiles grumuli solummodo sanguinis esse, sphaericam figuram ob æqualem undique aeris pressuram assumentes, atq; sal fixum, violentiori destillationi expositum, spiritum spiritui salis analogum eructare perhibentur,) per arterias æque propellente, ac per venas recipiente, orditur. Hinc mox ipsos utriusque generis canales circulo sanguinis inservientes perlustrat, structuram & diramationes cum arteriæ magnæ, tum venæ cavæ atque venæ portæ, eundem prorsus ductum cum vena cava ex Autoris sententia formantis, item arteriæ pulmonariæ & branchialis, venæque pulmonariæ demonstrando, & quomodo in foetu vasa sanguifera prope cor per canalem arteriosum ac foramen ovale uniantur, ostendendo, ita quidem, ut foramen ovale penitus obliterari in adultis, tanquam a se pariter atque ab aliis apertum adhuc deprehensum, haud contendat. Tum ad singulas, in quas arteriæ abeunt, accedit partes, e quibus quia pulmones quam proxime cordi adstant, ideo & pulmonum, quorum vasa lymphatica e copiosis glandulis interioribus exsurgant, prius fabricam describit, quam ad cerebri ac medullæ spinalis nervorumque his continuorum texturam perveniat. Hanc vero dum exponit, rationibus aliis, quibus liquidum nervorum commonstrare nititur, duplicem interserit experientiam, qua videlicet & nervos sæpius in junioribus supra ligaturam intumescere, & liquorem subilem coloratū arteriæ carotidi in cane adhuc vivente subito injectum, ipsos nervos penetrare, constat. Succedunt alia organa in capite pariter locata, qualia oculi, aures, lingua, os, palatum, gingivæ & nasus cernuntur; quibus accurate examinatis, ut viscera cum primis abdominis, omentum

tum videlicet, oesophagum, ventriculū, intestina, mesenterium, vasa lactea & lymphatica, pancreas, hepar, lienem, renes, vesicam, genitalia utriusque sexus, conceptum ex ovo ac placentam uterinam dispiciat, progreditur. Omenti aliarumque partium pinguedinem glandulis ex eo fert acceptam, quod ubi glandulae, multum ibi observetur pinguedinis. Oesophagum, ventriculū & intestina, non secus ac vasa sanguifera, ceu totidem rotundos ac cavos considerat musculos. Lieni hoc attribuit munus, ut lymphæ, per vasa lymphatica a chyli receptaculū amandandæ, multum glandularū ope fecernat, quo sanguis crassior exinde magisque aptus pro bile in hepate segregandæ emergat. Inde in glandulis, musculis, ossibus, cartilaginibus, ligamentis, membranis, tanquam sui generis musculis, studiose scrutandis versatur; tandem in cuticulæ, cutis, capillorum ac unguium anatomie Anatomen hanc exaustissimam finiens.

Methodus corpora balsamandi adjecta duplici insidit viæ, humidæ videlicet vel siccæ, ita tamen, ut corpus utrobique condiendum sordibus ac sanguine, mediante repetita aquæ & spiritus vini per os ac vasa nonnulla majora injectione, purgatum prius ac liberatum supponatur. Ratione prioris, oleum terebinthinæ, spiritus vini spiritu salis ammoniaci acuat, & vel sola muria ex sale communi atque alumino præparata, velut cujus auxilio Autor infantes optime conservatos aliunde accepisse fertur, non spernenda commendantur balsama. Ratione vero posterioris, corpus, cujus vasa cera pariter prius repleverit, vernice ex oleo terebinth. Mastich. ac tantillo coloris albi confecta illinendum præcipitur. Quod utrumque licet visceribus relictis commode peragi possit, præstare nihilominus, ut cerebrum aliaque viscera antea eximantur, ac cavitates vel pulveribus appropriatis, vel visceribus etiam ipsis peculiariter præparatis repleantur, ultro innuitur. Ast ne ratio, qua tam muscoli, quam viscera, v. g. ventriculus, intestina, vesica urinaria, lien, hepar, renes, omentum, pulmones, cerebrum, venæ itidem ac arteriæ præparari debeant, ignoretur, circumstantiæ omnes hunc in finem necessariz ingenue docentur, addita simul vernice, quam Terebinth. & Mastich. Succin. Copal similiae ingrediuntur, adeo indurescente, ut ab igne remota persistat succini instar perspicua, corporaque v. g. infantium sibi concredita ab omni prorsus corruptione immunia defendat; qui modus optimus, nec multum sumptuosus, cur

MENSIS MARTII A. MDC LXXXVII. 169  
cur in corporibus magnatum condiendis non obtineat, permirum  
videtur Nostro.

A COPT OF ALL SUMMONS OF THE NO-  
bility to the Parliaments &c. by Sir William  
Dugdale Kt. Garter Principal King of Arms  
five,

Exactum apographum univrsarum Nobilitatis ad Parliaments  
summonitionum seu citationum inde ab anno 49. Henrici III.  
ad hæc usque tempora, collectum ex commentariis publicis  
opera Wih. Dugdale, Equ. Aur. Princi-  
palis Regis Armorum cognom.

G A R T E R.

Londini, apud Rob. Clavell, 1685. in fol.

**H**Aud dubium est, quin amplas satis industriæ hujus operis colle-  
ctori pro impenso labore gratias habituri sint, quibuscumque penitio-  
rem status ac regni Anglicani notitiam sibi comparare gestiunt. Vide-  
licet non viam solum hac ratione reclusit ad exactiorem cognitionem  
illustrium ejus regni familiarum; sed & plura hac occasione notatu  
non indigna aperuit ad Parliamentorum historiam facientia; eorum-  
que antiquam faciem ab hodierna figura haud parum discrepantem  
non obscure demonstravit. Sit mox in præfatione notavit, multum  
eos falli, qui antiquitus etiam Nobilitatis, Civitatum atque Burgorum  
deputatos ad majora illa concilia admissos aut timent; aut plane quem-  
libet mediocri cujuslibet latifundii liberum possessorem voti ac sessio-  
nis sibi competentem fuisse, persuaderi sibi patiantur. Nimirum patere  
ait, speciatim ex Diplomate Regis Johannis, Domum communium,  
quam vocant, tum saltem constituisse ex Vasallis regis, qui servitia milita-  
ria in capite præstitissent, atque hos quidem Minorum Baronum appella-  
tione venisse, eorumque non paucos subinde quædam cum Majoribus  
Baronibus, superioris Domus partem facientibus, junctim expeditisse.  
Quod vero hodiernam Parliamentorum formam attinet, quæ ex Do-  
minis Spiritualibus ac Temporalibus, Nobilibus item, Civibus atque  
Burgensibus constat, memoriam factarum talismodi Summonitio-

X 3

num

num, ut loquuntur, seu citationum evincit haud superare annum 49 Henrici III Regis: quinimo ne tum quidem ejus auctoritate aut jussu tales fuisse emissas, sed sub ejus solum nomine ejusmodi quid factum a Baronibus rebellibus, late tum ibi locorum dominantibus: idque probat partim ex eo, quod tempore isto, quo literarum scriptarum apparent, adhuc captivum Regem una cum filio Eduardo & maxima parte fidei nobilitatis detentum fuisse constet a rebellibus, in quorum manus per infelicem pugnam prope *Lewes* inciderat; unde anno demum sequenti ope filii, qui e custodia Montfortii Comitis Leicestriae feliciter evaserat, post conflictum memorabilem prope *Evesham* circumsorsus liberatus fuit: partim vero exinde, quod citationibus istis ex Nobilitate neminem vocatum fuisse evidens sit, nisi qui rebellionis complex arma adversus Regem tulisset. Sequenti quidem tempore tam sub Henrico III, quam successore ejus Eduardo I, ut ut diversa eos Parliamenta celebrasse constet, non tamen ullam superesse notitiam, quanam personarum in specie ad eadem fuerint evocatarum, ad annum usque hujus 22; post hunc autem, ut & sub ejus filio Eduardo II, ac nepote Eduardo III, praeter Dominos Spirituales ac Barones Temporales, varios ibi pro Regum arbitrio in consilium adhibitos fuisse viros egregios, quique ob prudentiam, fortitudinem ac fidelitatem conspicui praeter aliis essent. Videlicet post victos in pugna prope *Evesham* barones rebelles ait, Regem ad complendam quidem Temporalium classem in locum seditionis ad Parliamenta adscivisse diversas ejusmodi personas eminentes, quorum fidei sua credere consultum duceret: loco Baronum Minorum vero, qui haecenus fere domum communium repraesentarant, exemplo baronum rebellium ipsum convocasse certum numerum Nobilium pro singulis provinciis, civium pro civitatibus, ac burgensium pro burgis seu oppidis, sic ut electi ab his mitterentur ad praesens mandu posthac corpus Communitum. Caeterum quantum ad summonitiones Dominorum Temporalium, annotat Noster, ex illis quosdam non nisi semel, alios bis aut ter, alios ad vitam citatos tum apparere, ad descendentes vero jus illud primitus haud fuisse transmissum. At e diverso constare, vocatos quosdam esse ob matrimonium initum cum tali foemina, cujus majores titulo honoris istiusmodi gavisi essent. Sequentibus tamen Regibus visum fuisse, dignitatem hanc iis, quos ob prudentiam ac fidelitatem Barones creassent, hoc pacto largiri, ut eadem ad heredes etiam

etiam ipsorum masculos devolveretur. Quinimo & eousque deven-  
tum esse perhibet, ut si tales personæ earumve descendentes ad majo-  
rem aliquem honoris gradum promoti forent, filii eorū natu majores,  
vivi etiamnum parentibus, una ad concilia hæc advocarentur, sub talis  
Baroniæ titulo, quæ tamen revera adhuc ad patrem spectaret. Opus  
ipsum jam quod attinet, summonitiones singulæ ab anno 49 Henrici  
III usque ad annum 1 hodierni Regis Jacobi II, ordine recensentur,  
commemorato nomine & anno cujusque Regis, a quo & quando in-  
dictæ, ac exhibitio literarum citatoriarum tenore, quarum plurimæ ac  
tantum non omnes (vix enim nisi una aut altera Gallico idiomate con-  
scripta) Latine conceptæ sunt, stylo quidem, qui barbarorum seculo-  
rum genius fuit, in antiquioribus fatis hispido. Singulis dein subne-  
ctitur Catalogus eorum, Dominorum maxime Temporalium, ad quos  
emissæ fuerunt; ubi sedulo cavet autor, ut errores hæc in parte a scribis  
committi solitos, circa accuratam nominum priorum expressionem  
evitaret, uti ex præfatione pluribus videre est. Utque etiam uno intui-  
tu mox patere queat, qui, quoties & quando ad Parliamenta vocati sint,  
subjicitur index generalis nominum atque familiarum, ut & specialis  
catalogus tam eorum, qui vivi adhuc parentibus, ut supra indicatum,  
simul ad concilia hæc adhibiti, quam illorum, qui ope hæreditatis foemi-  
næ jure sessionis ibi potiti fuerint. De ipsis summonitionum conten-  
tis dicere non erit opus, cum pleræque earum generalibus solum ter-  
minis conceptæ sint: in quibusdam tamen speciales etiam convocatio-  
nis factæ causæ commemorantur: sic v. g. in ea quæ anno 23 Eduardi  
I emissa,urgens necessitas inter aliâ his verbis exprimitur: divulgatum,  
qualiter Rex Franciæ de terra nostra Vasconiæ nos fraudulenter & “  
cautelose decepit, eam Nobis nequiter detinendo: nunc vero prædi- “  
ctis fraude & nequitia non contentus, ad expugnationem regni nostri, “  
classe maxima & bellatorum copiosa multitudine congregatis, cum “  
quibus regnum nostrum & regni ejus incolas hostiliter jam invasit, “  
Linguam Anglicam, si conceptæ iniquitatis proposito detestabili pote- “  
stas correspondeat, (quod Deus avertat,) omnino de terra delere “  
proponit, &c. pag. 10. Pariter pag. 71. cujusdam Roberti de Brus rebel-  
lis ac proditoris hostilia facinoræ allegantur ab Eduarqo II, qui idem  
pag. 130. queritur, Regem Franciæ de Ducatu Aquitaniæ ipsum malitio-  
se exhereditare velle; ne plura hujusmodi, præsertim cum paucissimis  
solum



Solum verbis indigitata reperiantur, in medium afferamus. *Cæterum pag. 31. & seqq.* etiam inseritur exemplar literarum, ad summum Pontificem missarum ab Angliæ proceribus universis, in Parlamento apud Licolniam congregatis anno 29. Eduardi I, & a singulis subscriptarum, quibus arrogantem Pontificis prætensionem, supremum Regni Scotiæ dominium caudacter sibi vindicantis, refutant, atque hoc Regibus Angliæ de jure deberi contendunt. Corollarii vice id adhuc annexere placet, quod edictis, quæ anno I. Mariæ prodisse referuntur (quamvis non integra, sed per verba saltè periodorum initialia exhibeantur) præfixum reperiatur vocabulum *Rex*, non *Regina*: cui geminum est, quod alias de Mariæ Hungariæ Regina refertur, quod non *Regina*, sed *Rex* salutari voluerit, ut quod sexui deesset, suorum voluntate suppleretur. Attamen sequentibus annis, cum Philippo II. modo dicta Angliæ Regina nupisset, diplomatum initium per verba, *Rex & Regina*, factum reperitur; quemadmodum & literæ posthæc ab Elisabetha emissa, non *Regis*, sed *Regina* solum appellationem præmissam ostendunt.

## LIBRI NOVI.

**D**issertatio de Auctoritate Patriarchali & Metropolitana, adversus ea quæ scripsit Edvardus Stillingfleet Decanus Londinensis in libro de Origine Britannicis: per Eman. a Schelstrate S. T. D. C. L. & Bibliothecæ Vaticanæ Præfatum. Romæ 1687, in 4.

Traité des jeux & des divertissemens, qui peuvent estre permis ou qui doivent estre defendus aux Chretiens: par M. Jean Baptiste Thiers. A Paris. 1686. in 12.

Johannis Meursii de Regno Laconico libri II. Ultrajecti 1687. in 4.

Phantome du Jansenisme, ou Justification des pretendus Jansenistes par le livre même d'un Savoïard Docteur de Sorbonne leur nouvel accuseur, intitulé *Les Prejuges, legitimes contre le Jansenisme &c.* A Cologne 1686.

Aphorismes de Controverse, ou Instructions Catholiques tirées de l'Écriture, des Conciles & des S. Peres. A Cologne, 1687. in 12.

Histoire & Apologie de la Retraite des Pasteurs a cause de la persecution de France. A Francfort. 1687. in 12.

Conversations sur diverses matieres de Religion &c. avec un Traité de la Liberté de conscience. 1687. in 12.

Eclaircissemens sur les scandales injustement pris d'un livre intitulé, L'ouverture de l'Épître aux Romains par l'explication du verset 27. du ch. 3. A Londres. 1687.

Christoph. Sontagii Tituli Psalmorum, Silusiz. 1687. in 4.



# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsiæ*

*Calendis Aprilis, Anni M DC LXXXVII.*

*FRANCISCI WILLUGHBEII ARMIG. DE HISTORIA Piscium Libri quatuor, jussu & sumptibus Societatis Regiæ Londinensis editi. Totum opus recognovit, coaptavit, supplevit, librum etiam primum & secundum integros adjecit Johannes Rajus e Soc. Reg.*

Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1686. fol.

**T**andem ad nos ex Anglia pervenit desideratus diu liber, & illustrissimæ quidem totoque orbe celeberrimæ Societatis Regiæ, cujus auspiciis atque sumptibus in lucem prodiit, munificentia. Opus tanto Collegio dignum, quo ea Historiæ Naturalis pars, quæ piscium naturam atque varia genera explicat, ad eam perfectionem, quanta quidem sperari potest, perducta nunc deprehenditur. Neque enim repetita tantum in eo sunt, quæ a clarissimis auctoribus, *Bellonio, Rondeletio, Salviano, Aldrovando, Gesnero, Schonfeldio, Clusio, Nierembergio, Marggravio, Borello*, pluribusque aliis tradita pridem nuperque fuere, ad illustrandam piscium historiam facientia: sed & novæ quædam piscium species detectæ, pleræque accuratius descriptæ & a se invicem distinctæ (vitata tamen non necessaria specierum multiplicatione, cujus in epilogo operis *Gulielmus Rondeletius* non obscure, modeste tamen arguitur) omnes vero in commodiorem methodum reductæ & nitidissimis iconibus expressæ comparent; ut quid desiderari amplius in hoc Historiæ Naturalis genere possit, nulli videamus. Non uni vero, sed pluribus elegantissimum opus hoc debemus. Et primas quidem partes merito sibi vendicat *Franciscus Willughbejus*, qui ad exemplum Ornithologiæ seu Historiæ Avium, anno 1676 Latino, post & Anglico

Y

idio.

idiomate editæ, Ichthyographiam, seu Piscium Historiam a se compositam, inter schedas suas anno ætatis trigesimo septimo nondum impleto defunctus reliquerat. Exornandæ vero illi & supplendæ præcipuam operam impendit laudatus nobis non uno loco *Jobannes Rarius*, qui Ornithologiæ etiam edendæ curam olim habuit, & nunc Ichthyographiæ libros integros, primum nempe & secundum adjecit. Sculpturarum pulchritudinem & piscium vivorum æmula lineamenta *Martino Listero*, sæpius quoque in Actis nostris laudato, accepta ferri debent, ut & descriptiones piscium non paucorum, quas operi inseruit. Iconibus sculpendis sumptus suppeditarunt plures, inprimis vero Illustris Societatis Regiæ Præsides *D. Samuel Pepys*, qui tabulas prope sexaginta suis impensis æri incidi curavit. Contulerunt porro operam *D. Tancredus Robinson*, *D. Radulphus Johnson*, *D. W. C. Medii Templi Londini*. Armiger, *D. Jacobus Fraser*, *D. Franciscus Aston*, *D. Fredericus Slare*, *D. Edvardus Tyson*, *D. Philippus Skippon*, *D. Petrus Dent*, *D. Samuel Langley*. Museum etiam Societatis Regiæ, cujus descriptionem a *Nebemia Grew* clarissimo viro adornatam sub ipsum Actorum horum auspiciis anno 1682 recensuimus, pisces siccatos non paucos subministravit, a nemine hæcenus descriptos. Ita mirum non est, librum cui exasciando tot tantique viri incubuerunt, eam induisse formam, ut *piscinariorum*, quales Cicero Lucillum & Hortensium vocare amabat, nemini non possit esse gratissimus.

Distinctum opus universon est in libros quatuor, quorum primo, ubi de piscibus in genere agitur, hæc *piscis* definitio traditur, quod sit *animal aquaticum, pedibus carens, vel squammis vel cute nuda contentum, pinnis natans, in aquis perpetuo degens, nec sponte unquam in siccum exiens*. Unde quisque intelligit, piscium hic nomine non aquatilia quæcunque venire; referri tamen inter eos cetaceum genus seu belluas marinas, tametsi pulmonibus respirent & quadrupedum more coeant, vivosque foetus pariant, partiumque omnium internarum structura & constitutione cum quadrupedibus viviparis convenient. Agitur inde de piscium partibus, branchiis inprimis, quæ piscibus propriæ sunt & pulmonum ad respirandi usum loco; nisi quod cetacei, ut jam dictum, pro branchiis pulmones habent. Ubi inter alia monetur, Rondeletium aliosque falli, qui pisces omnes, præter cetaceos, renibus & vesica urinaria destitui arbitrantur. • Hinc cum de victu, ætate aliis-

aliisque accidentibus piscium actum esset, divisio eorum Aristotelica, in *cetaceos*, qui viviparorum quadrupedum more pulmone respirant, coeunt, concipiunt, vivosque foetus pariunt & lacte nutriunt; *cartilagineos*, qui ova intus majuscula concipiunt, avium modo, eaque in utero fovent & excludunt, adeoque vivos foetus pariunt, & *spinosos*, qui spinas in carne habent ad eam fulciendam, & ovipari sunt, proponitur laudaturque, sed & emendatur. Nam cum libri hujus auctor Rajus advertisset, cartilagineos in eo cum spinosis convenire, quod branchiis respirent & unicuique tantum cordis ventriculum obtineant, ita procedendum sibi existimavit, ut pisces dividat primum in eos qui respirant *pulmone*, & qui respirant *branchiis*, atque hos subdividat deinde in *viviparos* & *oviparos*; distinguatque porro viviparos in *longos* & *latos*, oviparos vero in *planos* seu in latus projectos, & *dorso erecto natantes*. Inde itaque sequentium librorum nata Auctori dispositio. Nam *secundo* de cetaceis piscibus agitur, delphino, phocæna, balæna, orca, & physetera. *Tertio* de cartilagineis piscibus proprie & improprie dictis differitur. Ubi inter alia observat Auctor pag. 48, piscem illum, qui Jonam deglutivit, non ex cetaceo genere, sed *lamiam* fuisse, idque verisimillimum putat, 1. quoniam cetaceis angustior est gula, quam ut integrum hominem deglutire possint. 2. quia in mari mediterraneo, in quod projectus fuerat Jonas, cete rarius inveniuntur, si pro belluis illis marinis viviparis maximis vox illa accipiatur. 3. quoniam piscem illum, in cujus os Herculem insiliisse, & in cujus ventriculo tridui spatio hæsisse veteres fabulantur, canem carchariam fuisse, narrant, id est, lamiam, aut lamiae affinem piscem alium. Agitur & hoc libro de *torpedine*, cujus vis narcotica in dubium primo vocatur, mox *Francisci Redi* auctoritate confirmatur, ita tamen, ut vis ea non mortuæ torpedini, sed vivæ tantum & vigenti vindicetur. *Quarto* eoque prolixissimo libro de piscibus agitur oviparis, quorum plerique spinas in carne habent, & sectione quidem 1. de planis oviparis spinosis qui in latus projecti natant. 2. de piscibus anguilliformibus seu lavibus, lubricis & plerumque oblongis. 3. de piscibus corpore contractiore, vel saltem non admodum lubrico, qui pinnis ventralibus carent. 4. de piscibus spinosis dictis, quibus pinnarum dorsalium radii omnes molles & flexiles sunt. 5. de piscibus spinosis, quibus pinnarum dorsalium radii aliqui sunt aculeati. Subjungitur operi Appendix, quæ pisces

Indiæ orientalis a *Johanne Nieubof* descriptos, nec non supplementa a *Martino Listero, Eduardo Tyson*, aliisque communicata exhibet.

## LETTERE ECCLESIASTICHE DI POMPEO

Sarnelli,

i, c

## EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ POMPEII SARNELLII, S. S.

Theol. &amp; J. U. Doctoris, Protonotarii Apostolici ac Abbatis S.

Homoboni Casenatis.

Neapoli, impensis Antonii Bulifonis, 1686. 4.

Quadragesimo omnino Epistolas complectitur hoc volumen, quod illustri *Magliabechii* liberalitati debemus. Cum vero in paucorum manibus doctissimus liber versetur, ac Italico præterea idioma te, ut legi ab omnibus non possit, conscriptus sit, non gravabimur compluscula ex iis excerpere. Itaque vitandi tædii causa dimidiam ejus partem, eamque priorem, hæc recensere, alteram ad proximi mensis acta referre, visum fuit. *Epistola prima* operis totius titulum ab homonymia liberat. *Literarum enim Ecclesiasticarum* varia genera dari clarissimus Autor observat, inter quæ familiam quasi ducunt literæ *formate*, quas a *forma* seu icone incisa annulo episcopali, quo obsignabantur, nomen traxisse asseverat. Distinguit eas in *κωνωνικὰς communicatorias*, *ἀπολυτικὰς* seu *dimissorias*, *συγκειτικὰς* seu *commendatitias paschales* (quibus Romanus Pontifex paschatis diem, de quo ab Alexandrino Patriarcha, qui Astronomia studio more gentis suæ diligentius vacare solebat, quovis anno certior reddebatur, Metropolitanis intimabat; unde Episcopis, & horum opera singulis ecclesiis innotescebat, testibus *Leone Magno* epist. 64. *Concil. Arelat. I. can. 1. Carthagin. V. c. 7.*) *encyclicas* porro, *catholicas* (ad universam ecclesiam datas), *synodales*, *commonitorias*, *tractatoriasque*, quibus ultimo loco memoratis Episcopi evocabantur ad concilia, cumque nomen ac dignitas vocati in iis expressa legeretur, statim inde constabat, quo pacto is tractari sive excipi mereretur, unde & Sarnellio iudice, illis nomen *Formatis* subnectit Pontificales, *decretales* puta, *brevia* ac *bullas*, h. e. chartas bullatas sive, quod idem est, plumbo signatas, quo *bullandi* officio funguntur hodie laici, olim duo Fratres conversi ordinis Cisterciensis, qui ea de causa *Fratres de Plumbo* audiebant. Sequuntur Episcopales

scopales *tractatoria, pastorales, vocatoria, pacifica, pro captivis, privata*, quas Episcopi catholici ad hæreticos, schismaticos paganosve dabant, publicæ communionis ac benedictionis intimatione destitutas, qua de re *Augustinus* epist. 162. Agmen claudunt e Clericalibus *confessoria, rogatoria, festiva* seu quibus prosperam dierum festorum transactionem sibi invicem apprecabantur. At ab hisce universis *Literas* suas toto genere differre *Sarnellius* monet, nec alio jure *ecclesiasticas* inscribi, quam quod res ecclesiasticas pertractent.

*Epistola* II. stylum clerici nec ad satyram nimis propendere, nec ab antiquorum formulis, barbaris licet, abhorreere debere disputat.

III. Quæsitum fuerat, utrum *D. Antonius Abbas*, (qui eremo ac vita excessit A. D. 361. ætatis 105.) impluvia, mitra ac pastorali indutus pingendus foret? Hinc supponit ante omnia, ipsos Apostolos Leviticos Sacerdotes imitatos ac mitra usos esse, ut pote quod de *Jacobo Alphao* affirmant *Epiphanius* hæc. 29. & 78, *Hieronymus* item de Script. Eccl. in *Jacobo*, de *Johanne* autem *Polycrates* apud *Eusebium* H. E. lib. X. c. 4. Ab Apostolis ad Episcopos cum munere mitram devolutam esse, memorat. Monachos vero Abbates ante undecimum seculum ne sacerdotium quidem, multo minus mitram, quæ *Regali sacerdotii insigni* ex I. Petr. II. 9. Pontificiis appellatur, obtinuisse. Singulare quippe esse, quod *Alexander II* *Wratislao Bohemæ Regi* mitram, dum viveret, gestare indulserit, quodque veteres *Neapoleos Reges* cum corona virgam quoque, annulum, *dalmaticam*, mitram sandaliaque acceperint. Ex quo vero anno 1100 *Paschali II* Pontifice, *Concilii Pictaviensis Patres* decreverunt (prout vel exc. ut *Abbatibus, de temp. ordin.* patet,) ut *Abbatibus & Decanis & Præpositis, qui Presbyteri non sunt, Presbyteri fiant, aut prælationes amittant*; facillime hic illic quorumvis ordinum Abbates a Pontifice pontificium usum impetrarunt. Vitio id tamen eis vehementer verterunt *seculo XII Pirrus Blesensis* ac *Bernardus*, qui epist. 42. ad *Henr. Senon.* Episcopum: *Quis UNQUAM* (inquit) *probatorum Monachorum tale quid aut verbo docuit aut reliquit exemplo?* Consequitur hinc, *Antonium* splendido hoc capitis tegmine non fuisse usum, eum nec Sacerdos, nec Diaconus, imo ne Clericus quidem primæ tonsuræ fuerit, *More autem ac idiomate Syriaco Abbas* dicitur, h. e. Pater,

eo quod paterno honore reliqui monachi ipsum profecuti fuerint. Nihilominus picturas veteres, quæ Eremitam hunc mitratum sistunt, nequicquam mutandas esse, pronunciat Noster, tum quod plebi illis assuetæ, aliæ, accuratiores licet, absque scandalo obtrudi nequeant; tum quod Antonius merito fruatur eodem jure, quo *Hieronymus*, qui eo, quod Romæ Ecclesiæ cuidam præfuit, a qua hodie alicui Cardinalium titulus est, cum insignibus pingitur Cardinalitii, quæ tamen anno demum 1244 Innocentius IV invenit. Eadem ratione Antonio, parenti, magistro, duci, exemplo monachorum omnium ac abbatum, insignia illa deberi, quibus successores ejus ex merito orrentur.

IV. *Canonici* nomen a *Canone* derivat, non quatenus *regulam* notat, quo pacto Canonicus regularis mira tautologia laboraret; sed quatenus significat *catalogum*, non librorum quidem sacrorum, aut virorum sanctorum ac canonizatorum, verum Clericorum, qui nomen alicui Ecclesiæ dederant, & pro ministerio suo partem seu sportulam ex oblationibus fidelium habebant. Unde Canonici, quorum apud Basilium mentio, Balsamone interprete, sunt *ii, qui in Canone numerantur, scilicet Clerici & Monachi*; Monachi puta, ad sacros ordines minores admissi, quod juxta *Decretum causa XVI. q. 1.* iis olim non licebat. Hinc *Nicanum can. 16: Sacerdotes, aut Diaconi, aut generatim, qui sunt IN CANONE recensiti.* Confer *Antioch. c. 2. 6. 11. & Chalcedonense can. 2.* Qua de causa *Laodicenum c. 15. Cantores, & Turonense II. can. 20. Lectores* in Canonicorum numerum refert. Sicque nomina Clericorum, ordinibus sacris aut communione fidelium privari meritorum, Canone expungebantur, ut in Concilio *Agathensi can. 2.* & *Augustino* epist. 137 videre est. Competebat igitur Canonici nomen subdiaconis cæterisque minorum ordinum Clericis. Horum officium erat cantare, adeo ut hoc neglecto beneficio suo exciderent. Neque tamen hoc obstante, deridendum propinat Sarnellius Prælatum quendam, qui etymon Canonici a *canendo* deduxit. Uti vero iis verbum prædicare, ac sacramenta dispensare non licebat, sed solis majorum ordinum clericis; ita hisce cantu omnino interdicitur c. in sancta Romana dist. 92: contra vero ex iisdem solis episcopalis senatus legabatur, unde & senatus Papæ non ex Canonicis Lateranensibus, aut S. Petri in Vaticano, sed ex Cardinalibus, in Episcopos, Presbyteros ac Diaconos

conos distinctis, hodiernum constat. Successu vero temporis Episcopi *Canonicos* in confessus suos sacros adfiscere cœperunt, quapropter nec *Tridentinum* sess. xxiv. c. 12. *Canonicorum collegio Senatus Ecclesia* titulum negare voluit.

V. Docet, *Chorepiscopos* duum olim generum fuisse. Alii enim revera erant Episcopi, qui, cum sua sede ab hæreticis aut infidelibus expulsi essent, in aliam Diœcesin profugerant, ibidemque precibus ab Episcopo obtinuerant, ut ipsis committeretur *Ἰδιοκονή* & cura non *χωρῶν*, *terris*, sed *χωρῶν*, *villarum* quarundam, utque jurisdictionem Episcopalem, non suo quidem, sed Diœcesani vice, nomine ac autoritate exercerent. Canone enim VIII *Synodi Nicena I. Episcopis a propriis Ecclesiis dimotis* permittitur, *ut alibi Chorepiscoporum fungantur officio*. Huc spectant Canones octavus *Antiocheni* & secundus *Harcinonensis* II Concilii, quorum illo *Chorepiscopis* *Litterarum* *Canonicarum* seu *formatarum* conscriptio, hoc *Ecclesiarum* consecratio permittitur. In concilio *Cabilonensi* c. 43. vocantur Episcopi vagantes, sine titulo, sine sede. Observat heic (post *Cyronium* L. 1. Obs. c. 13. & *Gonzalez* in l. V. *Decretal. comm.* in cap. 1. de *privil.*) eosdem *Chorepiscopos* *Scotos* vulgo dictos esse, quia multi id genus homines in *Scotia* commorabantur. Plerumque erant pauperissimi, cum idem de Episcopis ipsis pateat ex eo, quod in *Chronico Archiepiscoporum* *Bremensium* memoriae proditur: *In Concilio Lateranensi* *erant a Papa consecrati Episcopi duo Angliae & duo Scoti: unus solo equo venerat, alter pedes*. Idem *Chorepiscoporum* nomen dein sibi quoque vindicabant *Presbyteri* illi, qui Episcopi diœcesani vices in villis ac vicis gerebant, hincque in *Capitularibus* *Caroli M. vicarii Bishoporum*, in *Concilio Laodiceno* can. 75. *visitatores diœceson* salutantur; & de his *Presbyteris* intelligi oportet *Canonem* 3. *Conc. Rbergensis*. C. 7. *Hispalensis* II, *Canonem* 27. *Parisiensis* sub *Gregorio IV.* & *Ludovico* habiti, *Can.* 44. *Meldensis*, quintum denique *Canonem* *Concilii Metensis*, ubi *Chorepiscopis* *functionum* *Episcopalium* exercitio penitus interdicitur. Hinc in *Concil. Neocas.* c. 13. & *Niceno I.* c. 8. iidem dicuntur, *presbyteri ordinati in locum LXX Seniorum*, comparanturque *Archidiaconis* ac *Archipresbyteris* nostri temporis in *Concil. Augustano* cap. 7. in principio. Prolixius de iis agitur in  
S. Da-



S. Damasci ep. 4. al. 5. Leonis Epist. 86. al. 88. Gelasii I. Epist. 9. ad Episc. Lucaniae.

VI. Refellit censuram scioli, quem male habuerat, quod Sarnellius Episcopum quendam *civitas sua Pontificem* compellaverat. Tuetur se effato Chrysostomi in Ps. XIII. *Hereticum diaboloque similem esse, qui Pontificis nomine Episcopum defraudare ausit.* Quid enim, inquit, si sanctissimum, si summum sacerdotem, summumve Pontificem appellassem? Nam cum omnes fideles *sancti* audiant, Rom. I. 7. XV. 25. 2. Cor. I. 2. Phil. IV. 21. 22. Act. IX. 13. quippini Presbyteri *sanctiores sanctissimique* adeo vocentur Episcopi? Sic sane epistolam inscripsit Liberius Papa: *Dominis sanctissimis & Deo amantissimis universis Episcopis Liberius Episcopus in Domino salutem.* Summi vero sacerdotis titulus, cui conveniat, Augustinus docet: *Quid est (inquit) Episcopus, nisi primus Presbyter, summus sacerdos?* lib. quaest. ex utroque mixt. q. 10. Denique notetur, quomodo de semetipsis loquantur *Conc. Toletani VI* Patres in exordio: *Convenientibus nobis Hispaniarum & Galliarum summis Pontificibus.* Nec angustae dioeceseos Episcopos augustiori ejusmodi titulo indignos esse Sarnellius contendit, ob istud Hieronymi ep. 85. ad Evagrium: *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Roma, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhogii, sive Alexandria, sive Tani, ejusdem meriti est & sacerdotii.* Imo nec Titulares pejoris conditionis esse debere, *Ludovici Card. Arelatensis* suffragio probat. Tandem haec, quam subnectit, observatio notatu digna videtur, Episcopos saepe per antonomasiam *Sacerdotes* absque addito dici. Sic enim in officio S. Apollinaris Episcopi *Rayonnatis* preces concipi solere: *Deus fidelium remunerator animarum, qui hunc diem B. Apollinaris Sacerdotis tui martyrio consecrasti, &c.* Econtra simplices Sacerdotes sine Sacerdotis titulo h. m. in Calendario Romano memorari:

14. Jan. Felicia Presbyteri & Martyris.

14. Febr. Valentini Presbyteri & Martyris.

30. Sept. Hieronymi Presbyteri & Confessoris & Ecclesia Doctoria.

VIII. Inquiritur in etymon *Bugie*, h. e. candelabri argentei sacri, cui imponitur candela ardens, ubi Missa a Praefule decantanda est. Vocem Gallia oriundam esse censet Noster. Gallis enim *bougie* cereus est; hinc

hinc candelabro ipsi per meton. contin. pro contento nomen quaesitum fuisse. Facile nimirum in Italiam Latinamque linguam vocem illam irreperere potuisse, cum plerique rituum sacrorum scriptores Galli fuerint, sedesque papalis totis annis 71 Avenione hæserit. *Faldistorijum* vero (h. e. sellam *plicatilem*, ex qua Episcopus ad populum fatur, alias dictam *faldistolium*, *faldistolam*, *faldistolam*; unde si Clarissimi *Du Fresne* iudicio standum esset, barbara hæc vox ex Germanorum *Saltenstul* originem duceret.) Sarnellius *Paridem Grassum* secutus, idem esse conjicit, quod *fandistorium*, fandiq; locum significare, uti *confistorium* locum consistendi.

VIII. Probat, Presbyteros virtute ac doctrina insignes, Præsulibus suis in pretio debere esse.

IX. Quæstionem: *an musica harmonica, tum vocalis, tum instrumentalis Christianorum templis eliminanda sit*, ventilat, negandamque censet, si gravis illa sit, devota ac modesta. Nec de originibus eius non agit. Et instrumenta quidem musica primis seculis inter Christianorum sacra penitus subivisse, agnoscit. At uti Deus (ex *Theodoretii* sententia) ea hac fini templo suo in V. T. inferri jussèrat, ne Judæi, si suavisissimi concentus desiderio tenerentur, haberent, cur ad gentilium potius templa cum seductionis periculo itare vellent: ita, cum hæretici musica ad illiciendos infirmiores abuterentur, visum fuit, horum debilitati aliquid dandum, nec illis hac in parte cedendum fuisse. Sic nimirum *Flavianus* Antiochenus, *Cbrysostronus* Constantinopolitanus, & *Ambrosius* Mediolanensis Episcopi cum primis, *cantibus cantus opposuere, citharas citharis, veluti pila minantia pilis*, (ut cum Nicephoro Noster loquitur) *indubitanque sunt expugnandis Novatorum artibus chorij castrorum,*

X & XI. Totus est in corona clerica ad veteres canones reformanda, eamque non rasura modo, sed & tonsura indigere, prolixè disputat. Unde in clericos illos censoriam virgulam stringit, qui, cum capillos circumcirca tondere deberent, ne oculos, aures & collum contingerent, illos nimium promittunt.

XII. Urget canones, quibus constituitur, ut clerici barbam aut radant penitus, aut æqualiter tondeant. Refert hac occasione, quantal malorum vis ex barba enata, doctissimum Cardinalem Bessarionem oppresserit. Electus fuisset Papa, ni barba obtitisset, quam promissam

fam & delicate pexam gerebat, quæque rituum Græcorum nimistena-  
cem eum esse prodebat. Unde Cardinalis Avenionensis ad Collegas  
dixerat: *nondum barbam rasit Bessarion, & nostrum caput erit?* Imo  
cum Ludovicus XI Rex Galliarum Bessarionis barbam non sine scom-  
mate tetigisset, id adeo ægre tulit, ut ex Gallia Ravennam reversus d,  
18. Nov. a. 1472 mœrore confectus obierit.

XIII. Rationem reddere nititur, cur die Viridium tredecim pau-  
perum pedes lavet episcopus, cum duodecim tantummodo Apostoli  
fuerint. Altum de hoc dubio silent, quotquot Sarnellius vidit Ritu-  
um Ecclesiæ suæ mystagogos. Noverat tamen *ex Ruperti de Div.*  
*Offic. l. V. c. 21. 22.* duplicem olim pedum lotionem in Ecclesia viguisse,  
Primo enim pauperum pedes a Canonicis, post Canonicorum pedes  
ab Episcopo lotos fuisse. Illud Ecclesiæ nomine fiebat ad imitatio-  
nem Mariæ, quæ Christum lavit & unxit: hoc vero referebat offi-  
cium, quod discipulis Christus exhibuit. Hinc Sarnellio conjectura  
subnata, expertam fuisse Romanam Ecclesiam vertente tempore, unius  
dieculæ, tot aliis sacris actionibus infirmi solitæ, spatium non sufficere  
ablutionibus duabus distinctis, ideoque binas illas in unam rede-  
gisse, ac statuisse, ut ab Episcopo XIII pauperes lavarentur, quorum primus  
Christi ab Ecclesia lavati, reliqui Apostolorum a Christo lavatorum  
personam sustinerent.

XIV. Usum, antiquitatem, genera *Bireti* seu capitii Clericalis fur-  
sus explicat.

XV. Agit de *Berretino* sive minori illo, arctiori nec ullis plicis  
contracto capitii tegmine, quod sub Bireto gestari solet. Mortalis pec-  
cati reum judicat, qui Missam celebraturus eo caput tegat, nisi a Ro-  
mano Pontifice ipsi hoc quicquid est licentiæ, intuitu minus integræ  
valetudinis indultum fuerit.

XVI. Reliquas habitus secularium Clericorum partes, orarium  
seu stolam talarem, caligas, zonam, collaria & interularum manicas,  
pileum, calceosque cum cura considerat, & uti ad canonum normam  
confici debeant, disserit.

XVII. De *annulo Clericorum* observationes suas affert. Meminit  
*annuli Piscatoris*, qui effigie Petri piscantis insignis, Papæ proprius est,  
Ex Petri Patriarchæ Antiocheni & Demetrii Archiepiscopi Bulgariae  
epistolis concludit, Græcorum Episcopis annuli usum prohiberi. At  
Romanæ

Romanæ religionis Episcopis competere illum dicit, tum quod sponsæ Ecclesiæ suæ audiant, tum quod infidelibus mysteria obsignare, fidelibus resignare debeant. Abbatibus vi privilegii illius permitti, quo Pontificalium usum adepti sunt. Protonotarii Apostolici titulares extra missam annulo licite utuntur, non item dum celebrant missam, nisi ille gemma destituatur. Clericis nulla dignitate ecclesiastica conspicuis, nullibi annulo uti licet. Annulus annulari dextræ digito in missa, extra missam indici ejusdem manus indi debet. Cæterum *annulum aureum*, Jac. II. 2. memoratum, non digiti annulum esse putat, sed *fibulam auream*, qua vestis constringebatur, quo pacto Exod. XXVIII. dicatur: *stringatur rationale annulus suis*. Fibula enim aurea non nisi honoratissimis uti licebat, juxta *Josephum Antiq.* XIII. 18. 1. *Macc.* X. 89. XI. 58. XIV. 44.

XVIII. Quamvis in Concilio *Nannetensi, Arelatenfi, Arvernenfi*, aliis, Clerico permittatur, ut cum avia, matre, sorore, filia, nepte, uxoreque ad cælibatam conversa, communes ædes incolat, illicitum id tamen videtur Sarnellio, quia (uti dicitur *cap. inbibendum, extra de cubabit. cleric. & mulier.*) instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis illarum. Confirmat id multis Patrum dictis, e quibus & hoc, sed *ἵδεν οὐρον*, est: *erga sexum fragiliorem charitatem exercendam, uti erga animas in purgatorio, quibus auxilium feratur, sed eminus.*

XIX. Probat, Sacerdotem qui ante mediam noctem cœnavit, etiam si postea non dormiverit, licite celebrare missam mane sequenti. Multam heic lucem affundit *capitulo, si constiterit, extra, de accusatio-nibus*, monstratque Davidem illic memoratum, non quod post pernoctationem, sed quod post crapulam ac noctem in publica taberna transactam missam celebrasset, beneficio suo ecclesiastico excidisse.

XX. Respondet ad quæstionem: *an festiviis frondibus templorum porta ornanda sint?* Tertullianus de Corona militis c. 13. & de Idol. c. 15. ritum illum a gentilibus mutuo acceptum damnare videtur. Regerit Sarnellius, multa vigente Ethnicismo prohibita fuisse, ne gentilibus Christiani consentire viderentur, quæ sublato illo, in honorem Dei tuto ac licite fieri cœperint. Multos etiam gentilium ritus in majorem Dæmonis confusionem gentilibus creptos, a superstitione purgatos, mysticaque significatione donatos fuisse; id quod omnibus illis

exemplis illustrat, quibus Protestantes ipsi, Romam hodiernum ethnificare probaturi, uti assolent. At magis reverenter de iis sentiens Sarnellius fundamenti loco illa ponit, eandemque de frondibus festivis sententiam ferri postulat. Ac hæc quidem hætenus.

*PETRI LEMÉE IN PRINCIPE GALLIARUM SENATU COGNITORIS, Forensia quedam Opuscula, Nicolai Lemée, filii, in eodem Senatu Causarum Patroni notis illustrata.*

Parisiis, apud Nicol. le Gras, 1686, in 8.

**L**ibellum hunc non ita pridem ad manus nostras delatum, ut ut de eo multa nobis dicenda haud sint, vel ideo tamen tacere nolimus, ne quis audito forsitan ejus titulo ignoraret, quid rerum in eo contineatur aut pertractetur. Cæterum si plane silentii populo ipsum involvere maluissemus, in promptu nobis excusatio fuisset: cum editor ipse in præfatione protestetur, se non adeo in lectoris gratiam hæc in lucem prolata voluisse, quam quidem ut familiæ saltem suæ gratum quid præstaret, ac præsertim fratri Enemundo Lemée, quem instanter id efflagitasse ait, ut hæc quasi domestica vitæ, morum, casuum & fortunæ parentis communis epitomæ extaret: ac in fine annotationum contestatur, sese id totum Francisco Lemée, uni charo sibi filio superstiti in æternum virtutis avitæ monumentum consecrasse. Quam bene tamen insimul de hisce parentis opusculis posthumis senserit dictus editor Nic. Lemée, exinde apparet, quod fatetur, se, cum eadem nuper nactus perlegisset, tanti ea ponderis ac momenti esse judicasse, ut se non modo hereditatis interversæ reum, sed & filiorum ingratißimum crediderit, si hæc situ aut tineis consumi pateretur, nec in publicam proferret lucem. Jam de opusculis his eorumque tenore ut paucis agamus, sex ea in universum sunt: inter quæ 1, 3, & 4 ejusdem fere sunt argumenti; libelli nempe supplices ad supremum in Gallia Senatuum seu Parlamentum ejusque Præsidem directi ab autore Petro Lemée, pro impetrando munere cognitoris seu procuratoris, quod longissimo tempore ac vicennii fere spatio ambiit; ubi inter alia pro se allegat, quod majores sui ad tritavum usque, inde a his centum annis, cognitioni forensi seu officio procuratorum conti-

nua

ntia serie operam navarint. Secundum in ordine epistola gratulatoria est ad Hieronymum de Haqueville, cum in senatus istius principem inauguraretur. Quintum exhibet orationem ab ipso in Senatu habitam ad obtinendum salarium a cliente quodam promissum ac deinde negatum: ac sextum denique brevem exostulationem de calumnia auctori a malevolo quodam collega facta. Univerſa hæc opuscula filius editor subjectis notis aut ornare aut illustrare dignatus est, quibus haud obscure ostendit, se non in bonorum autorum lectione minus, quam fori tritura versatum esse. De cætero libellus ob stylam non inelegantem lectu haud ingratus est, e quo præterea unum alterumve enotari poterit, quod ad forensam historiam ac consuetudines regni Gallicani faciat; v. g. quod ibi locorum togatæ advocatorum militiæ nemo adscribatur, nisi qui juris Romani studio triennium, Gallici vero annum impenderit; quod procuratio forensis Edicto a. 1639, 9. Januarii demum venire cœperit, cum antehac merito solum ac labori concessa, nec ut alia Galliarum officia venalis fuisset; quod Medicorum filii dimidium solum temporis alias statuti Medicinæ studio locare teneantur; quod anno 1677 regia constitutione imperatum fuerit, ut omnia Advocatorum nomina, qui per tempora præscripta juris cognitioni rite incubuissent, albo eundam inscriberentur, & quotannis redente Senatu recenserentur ac publicarentur, ad arcendos eo melius indoctos ac inhabiles, ne ulterius irreperent; narratur tamen insimul, salubrem hanc jussionem hæcenus effectui nondum esse datam. Denique monendum est, tertium ex opusculis prædictis non Latino, ut reliqua omnia, sed Gallico sermone scriptum esse; quod vel id eo rejici non debuisse ait editor, ut autorem non minus eleganter Gallice, quam Latine scripsisse, lector comperiret: universa tamen etiam in Gallicum idioma translata esse, ex præfixo Censoris testimonio discimus.

LE VRAY SYSTÈME DE L' EGLISE &c.

id est:

D. PETRI JURIEU VERUM SYSTEMA DE ECCLESIA

& *Analyſi fidei.*

Dordraci apud Th. Goris, 1686, in 8.

Z 3

System

**S**ystema hoc in tres libros divisum est, quorum primum in Actis nuperi mensis pag. 142 & sequentibus enarravimus, de reliquis nunc promissi memores acturi. *Libro* itaque *secundo*, capitibus XXVI de auctoritate Ecclesiae & Synodorum tractatur, & ostenditur, infallibilitatem sive veritatem infallibilem expectandam non esse ab Ecclesia, quia in universali, ut ipsi Pontificii statuunt, non in particulari quaerenda esset. Romana autem Ecclesia (ait Autor) nunquam probavit, neque probare potuit, se esse universalem, & condemnandi alias jus habere; imo a Graeca & aliis vicissim condemnatur. Infallibilitas itaque non est essentialis conditio Ecclesiae, neque universalis, neque particularis; sed ex gratia divina contingit, aliquam ab erroribus puram esse. Porro universalis Ecclesia judicare & decidere non potest, neque congregationem habet, neque tribunal: quis enim monstrare, potest universalis Ecclesiae decretum? Post schisma illud magnum inter Latinos & Graecos, in confesso est nullum fuisse. Antea jam Euty-chiani & Nestoriani separati erant, in quorum coetibus simpliciores, qui errorem doctorum non capiebant, salvatos esse, nequit negari. Concilium *Nicanum* majori jure, quam ullum aliud, universale dici potest; neque tamen tale erat. Multae enim Ecclesiae *Novatianorum* in Oriente, & *Donatistarum* in Africa, vocatae ad id non fuerunt, quae tamen non in dogmatibus, sed in disciplina dissentiebant. Aequivocum itaque est, cum dicitur: *Ecclesia docet, praedicat, instruit*. Haec enim omnia non ab universali, sed particulari fiunt Ecclesia, quae falli & fallere potest. Itaque Christianis licet Ecclesiarum decisa examinare, & ab iis, si erronea sint, dissentire; sicut Athanasio uni licuit, ab omnium Ecclesiarum orientalium, *Arianismum* sequentium doctrina discedere. Interim pro Ecclesiae universalis decreto quodam haberi potest, omnium, licet dissentientium circa quaedam, coetuum *Gracorum, Latinorum, Protestantium, Abyssinorum, Armeniorum, Nestorianorum, Rufforum*, universalis in praecipuis dogmatibus consensus, (exclusis Socinianis, & Fanaticis, quorum dissensus obstare huic universalitati non potest.) Illi consensui intra certos fines infallibilitas annexa est, & regulae *Vincentii Lirinensis*, interque eas temporis perpetuitas maxime locum habent. Hac enim deficiente nihil agitur, etsi plurimum coetuum consensus doceatur. Sic frustra allegari ait circa *transsubstantiationem* consensum hodiernorum Graecorum aut aliorum, nisi probetur, dogma

gma illud ab Apostolorum tempore per omnes Ecclesiæ ætates obtinuisse. Sed consensum in dogmatibus ex Scripturis ortum, & ratione temporis, loci & personarum universalem, infallibilitatem facere, v. g. in articulis *de divinitate Christi, de trinitate personarum, de redemptione, de satisfactione, de peccato originis, de creatione, de gratia, de immortalitate animæ, de æternis peccatorum penis;* & sic *Socinianorum* reprobationem manifestant esse; neque enim hos unquam demonstrare posse coetus fuisse, qui sua dogmata professi sint. *Cerintum* enim, *Artemonem, Paulum Samosatenum, Pborinum,* aliosque nunquam quatuor hominum millium coetum facere potuisse. Deum utique non ita deseruisse Ecclesiam universalem, ut unanimiter a veritatibus istis capitalibus deficeret, & creaturam pro Deo adoraret. Putat itaque Autor, hunc verum esse characterem articulorum fundamentalium & ad salutem necessariorum, quod nempe unanimiter a Christianis credantur, aut unanimiter rejiciantur. Postremum hoc tamen restringit ad errores, qui fundamentum penitus tollunt; nam qui per superadditamenta illud infirmant, non semper ab omnibus rejici fatetur, permittente hoc Deo, quia in coetu erroribus additis corrupto nihilominus aliqui certo modo & tempore salvari possunt, quod in erroribus primæ classis fieri nequit. His ita (*cap. I.*) præmissis, de potestate conciliorum tractat (*cap. II.*) eo tamen nomine censendos esse non putat conventus Apostolorum; neque concilia ab his instituta esse concedit. Tria autem conciliorum quasi officia seu functiones esse asserit, (1) ut de controversiis definiant, (2) ut disciplinam constituent, (3) ut excommunicent sive anathematizent. *Primum* facere, ut consultores religionis peritos; *alterum* ut legislatores; *tercium* ut iudices compromissarios. Ut *consultores*, errare posse, nec jus habere, ut fidei articulos constituent; ut *legislatores* & *iudices*, non magis infallibiles esse, & autoritatem habere a populo, qui per modum confederationis sive associationis decretis ejus, in qua vivit, Ecclesiæ particularis se submisit. De *excommunicatione* pluribus agit (*cap. III.*) eamque juste fieri censet contra eos, qui disciplinæ in Ecclesiâ sociatæ constitutæ repugnant, aut alia docent, quam quæ recepta sunt. Explicat etiam, quale obsequium decretis conciliorum debeat, & quis anathematizatum effectus sit, utque non semper salutem homini auferant. Interim etiam injustis decisionibus, si fundamentum religionis non destruant,



struant, pacis causa parendum esse. Hæc a responsonibus adversariorum, ut & eorum qui *Independentes* vocantur, vindicat, quamque potestatem *Reformati* Synodis suis tribuant, ostendit, eam præcipue, quæ licet mentes hominum non cogat, linguas tamen refrenet. (vid. *cap. IV. & V.*) Occurrit & alii difficultati (*cap. VI.*) & monstrat, posse & debere Christianos singulos veritatem, per dogmatum discretionem, agnoscere & amplecti, neque tamen ea cognitione aut fiducia se pro infallibilibus venditare, non magis æ eos, qui Philosophicam aliquam veritatem deprehendunt. Interim (*cap. VII.*) infallibilitatem fidei omnibus fidelibus per gratiam Dei internam contingere, læta devote, non curiose, Scriptura sacra. Absque gratia autem nihil certi sperandum, & hanc excludentes adversarios in *Pelagii* errorem labi. Hac occasione refert, Reformatos cum *Thomistis* & *Jansenistis* docere efficaciam gratiæ *indeclinabilem, irresistibilem, infallibilem*. Aliam infallibilitatem monet esse *privilegii*, veluti Apostolorum, qualem post illa tempora nemo sibi arrogare possit; aliam *ordinatam*, nempe electorum, ex dispositione gratiæ pie acceptæ. Fatetur tamen, electos ad tempus etiam mortaliter errare posse, sed non perseverare in errore, verum resurgere ex lapsu & salvari. Addit, etsi quilibet fidelis de veritate doctrinæ judicet, non tamen sequi, quod adversarii objiciunt, ac si Protestantes statuunt, quod magis sapiant singuli ex plebe, quam concilium, aut Ecclesia. Fidelibus enim satis esse, si articulos fundamentales noverint, ideoque ignorare posse alios, v. g. *de invocatione sanctorum, & de cultu imaginum*; neque tamen per se absurdum aut impossibile esse, quod unus aliquis, v. g. *Athanasius*, locum quandam S. Scripturæ rectius intellexerit, quam totus Episcoporum *confessus*. Præsumi quidem pro hoc, sed ita ut probationi in contrarium locus sit. Vide *cap. VIII. IX.* Respondet speciatim (*cap. X.*) Maimburgii argumentationi, ab exemplo Synodorum, quas Reformati sequuntur, v. g. *Dordracena*, & ostendit, quo jure hæretici & schismatici ab Ecclesia se separent, vel separare possint, & quod justior & efficacior modus ad errores corrigendos sit verbum Dei, quam autoritas Synodorum. (*cap. XI.*) Refellitur via autoritatis, quam urgent adversarii, ab impossibilitate, & ab exemplo Ecclesiæ ante & post Moysen, item Judaicæ posterioris, dein a praxi Apostolorum, & Ecclesiæ tum plantandæ, tum plantatæ. Vide *cap. XII, XIII, XIV.* Difficultas monstratur (*cap. XV.*)

discus-

discussioſis ſive indagatioſis de *autoritate Eccleſiæ*: ſi enim hæc a laicis fieri poſſit, æque facile fore, omnes alios articulos per viam examinis cognoscere, imo facilius, quia longe evidentius articuli fundamentales, v. g. *dogma de divinitate Chriſti*, in Scripturis explicantur, quam *dogma de Eccleſiæ*. Ulterius id deducitur c. XVI. & expenditur regula ex Auguſtino afferri ſolita, quod credendum ſit, *Apoſtolos docuiſſe ea, quorum origo neſcitur*; & difficultas oſtenditur talia demonſtrandi. Reſpondetur iterum ad *atteſtationes orientalium* ab Arnaldo circa tranſſubſtantiationem adductas. *Cap. XVII.* externæ Eccleſiæ Romanæ notæ examinantur, & negatur, ſimplicioribus manifeſtam veritatis & autoritatis fidem per eas fieri poſſe. Poſt hæc *cap. XVIII.* duo adverſariorum principia, per quæ autoritatem Eccleſiæ adſtruunt, directo Autor aggreditur, nempe quod putant a *Reformatis* evidentem demonſtrationem articulorum fidei requiri, & quod operationem gratiæ in producenda fide excludere videntur, ideoq; ad ſolam autoritatem ſive cæcam obedientiam & credulitatem populum ablegant. *Cap. XIX* neceſſitatem gratiæ, quæ facit, ut veritas ex Scripturis in mentibus fidelium apprehendatur, demonſtrat, neque nunc poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora ad nudam autoritatem dicentium reſpici debere, neque evidentiam mathematicæ demonſtrationis, ſive diſcuſſionis operoſæ neceſſariam eſſe, ſed ſufficere mediam viam, quam vocat *attentionis*, cui gratia opitulatur. Hoc auxilium gratiæ ex Scripturæ plurimis locis, & ex Auguſtini doctrina probat, & quomodo fides producat, explicat. *Cap. XX.* ad objectiones reſpondet, & duplicem certitudinem, *ſpeculationis* nempe & *aſſenſus* ſive *adhæſionis* ſtatuit, & hunc dicit actum eſſe non intellectus, ſed voluntatis. Quod vero ab evidentia demonſtrationis non dependeat fides, *cap. XXI.* pluribus explicat, & *Janſeniſtarum*, inter quos *Nicolius* olim fuit, teſtimonio firmat. Dein *cap. XXII.* examinis modum, quo etiam ſimplices in percipiendis fidei articulis uti poſſint & debeant, exponit, & accuratiorem quidem diſcuſſionem (quam adverſa pars, ut laicis impoſſibilem traducit) nemini ad ſalutem neceſſariam, permiſſam tamen ſagacioribus eſſe, oſtendit. Ex tribus itaque viis producendi fidem, *unam*, quam Pontificii ſuadent, ſolius nempe *autoritatis eccleſiaſtica*, nullius eſſe valoris; *aliam operoſi examinis*, non tam fidem, quam Theologicam ſcientiam, (aliquando abſque fide) efficiere; *mediam* inter hæc eſſe, omnibusque neceſſariam, eandemque

tutissimam, *attentionis & applicationis* veritatis revelatæ, quæ fidem, accedente Spiritus S. gratia, operetur. Econtrario viam autoritatis *cap. XXIII.* impossibilem & ridiculam esse ostendit, Deumque pati & velle dicit, ut eo quem descripsit modo, etiam sua verba examinentur, idque Christum iussisse, Judæos vero & paganos præstitisse, imo neminem quantumcunque simplicem, ne in Pontificia quidem Ecclesia, sine omni examine sola autoritate motum, credere. Perpetuo itaque sophismate ludere, qui autoritatem cum ministerio Ecclesiæ confundunt; credi enim *per ecclesiam*, sed non *propter ecclesiam*, docente illa, non absolute jubente. *Cap. XXIV.* adversariorum testimonio probat, infideles ad Christianismum se convertentes non per autoritatem, sed per examen ad fidem pervenire. Graviter hac occasione conqueritur de modo violento, quo in Gallia nuper ad conversionem processum est, cum via examinis per librum Episcopi Meldensis, nihil amplius efficeret. De fide puerorum, an ex autoritate parentum, qui Ecclesiam repræsentent, an ex informatione producat, disputat & *cap. XXV.* characterem veritatis internum sive assensum mentis, parvulis catechumenis tribuit, eumque assensum ex systemate articulorum, non ex singulis nasci docet, neque vero fidem illorum ab autoritate dependere. *Cap. ult.* respondetur ad argumentum, quo imputatur Protestantibus, quasi ex eorum sententia sequatur, esse tempus, in quo Christianus de veritate Evangelii dubitare debeat; quia scilicet nemo autoritati dicentis sive Ecclesiæ, sed Scripturis credere teneatur, itaque ante lectam Scripturam certus esse de veritate credendorum non possit. Negat enim lectionem & examen tale requiri, quale adversarii fingunt, & ostendit ante lectionem jam compendium aliquod doctrinæ Christianæ discipulis propositum esse, ut adeo instructio minime incipi debeat ab articulo, *credo ecclesiam, sed, credo in Deum.*

*Liber tertius* adversus Nicolii librum primum & tertium dirigitur. Monet Autor *cap. I.* Adversarium dum difficultatem examinationis articulorum fidei urget, minime pro Pontificia Ecclesia, sed solum pro hæreticis & atheis aut paganis laborasse. Indicat (*cap. II.*) non rejici a Protestantibus autoritatem ministerialem Ecclesiæ: negat opus esse simplicibus, ut distinctionem inter libros Canonicos & Apocryphos exacte sciant; negat porro a simplicibus requiri, ut confessiones Ecclesiarum a doctis conscriptas intelligant. Notat iterum divinitatem

nitatem religionis non seorsum ex uno, sed ex syntagmate & nexu articulorum percipi ( *cap. III.* ) Disquiritur etiam de necessitate miraculorum, & statuitur non tam ad probandum, quam ad excitandum facta; nec necessarium esse, ( *cap. IV.* ) ut simplices de fidelitate versionum Biblicarum certi sint. Per viam assensus, (supra Lib. II. expositam) certitudinem religionis simplicibus acquiri statuit, ( *cap. V.* ) eisque confusam notitiam idem prestare, quod doctis distinctam & accuratam: articulos rationi incomprehensibiles, v. g. *Trinitatis, incarnationis*, in complexu & syntagmate aliorum facilius percipi & credi. Aliud esse veritatem ipsam credere, quod simplices faciunt; aliud scire & credere ejus probationes & testimonia. Vehementer improbat ( *cap. VI.* ) durissima adversus Scripturæ intellectum *Nicoli* dicta, illumq; quatenus ad salutem sufficiat, simplicioribus non deesse statuit. Rejicit, quæ de *Socinianorum* contradictionibus objecta fuerant. Addit ( *cap. VII.* ) quæ sit inter hæreticorum & fidelium persuasionem sive assensum differentia, & ut hæc a gratia divina dependeat. Monstrat ( *cap. VIII.* ) illusioni per autoritatem Ecclesiæ non occurrere, & quid intersit inter articulos necessarios & non necessarios. Adducit *ex præfatione versionis Nov. Test. a Jansenistis editæ*, eximium pro Scriptura ejusque lectione populari testimonium, & *cap. IX. & X.* deducit, quod simplices & piæ animæ absque autoritate Ecclesiæ cognoscere possint, quæ ad salutem necessaria credita, quæque non sint. Monet hanc articulorum distinctionem reformationis tempore ignotam fuisse; simplices vero etiam tunc cognovisse damnabiles in Papatu errores, ( *cap. XI.* ) De trita illa ex Augustino circa analysin fidei objectione, & quatenus ille ad autoritatem Ecclesiæ respexerit, prolixè & erudite agitur ( *cap. XII. & XIII.* ) omnibusque adversariorum oppositionibus respondetur. Postea ( *cap. XIV.* ) vera unitatis ecclesiasticæ idea repetitur, doceturque inter nis illam vinculis essentialiter contineri, *unitate fidei, professionis sacramentorum, & ministerii legitimi*, cui per accidens solum accedant *communio externa, consensus in dogmatibus non essentialibus, forma regiminis, consociationis, legum, disciplina antistitum*; rejicitur vero externum illud sub capite visibili, id est Pontifice ligamentum. Inde ( *cap. XV.* ) veros schismaticos esse asseritur, qui in fundamento errant & sacramenta rejiciunt, aut ministerium tollunt. Cæteras scissuras particulares esse, quæ unitatem fidei sive vincula Ecclesiæ universalis non rumpant.

Monstratur etiam, separatione a Papatu facta opus non fuisse, ut majores Protestantium ad alium cœtum, v. g. *Gracum*, sese associarent, sed jus habuisse, ut salvis vinculis essentialibus, cœtum pro arbitrio constituerent. Ita (*cap. XVI.*) non requiri ait, ut cœtus talis numerosus & late diffusus ac visibilis sit; hanc enim qualitatem universali Ecclesiæ, non particularibus competere. Additur in Papatu latere multos, qui erroribus ejus non adhæreant. (*Cap. XVII.*) exprobrationi novitatis respondetur; novam enim non esse Protestantium ecclesiam, sed novam confociationem, cui nec fides nec pietas desit. (*Cap. XVIII.*) dicitur non fuisse necessarium, ut reformatores absolutionem ab erroribus suis in Papatu obtinere publice debuerint, & quo jure, ordinario aut extraordinario, vocationem suam adepti sint aut exercuerint; modum extraordinarium fuisse ostenditur, & (*cap. XIX.*) populum jus habuisse constituendi ministros. (*Cap. XX.*) statuitur, ordinationem non esse de essentia ministerii, non magis ac coronationem & unctionem de essentia regis potestatis, & ex Eusebii *Hist. Eccl. lib. IV. c. 19.* adducitur locus, per quem patet laicos prædicandi jus habuisse. Additur, electionem ministrorum hodie successisse juri, quod Levitæ habebant ex nascendi forte. (*Cap. XX.*) de jure clavium Ecclesiæ competenti agitur, explicato loco Augustini, ab adversario (ut adducitur) violenter perverso. (*Cap. XXII.*) legitima ordinatio ministrorum in regimine presbyteriali asseritur, & de distinctione inter episcopos & presbyteros tractatur, eamque necessariam non fuisse ostenditur, item quale officium Præsidentis inter presbyteros fuerit. (*Cap. XXIII.*) respondetur ad imputationes schismatis, & speciatim Novatianismi, & in Papatum retorquetur eadem schismatis culpa, ob cultum imaginum & sanctorum, aliosque multos articulos, in quibus a veteri Ecclesia discessisse, & nova dogmata induxisse monstratur. (*Cap. XXIV.*) de *invocatione sanctorum* pluribus disquiritur, ut tolerabilis nec idololatræ fuerit prioribus seculis, postea vero quindecim aut viginti punctis aucta & diversa in Papatu exercita fuerit, & adhuc exerceatur. Rejicitur denique (*cap. XXV.*) jactata unitas Romanæ Ecclesiæ, vinculis callide nexis sustentata, quorum loco sufficere dicitur Protestantibus Scriptura sacra, in iis quæ ad fundamentum pertinent, satis clara. Adfertur exemplum articuli de *satisfactione Christi*, adversus Socinianos.

Appendix operis continet *reflexiones* sive animadversiones in Librum

brum *Ludovici Ferrandi Parisensis*, quem sub titulo *Responsio ad Apologiam pro Reformatis, sive contra Historiam Parallelam* edidit, quemque nos Actis *Anni 1685. mens. Decembr.* p. 565. inseruimus. Brevis est in animadversionibus hinc Autor clarissimus, tum quod odisse se dicat duplices triplicave, quia continuatæ disputationes in cavilla degenerant; tum quod pauca ad scopum scripserit Ferrandus, omisissive ad quæ maxime respondere debuisset, in locos communes divagatus, & innumeris allegationibus lectionis suæ copiam ostentans, ea tractaverit, de quibus vix quærebatur. Interim quæ pagellis quindecim adversario objicit, non parvi sunt acuminis aut momenti. Duo aut tria saltem paucissimis indicabimus. Ad locum Augustini, ubi damnabile esse dicit monialium non conjugium solum, sed & cogitationem de conjugio, monet vocem *damnationis* raro de æterna damnatione intelligendam esse, sed culpam significare, poenitentia scilicet expiabilem, sicut *ἁρῆμα*, quod de viduarum nuptiis agens nominat Paulus. Tim. V. 12. Sed hæc grammatica videri possit disputatio. Alia de bona fide & honestate movetur, occasione loci Hieronymi a *D. Jurieu* adducti, de virginibus ita loquentis: *aperte dicendum est, ut aut nubant, si non possunt continere, aut contineant, si nolint nubere.* Regesserat enim Ferrandus, nihil de nuptiis, sed tantum de precibus, ad quas recurrere debeant virgines, scripserat Hieronymum. At hunc ipsum ejs locum a Ferrando allegatum esse indicatur. Mendacii sive imposturæ crassæ incuraverat Apologiam *Ferrandus*, quod de *Ignatio Lojola* scripserat, carceri eum fuisse inclusum, & vix poenas magistratum effugisset. Jam vero ex *Orlandini* Historia Jesuitica testimonia adducuntur, ex quibus manifestum est, revera id *Ignatio* tum *Salmantica* & *Larcione*, tum *Parisis* contigisse. Ad Augustini sententiam, qua rigorem Imperatoris adversus Donatistas probat, respondetur, jus illam facere, aut per eam, quæ in Gallia violenter gesta sunt, excusari & justificari non posse, & Ferrandum supplicia disfluadentem, & tamen legitima esse, (quia jam præviderit, quæ mox secutæ sunt, Reformatorum persecutiones) pronuntiantem, iniquum & subdolum esse. Atque hæc sunt, quæ ex præfenti opere excerpenda duximus, nulli dubitantes, inter hæc etiam repertum iri, quæ diligenter & a nostratibus Theologis mereantur expendi.

## DE IPSA NATURA DISQUISITIO AD AMICUM:

Authore R. B. Nobili Anglo Societatis Regia Socio.

Ex Anglico in Latinum traducta

a D. A. M. D.

Londini apud Johannem Taylor, 1687. in 12.

**I**llustris gente & meritis in philosophiam experimentalem *Robertus Boyle*, miratus eorum neminem, qui acute de Naturæ operibus hoc seculo egerunt, de ipsa Natura scripsisse, dignam suo summo ingenio existimavit materiam, si notionem Naturæ veterem confusam & obscuram excuteret, ac rectam ejus loco constitueret. Summam hujus utilissimi tum philosophiæ tum medicinæ studii, per sectiones, quibus constat Disquisitio, exhibemus.

Per primam sectionem *duas accusationes* removet, *nam* quod oppugnans naturam ingratus erga matrem filius esse videatur; *alteram*, quod communi opinioni omnium contraeat.

Secunda octo vocis Naturæ acceptiones vulgares enumerat, eisque magis claras voces aut locutiones surrogat.

Tertia (1) Aristotelicam Naturæ definitionem accusat ut obscuram, eaque non comprehendentem, quæ ejus sectatores ad ideam aut notionem ejus referunt, puta, *an Natura sit substantia, an accidens, aut si substantia, an corporea, an immaterialis; omnia illam, quod ajunt, facere sapientissime, viis maxime compendiosis agere, a sine nunquam aberrare, vigilare ne magno universi incommodo vacuum contingat*, & multa alia.

(2) Rationes proponit, ob quas Autor nobilissimus vocis Naturæ usum frequentiore vitet, tum quod sit summe ambigua, ac proinde scripta non pauca densis involvat tenebris, tum quod in sacris literis nusquam usurpata eo sensu legatur. Quo posteriori argumento utitur non eo consilio, ut controversiæ de auctoritate Scripturæ in physicis speculationibus se immisceat, sed ad præoccupandum præjudicium, quo quis in religionem peccare eum forte existimet, qui naturæ vocem a deo aversetur.

Quarta ex variis axiomatibus & epithetis, quæ Naturæ vulgo adscribuntur, collectis, ejus notionem vulgarem hanc esse oportere colligit: *Natura est ens sapientissimum, quod nihil facit frustra, quod sine suo*

non

*non excidit, quod facit optimum semper inter ea, qua fieri ab ipsa queunt, idque præstat per vias maxime rectas & brevissimas, neque redundans in superfluis, neque deficiens in necessariis, unicuique operum suorum sui conservandi inclinationem ingenerat, usque in microcosmo, homine scilicet, morborum ipsa curatrix est, sic in macrocosmo, mundo nempe, ejusdem conservandi gratia abhorret à vacuo, quo efficit horrore ut quedam corpora privatas contra inclinationes bonarumque, boni publici causa agant. Fatetur nihilominus dubitationem sibi natam, an nomine naturæ ens reale existens in natura sibi imaginari debuerit, an notionalem tantum entitatem quandam, fictitiis iis vocibus cognatam, quas excogitare homines, ut res simul multiplices unius vocis quasi compendio exprimerent; v.g. cum nominant facultatem concoctivam, suctionem & talia. Hoc posterius si assumatur, pronunciat, nullum aliud ab eo, quod homines naturam vocant, redundare ad Philosophum emolumentum, quam quod quidem aliquod inde sermonis compendium oriatur, sed quod ad rem aut causam ejus declarandam profus nihil juvet. Quare aptiorem Naturæ conceptum suppeditatur. Auctor, prædistinguit illam in *Universalem & Particularem*. Naturam *Universalem aggregatum* appellat e corporibus mundi formam constituentibus, *consideratum ut principium, cuius vi agunt patiunturque, conformiter legibus motus ab Auctore Nature præscriptis*. Quæ ita exponit: *Natura in genere est effectus quidam materia universalis, aut substantia corporea universi spectata ut in præsentem mundi structuram & constitutionem efformata, qua omnia, ex quibus constat, corpora apta fiant, qua agant in se mutuo, patianturque a se invicem juxta motus leges*. Ei Naturæ *Universali subordinata Particularis est conventio quadam mechanicarum affectionum, molis puta, figura, ordinis, situs, textura, motus localis, mechanicarum scilicet affectionum partium sive sensibilibum sive insensibilium, quibus particulare quod constat corpus, in particulari specie, aut denominatione consuetur, quatenus harum omnium affectionum concursus consideratur ut principium motus & quietis mutationumque eo in corpore*. Iestas geminas notiones brevius expressurus, generalem naturam vocat *cosmicum mechanismum*, h. e. complexionem omnium mechanicarum affectionum, figuræ, molis, motus, &c. ad materiam magni mundi systematis pertinentium; particularem naturam appellat *individuum corporis mechanismum, aut corporis mechanismum h. e. essentia-**



sentialem modificationem, quo nomine complexionem omnium mechanicarum affectionum in particulari corpore mundi hujus collectarum intelligit. Ac ne miretur aliquis, in descriptione modo allata, hujus mundi fabricam quasi partem fieri notionis naturæ, licet Philosophi plerique æque ac alii loquantur de ea ut plastico omnium corporum mundanorum principio, quasi scilicet corpora hæc ab ipsa fierent, quæ propterea opera naturæ vulgo dicuntur, mutationesque in illis observatæ phænomena naturæ; ait, nihil causæ esse, cur ullum ens architectonicum, si a Deo discesseris, mundi formationi prævium agnoscamus. Ad quod magis declarandum addit, quomodo mundum a DEO factum ratio nostra verosimiliter sibi imaginetur. Ostenso igitur, Naturam ab ejus cultoribus, Dei cujusdam aut certe Semidei loco haberi; antequam rationes indicet, ob quas sibi notio seu res ipsa non minus displiceat, quam frequentior nominis usus, in luculenta Dissertatione præmissa aperit fontem, ex quo tum polytheismus, tum naturæ apotheosis emanarunt, fuisse, quod gentes res corporeas, ac sæpe etiam inanimatas, ut Sole, Lunam & alias stellâs contemplatæ sint, tanquam sensu intellectuque præditas, Naturæque & aliis entibus, sive veris sive fictis, ea attribuerint, quæ soli DEO conveniunt.

Sectione V. rationes profert, quibus impulsus Naturæ notionem communem deseruit. *Primam* petit ab insufficienti probatione; *alteram* ab ejusdem superfluitate; *tertiam* ab obscuritate; *quartam* a periculo religioni Christianæ impendente, dum ea, quæ DEO tribuenda erant, ad imaginarium ens, scilicet ad Naturam, veluti ad deam quandam transferuntur; *quintam* tandem ab inconvenientia cum phænomenis quotidianis, e quibus exempli loco proponit ascensionem aquarum in antliis suctoriis, atque earundem in irrigatoriis hortulanorum vasculis sustentationem; corporum gravium ad terram descensum, levium ascensum; anomalias, tum quæ in majoribus etiam universi corporibus accidunt, nimirum terræ motus, diluvia, pestem, coelestes cometas, maculas in Sole, & alias tales, tum quæ in animalibus ac in hominibus contingunt, quos pilo suffocari sæpe permittat, natura illa, quæ vacuum tanto conatu amoliri perhibetur. Quibus inserta est consideratione dignissima resolutio quæstionis, an mundus creaturæque eum componentes, tam perfectæ sint, quam esse possint?

Section VI. diluit argumenta in Naturæ defensionem ducta (1) ab appe-

appetitu corporibus innato locū naturalem, ex quo exciderunt, recuperandi, & in statum naturalem, quem amiserunt, redeundi; quem appetitum affectum esse rebus inanimatis asserit; (2) a distinctione motus in naturalem & violentum, quam adeo perplexam esse monstrat, ut propter eam naturæ notio vulgaris admitti non debeat; (3) a criticis, quæ quibusdam in morbis contingunt evacuationibus, mirisque naturæ conatibus, ut noxios, quibus opprimitur, expellat humores. Quod argumentum cum magni momenti videatur, Autor nobilissimus in eo diluendo pluribus occupatur. Probat autem, crises illas non adscribi debere naturæ ceu intelligentiæ cuidam, quæ quasi invigilans ægotantis valetudini, peccantis materiæ copiam, quam tutissimo potest modo, e corpore ægri extrudat, sed sapientiæ ac ordinariæ DEI providentiæ, quæ se prodit tam mechanismo mundi majoris, quam mechanismo minoris seu corporis humani, juxta præsentem ægri constitutionem spectati. Non negat tamen, DEUM interdum peculiari & occulto modo intervenire in ordinario crifium eventu.

SECT. VII. Axiomata illa generalissima, ubique in Philosophorum scriptis usurpata, ex quibus receptam Naturæ descriptionem componeret SECT. IV. juxta principia mechanica explicat, ac inter cætera de vacuo ac natura morborum medicatrice doctissime differit.

SECT. VIII. rursum inculcat, naturæ receptam notionem esse deferendam, aut saltem non præferendam mechanicis principiis, ex quibus varia phænomena clare explicari possint. Hinc de hypoteses hujus & totius dissertationis utilitate agit, tum in philosophia naturali, tum in religione. In Philosophia naturali, ut ejus cultores partim abstineant, ubi possunt, ab ambigua naturæ voce, partim discant, quam inepte & instar rusticorum, Philosophi phænomena corporea ad naturam referre sint contenti. In Religione (1) ad cohibendum non solum gentiles, nimia naturam veneratione prosequentes, sed etiam Christianismi professores quosdam, interque eos Hobbiū ejusque discipulos, qui impios gentilium errores sub novorum nominum tegmine nuper induxerunt. (2) ad defendendam divinam providentiam contra eos, qui eam audacter condemnant ob anomalias quasdam physicas, cujusmodi sunt monstra, terræ motus, inundationes, ignium eruptiones, fames &c. Nam juxta philosophiam mechanicam, primo DEUS tanquam agens maxime liberum, mundum creavit, non neces-

sitate, sed voluntate libera; *secundo*, magnum & mirabile mundi automaton, subordinatasque ejusdem machinas, varios in scopos condidit, quorum quidam spectent præcipue ad corporeas, alique ad rationales creaturas, quorum quidam rationi nostræ pateant, quidam sint impervestigabiles; *tertio*, res ita ordinavit, ut & ipsius opera & actiones signacula quædam attributorum ipsius forent, quibus intellectus sapientiam divinam discerneret; *quarto*, mundum eo modo fabricavit, iis facultatibus instruxit, atque ejus inter partes constantes generalesque constituit leges ejusmodi, quæ propositis ipsi in mundi creatione consiliis melius congruerent, easque leges catholicas, particularesque partes ac corpora ita sibi invicem subordinavit, fabricæque magni systematis mundani originali, ut in omni particulari casu tamdiu tantum privatis ejusdem portionibus consulereur, quamdiu earum bonum constitutis a Deo catholicis in universo legibus congrueret, finibusque quos ipse sibi in eo fabricando proposuit, qui bono particularium creaturarum præferendi sunt. Hinc si miracula seponantur, eaque exempla, in quibus providentia magni rectoris universi negotiorumque humanorum specialiter intervenit, rationi conformiter dici potest, Deum cum infiniti, sit intellectus, cui omnia simul & semel præsentia sunt, vidisse quid ex legibus ab ipso statutis securum foret in omni, quæ esse potest, earum combinatione, atque in omnibus creaturarum circumstantiis. Hæc autem omnia contemplatus cum constituisset corporea inter opera generales statasque motus leges, sapientissimis suis finibus conformes, consonum ipsius sapientiæ videtur præferre, exceptis casibus modo dictis, catholicas leges altioresque fines subordinatis quibusdam, uniformitatemque regiminis, mutationi ejusdem pro quovis rerum eventu. Non debuit itaque a generalibus legibus primum sapientissime constitutis recedere, ut particularium quarundam bono consulereur, aut quasdam anomalias præveniret, cujusmodi sunt terræ motus, inundationes, fames &c. Quæ quidem omnia ipsis creaturis noxia sunt, eaque ipse, quæ futura prævidit, ut eclipses Solis & Lunæ, imbrium in mare atque arenosa loca prolapsum, vi originalis rerum dispositionis futura prævidit, & decrevit seu permisit, utpote congrua cuiquam sapientissimorum finium, quos sibi proposuit, qui vel ut Creator Conservatorque universi, vel ut Rector creaturarum rationalium fines sibi proponere poterit,

sive

sive physicos, sive morales aut politicos, quorum plurimi uni forte Deo noti sunt: unde varia phaenomena, quae anomaliae nobis videntur, existimare debemus maxime esse congrua secretis iis finibus, de quibus caeci nos mortales idcirco pronunciare non debemus, (3) & ultimo non minimam annotat utilitatem religionis, ut homines inducat ad solvendas Deo directe laudes, gratiasque, tanquam vero & soli Creatori Solis, Terrae, aliarumque creaturarum, quae vulgo *Natura* opera dicuntur.

Quemadmodum igitur in aliis omnibus scriptis, ita & in hoc Illustris Anglus multa dixit, ad promovendam solidam philosophiam. Quare nos cum Interpretare hujus libelli Anglice scripti Latino, eidem vitam a Deo precamur diuturnam & valentem, ut a sublimi ipsius ingenio progressus philosophia majores indies capiat,

**WOLFERDI SENGUERDII PROFESSORIS LUG-**  
*dun. Batav. Philosophia Naturalis. Editio*  
*secunda, priore auctior.*

Lugd. Bat. apud Daniel a Gaesbeck, 1685, in 4.

**C**um elegans hoc opus primum prodisset, ejus contenta enarravimus in *Actis nostris anno 1682 mense Martio pag. 83*. Id merito suo ita placuit eruditissimis, ut pro emtoribus numerus exemplarium non sufficeret. Quare ubi altera ejus editio paranda erat, non contemnendas accessiones fecit doctissimus Auctor, quas nunc indicare non piget.

In praefatione ad Lectorem antiaë pneumaticae maximae, nonnullorumque instrumentorum ejus usui inservientium, delineationem & descriptionem praemisit, utpote cujus, nec non experimentorum, quae ea mediante peraguntur, frequentem deinde mentionem facit.

In ipsa Philosophia Naturali, nullus quidem liber, nec caput novum accessit, attamen doctrinae de motus migratione a subjecto in subjectum, de requisitis motus ad communicationem, de aequalitate corporum aestimanda, de linea & causa reflexionis, de gravitate, de luce & lumine, de duritie, de mundi possibilis productione, de systemate mundi Cartesiano, de mercurii adscensu descensuque in baroscopus,

scopiis, de causa macularum lunarium, de apparentia cometarum, de aeris gravitate & vi elastica, de iride & pareliis, de aquæ pelluciditate, de modo liquorum gravitatem explorandi, de fluxu & refluxu maris, de metallorum gravitate dignoscenda, de plantis, non solum plenioribus commentariis, sed & novis sut accuratioribus iconibus explicantur & demonstrantur.

*EXERCITATIO GEOMETRICA DE DIMENSIONE figurarum, auctore Davide Gregorio, in Academia Edinburgensi Matheseos Professore.*

Edinburgi 1684. in 4.

**L**ibelli hujus, quia serius ad nos pervenit, mentionem non prius facere licuit. Autor celeberrimi geometræ *Jacobi Gregorii* ex fratre nepos, id dat operam, ut patris vestigiis laudabiliter insisteret. Narrat quid ab illo fuerit præstitum, tum circa series convergentes, tum circa illas series infinitas, quarum specimen primus publicavit *Nicolaus Mercator Holstus*, quas postea *Newtonus* ampliore invento universaliores reddidit. Statuisse autem *Jac. Gregorium*, per series istas Geometriam multo auctiorem reddi, præsertim cum in quavis æquatione literali facile sit seriem infinitam ejusdem radici accommodatam adhibere, & unica cuius gradui sufficiat. Cæterum in adversariis patris, quæ in manus suas pervenerint, ait exempla quidem hujus calculi, sed operandi forma destituta, reperiri. Itaque methodum seriebus producendis aptam sibi fuisse quærendam. Exponit autem primo, quid sint lineæ vel figuræ elementa, & quomodo secundum methodum indivisibilium ad dimensionem serviant, idque exemplo infinitarum spirarum illustrat, idemque ad curvarum longitudines applicat, & ad superficies & solida, rotatione genita. Sed quoniam infiniti sunt casus, ubi valor elementi est implicatus, nec ad summam inveniendam aptus, succedaneum est, ut explicetur per seriæ infinitam terminorum aptorum; quod exemplis docet, dividendo cum *Nic. Mercatore*, vel extrahendo radicem cum *Newtono*. Ubi seriem exhibens pro curva elliptica & hyperbolica, negat eorum rectificationem a quadratura talis spatii pendere. Exhibet & seriem pro curva logarithmica, & cum arcum circum ex tangente investigasset, subjicit: *fortassis notatu dignum erit, hinc conse-*

*consequi præstantissimi geometra Gothofredi Guilielmi Leibnitii circuli quadraturam Transact. Phil. mens. April. 1681. editam, quæ in nostris Actis extat mensè Febr. 1682. anni. Calculum etiam subjicit pro segmentis secundis spheroidum, & de ipsa calculi ratione ad summorum analystarum Wallisii & Newtoni doctrinam sese refert, dimensiones autem figurarum per series infinitas non minus esse geometricas statuit & in suo genere perfectas, quam trianguli aut parabolæ, quoniam simplicissimæ sint, quas rei natura patiatur.*

**EXEGESES PHYSICO-MATHEMATICÆ DE MOMENTIS GRAVIUM, DE VELO, DE MOTU AQUABILITER ACCELERATO.**

Romæ, ex typograph. Rev. Cam. Apost. 1686, in 8.

**Q**uemadmodum laudandi sunt, qui locupletant scientias: ita illorum quoque non spernenda est industria, qui saltem elegantia quædam dubia proponunt contra sententias receptas. Nam si falsæ sunt istæ, veritas detegitur. Sin veræ & demonstratæ sint, saltem ex solutione dubii nova quædam lux effulget. Primus Nicolaus Tartalea, quantum constat, invenit gravium momenta in planis, sive potius lineis rectis inclinatis, esse reciproce ut ipsas lineas inclinatas, positis gravibus æque elevatis, vel ut Tartalea rem eleganter exprimit: si gravia æque elevata, inter se sint ut ipsæ rectæ inclinata, momenta eorum fore æqualia. Hoc postea Stevinus, Galilæus, alique excellentes viri persecuti sunt, nonnulli & demonstrationibus varie muniverunt, At doctissimo auctori harum exegesum in mentem venit difficultas perelegans, quam in specimine aliquo jam his Actis a. 1684. m. Nov. pag. 511. inserto proposuit, cui responderunt aliquot viri in his studiis versat. Nos iudicium nobis non arrogamus, sed integrum lectori relinquimus. Cæterum Autor in harum exegesiû prima non tantum receptam sententiam impugnat, sed & novam stabilire tentat: putat scilicet momenta gravium in planis declivibus esse ut angulos, quos plana faciunt ad planum horizontale; momenta autem quibus ipsa plana premuntur, esse ut horum angulorum complementa: idque pag. 24, probare instituit ex eo, quod plano prorsus jacente totalis est pressio, & erecto magis magisque plano, seu decrescente angulo complementi elevationis, continue pressio im-

sio imminuitur, donec plano prorsus perpendiculariter erecto, simul & angulus complementalis & pressio globi in planum, evanescant. Licet autem non semper alias sequatur, ea quæ simul incipiunt, crescunt & desinunt, esse proportionalia, ut multis exemplis constat; eadè enim ratio & ad sinus angulorum applicari potuisset: videtur tamen æstimatione per angulos Autori placuisse, quod concinne admodum schemati in Actis nostris l. c. exhibito, quo globus duobus planis angulum rectum facientibus incumbit, satisfacere videatur. Licet alioqui geometræ in applicatione linearum ad naturam rerum instituenda, potius sinuuni quam angulorum proportionem cum successu observare soleant. Si vero duo plana, quibus globus incumberet, angulum inter se facerent non rectum, Autor mentem suam nondum explicuit, quomodo pressiones inter ipsa distribuerentur. Cæterum ex positis porro infert, etiam velocitates, quibus globi in plano inclinato descendere nituntur, fore non reciproce ut longitudines planorum, sed potius ut eorum angulos; non vult adhiberi globos inæquales in momentis gravium investigandis, quia experientia ostendat, globos inæquales non æque velociter descendere, quod tamen alii accidentale & ab extrinsecis ortum censent. In Exegesi secunda de vecte eo usque progreditur, ut neget p. 74. globorum qui funiculis tantum connectuntur, ullum debere considerari centrum gravitatis commune. Et proinde licet centrum gravitatis eorum commune (quod scilicet Geometræ hæcenus tale appellarunt, punctum scilicet quod rectam, centrum singulorum conjungentem, in ratione distantiarum corporibus reciproca secet) in planis inclinatis descendere nequeat, negat tamen ea esse in æquilibrio, quod hæcenus pro indubitato apud statieos principio habebatur. Quando duo globi in planis inclinatis positi, & funiculo connexi, super trochlea incedente se mutuo sustinent, notat partem virium uniuscujusque globi a plano, partem a trochlea sustineri. Exegesi tertia de motu gravium consentit quidem cum Galilæo circa descensum gravium liberorum, at non circa descensum in planis inclinatis, ut scilicet exegefeos primæ dogmata tueatur,

**GASPARIS ZIEGLERI DE EPISCOPIS, EO-  
rumque juribus, privilegiis, & vivendi ratio-  
ne, liber commentarius.**

Norimbergæ, apud Joh. Hofmannum, 1686, in 4.

Egre-

**E**Gregii de *Episcopis* operis, quod celeberrimus & de jurisprudentia ac bonis literis immortaliter meritus Auctor superiori anno in publicam lucem emisit, enarrationem dare *Actis* *Novembribus* anni superioris p. 568. seqq. coepimus, quod integram eam exhibere copiosi, quod tractat, argumenti amplitudo & doctrinae varietas haud permittebant: exorsam igitur tunc telam nunc pertexemus.

Liber *tertius* comprehendit jura episcopalia, quae primitivae quidem Ecclesiae prorsus ignota erant, quod nec Christus nec Apostoli ulla potestate seculari fungerentur. Valde autem mutatum esse Ecclesiae statum ostendit, priscosque Episcopos multum diversos fuisse ab hodiernis, seu concessione & liberalitate, seu indulgentia & conniventia Principum, sive usurpatione alieni juris in splendidiorem, quam muneris conditio ferebat, locum evectis. Quo loco receptam explicat distinctionem, quae potestas ordinis a potestate jurisdictionis secernitur; ita ut ad priorem pertinere dicatur potestas docendi verbi divini ac administrandi sacramenta, ligandi, solvendi, ordinandi; ad posteriorem referatur subjectio ac reverentia, ab omnibus, qui intra ejus dioecesis sunt, praestanda Episcopo, nec non gubernatio omnium Ecclesiae honorum, perceptio decimarum, visitatio ac inspectio aedificiorum, curatio scholarum, audientia episcopalis, & quae hinc alia redundant. Postea hanc potestatem in sua principia resolvit, ac commode declarat, quae solis Ecclesiae ministris, quae item soli magistratui politico, quae deinceps toti corpori, ex clero, magistratu, populoque constanti, quae denique ministris verbi ac magistratui simul competant, conjunctimque tribuantur. Hoc demum accommodat ad Principes Germaniae Evangelicos, quos titulo quasi postliminii jura Episcopalia recuperasse, & illa quae ordini sacro propria sunt non attigisse docet. Amplius tradit, jus docendi verbum Dei cum primis Episcopis competere, quippe quam docendi facultatem requirat praecipuum Christi, & mandatum ac exemplum Apostolorum: quod secuti fuerint antiqui urbis Romanae antistites, quos conciones habuisse, & diu docendi verbi divini partes peregisse exemplo Leonis Magni corroborat, cujus sermones ad populum habitus extant. Procedente vero tempore, ac aetate in primis Cassiodori, Urbis Episcopos luxu & superbia corruptos, multo remissiores & in docendo negligentiores fuisse affirmat, ac insignem Sozomeni locum *lib. VII. Historia ecclesiastica cap. 19.* a Cassiodoro, longe



longe recentiori Historiæ tripartitæ compilatore, depravatum erudite suspicatur. Sequioribus demum seculis, figillatim Karolino & nono, Episcopus superiorum diligentiam cum desidia paulatim commutasse, ac dein officio hoc perfungi prorsus desisse, præsertim cum permissione Concilii Valentini III id liceret, affirmat: eaque occasione monachos, quibus cæteroquin potestate concionandi interdictum erat, docendi munia occupasse ait, inque functione hujus officii, præscriptione & Pontificis indultu nixos, annitentibus Regularium Generalibus, eos perstitisse. Nihilominus Patres Tridentinos institutionis divinæ & Apostolicæ consuetudinis memores sanxisse, ut Præsules & Prælati ipsi doceant: quod tamen hi insuper habuerint, non sine gravi querela & infestatione cordatorum aliquot in Pontificio cœtu virorum. Cæterum Episcopus ex sua cathedra sermones habuisse annotat; quæ an semper in gradibus altaris posita fuerit, prudenter subdubitare, quam cum doctissimo Henr. Valesio simpliciter affirmare mavult. Potestatem conferendi mysteria, sive, ut Latina ecclesia vocat, administrandi sacramenta, presbyteris æque ac episcopis competere pronunciat, & ex canone secundo Concilii Arausicani I. (cujus veram pristinamque lectionem restituit) probat. Quod ad jus ædificandi templa attinet, istud monachis, si non consenserit Episcopus, neutiquam convenisse tradit; de solemnibus autem in templorum ædificatione & inauguratione adhibitis varia affert, deque ritu scenopægorum apud Orientis ecclesias recepto, & encæniorum origine disserit, ac initia consecrationis ecclesiarum a Constantino Magno repetit, indeque potestatem consecrandi ad jura Imperatorum & Regum spectasse concludit: etsi posthæc sive Cæsarum indulgentia, sive concessione & quadam connivendi ratione, sive Pontificum ambitione & usurpatione, ad Romanam sedem ea translata sit. Quum attingit jus consecrandi virgines, submonet, a primis usque temporibus Ecclesiæ magno in pretio fuisse virginitatem, non adeo tamen coactam, ut illam professæ matrimonium prorsus contrahere nequiverint; sed voto virginitatis rescisso matrimonium legitimum fuisse ex Balsamone docet. Ex Sozomeno autem diversas aliquando a monachis fuisse virgines ecclesiasticas colligit: & viduarum consecrationem ac velationem exponit; utrasque autem, viduas & virgines devotas, traducto ab Ægyptiis vocabulo *Normas* appellatas fuisse, & hodiernum appellari, tradit. Potestatem clavium

clavium vel aperiendo & solvendo, vel arcendo & ligando contineri ait, nec civilem eam & ad caduca ac peritura, sed sacram esse & ad æterna spectantē: eam autem quæ excommunicandi dicitur & sacris arguet, quarum altera major, altera minor constituatur, omnino prudenter exercendam esse. Majoris censuræ simile aliquid olim Judæos habuisse observat, ejusque modum & rationem triplicem recenset, ac lectores ad Jo. Seldenum ablegat; instituti vero causa ad antiquos Ecclesiæ canones se convertit, & quæ *laica*, quæve *ecclesiastica*, quæ denique *peregrina* sit communio exponit: quomodo item laicæ & ecclesiasticæ communionis jactura fiat, quomodo insuper communionē ecclesiastica privati non continuo statim amittant, communionē etiam peregrina damnati quod non deserint esse clerici, etsi e tabulis clericorum expuncti essent, recenset. Inserit quædam de literis, quæ dicebantur *communicatoria* & *formata*, quarum illas non recipiebant episcopi a clericis communionē privatis, has autem dabant episcopi proficiscentibus: quæ usque adeo necessariæ erant, ut clerici sine iis vagantes communionē prohiberentur, & licet non ordine, usu tamen muneris privarentur; quæ pœna erat suspensionis, non depositionis, ut loquuntur. His erudite intermixtis *excommunicationem majorem* explicat ac describit, quam episcopi consuetis artibus usi præbyteris ademerunt; sive quod hi in jure suo ruendo negligentiores, sive quod isti auctoritate valentiores essent. Semper autem præcedere debere exactam causæ cognitionem monet, citra quam nihil tale decernendum; contumaces vero qui sint & dicantur, & quomodo trina prius adhibita monitione citentur, exponit. Rigorem prudenter improbat, eumque temperandum esse ratione valida & comparatione juris Romani docet, simul addit cerimonias, quæ alibi simpliciores, alibi solenniores usurpantur. Quia autem sæpe eveniebat, ut homines pœnitentia ducti in communionem ecclesiæ redire vellent, asperum difficilemque iis præscriptum pœnitentiæ modum, & ut gravior firmiorque disciplina esset, tempora & stationes pœnitentibus constitutas fuisse refert, ut seorsim consistenter, nec statim fidelibus, a quibus secesserant, separatique erant, immiscerentur. In certas proinde classes distributos, & alios flentes, alios audientes, alios genuflectentes, reliquos consistentes dictos fuisse memorat. Hujus rei potestatem penes episcopos fuisse, qui rationem & modum locumque ac tempus

disciplinæ poenitentium statuerint, sed subsecutis ecclesiæ corruptelis disciplinæ hujus auctoritatem evuluisse observat, postquam poenitentiarum redemptiones malo exemplo invaluere. Jus perquirendi profectus & mores ordinandorum, semper usitatum fuisse, & ecclesiæ necessarium esse tradit; in quo primas partes episcopi tenuerint, qui procedente tempore negotium istud aliis commiserint. Illud autem jus, quo episcopi sacerdotes inferiores in possessione ecclesiæ mittunt, multum a pristinis ecclesiæ moribus recessisse annotat, cum antiquitus in ipso ordinationis actu simul apprehendendi possessione vacantis sacri muneris potestas data videatur: recentiora multo post tempore admixta esse inventa, reperto inter investituram & institutionem discrimine, quod ex jure Longobardico declaratur: ita ut investitura ecclesiastica respondeat investituræ abusivæ feudorum, institutio autem investituræ propriæ congruat, atque adeo hæc pro executione illius habeatur. Ritus tonsuræ etiam hac occasione excutit, nec inter jura episcopalia olim relatum eum fuisse censet, veteribus quoque Christianis comam ad laicorum habitum alentibus incognitum fuisse, nec a Christo præceptum, vel ab Apostolis institutum ac præscriptum affirmat. Amplius hic traditur, sine conciliis posse equidè consistere ecclesiam, idque exemplo primorum ecclesiæ temporum evinci, quod Apostoli divinitus docti, ad decidendas controversias non usi sint hujusmodi mediis; posteaquam tamen Principes gentiles religionem Christianam amplexi sunt, publica eorum auctoritate vim ac robur concilii accessisse; quod inde usque a Constantini Magni ævo deducitur, deque dignitate conciliorum tum œcumenicorum, quæ & ipsa ne utiquam parrem cum sacro codice dignitatem habent, tum particularium, quæ patriarchalia, diocesana & nationalia interdum dicebantur, ut & provincialia, disquiritur. Matrimonia de sententia episcopi olim inita fuisse, idque ex antiquissima epistola patere dicit, quæ ad Polycarpum perscripta Ignatii nomen præferat: exinde sententiam rogatos episcopos de nuptiis pronunciasse, & matrimonia interdum dissolvisse. Non prætereundum putavit jus relaxandi obligationem legis ecclesiasticæ, quod regimen ecclesiæ prudenti accommodatione moderandum sit, sæpe etiã regula charitatis exigat, ut majoris mali evitandi causa aliquid severitati detrahatur: quam relaxandi rationem usus & exempla veterum demonstrarint, qui inita circumstantiarum ratione de canonum rigore

rigore deflexerunt atque dispensationi locum dederunt. Pauperum quoque sollicitudinem attinere episcopum monet, unde jus oriatur nosocomiorum; & scholarum curam iisdem debere esse propriam. Quo factum, ut scholæ episcopales ante alias celebritate floruerint, quas monachi deinde doctrinæ studiis exornarint, quæ cum primis sexto, septimo & octavo seculis in Britannia enituerint, quæ Germania multum debeat & religionis Christianæ initia accepta referat. Jus etiam in monasteria ad episcopos spectare cum manifestum sit, infractam tamē & imminutam hanc eorum potestatem observat, cum immunitates atque exemptiones monasteriis concederentur. Hoc cur fieret, causam fuisse partim avaritiam antistitum, monachos sua portione fraudantium, partim incautam temeritatem ipsorum abbatum indignos eligentium, partim voluntariam cessionem, qua episcopi diocesani ultro juri suo competenti renunciabant. Visitandi quoque jus episcopos suo nomine & jure proprio exercere affirmat, eique subjacere omnes diocesi subjectos, atque omnia loca divino cultui consecrata, & ipsa etiam monasteria exempta, nisi exemptio a visitatione speciatim facta doceri queat. Principes Protestantes hoc jus postliminio repetiisse observat, ac merito ob rem publicam, in qua ecclesia est, sibi asseruisse. Episcopis autem, mutata veteris ecclesiæ facie, certos atque insignes redditus obvenisse, partim ex ordinatione novi episcopi, pro qua semel datur pecunia, quæ *entronisticum* dicitur; partim ex honore cathedræ, quæ pecunia in singulos annos solvitur, & *cathedraticum* atque *synodaticum* nominatur; partim ex decimis, ad parochiales ecclesias pertinentibus, quarum partem quartam episcopi capiunt; partim ex fructibus tam naturalibus, quam civilibus bonorum immobilium; partim ex oblationibus fidelium, & similibus rebus. Jus in bona ecclesiastica episcopos obtinuisse, susceptaque administrationis curam œconomis rationibus ecclesiæ præfecisse, sed in hoc a vestigiis Apostolorum recessisse annotat, qui hoc onere teneri noluerint, atque adeo diaconos administrationi imposuerint. Neutri autem, neque episcopo, neque œconomus alienare, vendere, aut in quoslibet usus res ecclesiæ præfertim immobiles, vertere licere, nisi synodus sciat consentiatque, & summa exigat necessitas, habita prius deliberatione & impetrato vicinorum ejusdem provinciæ episcoporum suffragio, notat. Magno inde ecclesiæ commodo receptum ait *precarie* contractum

multo antiquissimum, & ante Alemannos cognitum celebratumque. Isti hoc usos persæpe Principes, ac ingruentibus temporum calamitatibus res ecclesiæ utendas fruendas percibus impetrasse. Seculo deinde Karolino Regum quoque jussu precarias concessas esse, quæ sine horum concessu rescindi non potuerint, atque in se a precariis ab Ecclesia sponte concessis distinctæ fuerint. Cæterum ecclesiam, qua talem, ex intentione Dei & jure divino non habere jurisdictionem & imperium, neque territorium, neque jus gladii, neque jus fori contentiosi: Christum & Apostolos nullam unquam civilem aut judiciariam potestatem exercuisse, & omni jurisdictione coercente prorsus abstinuisse: illud autem ex sequioris Ecclesiæ instituto esse, quod episcopi potestatem cogendi & coercendi sumserint, eamque ex civili potestate veluti delibarent ac decerpserint, suaque deinceps vera, ut sic dicamus, ecclesiastica habuerint, præsertim cum Constantinus Magnus juris dicendi potestatem in eos contulit, ut quicquid ipsi judicassent, vim & auctoritatem sententiæ obtineret. Receptas quoque esse pro-  
vocationes sive appellationes ecclesiasticas tradit, ab eo statim tempore quo Imperatores Christianam religionem sunt professi. Addit, epistolas formatas generatim denotasse consensum in doctrina religionis, & communionem ecclesiæ conservasse; quæ & alia plura accurate & copiose Auctor tractat ab antiquitate & omni liberali doctrina instructissimus.

Libro *quarto* agit de vita & moribus, de pietate, de cura animarum, de castitate, sobrietate & temperantia, deque prudentia episcopi; de vitanda eidem superbia, ambitione, contentione, avaritia, negotiatione; de non sectandis principum aulis, & non exercendis bellicis artibus; de fugiendo a luxu, amolendisque spectaculis & ludis omnibus; de fugiendis pugnis & duellis, de saltationibus & choreis, de arcendo venationum studio, de non amplectendo otio, & præsentia Ecclesiæ perpetuo exhibenda; postremo episcopatibus in terrarum orbe existentibus præclare disserit, de canonici juris doctrina optime, si quisquam alius, victuro hoc laudis monumento meritus.

**CHRISTIANI KORTHOLTI S. THEOLOGIE D. & PROF.**  
*Prim. de Processu Disputandi Papifico*  
*Tractatus.*

Kiloni, apud Joach. Rasmann, A. 1685, in 4.

Novi-

**N**ovitium Romanæ Ecclesiæ doctorum inventum cum Protestan-  
tibus de controversiis Theologicis disputandi, ad æquitatis amu-  
sim exacturus Clar. Autor, non magistros tantum istius, verum & sum-  
mam, scopum, atque fulcra, quibus ruinosa structura nititur, hic de-  
scribit; neque alio id consilio, quam ut omnibus appareat, cum iis  
disputatoribus hodie rem esse Protestantibus, quibus nequaquam  
propositum veritatem inquirere & eruere, sed potius qua unquam  
ratione possunt, in volvere illâ ac omnino suppressere; quiq; in destru-  
endo pariter ac adstruendo sophistas sine exemplo se demonstrant.

Principem nimirum & architectum ἀρχίτης extitisse commemo-  
rat Antonium Fabrum Juris-consultum sub initium hujus seculi: post-  
modum a Jesuita Gallo Johanne Gonterio, a Parisiensi Francisco Vero-  
nio, a fratribus Batavis Adriano ac Petro de Walenburch, a Laurentio  
Forero, ab Hieronymo Mulmanno interpolatam fuisse, instauratam,  
ipsaque praxi expressam, ac propagatam. Summam ad duo capita  
præcipue recidere: quorû unum, quod de religione cum Pontificiis dis-  
putaturi Protestantes, probare debeant omnia, quæ non ab ipsis admit-  
tuntur, seu affirmativa fuerint, seu negativa, nec tamé a Romanensib<sup>us</sup>  
nullam vicissim probationē postulare: alterum, quod probationis loco  
afferre expressa debeant, aut æquipollentia minimum Scripturæ sacræ  
verba, omni interpretatione, omnibus consequentiis, omnibus naturæ  
seu rationis principiis penitus seclusis ac remotis. Scopum μεθοδίας  
primarium ac principalem esse, nec dissimulante Veronio, ut impedia-  
tur veritatis inquisitio, & obstacula ponantur disputantibus, quo mi-  
nus ad determinationem propositæ quæstionis accuratam possit un-  
quam perveniri. Cujusmodi κωλύσις tamen ac ἐμπόδις ne qui-  
dem in dialecticis disputatoribus tulit Aristoteles: qui vero uti illis non  
verentur, aperte eos δυσκολαίνω, tergiversari, minimeq; λύσειν ὀρθῶς,  
sed φωνομαίην saltem & apparentem apud rerum imperitos forte, at-  
tulisse censet, quod Φαῦλος κοινῶς ὁ ἐμποδίζων τὸ κοινὸν ἔργον,  
jure meritoque habeatur. Fulcra huic technarum generi supposita, ex  
possessione quæri, & præscriptione juridica. Quæ tamen quam ine-  
pte ad præsens trahantur argumentum, quamque nihil Pontificiorum  
causam juvent, evidenter id dudum ostendisse Calixtum in *digressione  
de Arte nova Nibuliana num. CXIIIX. seq.* Hulsemannum in *peculiarè  
disputatione de Præscriptione*, Dannhaverum in *Seß. II. Polemos. So-*

*crea art. IV. & in Onirocritarum Batavorum Deliquis p. 124. seq. Conringium Præfat. in libri de Origine Juris Germanici editionem primam, & in Examine libelli Erbermanni p. 29. 30. aliosque. Reformatæ etiam partis, scriptores. Conringii (eoque & ἡμῶν ἡ Φων) sententia ab ipso probatur Mabillonio lib. 3. de Re Diplomatica, ut in *Actu* anno 1682. p. 134. observavimus. Ipsique Jurisconsulti, e quorum pharetra hoc teli genus promitur, veritatem negant esse in commercio; negant usu eâ capi, possideri, aut præscribi ullo modo posse, quod non abs humano arbitrio, sed a re, velut proprio ac genuino fundamento pendeat. Committi præterea ista procedendi ratione docet vitiosum illum de genere in aliud genus transitum, quem non *primo* tantum *Post. Anal. VII. IX. & XXIII*, sed *IIX* etiam *Nicom. II, I. Magnor. Moral. I, & II. de Generat. Animal. IIX*. severa lege prohibuit Aristoteles. Sic videlicet Theologia quoque Pontificia*

Rebus nimium lasciva secundis

Luxuriat, magnoque novem per jugera saltu

Pulsat Aristotelem;

ut B. Thomæ alicubi de Calviniana loquitur. Possessionis etiam ac præscriptionis titulum jactatum a Donatistis olim, Catholicisque oppositum fuisse, clarissimis testimoniis evincit.

Hinc disquirens, quo tibi sine fulciatur postulatorum alterum, quod omni consequentiarum usu privat disputantes, negat Protestantes ullibi ad probationem e solo Dei verbo, sequestrata omni interpretatione, omnibusque consequentiis resectis, sese obstrinxisse: particulis exclusivis, *solum, unicum*, remotas voluisse humanas traditiones, auctoritatem Patrum, consuetudinem antiquam, Conciliorum decreta. Methodistis ipsa oppoît Pistorii & Schilleri, qui e sola & unica Scriptura probationes polliciti, nullo modo interpretationes & consequentias proscripserint, exempla: Masenium, quam nobis & sibi tulerit, legem violare ipsum. Protestantes docere nequaquam in publicis Confessionibus suis, quod omnia credenda ἀπὸ λέξεσιν in sacris habeantur literis, testimonio confirmat Brentii. Faterur, Protestantes indefinite quidem se ad probandam Ecclesiarum suarum doctrinam ex Scriptura sola obtulisse; veruntamen probationum ex sola Scriptura petendarum numero tum eas contineri, quæ per concepta Scripturæ verba, tum quæ consequentiarum fiant interventu. Id quod ipsa probationum

indo-

indoles aperte nimis arguat, cum probare nil aliud sit, quam rationibus & argumentis aliquid firmare; eoque probationum ex Scriptura qui meminerit, eum hoc ipso & consequentiarum, vel ipsa syllogismi natura teste, meminisse, præsertim cum *τὸ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνον τῆς αὐτῆς ἀποφύσεως δυνάμει*, ut naturæ doctus lumine loquitur Philosophus.

Efficat Auctor inde, decaſionem poſtulatſ iniquiſſimſ præbuiſſe Proteſtantes minime; quin ea profluxiſſe potius ab Arrianorum, & Maximimi Arrianorum epiſcopi metho, quos in ſuis cum Catho- licis de rebus fidei diſputationibus, præter nuda ac mera Scripturæ ver- ba admittere quicquam noluiſſe, ſcripta veterum loquantur. Baroni- um, Maximinianam diſputandi rationem nobis impropertantem, ad ann. LIII. 10. 24. hoc ipſo nihil aliud, quam quod eodem cum metho- diſtis novis ſpiritu agatur, prode. Diverſum ſenſiſſe & agoviſſe Bartoldum Nihufum. Cujus famoſam artem ut oculis ſubjiceret; Calixti verbis leges ejus recitat. Tametiſi vero Nihufiana *ἀπὸ τοῦ λόγου* non perinde ut Veroniana, & Walenburchiana, conſequentiarum nervis rationem ſpouet; argumentandi tamen poteſtatem tam abſurdſ legi- bus obſervat circūſcribere, ut num per Veronii, an Nihufii *εὐρύματα* plus detrimenti capiant eruendæ veritatſ recteque ratiocinandi prin- cipia, dubites non immerito. AN. hufio ad Jodocum Keddium pro- greditur. Quem refert in XII ſuis, quibus ubique triumpharit, poſtu- latis nec conſequentias, nec proſyllogiſmos proſcripiſſe quidē, prin- cipium tamen diſputandi & probationis fundamentum peculiare a no- ſtris requiſiſſe, ſeu ejuſmodi quo Sociniani, Anabaptiſtæ, aliique a nobis diſſidentes non æque uterentur. Perinde ac ſi geometræ im- ponas, ut priſtinis artiſ ſuæ principiſ damnatis, ejus adducat generis principia, quibus abuti nequeant *εἰς ψευδογραφίας*: perinde ac ſi arithmetiæ artiſ elementa ſuam demonſtrandi vim amittant, quod errori gignendo faciendoque ſuco abutatur quandoque illis ſophiſti- ca: & quaſi Scriptura utente Chriſto, abuſus eadem non fuerit *εἰς πη- ρὴν*; aut quaſi fuiſſet in Salvatoris officio, abutentiſ malicia Spiritus perſpecta, ad aliud propterea præter Scripturam principium conſu- gere. Veſtigiuſ Keddii inſiſtere notat famoſum *παραβάτην* Andream Frommium, quem in quaſtione de exiſtentia univerſalium committit cum Dreiero, concluditque techniſ hiſ non alium propoſiti ſcopum, quam



quam ut mendacio quærantur latebræ. Quam familiaris præterea similis disputandi ratio doctoribus Romanis aliis fuerit, ipsius declaratur Bellarmini, Gretseri, Sebastiani Heiffii, & Erbermanni exemplis, probandi onus in quæstionibus etiam facti, in negativæ patronos partis transferentium; cum tamen ipsa naturalis ratio ad eum id pertinere dicitur, qui aliquid affirmat factum esse, non ad eum qui negat.

Cæterum cur probandi provinciam adeo subterfugiant Romanæ Ecclesiæ promachi, in causâ docet esse, quod impedire nequeant, quo minus omnis, quam moliuntur, probandi vis in orbem abeat tandem, ac in petitionem ejus, quod in principio quæsitum fuit, desinat. Idque propterea, quod in hoc primo per se utique verissimo certissimoque, *Quicquid Scriptura sacra docet, infallibiliter verum est*, non acquiescant; sed Scripturæ autoritatem ab Ecclesiæ, vel, quod idem est, Pontificis sui autoritate suspendant, rem scilicet divinæ, immotæ, invictæ, æternæque prorsus veritatis, ex mero humani ingenii figmento demonstraturi. Hinc testimoniis nō obscuris conficit, fuisse inter Pontificios, qui Scripturæ perfectionem & in se consideratam pendere ab Ecclesiâ: imo autoritatem hujus, illius autoritate majorem, superiorem, & excellentiorem esse contenderint. Communissimam tamen Pontificiorum esse sententiam, quod Scripturæ autoritas in ordine ad cognitionem nostram ab autoritate Ecclesiæ pendeat: Ecclesiæ autem nomine unum & solum intelligi Pontificem: inde Romanæ Theologiæ principium emergere, *Quicquid docet ac determinat Pontifex, infallibiliter verum est*. Quod ipsum quam ob hæresin, impietatem, contradictiones, & schismata quorundam Pontificum, ab omni probabilitate abhorreat, quamque indignum assensu ac fide sit, hoc loco fusius docetur. Antagonistas illud probaturos, nūl enim præter vitiosum circulum; quod probandi genus *I. Poster. Anal. III, §. 6.* false ridet diserteque improbat Aristoteles: nullatenus potentiam exercere concludendi *δι' ἀλλήλων*, ab eodem quidem, verum non nisi in reciprocis (*ἀντιστρέφοντα* & *ἀντικατηγορέμενα* dicuntur ipsi) & ubi alterum altero eorum notius aliquo modo est, admissam, & probatam *II. Prior. Anal. c. V, VI, VII.* nec non *I. Poster. c. III, §. 6* & *c. XIII, §. 1.* Quod enim non est, quomodo sciri, quomodo demonstrari ullo utut certissimo principio poterit? *I. Post. An. II, §. 8.* Colorem probationi frustra quæri ex apodictico regressu, utpote in quo utrinque, alio  
licet

licet atque alio modo notius habeatur: Divini autem verbi autoritas quando ex nullibi fundata autoritate Pontificis probanda sumitur, nisi ignotius, obscurius, & incertius proferri. Ecquid enim Pontificem ex Scriptura, viceque commutata, Scripturam ex Pontifice, eoque Pontificem ex Pontifice stabilitum ire aliud est, quam A ex B, & ἀναπαύω B ex A, eoque A ex A probare? Et quid Scripturæ fidem ac auctoritatem in dubium vocare, ut eam ex incerta autoritate interpretis queas asserere, aliud, quam Scripturam vulnerare, ut habeas quod ingenii tui figmento sanes? Scripturam mutilare, ne desit quod perficias? quid aliud quam viatorem sponere, ut vestire queas iterum? aut in flumen detrudere, ut eodem liberato vir magnus appareas?

Quanto rectius Stagiritæ sapit: Sunt, inquam, vera & prima ea, quæ non ab aliis, sed a seipsis fidem habent. non debet enim de scientiarum principiis quæri ἢ δὲ τί. Sed unumquodque principium per se ipsum debet esse fide dignum. *I. Top. I. 6.* Et: De principiis disceptatio non est subeunda geometræ, qua est geometra. Similiterque in aliis scientiis. *I. Post. Anal. XII, 3.* Rursus: Non solum oportet eum, qui habiturus scientiam per demonstrationem est, magis principia agnoscere magisque eis credere, quam conclusioni demonstratæ; verum nec aliud ex iis, quæ opponuntur principiis, & e quibus syllogismus contrariæ deceptionis poterit nasci, credibilis ipsi esse debet, neque ullum notius. *I. Poster. II, §. 18.* Aut qualis tandem erit sapientia, principio per humanam rationem manifesto adhibere, manifesto per divinam revelationem negare velle fidem debitam, aut a persona dubii interpretis suspendere? Num minoris Christianos inter autoritatis, conditionisque deterioris erit revelatio, quam ratio? aut in schola forte geometræ discentem credere oportebit: in schola CHRISTI profecturum, in dubium vocare decebit omnia. Pro ecclesiæ testimonio adduci quæ solent, credulitatem tantum humanam, non fidem divinam faciunt. conf. Joh. IV, 39. 42. nec veritati divinæ in se plus conferunt, quam Platoni bibliothecarius ostendens tibi ejus codicem, ut B. D. Scherzerus *p. 18. Theologia Systematis Lov. I. §. 19.* loquitur.

Postremo ostendit Autor, nec Tannerii excusationibus sanari causam, delerive probationis maculam, nec Gregorii de Valentia, nec Becani, nec Richelii. Sub finem annectitur Disputatio de Hostiis Eucharisticis, quam Calvinianis, Rosæ Crucis fratribus, & Sociniano-rum nonnullis Autor olim in Jenensi Academia opposuit.

CHRISTIANI KORTHOLTI S. THEOLOG. D. ET PROFESS. PRIMARII, De Variis Scriptura Editionibus Tractatus, Theologico-Historico-Philologicus.

Kilonii, apud Joh. Sebast. Richelium, Anno 1686, in 4.

Quamvis cum manum primum admoveret operi, non aliud Autor Clarissimus habuerit propositum, quam examen eorum instimere, quæ de variis Scripturæ editionibus *secundo libro de Verbo Dei* disputantur a Bellarmino, secumque constituerit, pressis Jesuitæ vestigiis hoc in argumento non progredi longius, quam Cardinalis, ejusque hyperaspitæ, Gretserus & Erbermannus prævisissent; mutato tamen postea consilio, non pauca in Academicæ juventutis usum addidit de Versionibus Orientalibus, quas Bellarminus non attingit, idque in editione etiam prima anno 1668 luci publicæ exposita. In præsentī vero iterata, adjicienda censuit præterea, quæ cum de Latinis recentiorum translationibus, tum de translationibus Bibliorum in vulgares linguas explorata atque comperta habuit.

Postquam enim temere nimis fuisse creditum docuisset scriptorum V. T. interitum, integritatem textus Hebraici defendit ac tuetur, iis quæ pro fontium corruptione Bellarminus obicit, confutatis ac propositis. Chaldaicam translationem quando contemplatur, non extare Targum ostendit in Scripturam universam, Onkelosum etiam paraphrasten ab Aquila Pontico, versionis Græcæ autore plurimum differre. Ad Syriacam versionem veniens, de Syriacæ linguæ origine, & discrepantia a Chaldaica differit, quamque nihil titulis & sectionibus capitum editionis N. T. Syriacæ sit tribuendum, Vergerii confirmat & Junii testimoniis: Versionem Græcam, quam ante Alexandrum Magnum extitisse Robertus putat, pro mero commento haberi a Baronio. Hinc argumenta diluuntur, quæ pro asserenda autentica Versionis Septuaginta Viralis autoritate Jesuita nexuit. Porro textum N. T. Græcum, Latinasque translationes ubi generatim evolvisset, de Autore Latinæ Vulgaræ, deque autoritate ejusdem agit, ut & de invicto argumentorum robore, quibus autoritatem illam autenticam convellant Protestantes.

Examinat præterea loca, cum quæ depravata in eadem esse

Chem.

Chemnitius, tum quæ in Psalmis male reddita fuisse Calvinus contendit, tum quæ in N. T. corruptionem redolent. A Vulgata ad versiones Latinas alias progreditur novissima Editio: Santis nempe Pagnini, Ariz Montani, Sebastiani Munsteri, Tigurinam a Leone Juda, Bibliandro, Cholino adornatam; quam differre monet a Vatabli: ad interpretationem Sebastiani Castalionis, ad versionem Tremellio-Junianam: ad Isidori Clarii emendationem Vulgatæ: ad Augustini Steuchi Eugubini V. T. recognitionem: ad Osiandri correctionem Vulgatæ, ad Eberl, Pellicani: ad Thomæ Malvendæ aliquot V. T. librorum translationem: ad Cajetani novam Psalterii versionem, ut & Felicis Pratenfis: ad N. T. versionem Erasmi, ad Valtæ & Fabri lucubrationes in N. T.: ad versionem Theodori Bezae, Schmidii, Ariz Montani, Hafenrefferi. Inde ad considerationem revertitur Pentateuchi Samaritani, versionis Arabicæ, & Turcicæ, Æthiopicæ, Persicæ, Armenicæ, & Ægyptiacæ. Hic rursus postrema editio insectos exhibet discursus Autoris de versionibus aliis in vulgares linguas: de Italica nimirum, Gallica, Hispanica, Germanica, Belgica, Britannica & Anglo-Saxonica, Danica; Suecica item, Finnica, Lappica, Islandica, Gothica; de Polonica, Lituanica, Livonica, Russica; de Bohemica, Hungarica, Slavonica. Sub tractatus finem recensentur cum annexis subinde autorum, *Hottingeri, Thuani, Simonii* judiciis, celebriora Opera Biblica: Origenianum videlicet, Complutense, Augustini Justiniani Nebienfis: Opus Regium auspiciis ac sumtu Regis Hispaniarum Philippi II adornatum: Parisiense, seu Biblia Heptaglotta: Anglicanum, quod unum, Hottingero iudice, Bibliothecæ propemodum integræ vicem subire potest: Biblia Hutteriana; Danielis Bombergi & Felicis Pratenfis Veneta; Biblia Buxtorfii Basileensis: Roberti Stephani, alias Vatabli, Lutetiæ edita: Biblia denique Maxima Parisiensis. Cui postremo quam vana & paradoxa Autor Johannes de la Haye tribuerit, adjecta a Doctore nostro docet epicrisis,

LETTRES DU PERE MALEBRANCHE  
à ses amis.

id est:

D d

Episto

EPISTOLAE PATR. MALEBRANCHII AD AMICUM; IN QUI-  
bus respondet ad Reflexiones Philosophicas & Theologicas Arnal-  
di in Tractatum de Nat. & Grat.

Roterodami, 1686, in 12.

Non falsos nos esse, cum in Actis anni præteriti 1686 p. 191. conjiceremus, nondum finem fore disceptationum inter *Arnaldum & Malebranchium*, eventus ostendit. Prodeunt enim adversus Librum I *Reflexionum Arnaldi*, quarum compendium dicto loco dedimus, *Malebranchii* responsiones, *tribus epistolis* contentæ. Indicat ante omnia libros suos & Arnaldi, quos legi vult ab iis, qui veluti cum cognitione causæ judicium de lite hac ferre velint. Deinde præmonitionem, quam Arnaldus *libro suo primo Reflexionum* præmiserat, aggrediens, amicum illum, cujus crisin ille allegat, perstringit; juratam tamen Arnaldi obtestationem ita acceptat, ut asserere nolit, illam contra conscientiam ejus factam esse. Interim persistit in suo de Adversario judicio, quod præ nimio fervore ipse inveniat & concipiat in aliorum libris, quæ ibi non reperiantur; ita fieri, ut *Augustinum* pro *Jansenista*, *Malebranchium* pro *Pelagiano* habeat. Hæc & alia præfatus, pro tuendo (sic ait) honore suo, ut (monente ipso Arnaldo) presbyterum decet, non sine aliquo zelo, ad loca ex Arnaldi præloquio verbotenus adducta respondet, & post alia quædam, methodum libri sui *Meditationum Christianarum* ab illo taxatam defendit. Indicat tamen, priores quatuor longe ante *tractatum suum de Natura & Gratia* scriptas esse, neque sibi animum fuisse, quæ sui solum profectus causa composuisset, publicare, nisi ab amicis id fuisset desideratum, & ipse deprehendisset, non carere successu illum scribendi modum, satisque sibi prospexisse, dum non omnia rigide pro Christi oraculis, aut prophetiis vendicaret, quæ sub ejus persona in meditationibus respondentur. Quod vero veritatem etiam philosophicam Christo tribuerit, fecisse id bono fundamento, quia omnis veritas ex Deo est, & exemplo *Augustini* atque *Kempisii*. Agnoscit principia sua, quibus *tractatus de N. & G.* innititur, nondum ab omnibus doctis probari, licet id fiat ab iis, quorum gratia eum scripserit; idem tamen & aliis, & Cartesio accidisse: tempus itaque & ulterius examen expectari debere. Concedi

cedit novitatem in Theologia erroris characterem habere, sed restringit id ad dogmata, quæ sunt de fide; novas vero dogmatum probationes afferri & posse & debere a Theologis, Philosophiam Theologiae subjicientibus. Dolet titulo libri sui de N. & G. ab Arnaldo addita verba, *Novum Systema*; hoc enim se usum non esse, neque titulis librorum pomposis ad Arnaldi exemplum superbire. Ad cap. I Arnaldi, negat ante omnia, se statuisse, quod Deus *eodem modo* agat in natura, quo in gratia: utrinque enim agere secundum leges generales, sed non eodem modo. Inde in argumento ab Arnaldo propositò, & a nobis Act. 1686. p. 184. relato, neque *majorem*, neque *minorem* pro sua agnoscit. Negat etiam a se dici, quod sapientiae divinae non conveniat alio modo in opere naturæ agere, quam ut causam universalem. Sæpe enim se affirmasse, quod Deus particulari voluntate agat, quoties nempe ordo id poscat. Oppositionem, quod Deus non agat per voluntatem particularem, quando agit secundum leges generales, defendit, eamque negat ab Arnaldo intellectam esse. Aliud esse ait, si dicatur, Deum *habere* voluntatem particularem, aliud si dicatur *semper habere*, aut *per illam agere*. Ostendit etiam, inter leges generales naturæ sive voluntatem generalem practicam, & legem generalem, quam Christus sequatur Patri obediens, nullam esse convenientiam. Christo enim nihil præcipi a Patre contra ordinem, & Christum nil nisi bonum facere secundum legem generalem: sed in natura multa fieri contra ordinem, verum non nisi indirecte sive permissive; ideoque de Deo prædicari non debere, quod velit omnes effectus particulares positive & directe. Respondet ad Arnaldi objectionem, qui putat *velle & facere* in Deo unum esse & idem, atque ita ex effectis particularibus judicari debere de causa sive voluntate particulari. Hoc enim negat, & id ipsum esse notat, de quo controversitur. Ipse itaque statuit, *velle simpliciter, & velle facere non esse unum*, sed *velle facere, & facere*, unum esse. Non omnes voluntates Dei, sed practicas solum efficaces esse: velle enim Deum, quæ non faciat: rationes habere, cur velit, sed non habere sufficientes ut faciat; ita *velle ut omnes homines salvi fiant, nolle tamen facere omnia, qua ad salvandos omnes requiruntur*. Pro principio ponit, Deum velle & amare res, quatenus & in quantum sunt amabiles; quia igitur sapientia ejus amabilior sit quam opus ejus, fieri ut *et si omnes homines amet, & salvos esse velit, non tamen faciat, nisi*

quod characteri attributi sui (sapientiae nempe) conforme sit. Sin aliquid Deum, si ita loqui liceat, impotentem faciat, aut eum impedit, quo minus agat quae velit, hoc nihil esse, quod ab eo distingui possit; alias Deus revera non esset omnipotens: sed sapientiam ejus impedimento esse, ne facere, aut mediis se non dignis uti velit. Hoc sensu, ait, Deus non potest omnia, cum non possit agere, nisi per *modos sapientissimos*, characteri attributorum suorum convenientes, & respectu operis quod produci debet, *simplicissimos & fecundissimos*. Explicat postea & defendit opiniones suas de *causa occasionali & universali*, & perpetuam elenchi ignorationem ab adversario committi notat, dum sibi imputet, ac si neget *Deum unquam particulari voluntate* agere; cum solum statuat, *raro id & veluti irregulariter fieri*. Itaque Arnaldo obscurum esse tractatum suum de N. & G. quia hunc illis solum Philosophis scripserit, qui secum consentiant, *Deum solum esse veram causam, & creaturas non esse nisi causas occasionales*. Declarat, quid intelligat per vias simplicissimas, quibus Deus utitur in executione decretorum, non vero in ipsis decretis & propositis; & sic contradictiones inter sua dicta ab Arnaldo motas vult elidere. Adscribit denique multa ex explicatione tertia Tractatus de N. & G. An. 1684. ubi de praedestinatione agit; quorum compendium dedimus in *Act. 1685. p. 307*. Ad quatuor tandem capita, in quae disputationem conclusit Arnaldus (vid. *Act. 1686. p. 185*.) ex jam deductis respondet. Ad (1) non agnoscit regulam, Deum solum ut causam universalem agere, nec habere voluntatem particularem; sed statuit, quod non agat particulari voluntate, nisi ordo id postulet. (2) negat se in opere creationis causas occasionales admittere, quia nondum erant creaturae, quae tales causae esse possint, & Angeli a potestate creandi exclusi fuerint. In (3) aequivocationem esse monstrat, & ad exceptionem suam, qua concedit Deum raro particulari voluntate agere, recurrit, adeoque negat iterum universalitatem imputationis, neque se statuere quod ad omnes effectus particulares voluntas Dei generalis determinetur per voluntatem hominis liberam. Praeterea quae circa finem ad duas Arnaldi epistolas respondentur, (quas eas putamus, quae Libro II. & III. Reflexionum posthac a nobis enarrandis praemissa sunt) cum fere ad interpretationem verborum, quibus alter alterius sententiam retulit aut intellexit, recidunt.

Episto-

Epistola *secunda* quinque habet capita. I. explicat Auctor, quò sensu dixerit, Deum non agere voluntate particulari, nisi quando miracula facit; nempe quod per miracula non intelligat prodigia, quæ vulgo sola pro miraculis habentur, sed quæ non fiant naturaliter aut ex consequentia legum naturalium, ideoque a Philosophis pro miraculis habentur: hæc non contrariari Scripturis dicit, sed per eas probari. Differit deinde de potentia causarum secundarum, & rejecta tam *Durandi*, qui absque concursu Dei creaturas agere statuit, quam eorum sententia, qui concursum Dei admittunt, suam stabiliunt, quod *creatura agant vi efficacie divina, ex consequentia legum natura generalium*, per quas Deus participes eas facit suæ potentia, quanquam nullo modo participes faciat suæ independentia. *Cap. II.* ex principiis suis de providentia Dei agit, quam exerceri dicit secundum leges generales. Harum autem quatuor facit genera, per quas Deus proposita sua exequitur. (1) communicatione motus. (2) unione animæ & corporis, quæ duo ex ratione & experientia cognosci ait; sed (3) potentiam angelorum, & (4) Christi, qua in corpora & animas agant, ex Scriptura disci, quanquam non perfecte; multa enim de iis ignorari, & Deum quædam immediate cum Angelis & Christo, extra leges illas generales communicare. Hic iterum ad anthropologias sese recipit, ut ad dicta Scripturæ, quibus particularis providentia adstruitur, respondeat; neque enim Deum particulari voluntate ad conversionem peccatorum uti, licet eam desiderare se, juramento asseveraverit (v. p. 156); multo minus eam ad animalia transferre, sed agere secundum leges generales, & ita interpretanda esse verba Christi. Extra ordinem vero succurrere Deum per ministerium angelorum, aut ex interventione ipsius Christi, qui tamen non corpus, sed animæ felicitatem procuret. Nam N. Testamenti gratiam in cruce ejusque tolerantia, quæ Christianos decet, consistere: Veteris in temporalis successu positam fuisse. Providentia itaque Dei omnia generali quodam modo regi, sed non exclusis hominum actionibus & curis. Tentare Deum, qui particularem ejus providentiam desiderant, cum generalis beneficio sibi prospicere possint. Eadem postea *cap. III.* per aphorismos tractat, & exemplis illustrat, per quæ evincere vult, quæ alibi sapissime inculcavit, de sapientia Dei, qua leges generales & simplices fecerit; per quarum considerationem objectionibus Atheorum melius responderi possit, quam statuendo decreta particu-

laria



laria & absoluta. Agnoscit nihilominus opinionem hanc novam videri, quia per principium philosophicum, antehac non satis cognitum eam explicet, id est quod creaturæ non habeant efficaciam propriam, sed quod Deus faciat omnia. In effectu tamen cum opinione Theologorum communi convenire, qui statuunt mundum regi a Deo per causas secundas; & huic principio denuo profitetur inniti, tractatum de *N. & G.* neque alio fine eum se scripsisse, quam ut invalescenti hodie opinioni, quod Deus non serio velit salutem omnium hominum, remedium quæreret. *Cap. IV.* speciatim explicat, & adversus Arnaldum defendit, quo sensu dixerit, destructionem Hierosolymorum ex lege Dei generali contigisse, ut opus non sit ad particularem voluntatem eam referre. Non vult tamen negare, particularem etiam voluntatem ad eam accessisse, sed ita, ut ordo generalis id requisiverit. *Cap. VI.* alterum exemplum suum de electione Judaicæ gentis, ut ex ea Christus nasceretur defendit, & pro atroci injuria habet, quod ei Arnaldus errorem Wiclefi, qui omnia necessitati, itemque Pelagii, qui omnia naturæ tribuebat, imputaverit, & dolet omnia ab Arnaldo verba sua esse, quibus prævisam a Deo combinationem gratiæ & naturæ esse monuerit, atque ita non negaverit, Deum etiam ad gratiam, non solum ad leges naturæ earumque sequelas necessarias respexisse. Defendit etiam quod dixerit, Judæos aliquo sensu meruisse ex naturalium legum consecutione, ut Deus illis legem daret, scilicet qua talem, & seclusa gratia. Explicat terminos *natura & meriti*, & *meritum justitia* negat; *convenientia*, ad scopum Dei, admittit. Denique dubitasse se inficiatur, quod Christus natus fuerit ex Judæis, secundum promissionem Abrahamo factam, sed inquirere voluisse, cur promissio illa Abrahamo potius, quam alii facta sit, eoque rationes suas attulisse de convenientia eventuum, & combinatione naturæ & gratiæ. Fatetur deinde in fine epistolæ, se nondum constituisse, an præter hæc quæ ad c. 16. & 17. Reflexionum Arnaldi responderit, ad alia etiam respondere, an novæ ejus quas interim edidit epistolas aggredi, an vero tacere velit, quia videat Arnaldum non intelligere quæ reprehendit, & quod jam sufficienter responsum sit ad omnia, quæ aliquam speciem habeant.

*Epistola tertia* cæteris brevior est, quia loca Arnaldi, ut in præcedentibus, non sunt adscripta. Responderetur tamen in hac ad VIII objection-

objectiones Arnaldi, & disquiritur: (1) an in idea de Deo evidenter comprehendatur, quod ad regulas naturæ generales sese adstrinxerit? (2) an & quatenus actiones Dei judicari possint secundum actiones hominum? (3) cur nemo ex Patribus & subtilissimis Theologis id observaverit, aut docuerit, ad superandos scrupulos de prædestinatione & gratia, quod nunc docet Malebranchius, Deum non agere voluntate particulari? (4) an & quare defectus in operibus Dei agnosci possint, & annon præstet cum Augustino nullos admittere? (5) an inconstantia aut mutabilitas colligi possit ex operibus quibusdam Dei, quæ contrariari sibi videntur? (6) an non simpliciori modo, ex hypothese authoris, Deus uti potuerit in condendo mundo, quam quo usus est? (7) cur asseruerit autor, Deum formasse corpora organizada, v.g. insectorum, voluntate particulari, eundem tamen agendi modum in operibus longe majoribus non admittat? (8) cur dicta Scripturæ, quibus particularis providentia asseri videtur, anthropologicè intelligenda sint? Sed ista fere ex cæteris dependent, aut spinosiora sunt, quam ut paucis explicari possint: quædam etiam ex Arnaldi Reflexionum libris, *secundo & tertio*, lucem accipient; quorum contenta prope diem daturi sumus,

ISAACI VOSSII VARIARUM OBSERVATIONUM Liber, cui annexa est Ejusdem Responsio ad objectiones Criticæ Sacræ Simonianæ, ut & ad iteratas P. Simonij objectiones Responsio.

Londini apud Robertum Scott, 1685, in 4.

PRæter, quam Viri CL. *Isaaci Vossii Observationum ad Pomponium Melam* appendicem, ejusdemque ad tertias P. *Simonii* objectiones Responsionem, quæ superiore anno junctim sunt edita, recensemus, id omnino faciendum nobis, ut ejusdemmet *Observationum liber*, cui *prima & secunda* ad P. *Simonii objecta responsiones* sunt adjunctæ, factis nostris literariis, licet paulo serius id fiat (nam is a. 1685 prodiit) inseratur. Agit autem in hac Vir doctissimus, ut summam omnia percenseamus, primum non de antiquæ tantum Romæ, sed & aliarum, Babylonis puta, Nini, Thebarum Ægyptiarum, Alexandriæ, Carthagini, Cairi, & Babylonis Ægypticæ magnitudine, imo & de magnis Sinarum

Sinarum urbibus. Huic urbium contemplationi, quæ XIII capitibus absolvitur, additur & XIV, de Sinarum artibus ac scientiis, in quo cum inter alia de antiquo pulveris bellici apud Sinenses usu differatur, commodum in capite subsequente seu XV, quam vetustus inter Europæos ejusdem pulveris sit usus, disquiritur. Quindecim hæc capita excipiunt observationes seu dissertationes aliæ, quarum I est de triremium & Liburnicarum constructione; II de emendatione longitudinum; III de patefacienda per Septentrionem ad Japonenses navigatione; IV de apparentibus in Luna circulis; V de causa gravitatis, quæ per diurnam telluris conversionem omnia gravia ad medium tendere ostenditur. Sequitur hæc observationes tractatus specialis de Sibyllinis, aliisque, quæ CHRISTI natalem præcessere, oraculis. Hæc cum a quibusdam habeantur pro piis & officiosis fraudibus, Vossius ex adverso contendit, fieri non posse, ut a Christianis sint conficta, cum non tantum priusquam Christianorum in seculum exisset nomen, sed diu ante, quam natus sit Christus, & lecta & celebrata præne ab omnibus fuerint. Sed ejus quidem Tractatus summam uberius referri non attinet, quod ante plures annos in Anglia editus, & in Belgio recusus in omnium manibus dudum versetur.

Ab soluto hoc de Sibyllinis Oraculis libro, idem Vossius respondet ad ea, quæ P. Simonius in Castigationibus, recensitis in Actis 1685. p. 8. & 1686. p. 106, ipsi objecerat. Tota autem controversia versatur circa LXX Interpretes. Horum versionem ut elevaret Simonius, dixerat præter alia, Christum non ideo secutum esse versionem hanc Græcam, quod ea veritati esset consentanea, sed quod vulgo esset recepta; Aristæ historiam de LXX Interpretibus fabellam esse Judaicam; Origenem plurima loca immutasse & corrupisse in eadem versione, &c. Verum hæc omnia diluit, diluere certe satagit, Vossius, Simoniumque pariter tam in nomine, quam in dispositione Tetraplorum & Hexaplorum Origenis errasse demonstrat. Neque enim illa sic dicta fuisse a quatuor vel sex columellis, sed Tetrapla, quod quadruplicem continerent versionem; nulla autem Octapla scripsisse Origenem. Examinat præterea Simonius & Chronologiam Vossianam, negatque Judæos studio corrupisse codices, fraudem hanc LXX Interpretibus imputans. Manifeste enim a se invicem dissestant in annis Patriarcharum, qui ante & post diluvium vixere, Ebræorum ac Græcorum biblia. Sed

Sed Vossius contra ostendit, Judæos tempore Aquilæ vel paulo ante, depravasse Hebraica exemplaria, & ideo quidem bis mille annorum tempus expunxisse, ut tempus Messiaæ nec dum advenisse obtinerent. Porro, quia Simonius aliquot capitibus examen in LXXviralem versionem instituerat, erroresque in ea nonnullos notaverat, Vossius loca illa omnia persequitur, & rectene an perperam ea reprehenderit Simonius, eruditorum judicio permittit; & quia hæc scribens, in Angli cujusdam scriptum inciderat, continens Rabbinicam & Thalmudicam in I. Apostoli ad Corinth. epistolam expositionem, digressionemque in ea de LXX Interpretibus Christiano indignamprehenderat, (nam iste autor, quem Joh. Lightfootum esse, neminem latet, non LXX, sed quinque tantum presbyteros fuisse, ex Thalmude affirmat, qui regi Ptolemæo legem descripserint, & mentitos esse Aristæam, Aristobulum & Josephum, qui contrarium scribant,) etiam hujus absurdas ac portentosas, ut vocat, cogitationes explodit, ac detestatur.

Sed ne sic quidem quieto esse Autori huic licuit. Cum enim iteratas Simonii objectiones adversus se, (ita enim vocantur, quæ in Opusculis Criticis, anno superiori p. 106, ad Eruditorum Acta relatis, continentur,) fuisset nactus, reponere & illis responsionis aliquid necesse habuit. Reprehenderat autem illud potissimum Simonius, quod Vossius affirmarat, Judæos studio & nequitia codices & chronologiam sacram depravasse; esse enim hoc commentum Vossianum. Ast Vossius ad hoc regerit, id ex Juliano Pomerio cognosci, nec defuisse olim, qui depravationis hujus reos peragerent Judæos; itemque ex Hieronymo a S. Fide, aliisque pluribus Judæis, qui ad Christianos se contulissent, intelligi; quin & Arabes usos hoc argumento ad convincendos Judæos, interque illos Abulpharaium, cujus verba, prout a Pocockio sunt tralata, adducuntur. Riserat præterea Vossium Simonius, quod dixisset, vaticinium de duratione mundi Eliæ Prophetæ attribui. Sed Vossius respondet, de eo non dubitasse Rabbinos antiquos. Rabbinum autem alium pro Elia Propheta intelligendum statuisse Judæos illos, qui cum Hieronymo a S. Fide, ante CCC annos ex Rabbinio Hispano in Christianum converso, congressi convictique, effugium aliud invenire non potuissent. Riserat & illud Simonius, quod *δευτεριποιον* seu traditionum Judaicarum librum, cujus Justinianus mentionem facit, Græco sermone concinnatū esse dixerat Vossius.

Sinarum urbibus. Huic urbium contemplationi, quæ XIII capitibus absolvitur, additur & XIV, de Sinarum artibus ac scientiis, in quo cum inter alia de antiquo pulveris bellici apud Sinenses usu differatur, commodum in capite subsequente seu XV, quam vetustus inter Europæos ejusdem pulveris sit usus, disquiritur. Quindecim hæc capita excipiunt observationes seu dissertationes aliæ, quarum I est de triremium & Liburnicarum constructione; II de emendatione longitudinum; III de patefacienda per Septentrionem ad Japonenses navigatione; IV de apparentibus in Luna circulis; V de causa gravitatis, qua per diurnam telluris conversionem omnia gravia ad medium tendere ostenditur. Sequitur hæc observationes tractatus specialis de Sibyllinis, aliisque, quæ CHRISTI natalem præcessere, oraculis. Hæc cum a quibusdam habeantur pro piis & officiosis fraudibus, Vossius ex adverso contendit, fieri non posse, ut a Christianis sint conficta, cum non tantum priusquam Christianorum in seculum exisset nomen, sed diu ante, quam natus sit Christus, & lecta & celebrata præne ab omnibus fuerint. Sed ejus quidem Tractatus summam uberius referri non attinet, quod ante plures annos in Anglia editus, & in Belgio recusatus in omnium manibus dudum versetur.

Absolute hoc de Sibyllinis Oraculis libro, idem Vossius respondet ad ea, quæ P. *Simonius* in Castigationibus, recensitis in Actis 1685. p. 8. & 1686. p. 106, ipsi objecerat, Tota autem controversia versatur circa LXX Interpretes. Horum versionem ut elevaret Simonius, dixerat præter alia, Christum non ideo secutum esse versionem hanc Græcam, quod ea veritati esset consentanea, sed quod vulgo esset recepta; Aristæ historiam de LXX Interpretibus fabellam esse Judaicam; Origenem plurima loca immutasse & corrupisse in eadem versione, &c. Verum hæc omnia diluit, diluere certe satagit, Vossius, Simoniumque pariter tam in nomine, quam in dispositione Tetraplorum & Hexaplorum Origenis errasse demonstrat. Neque enim illa sic dicta fuisse a quatuor vel sex columellis, sed Tetrapla, quod quadruplicem contineant versionem; nulla autem Octapla scripsisse Origenem. Examinat præterea Simonius & Chronologiam Vossianam, negatque Judæos studio corrupisse codices, fraudem hanc LXX Interpretibus imputans. Manifeste enim a se invicem dissentiunt in annis Patriarcharum, qui ante & post diluvium vixere, Ebræorum ac Græcorum biblia. Sed

Sed Vossius contra ostendit, Judæos tempore Aquilæ vel paulo ante, depravasse Hebraica exemplaria, & ideo quidem bis mille annorum tempus expunxisse, ut tempus Messiaæ nec dum advenisse obtinerent. Porro, quia Simonius aliquot capitibus examen in LXXviralem versionem instituerat, erroresque in ea nonnullos notaverat, Vossius loca illa omnia persequitur, & recte an perperam ea reprehenderit Simonius, eruditorum judicio permittit; & quia hæc scribens, in Angli cujusdam scriptum incidit, continens Rabbinicam & Thalmudicam in I. Apostoli ad Corinth. epistolam expositionem, digressionemque in ea de LXX Interpretibus Christiano indignam deprehenderat, (nam iste autor, quem Joh. Lightfootum esse, neminem latet, non LXX, sed quinque tantum presbyteros fuisse, ex Thalmude affirmat, qui regi Ptolemæo legem descripserint, & mentitos esse Aristæam, Aristobulum & Josephum, qui contrarium scribant,) etiam hujus absurdas ac portentosas, ut vocat, cogitationes explodit, ac detestatur.

Sed ne sic quidem quieto esse Autori huic licuit. Cum enim iteratas Simonii objectiones adversus se, (ita enim vocantur, quæ in Opusculis Criticis, anno superiori p. 106, ad Eruditorum Acta relatis, continentur,) fuisset nactus, reponere & illis responsionis aliquid necesse habuit. Reprehenderat autem illud potissimum Simonius, quod Vossius affirmarat, Judæos studio & nequitia codices & chronologiam sacram depravasse; esse enim hoc commentum Vossianum. At Vossius ad hoc regerit, id ex Juliano Pomerio cognosci, nec defuisse olim, qui depravationis hujus reos peragerent Judæos; itemque ex Hieronymo a S. Fide, aliisque pluribus Judæis, qui ad Christianos se contulissent, intelligi; quin & Arabes usos hoc argumento ad convincendos Judæos, interque illos Abulpharaium, cujus verba, prout a Pocockio sunt tralata, adducuntur. Riserat præterea Vossium Simonius, quod dixisset, vaticinium de duratione mundi Eliæ Prophetae attribui. Sed Vossius respondet, de eo non dubitasse Rabbinos antiquos. Rabbinum autem alium pro Elia Propheta intelligendum statuisse Judæos illos, qui cum Hieronymo a S. Fide, ante CCC annos ex Rabbinio Hispano in Christianum converso, congressi convictique, effugium aliud invenire non potuissent. Riserat & illud Simonius, quod *δευτεράσιων* seu traditionum Judaicarum librum, cujus Justinianus mentionem facit, Græco sermone concinnatū esse dixerat Vossius.

At hic non alio sermone concinnari potuisse eas contendit, cum non alia tum in Imperio Romano Judæorum lingua fuerit vernacula; ipsum quoque nomen *δευτεράσιων* satis clare Græcam testari scriptionem, nec aliam esse quam secundam Aquilæ compilationem, quod ex Justiniano & Anastasio Sinaita probat; & quia Simonius ea quoque refellebat, quæ de ordine & constitutione Hexaplorum & Tetraplorum Origenis scripserat Vossius, hic sententiam suam contra Simonium ex Historia Ecclesiastica Eusebii confirmat, affirmantis quippe, hexapla dicta, quod sex continerent versiones, & tetrapla, quod quatuor. Respondet etiam ad reliqua Simonii objecta; sed recensere hoc loco omnia non susinemus, ne responsionem Vossii integram huc transcribere velle videamur.

*ISAACI VOSSII OBSERVATIONUM AD POMPONII  
Melam Appendix; ejusdemque ad tertias P. Simonii objectiones  
Responsio, cum Pauli Colomesii ad Henricum  
Justellam Epistola Gallica.*

Londini, apud Robertum Scott, A. 1686, in 4.

**O**ptima omnium atque emaculatissima Pomponii Melæ editio habebatur illa, quæ post tot alias diversis in locis vulgatas, Hagæ Comitum A. 1658 obstetricante Viro Clarissimo *Isaacio Vossio* in lucem prodierat. Neque enim mendis tantum, quibus scatebat alias, repurgatus est in ea textus, sed & observationibus doctissimis ab editore illustratus. Quoniam autem in his, cum viros alios non in celebres, tum illustrem maxime Salmasium, variorum errorum exercitationibus in Solinum hic illic admissorum redarguerat Vossius, *Jacobus Gronovius* in nova Pomponii Melæ editione, quæ superiore anno Lugduni Batavorum edita, & in Actis ejusdem anni p. 445. & seqq. a nobis recensita est, Salmasiani nominis patrocinium magno animo suscepit. Nam in notis suis id unice propemodum Vir clarissimus videtur agere, ut observationes Vossianas refellat, Salmasiumque in simul ab hallucinationibus, quarum inculpatus a Vossio fuerat, vindicet. In præfatione etiam ad Lectorem specimen errorum Vossianorum exhibet, quos commiserit in vertendo explicandoque Arriani loco illo, ubi *Pallacopas*, famosissima illa Euphratis in Arabum campos *διώπουξ*, describitur. Vossius

Vosius autem, cum novissimam hanc Pomponii Melæ editionem a *Job. Georgio Grævio*, Professore Ultrajectino celeberrimo sibi missam, uia cum annotatis Gronovianis accepisset, temperare sibi non potuit, quin vindicias pro observationibus suis mox scriberet, & quidem per modum epistolæ ad eundem CL. Grævium perscriptæ, quam & *Appendicem observationum suarum ad Pomponium Melam* appellare voluit. Et sane in his non observationes tantum suas, quas tanquam erroneas allegarat Gronovius, sed & versionem explicationemque suam in loco illo Arriani de Pallacopa, quam Gronovius in præfatione sua ad Lectorem falsè admodum perfricauerat, *καθόρυπιον* vindicavit, quin omnia, si pauca quædam minutia excipiantur, persecutus est Vosius, quidque adeo de Gronoviana, Pomponii editione sentiat, CL. Grævio, qui transmiserat illam, satis clare, sed nec sine bile, exposuit.

Vindiciis hisce Vindicis subiiciuntur aliæ, quarum quidem nulla, forte quia breves admodum sunt, in titulo præmissio facta est mentio. Prodiert enim eodem anno 1685 Oxonii *Dissertatio Humfredi Hodii, A. M. contra Historiam Aristæ de LXX. Interpretibus*, in Actis anni superioris mense Aprilis pag. 205. seqq. a nobis recensita, in qua Autor præter alia, & ea quæ de hoc ipso argumento Is. Vosius olim scripserat, sub examen revocaverat. Reponere itaque & huic, quem quidem exerte non nominat, aliquid voluit Vosius, atque adeo de una, quod ajunt, fidelia duos, imo tres (nam & Simonio tertium, ut infra patefcet, respondit) dealbare parietes. Dixerat autem Hody præter cætera, universam Aristæ historiam ut subrueret, Demetrium Phalereum S. Scripturæ vertendæ tempore, Bibliothecæ Alexandrinæ præesse non potuisse, quia Demetrius mortuo demum Cassandro, Macedoniæ Rege, Ægyptum adiisset; idque dixerat Hermippi in primis, quem Laertius in vita Demetrii allegat, testimonio suffultus. Sed respondet Vosius, nihil ex argumento isthoc confici, nisi id solum, tempus, quo in Ægypto fuerit Demetrius, non viginti quatuor, sed quatuordecim vel quindecim tantum fuisse annorum; Hermippum præterea gemini erroris esse reum, verioremq; illorum videri sententiam, qui statim post amissum Athenarum principatum, aut certe non diu postea, Demetrium ad Ptolemæum se contulisse scribant, ex Diodoro, Plutarcho, Eusebio & aliis. Dixerat etiam Hody, Antigonum, cujus metu Demetrius ad Ptolemæum Lagi se receperat, non fuisse Antigonum



Magnum, sed Antipatrum, Cassandri filium, qui & ipse Antigonus dictus fuerit. Sed Vossius contendit contra, nullum Cassandri filium fuisse hoc nomine insignitum; idque ita esse sic satis speciose ostendit. Nec ob stare innuit, quod in Aristeia nulla patris Ptolemæi fiat mentio, quia aliquot annis simul regnarint & Lagides & Philadelphus Ptolemæi, paterque ultimo biennio filio regnum publice, Justino teste, tradiderit; & quoniam Hodyo non vero simile videatur, Demetrium, postquam principatum Athenis tot annos tenuisset, Bibliothecarii munere in Ægypto fuisse functum, eo quod præfectura Bibliothecarum non magis honorifica fuerit apud veteres, quam apud hodiernos; eum ἀνιστορησίας modernæ incusat Vossius, ut qui nesciat, hodie Archiepiscopum Remensem, primatem totius Galliæ, regium & ipsum esse Bibliothecarium, & Romæ non alium facile Ecclesiæ Romanæ audire Bibliothecarium, quam Cardinalem primicerium; ut plura alia, quæ Hodyo ad ἀρτινιωτικῶν respondet Vossius, brevitatis studio jam transeamus.

Vindicias hæc alteras excipiunt tertiæ ejusdem Vossii, seu *Responsio ejus ad tertiās P. Simonii objectiones*. Versatur autem tota ista, quæ Vossium inter & Simonium exorta est, controversia circa LXX Interpretes, estque illud pomum Eridis, utrum illi peccarint aliquando, an vero recte omnia reddiderint? Posterius adstruxit Vossius, tum in libro *de oraculis Sibyllinis A. 1679.* edito, tum in *responsione ad iteratas P. Simonii objectiones*. Prius vero P. Simonius non in *Historia tantum Criticæ veteris Testamenti*, sed in *Opusculo quoque Criticis adversus Isaacum Vossium, & in tertiis*, ut a Vossio appellantur, *objectionibus*, quas quidem, *Hieronymi le Camus* nomine latens, ediderat, qua de re conferri cupimus Acta anni 1686, p. 107. His tertiis igitur ἀρτινιωτικῶν & tertiās ἀμοιβὰς reposuit Vossius, & quicquid novorum argumentorum ad suppressendam LXX versionem a Simonio contra se fuit prolatum, pro virili sua intervertit; idque dum agit, ostendit insimul, non ineptum esse scriptorem *Abulpharajum*, cujus testimonium adduxerat de sacra Scriptura a Judæis ad lucrificandos bis mille annos depravata, neque se solum sentire sic, sed & plures alios a se allegatos, quibus gregalem nunc facit & R. Samuelem ben Juda Hispanum, ex Judæo Mahumetanum factum ante D. annos, qui de hac ipsa Judæorum depravatione librum Arabice scripserat; vaticinium Eliæ non esse Thal-

mudici-

indici cujusdam Doctoris, sed Æliæ Prophetæ tribui; lectionum diversitates non in exemplorum discrepantiam, sed in codicum depravationes rejiciendas esse; Copticam linguam non extitisse, antequam Arabes Ægypto potiti fuerint, sed solum ferme Græcum sermonem ibi tum obtinuisse; secundam Aquilæ editionem *δευτέρωσι* omnino fuisse dictam, quia ei id nominis tam a Justiniano, & vetere ejus interprete, quam ab Anastasio Sinaita tribuatur; verbum *ἀποκαλύψεως* non a LXX demum interpretibus fuisse confictum, eum eodem, quo apud sacros scriptores sensu, apud antiquissimos etiam Græcos occurrat; Origenem nulla concinnasse octapla, sed hexapla & tetrapla &c. Sed longum sit referre omnia, quæ Vossius Simonio in responsione hac ad tertias objectiones minutatim reposuit. Lectorem itaque ad Vossium ipsum, Simonio tertium respondentem, remittimus.

Vindiciis tribus hisce annexa est *Epistola Gallica Pauli Colomesii* d. 3. Octob. 1685 ad *Henricum Justellum* perscripta, de Historia Veteris Testamenti Richardi Simonis. Nimirum cum advertisset Colomefius, se ob ingentes laudes in Isaacum Vossium effusas, Simoni venalem conductitiumque ejus scriptorem videri, se Vossium quidem non semel laudasse ex merito regerit, at non jurasse tamen in verba illius, quemadmodum & in *καμηλαίος* literariis, in notis ad Quintilianum, & in observationibus sacris dissentire ab eo non dubitarit. Apologia huic subjungit observationes varias, quibus non tam refutatum, quam illustratum est Simonis Historiam. Observat igitur, post Ludovicum Ferrandum, *Suniam* & *Fretelam* perperam foeminas existimari, cum Manuscriptum Epistolæ ad illos ab Hieronymo datæ epigraphen hanc præ se ferat: *Charissimis fratribus Sunia & Fretela*. Profitetur etiam codicem Novi Testamenti, quem Beza Cantabrigiensi Academiz donavit, nec non alterum Claramontanum Puteanorum Fratrum codicem, qui prioris pars altera est, Irenæi ipsius manu sibi tritos videri, seque a Dodwello, qui eandem Irenæo jam operam navet, quam Cypriano olim, expectare, ut conformitatem allegationum Biblicarum Irenæi cum Cantabrigiensi codicis lectione palam ostendat. Pronunciat quoque, editionem LXX Interpretum Romanam esse omnium optimam, seque emendatiorem, quod Frontoni Ducæo per sui ordinis fratres non licuerit, procuraturum. Concedit præterea pro *αὐτός* Gen, III, 15. legendum esse *αὐτό*; quanquam diversam hanc lectionem jam-

jamdudum Bibliorum Græcorum Basileæ A. 1545. impressorum calci adscriptam fuisse commonet, ubi & *Στελεχόν* Gen. XLIX, 21. *truncum* non *arbusculam* verti debere censet, ob loca parallela Job. XXIX, 18. Exod. XV, 27. Num. XXXIII, 9. De cætero quia neminem noverat Simonius, qui Hieronymo recentior, antiquiorque Pagnino, Hebræa Biblia in Latinum trāstulerit, notat Colomesius eadem epistola, medium inter illos fuisse Cardinalem *Adamum Eston* Anglum, quem *Robertus Wackfeld* in de integritate textus Hebraici, & *Balaw* laudaverint; notat etiam, præfationem Biblii Græcis Cantabrigiæ editis præfixam autorem habere *Johannem Pearsonium*, Cestriensem Episcopum, refertque ex Fortunati Monachi Itali præloquio in Biblia Venetiis 1609 edita, jussu a Gregorio XIII fuisse Bellarminum, ut Biblia Regia Antwerpensis prius, quam publici juris fierent, Chaldaica paraphrasi truncari faceret. Observat quoque, Versionem N. T. Hibernicam, quam Usserius tribuit Simonius in Historia Critica, autorem agnoscere non Usserium, Archiepiscopum Armachanum, sed *Guilielmum Danielidem* (O-Donnel) qui auspiciis Guilielmi Usserii, Equitis Hiberni, antequam Archiepiscopatum Tuanensem in Hibernia obtinuerit, eam confecerit. Habet & pluscula Colomesius de *Francisco de Enzinas* (i. e. de Aquifolio) qui Biblia Hispanice vertit, Catoloque V. Imp. dedicavit; unde & variæ ei cum Theologis Belgis enatæ sunt lites, quarum historiam ad Phil. Melanchthonem (quem magistrum suum salutet, cuique non minus, quam Camerario *Dryander* dictus sit,) perscripserit. Sunt & alia huic epistolæ partim addita, partim interspersa, sed quæ attexere hic non sustinemus, eo quod ista aut ab ipso Colomesio alibi, aut ab aliis pridem observata meminimus.

**JACOBI GRONOVII EPISTOLA AD JOHANNEM Georgium Gravium V. Cl. de Pallacopa, ubi descriptio ejus ab Arriano facta liberatur ab Isaaci Vossii frustrationibus.**

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtman,  
A, 1686, in 8.

**O**bservationum suarum ad Pomponium Melam appendicem per modum epistolæ *Isaacus Vossius* inscripserat Viro Cl. *Job. Georgio Gravio*,

*Gravio*, cujus beneficio & novam Pomponii Melæ editionem cum notis *Jacobi Gronovii* acceperat. In hac cum acerbe admodum tractatum se a *Vossio* vidisset *Cl. Gronovius*, temperare & ipse sibi non potuit, quin eadem, qua is, licentia atque acerbitate, aliquid illi reponeret. Et primum quidem, ut *Vossium* ipsum non satis Græce doctum esse ostendat, pro ~~hoc~~ locum ex observationibus in Melam p. 135, ubi *Vossius* in nummo quodam Triballorum legerat ΕΠΙ ΔΙΟΣ ΔΑΙΟΥΤ, quasi cusus fuerit in honorem frumentarii Jovis, cum ita legendum fuisset ΕΠΙΔΙΟΣ ΔΑΙΟΥΤ, h. e. *Epidius Laji* sc. filius; dein *Vossium* dicit Græcam vocem πετρών, exposuisse *textum, quod ex petris constet*, cum ea locum potius petrosum significet. His similibusque aliis quæ hic commemorari non attinet, præmissis, ad *Arrianeam Pallacopæ* descriptionem, de qua præcipua ipsi cum *Vossio* controversia intercedit, progreditur. Erat autem *Pallacopas* fossa seu ductus ex *Euphrate* in *Arabum* campos. Hujus ostium *Alexander M.* in gratiam *Assyriorum* decreverat obstruere, aliumque ex *Euphrate* ductum exstruere eidem *Pallacopæ* incidentem, cujus ostium & claudi facilius & aperiri posset, tum ad exonerandum, tum ad continendum alveo suo, prout res exigeret, *Euphratem*. De hoc itaque *Alexandri M.* instituto sic *Arrianus* lib. VII. Expeditionis *Alexandri M.*: πελαγοντι δὲ ὅσον σαδίας τετριάκοντα ὑπόπετες ἢ γῆ ἐφαίνετο, οἷα διακοπεῖσαι εἰς ἕνα φῆς γίνοιο τῆ πάλαι διώρυγι τῆ κατὰ τὸν Παλλακόπαν, ἕτ' αὖν διαχῆσθαι παρέχεν τὸ ὕδωρ ὑπὸ σέβρετι τῆ τῆς γῆς, τὴν πᾶσιν ἐσποφῆν αὐτῆ τῆ τεταγμένη ὥρα μὴ χαλεπῶς γίνεσθαι. Hæc *Arriani* verba sic vertit *Vossius*: Quumque ad stadia triginta progressus esset, petrosa occurrit terra, quamque intercisam fuisse comparebat. Ea si continua fieret ac denuo conjungeretur, nequaquam ob sui firmitatem aquam transmissura esse videbatur ad antiquam illam *Pallacopæ* fossam; atque ita præstito tempore, quancumque *Alexandro* placeret, non difficile futurum fluminis divortium. *Gronovius* vero hunc in modum: Quumque ad stadia triginta progressus esset, petrosam terram reperit, qua si intercisæ ad veterem *Pallacopæ* alveum perduceretur, nequaquam, propter terre firmitatem, aquam transmissura esse videbatur, atque ita stætis anni temporibus facilem aquarum aversionem fore. Et quemadmodum *Vossius* versionem suam sub initium appendicis jam

dictæ tueri contra Gronovium conatus est; ita Gronovius eam in hæc epistola infestat denuo, suamque versionem tanquam rectiorem *πρὸς καὶ κατὰ* propugnat. Nos uti alibi, ita hic quoque *ἐπέχομεν*, & quicquid horum litigiorum est, Criticis & *Φιλέλαις* dijudicandum relinquimus.

✽

**JASITHEI AD GRONOVIIUM APOLOGEMA,**  
*in ejusque Titivilitia, sive de Tito Livio*  
*somnia animadversiones.*

Neapoli, apud Novellum de Bonis, A. 1686. in 4.

**S**ed aliud ecce litigium, quod viros doctos circa argumentum non adeo magni momenti exercet. Dissertationes Epistolicas ediderat memoratus jam sæpius Vir Clar. *Jacobus Gronovius*, inque earum tertia, in qua & alia in Livio loca geographica emendatum iverat, locum illum Livii lib. XXVI, c. 9. ubi expeditio Hannibalis Capua versus Romam describitur: *Inde Algido Tusculum petiit*, legendum sic contenderat: *Inde ab Pædo Tusculum petiit*. Quam Livianorum verborum mutationem cum vellicasset Vir magnæ celebritatis *Raphael Fabretus*, Nobilis Urbinas, in libro de *Aquis & Aquaductibus veteris Romæ*; tantum abest, ut sententiam suam mutarit Gronovius, ut potius propugnarit eam acriter astruxeritque in *Responsione ad Cavillationes*, ut vocat, *Raphael Fabretti*, Lugduni Batavorum A. 1684 edita, cujus summam bona, ut solemus, fide, sed omiſſis plane dictionibus passim in ea obviis, ad Acta Anni 1685 p. 207. seqq. retulimus. Sed nec Fabretus, cui *Jasithei* assumere nomen nunc placuit, tacere sustinuit. Scripsit enim *Apologema ad Gronovium*, atque in ejus *Titivilitia*, sive de *Tito Livio somnia*, ut vocat, *animadversiones*. In hoc libro paucis nunc, & prætermiſſis pari ratione dictionibus adversario non parce repositis, memorando, primum varias super Livium a Gronovio editas emendationes examinat, censuræque, productis non paucis Livii locis, subjicit. Dein errorum aliquot Geographicorum inculcat Gronovium, ut qui v. c. in locis Tusculo vicinis noctem sibi finxerit hiemalem, dimidia parte longiorem integra nocte æstiva; Arvernos Galliæ populos ultra Garumnam a Masilia constituerit; Græciam item Septentrionalem in terra sua agnoverit, & Tempe Theſſalica *aprica* nominaverit, quæ tamen *opaca*, *umbrosa*, ac *tenebrosa* a Poetis describantur, Quibus, similibusque aliis satis

facia prolixè expositis, controversiam tandem illam pag. 92. aggreditur, quæ ipsi de situ Algidi & viæ Latinæ cum Gronovio intercedit, utque error, quem putat, Gronovii tanto clarius elucescat, eorum locorum chartam chorographicam, eamque æri incisam, repræsentat, & ad omnia sibi a Gronovio in Responsione isthac objecta responderet. Probare autem Gronovius instituerat, adductis ex Livio locis non unis, Tusculanum districtum Lavicano confinem esse, sibi que adeo verosimile non videri dixerat, Hannibalem flexo itinere montem Algidum transisse, cum ex Lavicano in Tusculanum agrum moveret. Sed respondet Fabrettus, quamvis Algidum oppidum inter Tusculanum & Lavicanum agrum non ita sit medium, ut velut cuneus quidam utrumque territorium findat, aut nemini ab uno ad alterum, nisi itinere per Algidum instituto pateat transitus; a Lavicano tamen agro non jam agrum Tusculanum, sed ipsam Tusculanam urbem petenti Hannibali, Algidum utique montem occurrisset: Tusculano vero agro proximum esse Algidum, ex quibusdã locis a Gronovio ipso adductis probari posse, quod Lavicani Æquique, post ablatas ex Tusculana regione prædas, in Algidum, tanquam in locum proximum, eumque munitum confugerint. Dixerat etiam Gronovius, Livium semper, quoties de motu locali loquatur, ac speciatim, quoties nominarit Algidum, præpositionem IN vel AB solere præmittere, assertumque hoc suum exemplis aliquot Livianis stabiliverat. Fabrettus autem exempla alia in memoriam ei revocat, quæ ipse non minus, quam parens ejus ex Livio adduxerit, in quibus transitus solo auferendi casu exprimitur; quorum illud ex lib. XXVI. c. II. vel maxime huc quadret: *Inde Albenſi agro in Marſos Annibalem veniſſe, h. e. uti ipſemet Gronovius expoſuit, per Albenſem agrum.* Dixerat præterea Gronovius, quod, sicut Cajus Marcius capiendis oppidis prope Volſcos & Æquos pedetentim boream verſus proceſſiſſet, & poſt expugnationem Lavici Pedum tendiſſet: ſic Hannibal quoque, cum ex agro Anagnio veniret, Lavico Pedum reverti omnino debuerit. Sed Fabrettus tranſmiſſo aut conſeſſo, quod de C. Marcii itinere dictum erat, pauca hæc reponit: *Tum vide, Lector, quantiũ compendii factum ſit itineri Hannibali per novã banc locutionem ab Peto Tuſculum; ut cui ad meridiem eundem erat, ſi per plura paſſuũ millia retro actus ad boream, diverticula quæreret.* De cætero quæſiverat Gronovius, cur Hannibal, cum ſumma celeritate Romã contende-

ret, non perstitit in via Latina, quæ Lavicana fuerit brevior? Respondet Fabrettus, Hannibalem illud iter eum tantum in finem suscepisse, ut Romanos ab obsidione urbis Capuæ retraheret; viam præterea Latinam Lavicana non breviorē esse; intuitum quoque fuisse, si in istas periculorum plenas Albanicæ vallis angustias se immisisset, cum contra per Lavicanam viam plana & aperta omnia essent. Respondet inde Fabrettus & aliis Gronovii quæsitis, eaque occasione suam de quodam Livii loco l. IV. c. 27. conjecturam Lectori expendendam proponit; cum vulgo legatur: *dictator Tusculo, consul Lanuvio propiorē locum castris ceperunt*, pro Lanuvio, Lavicum substituens. Deinde quia Siliū reprehenderat Gronovius, quod in descriptione Hannibalicæ profectiois etiam Algidi mentionem fecisset, Fabrettus patrocina- tur Silio, eumque non poetica libertate ibi fuisse usum, quod Gronovius dixerat, sed bona fide omnia ex Livio retulisse ostendit. Verum denique Tusculi situm collocat in cacumine montis, contra opinionem Lucæ Holstenii, qui Tusculum e suo vertice summoque jugo ad declivia Tusculani collis, qua Romam respicit, deduxerat; sententiamque hanc suam non testimoniis tantum scriptorum, sed & situ qua naturali qua artificiali, præcis item ruderibus ac vestigiis, & nummo quodam antiquo apud Fulvium Ursinum in gente Sulpitia, in quo Tusculum exhibetur, confirmat.

Atque hæc de isto Fabretti Apologemate dicta sunt, quod silentio transmittere honeste non potuimus, cum Gronovii, cui in eo responsum est, librum in Actis nostris loco supra dicto memorassemus. Difficile vero est, in enarrandis illis doctorum virorum contentionibus, simul & brevitati studere, & controversiæ momenta ita proponere, ut clare satis ea Lectori pateant, & nos seu alterutrius, seu utriusque Auctoris offensam non incurramus. Et cavere quidem posterius hoc pro virili studemus, dissimulantes, quæ acerbius ab altero in alterum jactantur, honorique eorum & existimationi derogant, soliusque controversiæ summa capita, suspensio plane iudicio nostro, recensentes. Sed verendum tamen, ne idem nobis accidat, quod illis affolet, qui in bellis neutrarum sunt partium, dumque quietem captant, utriusque bellantium armis inviti objiciuntur; adeoque dum invidiæ declinandæ causa, contendentium inter se doctorum virorum de levibus gravibusve rebus nulli nos mancipamus, utriusque  
aut

aut saltim ejus, qui sua negligentius aut cum studio partium relata, quo jure quave injuria suspicabitur, odia experiamur. Unde si parciores forte deinceps in cristicis scriptis commemorandis deprehendemur, causam silentii nostri Benevolo Lectori facile erit divinare.

**LEALIS LEALIS DE PARTIBUS SEMEN CONFICIENTIBUS**  
*in Viro, Epistola ad Dominicum*  
*de Marchetis.*

Patavii, apud Cadorinum, 1686, in 12.

**P**Ræerat antehæ Leal Lealis Xenodochio B. Francisci, antequam ad Professionem Chirurgiæ, qua nunc laudabiliter fungitur, ascenderet. Non dimittebat igitur occasionem egregiam, quæ tum temporis se offerebat, quin cadavera creberrime obvia cultro subjiciens Anatomico attentius perlustraret. Comparatam inde notitiam in re Anatomica non vulgarem, nec dubiam, sed assiduis sectionibus confirmatam, diu equidem suppresserat; nunc vero in lucem edere amplius non dubitat, quæ Naturæ scrutatoribus accepta fore arbitratur. Hæc vice quidem ea saltim attingit, quæ virorum genitalia concernunt, muliebres partes generationi addictas peculiari reservans Epistolæ. Quemadmodum vero in præsentî Exercitatione ad *Regneri de Graaf* scripta unice respicit, ita fieri aliter non potuit, quin Observationes clarissimihujus Anatomici vel confirmaret vel emendaret per ea, quæ tanquam sibi comperta superaddidit. Discedit autem ab eo sæpissimè: inter alia, ubi de ortu arteriarum spermaticarum sermo est, asserit arteriam sinistram spermaticam ordinariè non e trunco aortæ sed emulgente nasci. Cumque Regnerus de Graaf arterias has recto ductu ad testes abire statuat, negat id Author noster, siquidem per autopsiam evincit, eas in aliquos passim curvari sinus. Imprimis anastomoses inter arterias atque venas spermaticas acriter defendit, tanquam summe utiles, rationi conformes & experimento singulari manifeste conspicuas. Nimirum aperto adhuc vivente ariete, interaneisque ad latus retractis, venam spermaticam primum prope cavam, dein & corporis pyramidalis basin filo arctissime devincit; postquam igitur arteria spermatica sanguine turget, religatam præscindit; aperta autem vena omnis egreditur sanguis, ita ut turgidæ hæctenus arteriæ, si digitis quodammodo comprimentur, quem continebant sanguinem eo effundant,





*vea membrana intime ambit. Earum multa recta in corpus olorinum implantantur. Reliqua obliquata, antequam Meatum subeant, modicum inter vascula seminaris spatiantur.*

*cccccc Tenuissima vasa candida lymphaticis non imparia, & arteriis parallela, ruditer tamen expressa, quorum plura ob summam exilitatem servare in testis preparatione fuit nefas. Inibi ferme, qua ovarinum corpus arteria ineunt, prodire ista videntur; ab hoc in nerveam conscendunt, in cujus interiora adeo se occultunt, ut luminu aciem illudant.*  
*dddd Nonnulla loca in quibus desinunt vicissim cum nervulis arteria, & confurgunt lymphaductus.*

*cc Meatus seminarii scissus, per quem internus ejusdem canalis percipitur.*

*iiii i Vasculorum radices seminariorum, & termini, qua evulsa principio fuerit, ut olorinum corpus, & reliqua ei vasa annexa contueri facile liceret.*

*BBB Tres vasculorum seminariorum propaggines, quas reliquis prolixiores ob commodum situm culter reliquit.*

*F Epididymidos principium, quod finis Meatus seminarii facit, quum pertusa nervea membrana de summo bulbo erumpit.*

*fff Epididymidos lobulorum interna facies, qua testi adbarens secundum illius longitudinem flexuose discurret.*

*G Vasis deferentis initium.*

## FIGURA II

*Intestinula exhibet seminalia (vulgo vesiculas seminales) ex humano excerpta cadavere, quorum unum glomeratum apparet speciem vesiculae pra se ferens, alterum vero solutum, & communi exutum membrana, ut eleganter cacum videatur amulari intestinum. Exponit praeterea intestinulorum ductus omnes, cum qui semen invehunt, tum qui evehunt. Horum insuper coalitum designat, quo intestinula in unum canaliculum conveniunt, per quem solum semen, in urethram expromunt.*

*A Canaliculus qui semen in urethram erudit, a duobus intestinulorum seminalium tubulis in unum coalescentibus efformatus.*

*B Ductuum coalitus angulum obtusum, ubi cc illorum est principium a summo intestinulorum deductum.*

*CC Deferentium vasorum extrema lateraliter in intestinula commissa, qua cum juxta principium excernentium ductuum intestinula in-*  
*cant, angulum faciunt cc acutum, DD Vul-*

DD *Vulgares capsulae seminales, quae tamen si caute solvantur, ubi litterae bbbb longiores factae insigniter gracilescent, &*

EE *Deferentia vasa a suo stipite recisa.*

dd *Deferentia vasa nonnihil suo principio latiora.*

F *Seminale intestinulum membrana communi ita praeinctum, ut inaequalis vesicula formam proferat.*

GGG *Seminale intestinulum alterum ab omni expeditum membrana, ut naturalem longitudinem pandat, in quo γ cervicem, δ fundum, α α α vero quasdam illius gibbositates indicant.*

## LIBRI NOVI.

A Continuation of the new Digest of Bones; it's Improvements and new uses it hath been applyed to; Together With some Improvements and new Uses of the Air-pump, tryed both in England and in Italy, By Denys Papin. London 1687, in 4.

Joh. Adami Scherzeri Ereviarium Theologicum Hulfemannianum, enucleatum atque auctum, cum Praefatione D. Val. Alberti. Lipsiae apud J. C. Tarnovium. 1687, in 4.

Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Opera omnia Anatomica & Physiologica, lactens variis locis ac formis edita; nunc vero certo ordine digesta & in unum volumen redacta: cum Praefatione D. Joh. Bohmii P. P. & indice locupletissimo. Lipsiae apud J. F. Gleditsch. 1687, in fol.

Raimundi Martini Pugio Fidei adversus Mauros & Judaeos, cum Observationibus Josephi de Voisin, & Introductione Joh. Benedicti Carpzovii, qui appendicis loco Hermanni Judaei Opusculum de sua conversione ex MSCto Bibliothecae Paulinae Academiae Lipsiensis, recensuit. Lipsiae apud Frid. Lanckii Haeredes, 1687, in fol.

Theologiae sive potius *Ματαιολογίας* Judaicae atque Mohammedicae seu Turcico-Perficæ Principia sublesta & fructus pestilentes; auct. Aug. Pfeiffero D. Lipsiae apud J. F. Gleditsch 1687, in 8.

Jacobi Tollii Fortuita, in quibus praeter Critica nonnulla, tota Fabularis Historia Graeca, Phoenicia, Aegyptiaca ad Chemicam pertinere asseritur. Amstelod. apud Janf. Waesbergios 1687, in 8.

Horti Academici Lugduno Batavi Catalogus, exhibens Plantarum omnium nomina, quibus ab anno 1662 ad a. 1686, hortus fuit instructus, ut & plurimarum in eodem cultarum & aemulae huc usque editarum Descriptiones & Icones, auctore Paulo Hermanno. Lugd. Bat. apud C. Boutensteyn, 1687, in 8.

Defensio Relationis de Antonia Burignonia. Actis Eruditorum Lipsiensibus Mensis Januarii A. 1686. insertae, adversus Anonymi famosas chartas, Amstelodami sub titulo *Magni Necessarii* publicatas &c. Lipsiae apud J. F. Gleditschium. 1687, in 4.



# ACTA ERUDITORUM

*Publicata Lipsia*

*Calendis Maji, Anno M DC LXXXVII.*

**DEFENSIO RELATIONIS DE ANTONIA BURIGNONIA**, Actis Eruditorum Lipsiensibus Mensis Januarii Anni MDCLXXXVI inserta, adversus Anonymi famosas chartas Amstelodami typis Boerhoffianis sub titulo **MONITI NECESSARII** publicatas. Quarum proterva calumnia refutantur, simulque Femina, qua se Legatam Dei mentita est, ipsiusque Apologeta & Monitoris, impia & monstrosa dogmata quadam, ex libris utriusque Gallici Latine excerpta, censura Christianorum in principibus Fidei articulis adversus fanaticos consentientium, offeruntur.

Lipsiæ, apud Joh. Frider. Gleditsch, 1686, in 4.

**T**itulum libri integrum, tametsi prolixiorẽ exhibuimus, ut supersedere possemus argumenti, quod tractat, uberiori & accurato recensu. Nostram causam agi, nemo non videt: quam justa vero ea sit, ex ipsa Apologia, brevi nempe temporis spatio cuiq; perlustranda, cognosci a benevolo Lectore malumus. Nullius enim viri boni & cordati iudicium subterfugimus, eamque ob causam & illum Actorum nostrorum locum, quo de Antonia Burignonia scriptis differitur, & anonymi censoris licet longe acerbissimum Monitum, subjungere Apologia huic curavimus. Equidem fuere, qui nihil reponendum Monitori illi censuerunt, tum quod existimationi qualicunque, & in Germania, & in exteris regionibus, Actis illis nostris, per hos quinque annos & quod excedit, apud viros doctos partæ, nihil per eas Anonymi schedas decessisset; tum quod Relationis nostræ de Burignonia operibus Auctor ea sit professione, atate &

Gg

in

in rempublicam meritis, ut sine famæ optimis artibus partæ dispendio, vindicare calumnias generoso contemptu potuisset. Sed vicissim alii non consultum putarunt honori nostro, ut silentio velut reos nos faceremus injuriæ Burignoniæ aut ejus advocato illatæ; & Relationis de scriptis fœminæ hujus illustris Auctor hærare in quadraginta mendaciis ab ejus hyperaspiste sibi objectis noluit: & denique interesse visum fuit orthodoxæ Ecclesiæ, ut de Burignoniæ periculosis dogmatibus & institutis uberius, quam quidem in Actis nostris factum fuerat, omnes publice admonerentur. Hinc natum præsentis opusculum, quod æqui Lectoris judicio sic commendamus, ut factam a nobis Butignoniæ ejusve affeclis injuriam non fuisse cognoscat; ad ulteriorem autem cum hujus sectæ hominibus disputationem minime nos obstrictos cupiat.

M. CHRISTOPHORI SONTAGII

Tituli Psalmorum.

Silusiæ, impensis Sebastiani Gœbelii, 1687, in 4.

**I**Nter difficiliora Scripturæ loca *Psalmorum* quoque *titulos* reponi, par est. Brevitate enim sua vocumque, e quibus constant, insolentia, tantum negotii interpretibus facessunt, ut parum absit, quin de quorundam sensu investigando jam pridem conclamatum fuerit. Optime igitur putamus factum, quod clarissimus Schleusingensium Pastor ac Superintendens, illustrisque, quod Silusiæ floret, Gymnasii Ephorus, *Christophorus Sontagius* omnes in hanc rem ingenii nervos intendit, ut illis, quantamcunque posset, lucem fœneraretur. Hac fini excusserat commentaria ac versiones Judæorum æque ac Christianorum, collectisque illorum suffragiis, solícite expenderat, cuinam omnium tutissime accedi posset. Magno vero usui lectoribus fore haud vane opinatus est, si regulas præmitteret *hermeneuticas*, seu *aphorismos generales viginti quinque*; quibus continentur *præcognita quadam necessaria de titulis Psalmorum authenticis*, h. e. illis, quos in Hebræorum Psalterio legere est. His dein subnectere visum fuit titulos omnium omnino Psalmorum, a *δεσπότης* partim & ab Hebraica veritate non nihil deviantes, partim *adjectitios* profus & *supposititios*, prout quidem in versionibus Chaldaica, Græca, Syriaca, Arabica, Æthiopica & Vulgata Latina exhibentur.

tur. Addidit heic noſter ſub paginarũ finem ſcholia, quibus tum phraſes, tum ſcopus veterum illorum Interpretum haud parum illuſtrantur, Succedit tandem princeps operis hujus pars, *Diatriba* nimirum *ſexaginta ſeptem*, totidem titulis explicandis deſtinatæ. Quorum plerique quidem authentici ſunt; nonnulli tamen e verſionibus admixti, qui, et ſi parte ſecunda inter ſui ſimiles jam jam recenſiti fuerant, rariori nihilo minus aut elegantiori loquendi formula accuratiorẽ prolixiorẽque diſquiſitionem mereri videbantur. Cujus generis ſunt **רצו** **ענין** *carmen occurſum*, quo nomine Rabbinis *Psalmus XCI* venire ſolet, & *פאלמוס ענין אסעווס* *psalmus pro eccliaſi*, quem titulum *Psalmo XXXI* dederunt Septuaginta viralis ac Vulgata Latina; unde de illo p. 610. de hoc p. 683. cum cura agitur. Imo & viginti duæ Alphabethi Hebraici literæ, quæ totidem ſectionibus *Psalmi CXIX* præfiguntur, itemque vox finalis *Sela*, in quatuor diatribarum argumentum adhibita deprehenduntur. Poſtquam vero doctiſſimus Autor ſingulis locis ex ſanctioris philologiæ penu largiſſima manu adſperſit, quæ illuc facere credidit, coronidis loco titulum hæc tenus explicatum pericopæ cuiſdam Evangelicæ dominicali aut feſtivali ſuccincte applicat; monſtratque, qua ratione in Homiliis ſacris exordiorum vices commode ſubire queant. Hac de cauſa diatribæ non eo ordine ſeſe inuicem inſequentur, quo textus illarum in *Psalterio* diſponuntur, ſed eo, quem Evangelicarum lectionum anniverſaria ſeries poſtulabat. Quod ſi ſerici bibliicæ potior ratio habenda fuiſſe videatur, commodum ſubjungitur *index* docens, qua pagina quilibet titulus exponatur; nec locupletiſſimus rerum & verborum index omiſſus fuit.

**REFLEXIONS PHILOSOPHIQUES ET THEOLOGIQUES,**  
*ſur le nouveau Systeme de la Nature & de*  
*la Grace.*

id eſt:

**REFLEXIONES PHILOSOPHICÆ ET THEOLOGICÆ IN**  
*Systema novum de Natura & Gratia. Liber ſecundus, de or-*  
*dine Gratia.*

Colonia, 1686, in 12.

Gg 2

Dispu-

Disputatorum, quos jam sæpe nominavimus, *Arnaldi & Malebranchii* nomina, in titulis licet omiſſa, abſque diſſimulatione produuntur ab Approbatoribus *ſecunda hujus partis*, Theologis Mæghlinienſibus, qui tam aperte Arnaldi ſententiam tuentur, ut dicant *Systema Malebranchii erroribus plenum, & ex Philoſophia male intellecta hauſtum eſſe, eique optent, ut oculos tandem ad lucem hujus libri aperiat, & ſecundum verba Auguſtini (epiſt. 143) quia non valuerit omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœniteat qua cognoverit dicenda non fuiſſe.*

De præfatione libro præmiſſa aliquid relatum eſt, cum Malebranchii nuperas epiſtolas recenſeremus. Inſeruit ei Arnaldus ad exemplum Antagoniſtæ librorum catalogum, quibus inter ſe certarunt, & quos legi debere putat ab iis, qui de cauſa quam tractant judicare velint; poſcit dein ſpeciatim, ad quæ legitime reſpondere adhuc debeat Malebranchius, repellitque ejus excuſationem, ſi videri velit (ut jam jaçtaverit) ex obſequio potius erga amicos, quam cauſæ diſſidentia ſiluiſſe. *Liber hic ſecundus* (de primo in Actis A. 1686. p. 183. diximus) capitibus XXXIII abſolvitur. Quatuor priora directa ſunt adverſus aſſertum Malebranchii, *quod Deus in creatione mundi nullum aliud propoſitum habuerit, nec habere poterit, quam ſtabilimentum Eccleſiæ.* Hoc neque ex Scriptura probari poſſe dicit Arnaldus, neque principium, ex quo illa aſſertio deducitur, ſubſiſtere: Neque enim ideæ de Deo neceſſario ineſſe, quod pro certo ſupponit Malebranchius, *ut Deus nihil extra ſe agat, niſi ad procurandum ſibi cultum ſe dignum*, unde ſequatur, Chriſtum incarnandum fuiſſe, ut talem cultum Deo præſtare poſſet ob unionem naturæ humanæ cum Verbo infinito: negat hoc Arnaldus, nec plus neceſſario ex idea iſta ſequi affirmat, quam quod Deus omnia ex mera bonitate faciat. Confirmat id ex *Thoma & Auguſtino*, itemque ex *Eſtio*: reprehendit etiam, quod Malebranchius honorem vel cultum dignum Deo ab homine præſtari neget; aliter enim loqui Scripturas, dignitatem, ſanctitatem & perfectionem cultui, qui ab hominibus præſtari debet, tribuere. Peccare igitur illum contra ſuas ipſummet regulas, & de Deo loqui more humano, quaſi utilitatem & operæ pretium in omnibus quærat actionibus. Aſſert de in c. IV. ex præcipuis patribus Græcis & Latinis clara teſtimonia, quod docuerint, *Verbum non fuiſſe incarnandum, ſi Adam non peccaſſet*; & quia iſti cum

cum Malebranchio plane non consentiant, arguit inde, ideam ejus de Deo non esse veram, cum patres precibus illis internis, quas semper exaudiri docet Malebranchius, utique non minus, quam ille ad assequendam veritatem usi sint, nec minorem ratiocinandi facultatem habuerint. Jam e. V. ad systema de Gratia accedens, iterum monet, defectum autoris, & quod suæ legi contravenerit, Deo agendi modum ex humano ingenio præscribendo. Dein c. VI hypothesein Malebranchianam delineat, & in propositiones *tredecim* distribuit; suam vero cap. VII. proponit, in *otto* propositiones redactam, quas ex Augustini sententia de gratia & prædestinatione sequi putat. Cap. VIII & IX ex Malebranchii ipsius libris quædam loca adducit, per quæ doctrinæ Augustini consentire, & Pelagianismum ac Semipelagianismum serio averfari videatur: quanquam ante ortam hæresin Pelagii incautius locutos esse, & patres Græcos, & ipsum Augustinum, & naturaliter fere omnes ad errorem Pelagii propendere agnoscat. C. X. sententiam Prosperi pro se adducit, & Malebranchium in errorem incidisse putat, dum nimis indulgeret speculationibus Metaphysicis, nec quod in aliis reprehendit ipse caveret, incautas nempe de libertate hominis locutiones, aut præjudicia ex præsumptione de viribus naturæ concepta. Examinat c. XI. speciatim, an idem sentiat Malebranchius, quod Augustinus ex S. Paulo Rom. IX. & XI. quod judicia Dei circa electionem hominum sint impenetrabilia, idque negat, & c. XII. duo quæri de Dei judicio notat, *primum*, cur aliquos induret, aliis misericordiam faciat; *alterum*, cur hunc potius, quam illum induret, aut ejus misereatur. Ad primum responderi posse cum Paulo, *liberrimum fuisse id Deo, sicut figulo liberum est diversa vasa formare;* ad secundum autem respondisse Apostolum per admirationem & allegationem *impenetrabilitatis*: hæc vero confudisse existimat adversarium, & ad secundum etiam quæsitum, respondendi modum, qui Paulum latuerit, excogitare voluisse, novo illo systemate suo. Disputat per occasionem adversus sententiam *Reformatorum*, quod justificati omnes perseverent, & quod fide divina certitudo perseverantiæ credi debeat, & ex Augustino (qui donum perseverantiæ a Deo ex causis plane impenetrabilibus dari, aut negari statuit) docere vult, quod fideles de perseverantia dubitare, & pro ea obtinenda tota vita orare Deum debeant. Cap. XIII. de prædestinatione & præscientia ex Prospero tractat, contra Semipelagianos, qui pro una habebant



utramque: *prædestinare* scribit Deum & *præscire*, *quæ ipse facit, præscit* *resed non prædestinare, quæ permittit*, v. g. peccata. Itaque *præscientia* (ait) *includitur prædestinationi*, *nostroque concipiendi modo, hæc est posterior, quia ideo Deus prævidet futura, quia ipse, ut fierent, decrevit*. Secundum hæc intelligi aut corrigi debere, quæ Malebranchius scripsit, quod prædestinatio electorum præsupponat præscientiam operum, quæ facturi sint auxilio gratiæ; ita enim vera hæc esse, si intelligantur de auxilio gratiæ efficacis per se. Sed capite XIV doctrinæ orthodoxæ congruere negat, quæ pro ratione iudicii divini noviter invenit Malebranchius, quod Deus pro sapientia sua non agat voluntate particulari, & quod hanc voluntatem pro cæca & imperiosa habeat, quæ Deo non conveniat. Afferit autem Arnaldus cap. XV. contra hoc dogma ex Augustino & Prospero, quod Deus utique particulari & benevola voluntate electionem & prædestinationem faciat, & explicat dicta Pauli ad Eph. I, 5. 6. & c. II, 4. 5. 9. in quorum priori Paulum a principio ad effecta descendere dicit, in altero ab effectis ad principia redire. Addit ejusdem Apostoli doctrinam ad Rom. VIII. 28. 29. 30. cui plane non convenire dicit tradita Malebranchii de simplici illo agendi modo, quem Deo tribuit. Subjungit denique explicationem difficillimi capituli IX ad Rom. ad quod veluti ad scopulum semper allisos esse dicit prædestinationis gratuitæ inimicos. Quoniam vero Malebranchius argumenta ex dictis Scripturæ pro voluntate particulari, exceptione sua de anthropologiis elidere solet, & dicta ista per alia, quæ de voluntate Dei generali loquantur, explicari debere contendit, cap. XVI objectiones illas vehementer impugnat Arnaldus, & negat, ul- lum dictum ex Scriptura afferri posse, quo probetur, Deum in electione, aut in prædestinatione & sanctificatione electorum, voluntate generali agere. Censet ergo, totam adversarii machinam non nisi idea illa Dei, quam concepit, niti, adeoque petitionem principii esse; inhærendum itaq; sensui literali dictorum esse monet, & ad anthropologias confugi non debere, nisi de sensu methaphorico aperte constet. Cap. XVII. monstrat, opinionem adversarii cum doctrina Augustini minime convenire, & hunc ad objectam ab hæreticis acceptionem personarum, quam ex dogmate de electione absoluta colligebant, alio plane modo, quam Malebranchium ex hypothesis de voluntate generali, respondere. Non vult tamen huic propterea Pelagii hæresin imputare, Pluribus  
verq

vero cap. XVIII refellit ejus asserta, ubi eadem se docere dicit, quæ S. Paulus & Patres docuerint, & cap. XIX ostendit, voluntatem illam Dei particularem; quam is cæcā & cerebrosam vocat, eam ipsam esse; quam Apostoli & patres Deo tribuant, ignari plane novæ illius de Deo ideæ. Ne vero ea, quæ hucusque adversario opposuit, pro *Jansenismo* traducantur, ex tribus recentibus autoribus, qui de hac materia Gallice scripserunt, dicta sua de prædestinatione gratuita firmatum it, adscriptis *Amelossi, Thomassini & Porcii* locis. Cap. XX imo & *Jesuitas*, quanquam de gratia statuant, quæ probanda non sint, teneri tamen asserit, ex decreto *Generalis sui Claudii Aquaviva* An. 1613. publicato, ad docendam prædestinationem gratuitam. Monstrat inde cap. XXII. male factum a Malebranchio, & ad *Protestantium* potius, quam Catholicorum exemplum, quod patrum, & imprimis Augustini testimoniis omissis, solum ex ratiocinatione & Scripturis hypothesein suam stabilire voluerit. Post hæc regulas sive propositiones Malebranchii, quas capite VIII formaverat, sub incudem revocat, & verba Scripturæ, quæ dicunt, *Deum velle, ut omnes homines salventur*, de voluntate absoluta, non conditionali; vocabulum verò *omnes* ita explicat, ut citatis Patrum & Theologorum autoritatibus, homines non in universum omnes, sed *omnis generis & conditionis*, id est electos significet. Objectioni verò Pelagianorum longe melius cum Paulo & Augustino, quam ex hypothese Malebranchiana occurrere posse statuit. Hanc vero c. XXIV & XXV plurimis rationibus destruit, refutans etiam novissimam ejus exceptionem in responsione ad *dissertat. suam de miraculis Vet. Test.* ubi dixerat: *Deum quidem regulariter ut causam universalem agere, sed particulari voluntate uti, si ordo id postulet.* Postulari enim ait omnino particularem voluntatem, si verum esset principium, quod Deus omnes salvos esse velit, & quod Christo propositum sit templum spirituale Ecclesiæ quam maximum & amplissimum facere. Indicat cap. XXVI contradictionem ex principiis adversarii, dum ex una parte statuit, Deum generaliter velle salutem omnium, ex altera, quod per sapientiam suam invincibiliter prohibeatur, ne particulari voluntate propositum illud exequatur; imò pro blasphemia fere habet, quod dicat, *minus decere Deum particulari voluntate agere, quam generali*, cum tamen fatente adversario, particulari egerit in *creatione universi*, & in *formatione animantium*, & etiamnum ea agat in *parandis miraculis*. Pro-

nuntiat

nuntiat itaque, temerarium & insolens esse de secretis Dei, & quid eum magis minusve deceat, judicare ex sola idea Entis perfecti, sine revelationis divinæ adminiculo. Sic enim judicantes paganos, doctrinam de Christo pro stultitia habuisse. Adducit insignem Episcopi Meldensis locum *ex dissertatione de hist. universali*; arguit inde multa, quibus libertati Dei per ideam istam novam derogetur. Denique repetita per compendium adversarii argumentatione, etsi concedatur, quod Deus voluerit omnes homines salvos fieri, deinde quod se atque sapientiam suam naturaliter quasi & necessario magis amet quam homines, adeoq; agere teneatur modo sapientiæ suæ convenientissimo; negat tamen subsumi debere, aut probari posse, Deum modo se non digno agere, si salutē hominum particulari voluntate procuret; imo si verum sit primū illud assertum, quod Deus velit omnium hominum salutem, sequi potius, ut teneatur omnibus, adeoq; & particularibus modis eam procurare, aut si hoc non faciat, manifestum esse, primum illud assertum, quod omnes salvos velit, non esse verum, nec demonstratum. Cum vero Malebranchius sæpe pro ratione alleget, Deum ita agere debere, *ut character attributi sui magis appareat*, indeq; deducat, ex voluntate particulari attributa divina non æque, quam ex generali apparere; hoc assertum cap. XXVII in disquisitionem vocat, multisque rationibus impugnat: nobilius enim & dignius esse ait, Deum particulariter velle & statuere, quam solum exequi voluntate generali, quod causa occasionalis exequendum suppeditet; & quod in opere salutis Deus sit supremus architectus, Christus vero ut homo voluntatis divinæ executor. Dein attributa divina, sapientiam & immutabilitatem, minus recte intelligi & explicari dicit ab autore novi systematis, & male omitti cætera attributa, ad quæ in negotio salutis respici debeat, voluntatem liberrimam, potentiam, misericordiam, justitiam & bonitatem. Miratur itaque cap. XXVIII, cur *Episcopus ascalonitanus suffraganeus*, & *censor librorum Moguntinus* approbaverint, laudaverintque librum *Meditationum Christianarum* a Malebranchio editum, & deceptos esse putat ambiguitate terminorum generalium; nec fatis penetrasse, quo sensu iis utatur Autor, qui eo tendat, ut Deum nihil agere statuat, nisi quatenus voluntas ejus generalis determinetur a causa occasionali, ideoque nec in conversione hominis finem particularem habeat, aut bonitatem specialem erga eum exercent, sed solummodo sequatur determinatio.

nationem causæ occasionalis ; cum tamen hæc opinio directe contradicat D. Paulo , qui docet Deum operari in nobis & velle & perficere, *pro bona voluntate*. Phil. II, 13. Verum esse ait cap. XXIX, nec Theologis ante Malebranchium incognitum, Deum leges generales in ordine gratiæ sibi præscripsisse, quas ordinarie sequatur, sed non sequi, quod non agat nisi voluntate generali, nec, quod infert Malebranchius, Deum tentari, nisi ejus sententia probetur. Adducit & laudat locum ex tractatu, cui titulus est *Comatus sive specimina moralia*, (*Essays de Morale*) ex quo conciliari optime posse putat decreta Dei, cum officio hominum in sequendis mediis salutis. Falli igitur adversarium, dum putet probari ex usu mediorum, quod Deus solummodo agat voluntate generali, determinanda a causa occasionali ; *argumentum enim ideo non procedere, quia determinatio illa causæ occasionalis, in negotio salutis non pendet ab homine*: alias ejus desideria, preces aut contritiones gratiam mererentur aut allicerent, & ita salutis initium facerent, id vero dicere, esset Pelagianum : omnia enim ista (ait) a Deo sunt, *non solum gratia ipsius collatio, sed & preparatio ad gratiam*. Etiam si vero inter media salutis aliquod videatur esse causa occasionalis alterius, talis tamen non est respectu Dei. Omnia enim media, nullo excepto, simpliciter sunt a Deo; unde sequitur, Deum omnia, & particulariter, minime vero generaliter & prout a causa occasionali voluntas ejus determinatur, agere. Notat hic, Malebranchium causam occasionalem in Christo ponere, sed etiam illam assertionem Scripturæ & rationi plane adversari, *in libro tertio ostensurum se esse promittit*. Cap. XXX, refellit prætextum Adversarii, quod ex sua hypothese *Deus amabilior fiat hominibus*: neq; enim ideo licere ex regulis revelatis egredi cum periculo incidendi in alia extrema, quod, monente Augustino, accidit v. g. iis, qui ut Deum amabiliore ob misericordiam facerent, etiam dæmones salvaturum esse statuebant. Ita errasse ex Reformatis *Brugierium*, a se refutat, qui Dei amorem exaggeraverit, quod eo electos etiam mortaliter peccantes complectatur. *De bonitate enim Dei ita sentiendum esse, ne violetur ejus sanctitas*. Quapropter nihil effici existimat figmento illo aut prætextu, neq; scrupulum eximi iis, qui vel bonitatem, vel potentiâ Dei desiderant, si aut nolit omnes salvos fieri, aut non simpliciter efficiat, ut fiant. Postremis tribus capitibus XXXI, XXXII, XXXIII, recapitulatione nervosa argumentis & demonstrationibus Adversarii, tam a priori

quam a posteriori, respondet, notatque speciatim, quod is tandem ipse fateatur, principium illud, *quod Deus non agat voluntate particulari, ex ratiocinatione, non vero ex dictis Sacrae Scripturae dependere.* Dein de gratia Christi, quam ex Augustino definit *inspiracionem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*, ejusque efficacia quaedam monet, ex doctrina Thomistica, per quae objectionibus Malebranchii satisfieri putat. Efficaciam autem gratiae confitetur ipse; sed ad eum modum & effectum, ad quem data est: licet enim non semper salvet eum, cui datur, effectum tamen non carere, v. g. si malo homini detur aliquis gratiae gradus, ut moderatior fiat in vitiis, quae fidelibus nocitura essent; peccatoribus etiam vere & finaliter convertendis non detur una vice omnis gratia, sed tantum quantum placet, donec tandem complementum ejus accipiant, quo salventur. Unde apparere ait, Deum semper voluntate particulari agere, diverso licet gradu aut fine. Objectionem vero Adversarii, quod gratia non satis efficax ad salutem noceat homini, eumque pejorem & inexcusabiliorem faciat, impiam esse, nam culpam ob neglectam gratiam malitiae hominis imputari debere, non minus ac indurationem, qualem de Pharaone narrat Scriptura, cujus causa tamen fuerit Pharaos; etsi Deus praeviderit ejus & aliorum indurandorum malitiam & perveraciam. In summa, negat nova Malebranchii hypothesi, a sapientia Dei per causas generales operantis deducta, difficultati occurrere, quae ab omni tempore Theologos exercuit, tam Catholicos, quam quos putat haereticos, de conciliatione gratiae universalis cum effectu particulari, & si ista hypothesi alicujus valoris esset, & ex ratiocinatione metaphysica erui potuisset, dubitandum non esse, quin dudum Doctores Ecclesiae illam invenissent. Concluditur narratione de judicio sapientis & docti Episcopi cujusdam, qui lecto *Tractatu Malebranchii de natura & gratia*, verbis Augustini usus fuerit: *nova sunt quae dicitis, mira sunt quae dicitis, falsa sunt quae dicitis*; sed addit, quae is reticuerat: *nova cavemus, mira stupemus, falsa convincimus.*

JOH. ADAMI SCHERZERI, THEOLOGI LIPSIENSIS PRIMARIi, *Breviarium Theologicum Hülsemannianum, Enucleatum atque Auctum.*

Lipsiae, apud Joh. Christoph. Tarnovium, A. 1687, in 4

Inter

**I**nter ea, quæ *B. Hulfemannus*, Theologus primum Wittebergensis; deinde Lipsiensis primarius, deque tota Ecclesia meritissimus, Orbi Literato reliquit divini ingenii sui monumenta, non postremum est Breviarium ejus Theologicum, anno hujus seculi XL sine supplemento, cum eo post octennium editum, ac deinde semel iterumque, hic alibique recensum. Multa vero cum paucis complexus esset, nervoseque expressisset Autor ingenii judicii que maximi; legentium autem non pauci plenius pleraque planiusque deducta legere percuperent: non gravatus fuit ipse Adnotationes publice in cathedra subicere; quæ cum aliis non dissimilibus ejus scriptis A. LXXIIX, studio ac cura *B. Scherzeri*, uno in Volumine publici juris sunt factæ. Verumenimvero cum ne sic quidem exhausta essent omnia, quæ nervosissima profunditate ac sublimitate viderentur contineri; idem facile passus est sibi hoc, quicquid est, oneris imponi, ut sua ope atque opera, quicquid quasi latuisset hactenus, extraheretur omnino claresque luci publicæ exponeretur. Debebat nimirum hoc affectui suo in *B. Hulfemannum*, præceptorem de se optime meritum; debebat precibus ac monitis amicorum, quos inter ipse *B. Calovius*, gener Hulfemanni, cujus literas, quas ex hac causa ad ipsum dederat, nos quoque vidimus atque legimus. Postquam itaque intra privatos parietes primum, coram frequentissimo Auditorio, hunc laborem A. LXXIX & LXXX maximam partem absolvisset, & post pestem, qua sæviente hoc flum abrumperere coactus fuerat, residuum adjecisset; de hoc suo utilissimo labore typis imprimendo cogitavit quidem, sed morte præventus, quasi posthumum eum commisit illis, ad quos ulterior ejus cura pertinebat. His vero adcurantibus, sub ipsum hujus anni auspiciam in publicum produit, ita quidem, ut in eo textus Breviarii in singulis capitibus atque supplementis, se junctus hactenus atque dispersus, sit unitus & expositus, dicta S. Scripturæ olim citata tantum, in formales & manifestas probationes, adjecta exegesi necessaria maximeque utili, appareant redacta, & errores Adversariorum, qui modo nominati fuerant, legantur expressi, ac dictorum Biblicorum rerumque Indices perquam accurati sint subjuncti. Præterea, ne quid nullo modo deesse videretur, toti Operi præfationem, singulisque Capitibus Tabulas præmisit Vir Maxime Reverendus *D. Val. Alberti*; qui etiam, ut reliqua, quæ *B. Scherzerus*, affinis ipsius, dum viveret, conjunctissimus, ad proclum subeundum apta

maturaque reliquit, scripta Orbi Literato decenter communicari possint, nihil prorsus in se desiderari patietur.

*HIERONYMI FABRICII AB AQUAPENDENTE OPERA  
omnia Physiologica & Anatomica.*

Lipsiæ, Sumptibus Johannis Friderici Gleditschii,

A. 1687, in fol.

**E**Tiamsi censeri possit, editorem præsentium operum præposteris consiliis usum fuisse, quod vetusta hæc scripta, delicato hoc tempore, de novo imprimi curaverit; ubi innumeri Apollineæ arti addicti adeo fastidientis sunt stomachi, ut nil penitus nisi nova admittant, antiqua cuncta, vel solo nomine audito, statim averfantes & respuentes: nihilominus cum hæc absurda nausea non sit adeo univèrsalis, quin cordatiores Medici hodie etiam ex antiquorum scriniis veritatem situ licet squalidam depromere gaudeant; idcirco ipsos non solum calculo suo probaturos hanc editoris curam, sed etiam opus hoc avidè expecturos speramus. Commendat enim illud fese Lectoribus non uno ex capite, imprimis tamen raritate sua singulari. Hactenus namque vix centesimum Medicorum cuncta hæc Anatomica scripta legisse aut saltem vidisse, si dixerimus, a veritate aberrabimus nulli. Factum autem hoc est, quod seorsim partim superiori seculo, partim circa initium præsentis, illa in Italia luci fuerint exposita, adeoque jam pridem in bibliopolarum tabernis, apud quos prodierant, disparuerint. Et licet postmodum Francofurtenses, Regiomontani, & non multis abhinc annis Amstelodamenses, quædam illorum typis iterum descripserint, nondum tamen singula publici omniumque juris sunt facta, ut maxima pars eorum, æque ac hæc, ad manus paucissimorum pervenerit. Cæterum possemus quoque opera præsentia ob eruditionem multifariam ac doctrinam oppido raram de prædicare, utpote quæ jam dudum quam plurima docuerunt, de quibus nostri ævi scriptores tanquæ noviter inventis triumphant; alit quoniam de hisce æque ac aliis Auctoris encomio inservientibus præfatio Dn. D. Bohnii P. P. in nostra Phylurea celeberrimi, operibus hisce præfixa sufficienter loquitur, nihil amplius addimus, ne præter rem videamur nimii. Accipe ergo solum L. B. syllabum tractatum, quibus opera hæcce constituuntur.

Primus

Primus est de formatione ovi & pulli; sequuntur deinceps de formato fetu, de gula, de ventriculo, de omento, de varietate ventriculorum, de intestinis, de mesenterio, de venarum ostiis, de respiratione & ejus instrumentis, de oculo, de aure, de larynge, de locutione, de brutorum loquela, de motu locali animalium secundum totum, de gressu, de volatu, de natatu, de reptatu, de musculi fabrica, actione & utilitatibus; de articulorum structura, actione & usu, & denique de integumentis totius animalis. Ad calcem operis index rerum & verborum locupletissimus est adjectus, tractatibus vero ipsis copiosæ figuræ æri insculptæ ad explanationem textus facientes insertæ deprehenduntur non inelegantes.

**HORTI ACADEMICI LUGDUNO BATAVI CATALOGUS**

*Plantarum, auctore Paulo Hermanno, Medicina ac  
Botanices Professore.*

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutenfeint,  
A. 1687, in 8.

**N**ihil solidi ex Botanicis a temporibus Dioscoridis, imo ipso Theophrasti ævo, orbem vidisse literarium, in turpe antiquitatis opprobrium commemorat Fabius Columna. Nos jam contrarium optimo jure affirmamus, postquam nempe *Zannonius, Syenius, Morisonus, Muntingius, Breynig, Ammannus, Dodartus, Triumfettus, Rajus*, & nunc quoque *Hermannus* artem hanc excolere, intimiusque in plantarum ac fruticis naturas penetrare cœperunt. Remotis namque fatali credulitate, vana persuasione, ridiculaque superstitione, nomina olim herbis imponentibus, ex solo naturali caractere rectius singularum plantarum fieri appellationem demonstrarunt. Non vacat speciatim Botanicorum supra nominatorum insolitos labores examinare, dignisque præconiis extollere; Hermannus solummodo notitiâ plantarum exquisitam, studiumque rei herbariæ summum in præsentiarum deprædicabimus. Hicce enim postquam a teneris statim unguiculis studio Botanico animum applicuisset, fundamentis hujus scientiæ tam in Germania, quam Italia aliisque regionibus positis, ad Indos quoque excurrere non detrectavit; ubi etiam per aliquot annos hærens, non minus perfectam ac raram herbarum exoticarum notitiam sibi comparavit. Et ne forsan L. B. ex affectu nos hæc pro se credas, inspicere, quæso,



maturaque reliquit, scripta Orbi Literato decenter communicari possint, nihil prorsus in se desiderari patietur.

*HIERONYMI FABRICII AB AQUAPENDENTE OPERA  
omnia Physiologica & Anatomica.*

Lipsiæ, Sumptibus Johannis Friderici Gleditschii,  
A. 1687, in fol.

**E**Tiamsi ceneri possit, editorem præsentium operum præposteris consiliis usum fuisse, quod vetusta hæc scripta, delicato hoc tempore, de novo imprimi curaverit; ubi innumeri Apollineæ arti addicti adeo fastidientis sunt stomachi, ut nil penitus nisi nova admittant, antiqua cuncta, vel solo nomine audito, statim aversantes & respuentes: nihilominus cum hæc absurda nausea non sit adeo universalis, quin cordatiores Medici hodie etiam ex antiquorum scriniis veritatem situ licet squalidam depromere gaudeant; idcirco ipsos non solum calculo suo probaturos hanc editoris curam, sed etiam opus hoc avidè expecturos speramus. Commendat enim illud sese Lectoribus non uno ex capite, imprimis tamen raritate sua singulari. Hactenus namque vix centesimum Medicorum cuncta hæc Anatomica scripta legisse aut saltim vidisse, si dixerimus, a veritate aberrabimus nulli. Factum autem hoc est, quod seorsim partim superiori seculo, partim circa initium præsentis, illa in Italia luci fuerint exposita, adeoque jam pridem in bibliopolarum tabernis, apud quos prodierant, disparuerint. Et licet postmodum Francofurtenses, Regiomontani, & non multis abhinc annis Amstelodamenses, quædam illorum typis iterum descripserint, nondum tamen singula publici omniumque juris sunt facta, ut maxima pars eorum, æque ac hæc, ad manus paucissimorum pervenerit. Cæterum possemus quoque opera præsentia ob eruditionem multifariam ac doctrinam oppido raram deprædicare, utpote quæ jam dudum quam plurima docuerunt, de quibus nostri ævi scriptores tanquã noviter inventis triumphant; aut quoniam de hisce æque ac aliis Auctoris encomio inservientibus præfatio Dn. D. Bohnii P. P. in nostra Phylurea celeberrimi, operibus hisce præfixa sufficienter loquitur, nihil amplius addimus, ne præter rem videamur nimii. Accipe ergo solum L. B. syllabum tractatum, quibus opera hæcce constituuntur.

Primus

Primus est de formatione ovi & pulli; sequuntur deinceps de formato fœtu, de gula, de ventriculo, de omento, de varietate ventriculorum, de intestinis, de mesenterio, de venarum ostiis, de respiratione & ejus instrumentis, de oculo, de aure, de larynge, de locutione, de brutorum loquela, de motu locali animalium secundum totum, de gressu, de volatu, de natatu, de reptatu, de musculi fabrica, actione & utilitatibus; de articulorum structura, actione & usu, & denique de integumentis totius animalis. Ad calcem operis index rerum & verborum locupletissimus est adjectus, tractatibus vero ipsis copiosæ figuræ æri insculptæ ad explanationem textus facientes insertæ deprehenduntur non inelegantes.

**HORTI ACADEMICI LUGDUNO BATAVI CATALOGUS**  
*Plantarum, auctore Paulo Hermanno, Medicina ac  
 Botanices Professore.*

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutensteijn,  
 A. 1687, in 8.

**N**ihil solidi ex Botanicis à temporibus Dioscoridis, imo ipso Theophrasti ævo, orbem vidisse literarium, in turpe antiquitatis opprobrium commemorat Fabius Columna. Nos jam contrarium optimo jure affirmamus, postquam nempe Zannonius, Syenius, Morisonus, Muntingius, Breynig, Ammannus, Dodartus, Triumphetus, Rajus, & nunc quoque Hermannus artem hanc excolere, intimiusque in plantarum ac fruticum naturas penetrare cœperunt. Remotis namque fatali credulitate, vana persuasione, ridiculaque superstitione, nomina olim herbis imponentibus, ex solo naturali caractere rectius singularum plantarum fieri appellationem demonstrarunt. Non vacat speciatim Botaniconum supra nominatorum insolitos labores examinare, dignisque præconiis extollere; Hermannus solummodo notitiâ plantarum exquisitam, studiumque rei herbariæ summum in præsentiarum deprædicationibus. Hicce enim postquam a teneris statim unguiculis studio Botanico animum applicuisset, fundamentis hujus scientiæ tam in Germania, quam Italia aliisque regionibus positis, ad Indos quoque excurrere non detrectavit; ubi etiam per aliquot annos hærens, non minus perfectam ac raram herbarum exoticarum notitiam sibi comparavit. Et ne forsitan L. B. ex affectu nos hæc pro se credas, inspicere, quæso,

ipse catalogum, & nisi veritatis impudentissimus fueris hostis, aut plane peregrinus in Botanicis, dubio sine nobiscum fateberis, nostri temporis Botanicorum facile principem esse Hermannum. Quo vero prægustum saltim aliquem habeant Botanophili, antequam ad manus ipsorum perveniat hoc scriptum, sciant hanc methodum adhibuisse Auctorem, ut juxta Alphabeti seriem nomina plantarum horti Lugdunensis suis legitimis characteristicis notis convenientia recenseat, reliquis, synonymis puta, virtutibus, aliisque ad historiam spectantibus omissis. Ne tamen propterea manca sit illarum descriptio, hinc inde auctoris cujusdam librum ac paginam, qui sufficienter ea pertractavit, allegat. Sed cum plures præterea plantas a nemine hucusque descriptas Noster quoque suo in horto coluerit, nomina quædam excerpta e catalogo, æstimatoribus exoticarum plantarum dabimus. Sunt vero ipsa *Aloes Americana minor*, *Albaa ricini folio Virginiana*, *Cardiaca Americana annua nepeta folio floribus brevibus pbrniceis villosis*, *Cnicus perennis cœruleus Tingitanus*, *Colutea Zeylanica argentea tota*, *Convolvulus maritimus Zeylanicus folio crasso cordiformi*, *Crotalaria birsuta minor*, *Geranium Africanum folio ibisci, betonice, alchimilla, uva crispa*, *Milium Indicum arundinaceo caule granis flavescensibus*, *S nigris*, *Nerium angustifolium Indicum floribus odoratis simplicibus*, *S plenis*, *Nux juglans Virginiana nigra*, *Tulipifera arbor Virginiana*, *Viola Indica scandens nasturtii sapore maxima odorata*, *Jasminum Americanum trifolium odoratissimum flore albo*, *Narcissus Zeylanicus flore albo hexagono odorato &c.* Plures equidem potuissemus æque raras nominare plantas, sed brevitati studentes in his acquiescimus. Scias interim de omnibus hæc, tam recensitis quam omissis rarioribus vegetabilibus, descriptionem absolutam & ut plurimum delineationem etiam inseruisse Autorem. Tabulis hinc ultra centum affabre incisæ æri hortum hunc chartaceum exornatum reperies; & quandoquidem aliquot inter eas plantas antehac minus accurata manu expressæ fuerint ab aliis, exquisitas magis illarum figuras hic quoque observabis.

'T GEBRUIK VAN HET RECTANGULUM CATHOLICUM geometrico - astronomicum, &c.

hoc est:

Ufus

MENSIS MAJI A. M DC LXXXVII. 247  
USUS RECTANGULI CATHOLICI GEOMETRICO ASTRO-  
nomici, Autore Henrico Casparo Nuis, Jcto.  
Swollæ, apud Gerh. Tydemann, anno 1686, in 4.

**Q**uod Mathematicis circinus proportionum, astrolabium, sciote-  
rica universalia, quadrantes geometrici astronomicique, & similia  
organa alia operæ præstant, id omne Autor Instrumento unico, in  
præsenti tractatu descripto, pollicetur, usque; ejus tribus libris demon-  
stratò Lectori palam facere contendit. Instrumenti delineationem,  
citra præceptorum adjunctionem non perinde omnibus conducturâ,  
consulto hic omisimus: ejus vero exempla, ex ære affabre concinnata,  
Swollæ apud *Wilhelmum Braimerum* mechanicum parabili pretio  
venum prostantia, Autor in præfatione operis emtoribus commen-  
dat.

Usum porro Instrumenti facile conjiciet, qui organorum supra  
memoratorum rationem perspectam habet: ut adeo præter summi  
Librorum capita nihil hic necesse sit commemorare. Est autem liber  
primus totus fere geometricus, in resolvendis problematis linearum,  
planorum & corporum communioris usus occupatus: paucis praxi-  
bus intermixtis, ad architectonicam militarem, staticam & geodasiam  
spectantibus. Secundus Gnomonicus est, & præmissis sciotericorum  
fundamentis & principiis, Rectanguli usum in invenendis, meridiano,  
elevatione poli, de et inclinationibus planetarum; erigendo scioterici  
stylo; designandis super quoque plano lineis horariis, circulis azimu-  
thalibus; parallelis horizontis & æquatoris, domorum coelestium;  
duplici ut plurimum ratione docet, quomodoque idem etiam be-  
neficio circini & regulæ efficiatur; ostendit: sciotericorum et-  
iam ex diversis planis aut irregularibus constantium, & reflexorum  
describendorum modum breviter innuit. Adjectæ vero sunt problè-  
matibus duorum horum librorum demonstrationes ubique geometri-  
cæ. Tertius Geometrico-Astronomicus Triangula spherica recta et  
obliquangula ministerio Rectanguli hujus resolvit, & præcepta hæc  
variis problematis primi mobilis, juxta certa data, accommodat. Ho-  
rologium deinceps universale mobile describit, ejusque usum distinctis  
propositionibus explicat, & coronidis loco problemata quædam a-  
stronomica, & geographica peculiari ratione per circinum & regu-  
lam solvere docet.

LEITE.

Sarnelli.

i. e.

POMPEJI SARNELLI EPISTOLÆ ECCLESIASTICÆ.

Neapoli, impensis Antonii Bulifonis, A. 1686, in 4.

**D**uplicem epistolarum harum decadem ad Acta superioris mensis pag. 172. seqq. retulimus. Nunc de reliquis. Epistola igitur

XXI Dissuadet Sarnellius, ne quisquam, sobolis educatione aut re familiari neglecta, orationi mentali nimium incumbat, cum ea non præcepto divino, sed consilio tantum evangelico nitatur, quatenus non tam mentis attentionem ad preces, quæ ore proferuntur, quam actum notet intellectus humani res divinas absq; oris aut precum ministerio *contemplantis ac meditantis*. His enim vocibus promiscue utitur Noster, cum Molinistæ illas distinctissimas esse velint, qua de re supra p. 19. pluribus egimus. Hinc hæreseos *Messalianorum & Illuminatorum* illos postulat, qui istud pietatis exercitium in se bonum absolute ad salutem necessarium vocare audent. Ingenue autem profiteatur, præcipua argumenti hujus capita hausisse se *ex opusculis de oratione Christiana*, Eminentissimi Cardinalis, Fr. Laurentii Brancati de LAUREA, cujus etiam nomini volumen hoc epistolarum inscripsit.

XXII. Autoritate c. VIII. cum beatus, dist. 45, conciliorum item *Liptensis, Agathensis, Narbonensis, &c.* pronuntiat, licere episcopo poenam flagrorum clericis, fornicationis, ebrietatis & id genus aliorum criminum reis infligere.

XXIII. S. S. Maccabæos haud injuria inter Christianorum martyres reponi, inde probat, quod eorum religio non alia fuerit a Christiana, cum vitæ æternæ spem habuerint, 2. *Maccab. VII. 9. 11. 14.*, & standum sit Nazianzeni dicto, *neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.*

XXIV. In promovendis ad dignitates ecclesiasticas non natales, sed virtutem, sed eruditionem respici cupit.

XXV. & XXVI. De Archidiaconorum & Archipresbyterorum munere agit. Observat heic ante omnia, ab Apostolis quidem septem tantum Diaconos universo Christiano orbi, ab Evaristo autem

Roma-

Romano Episcopo totidem diaconos singulis civitatibus datos. Cum vero diaconorum numerus cum Christiana religione incrementa majora indies habuisset, opus fuisse, ut boni ordinis ergo, illorum seniori titulus ac dignitas *Archidiaconi* canone 58 concilii Niceni conferretur. Hujusmodi *secundi ordinis ansistitem*, (prout archidiaconum compellere amat Sidonius Apollinaris l. IV. ep. 11. & 25.) de ornando templo, de litibus componendis, de bonis ecclesie administrandis olim sollicitum fuisse, testibus c. 57. Syn. Laodiceæ & Prudentio in hymno in divum Laurentium docet. Vertente tempore affectasse archidiaconos proximum ab Episcopo gradum, majori jure archipresbyteris competentem. Quamvis enim plus simplici vice & sigillatim anno adhuc 866, in concilio Emeritano c. 10. decretum fuerit, quod archipresbyter primum inter secundi ordinis clericos locum, alterum archidiaconus, tertium primicerius obtinere deberent; quapropter Romæ hodiernum basilicæ S. Joannis Lateranensis, S. Petri, & S. Mariæ Majoris, non archidiaconorum, sed archipresbyterorum Cardinalium imperio subsint: nihilominus episcoporum familiaritate, opibusque, quas fidei suæ crediderat ecclesia, abusos prævaluisse archidiaconos, adeo ut in concilio Toletano, (quod in decretalibus citatur *cap. ut Archipresbyter, de officio Archipresbyteri*,) decreto cautum fuerit, *ut archipresbyter sciat se subesse archidiacono*. Cæterum, cum olim archidiaconi ordinandos examinassent, facile iis fuit ad Episcopi ordinantis quæstionem: *scio, illum dignum esse?* respondere: *Scio & testificor, illum dignum esse*. At, cum archidiaconi sequiorum seculorum examinis molestiam in alios dudum devolvissent, sæpe etiam nec ex aliis de profectibus ordinandi compertum quicquam haberent, hoc tamen non obstantè ex veteri formula testarentur, se scire illum dignum esse; hinc, ne quis illorum conscientis scrupulus injiciatur, ex Innocentii III responso ad episcopum Auriensem Sarnellius monet, *archidiaconum de eo testari debere, quod dignus sit, quem indignum esse non sciat*.

XXVII. Præfectum scholæ cantorum ex minorum ordinum clericis collectæ, sextuplici nomine gaudere notat. Dicitur enim (1) *antonomastice Cantorem*, quemadmodum proximus ab eo succentor audit. 2) *Præcentorem*, quia introitum præcinat. 3) *Primicerium*. Quamvis enim hic titulus *επιμολογικῶς* cuivis competat, cujus nomen in

*primis ceris* scriptum, quive ordinis sui primus est, uti Deipara *virginum primiceria* Bernardo, Petrus *apostolorum primicerius Augustinus*, Stephanus *martyrum primicerius* salutantur: stylo tamen ecclesiastico *primicerius* absque addito est cantorum præfectus, quemadmodum hoc nomine venit Gratiano *can. perlectus, dist. 27.* & Gregorio IX. *l. 1. Decretal. tit. XXV.* qui est *de officio primicerii.* 4) *Paraphonistam.* 5) *Protopsaltam.* 6) *Confisso.* prout appellatur c. 9. concilii Toletani primi. (*confiteri* enim exponitur per *psallere* in hoc psalmi IX v. 2. 3. *confitebor tibi, Domine, — — & psallam* nomini tuo, Altissime.

XXVIII. Ordinatos ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis aut simoniacis, illicite quidem, valide tamen ordinatos esse contendit.

XXIX. Laudat, quod cilicio aut habitu monachali, signo poenitentiae, induantur moribundi & defuncti.

XXX. Linguae Latinae ignaros ab ecclesiasticis muneribus arcendos, operose inculcat.

XXXI. Agit de *baptismo solenni*, sic dicto non ob majorem ceremoniarum apparatus, sed quod certis tantum anni temporibus, & quidem a solis Episcopis detur.

XXXII. De *jeuniis*, quadragesimali, sabbatico, quatuor temporum non temenda affert.

XXXIII. Probat, sacerdotes defunctos cum habitu sacerdotali sepeliendos esse.

XXXIV. Quæritur: *an votum castitatis solenne a Religioso professore præsumptum, auctoritate Pontificis relaxari possit?* Affirmandam questionem suadere videntur exempla 1.) *Ramiri*, quem ex sacerdote regem Arragoniae, maritum & successoris sui parentem factum fuisse, autor est Ancharanus consil. 329. 2.) *Constantia* monialis Siciliarum hæredis, cui Alexander III juxta *Jurium*, aut Cælestinus III juxta *Cajetanum*, indulget, ut Henrico Friderici Barbarossæ filio nuberet. 3.) *Nicolai Justiniani*, qui licentia ab Alexandro III impetrata, cœnobio egressus uxorem duxit, genuitque filium *Laurentium Justinianum* inter sanctos relatum, narrante *Surio* tom. I. d. 8. Jan. in vita Laurentii. 4) *Casmiri* monachi olim *Cluniacensis*, Poloniae hæredis, cui Benedictus IX veniam dedit matrimonium ineundi, teste *Mart. Cromero* l. 4. de rebus Polonorum. Negativam autem tuetur Sarnellius, quia Eccle.

Ecclesiæ non liceat facere ex religioso non religioso, ob *Lev. XXVII, 9. 10.* itemque *c. cum ad monasterium, de statu monachorum*, ubi dicitur: *susodia castitatis adeo annexa est regula monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Exempla in contrarium adducta omnia spuria esse censet, quod uti probet, videre placet, quo eo magis historiarum ac genealogiarum sua constat integritas. Exemplum enim *primum* adeo falsum esse, ut *Petrus Soro* de iustitia & jure, qu. ult. art. 7. lib. 7. neget in ullo Hispanorum Chronicorum id reperiri. De eodem Marianam l. X. c. XV. dubitare. Quendam apud Sylvestrum in voce *Votum* n. 4 dicere, Ramirum aut nunquam, aut non sponte, votum professum fuisse. *Ad secundum* cum *Odorico Raynaldo* respondet, Constantiam non monialem, sed in monasterio educatam fuisse; neque enim *Godefridum, Hugonem Ealcandum, Arnoldum, Romualdum, Neubrigensem*, alios e veteribus, horrendam illam circumstantiam silentio prætermitturos fuisse. Nec Papam illi matrimonio favisse, cum Tancredo Henrici æmulo magis favisse eum constat. Porro, cum Constantia d. 27. Jan. 1186. nupserit Henrico, (*Godefrido* teste,) necesse esse, ut aut *Urbanus III*, aut antecessor forte ejus *Lucius III* (non *Alexander III*, aut *Cælestinus III*) hujus rei veniam dederint. (3) *Bernardum Justinianum* in vita avunculi sui S. Laurentii Justiniani apud Surium sibi met ipsi contradicere, dum asserit, *Nicolaum* Laurentii patrem dispensationem impetrasse ab *Alexandro III*, *Laurentium* vero beneficio *Eugenii IV* episcopum fuisse factum; cum tamen *Alexander III* obierit a. 1181, & *Eugenius IV* Papa fuerit creatus a. 1151; unde mira Justinianorum longævitas consequeretur. (4) *Votum Casimiri* quosdam a *Benedicto IX*, quosdam a *Clemente II* solutum tradere. *Baronium* a. 1041 rem narrare, sed fide *Longini*. Unde etiam constat, votum illud susceptum non sponte, sed necessitate urgente; quapropter, cum mutato regni statu, per legatos ad regnum revocaretur, *incredibili gaudio affectus fuerit*; quæ ipsius *Longini* verba sunt.

XXXV. Excerpta dat libri recens conscripti, & quantum constat, hæc inediti, *de anno natiuitatis Christi*. Videtur digna esse nobilissima hæc controversia, de qua pluribus Autorem illum anonymum *Sarnellio* interprete differenter audiamus. Præmissis variorum sententiis dicit, Christum natum esse *sub finem anni Juliani XXI, anno ante aram vulgarem V, Augusti XL ex quo exercitus profuit, ac*



*primis ceris* scriptum, quive ordinis sui primus est, uti *Deipara virginum primiceria* Bernardo, Petrus *apostolorum primicerig Augustino*, Stephanus *martyrum primicerius* salutantur: stylo tamen ecclesiastico *primicerius* absque addito est cantorum præfectus, quemadmodum hoc nomine venit Gratiano *can. perlectus*, *dist. 27.* & Gregorio IX. *l. 1. Decretal. tit. XXV.* qui est *de officio primicerii.* 4) *Paraphonistam.* 5) *Protopsaltam.* 6) *Confessoem*, prout appellatur c. 9. concilii Toletani primi. (*confiteri* enim exponitur per *psallere* in hoc psalmi IX v. 2. *confitebor tibi, Domine, — — & psallam* nomini tuo, Altissime.

XXVIII. Ordinatos ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis aut simoniacis, illicite quidem, valide tamen ordinatos esse contendit.

XXIX. Laudat, quod cilicio aut habitu monachali, signo poenitentiae, induantur moribundi & defuncti.

XXX. Linguae Latinae ignaros ab ecclesiasticis muneribus arcendos, operose inculcat.

XXXI. Agit de *baptismo solenni*, sic dicto non ob majorem ceremoniarum apparatus, sed quod certis tantum anni temporibus, & quidem a solis Episcopis detur.

XXXII. De *jejuniis*, quadragesimali sabbatico, quatuor temporum non temenda affert.

XXXIII. Probat, sacerdotes defunctos cum habitu sacerdotali sepeliendos esse.

XXXIV. Queritur: *an votum castitatis solenne a Religioso professum, auctoritate Pontificis relaxari possit?* Affirmandam questionem suadere videntur exempla 1.) *Ramiri*, quem ex sacerdote regem Arragoniae, maritum & successoris sui parentem factum fuisse, autor est Ancharanus *consil. 329. 2.* 2.) *Constancia* monialis Siciliarum hæredis, cui Alexander III juxta *Jurium*, aut Cælestinus III juxta *Cajetanum*, indulgit, ut Henrico Friderici Barbarossæ filio nuberet. 3.) *Nicolai Justiniani*, qui licentia ab Alexandro III impetrata, cœnobio egressus uxorem duxit, genuitque filium *Laurentium Justinianum* inter sanctos relatum, narrante *Surio* tom. I. d. 8. Jan. in vita Laurentii. 4.) *Casmiri* monachi olim *Cluniacensis*, Poloniae hæredis, cui Benedictus IX veniam dedit matrimonium ineundi, teste *Mart. Cromero* l. 4. de rebus Polonorum. Negativam autem tuetur Sarnellius, quia Eccle.

Ecclesiæ non liceat facere ex religioso non-religiosum, ob *Lev. XXVII, 9. 10.* itemque *c. cum ad monasterium, de statu monachorum*, ubi dicitur: *custodia castitatis adeo annexa est regula monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Exempla in contrarium adducta omnia spuria esse censet, quod uti probet, videre placet, quo eo magis historiarum ac genealogiarum sua constet integritas. Exemplum enim *primi* adeo falsum esse, ut *Petrus Soto* de iustitia & jure, qu. ult. art. 7. lib. 7. neget in ullo Hispanorum Chronicorum id reperiri. De eodem Marianam l. X. c. XV. dubitare. Quendam apud Sylvestrum in voce *Votum* n. 4 dicere, Ramirum aut nunquam, aut non sponte, votum professum fuisse. *Ad secundum* cum *Odorico Raynaldo* respondet, Constantiam non monialem, sed in monasterio educatam fuisse; neque enim *Godfridum, Hugonem Falcandum, Arnoldum, Romualdum, Neubrigensem*, alios e veteribus, horrendam illam circumstantiam silentio prætermisuros fuisse. Nec Papam illi matrimonio favisse, cum Tancredo Henrici æmulo magis favisse eum constat. Porro, cum Constantia d. 27. Jan. 1186. nupsit Henrico, (*Godfrido* teste,) necesse esse, ut aut *Urbanus III*, aut antecessor forte ejus *Lucius III* (non *Alexander III*, aut *Cælestinus III*) hujus rei veniam dederint. (3) *Bernardum Justinianum* in vita avunculi sui *S. Laurentii Justiniani* apud Surium sibi met ipsi contradicere, dum asserit, *Nicolaum Laurentii* patrem dispensationem impetrasse ab *Alexandro III*, *Laurentium* vero beneficio *Eugenii IV* episcopum fuisse factum; cum tamen *Alexander III* obierit a. 1181, & *Eugenius IV* Papa fuerit creatus a. 1151; unde mira Justinianorum longævitas consequeretur. (4) *Votum Casimiri* quosdam a *Benedicto IX*, quosdam a *Clemente II* solum tradere. *Baronium* a. 1041 rem narrare, sed fide *Longini*. Unde etiam constat, votum illud susceptum non sponte, sed necessitate urgente; quapropter, cum mutato regni statu, per legatos ad regnum revocaretur, *incredibili gaudio affectus fuerit*; quæ ipsius *Longini* verba sunt.

XXXV. Excerpta dat libri recens conscripti, & quantum constat, hæcenus inediti, de anno natiuitatis *Christi*. Videtur digna esse nobilissima hæc controversia, de qua pluribus Autorem illum anonymum *Sarnellio* interprete differentem audiamus. Præmissis variorum sententiis dicit, *Christum natum esse sub finem anni Juliani XLI, anno ante æram vulgarem V, Augusti XL ex quo exercitus profuit, ac*

*XXVI* post fata Cleopatra; Herodis *XXXIV* ex quo Antigonus mortuus, at *XXXVII* ex quo Regnum ipsi concessum fuerat. A. V. C. 749; anno quarto Olympiadis 193. A cataclysmo universalis 2344. ab orbe condito 4000. Periodi Juliana 4709. ab initio hebdomadam Danieliticarum 450. Augusto Cas. XI. aut XII. & L. Corn. Sulla II. Coss. Propositionem hanc suam probat eo, quod nativitas Christi integri fere anni intervallo præcesserit Herodis mortem. At hanc contigisse anno Juliano *XLII*. Ergo illam anno *XLI*. Prius nititur hypothesi e veteri traditione desumpta, Christum natum esse d. 25. Decembris. At inde usque ad finem anni supererant quinque modo dies, quorum spatio adventum magorum & lanienam Bethlehemiticam includere absurdum est; unde consequitur, Christum alio anno natum, alio Herodem denatum fuisse, cumque hic obierit septimo mensis Casleu, sive die 25. Novembris, ( quapropter Judæis illum sacrum esse, *Isserius ex Liveles*, & *Liveleus ex Megillath Taanith* notarat, ) oportet ad minimum undecim mensibus, seu Decembri anni Jul. *XLI* ante mortem Herodis genitum esse Jesum. Neque enim Christi nativitatem ab obitu Herodis distare longius putat, forte, quia antequam Christus ex Ægypto revocaretur, Herodem jamjam ad plures abiisse, ex Matth. II. 19. liquet. *Posterius* seu quod Herodes A. J. *XLII*. obierit, hinc probat rationibus. 1) Obiit is, juxta *Josephum Ant. Jud. XVII. 10.* anno 37, ex quo rex a Romanis creatus, anno autem 34, ex quo Antigonum regno & vita exuisset. Atqui illud Octobri anni Jul. VI, hoc anno Jul. IX factum esse, idem Josephus author est. Incidit hinc in Novembrem Anni Juliani *XLII* annus ultimus incompletus Herodis, h. e. 37 a regni auspiciis, & 34 a morte Antigoni; quemadmodum 36 regni, & trigessimus quartus a morte Antigoni, Octobri ejusdem Anni Jul. *XLII*, terminatus fuerat. Urget (2) anno emortuali Herodis, Lunam eclipsin passam esse dirissimam ac Hierosolymis conspicuam. Tale quid autem contigisse A. Jul. 42. circa pascha, 13. Mart. hora 3. ante Solis ortum. Ergo anno 42 Herodem obiisse. Nam eclipses annorum 43 & 44, aut non veras aut non conspicuas fuisse. Multo minus huc pertinere eclipsin anni Jul. 45; incidit quippe ea 10 Jan. in noctem, quæ Sabbatum auspicabatur; at ea non licuisset capitis sententiam ferre in Judæos, quibus, ne Sabbato in jus vocarentur, indulserant Romani. Atqui Josephus l. XVII. A. J. c. 8. *Ceterum* (inquit) *Hero-*

*Herodes, post mulctatum Matthiam sacerdotio; alterum Matthiam seditionis auctorem ejusq; socios vivos exussit, in quam noctem etiam defectus Luna incidit.* (3) Archelaus, Herodis filius & successor, deportatus est Viennam, regiminis sui anno X. ineunte. *Josephus l. 2. de B. l. c. 6. & l. 7. A. J. c. 15.* Atqui, *Dione teste l. 55.* contigit id M. Æmil. Lepido; L. Aruntio Coss. h. e. A: Jul. 51. Subtractis ergo annis 9. completis ab annis 51 Julianis, remanent 42. (4) Quirinus eodem tempore Archelai facultates fisco addidit, quo censum egit. At census actus (juxta Joseph. l. XVIII. Ant. c. 3.) anno 37. post victoriam Actiacam; obtentam C. Cæsare III, Messala Corvino Coss. die 2. Sept. h. e. Anno Jul. XV. Addantur jam 15 ad 37. Summa erit 52, qui annus coincidit cum Archelai decimo ineunte. Sublatis vero 10 a 52, remanēbit annus 42; quo per Herodis mortem ad Archelaum tetrarchia devenit. Hæ ferè rationes sunt, quibus sententiam suam Anonymus ille roboravit. Quæ feliciter, Lector judicet. Hypotheses enim, *Christum natum die 25. Dec. & Herodem denatum die 25. Novembris*, Eruditis non paucis ulteriori probatione egerē visæ sunt, e quibus laudasse sufficiat summum, dum viveret, Philologum; *Christianum Noldium*, cujus Historiam Idumæam seu de vita & gestis Herodum Diatriben, Franequeræ 1660. editam; cum dictis contulisse, Lectorem non pœnitebit. Subjungit dehinc Sarnellius objectiones cum responsionibus Chronologi sui; quashuc transcribere prolixum nimis foret. Epistola

XXXVI Probat; convenire Canonico, ut clericos grammaticam edoceat.

XXXVII Imagines sacras, præcipue Christi, Deiparæ, Petri & Pauli qua ratione depictas cupiat, edisserit. Solide dehinc, epistola

XXXVIII Liberationem animæ Trajani, ex inferno per præces S. Gregorii impetratam; fabulam esse evincit.

XXXIX. Ecclesiam Latinam & Græcam in doctrina de Sacramentis ordinis, pœnitentiæ & matrimonii, horumque tum materia, tum formatione adeo a se invicem dissidere statuit, ac videntur. Denique Epistola

XL catalogum duplicem textit. *Primum Romanorum Pontificum ac Cardinalium ordinis Prædicatorum*, quorum primus est *Hugo de S. Caro*; creatus 1244. mortuus 1264: Ultimus seu *quingagesimus tertius est Rainmundus Capisuechius*, creatus Kal. Sept. 1681. alterum,

*rum Pontificum & Cardinalium familiae illustrissimæ Ursinorum*, quorum omnium primi sunt *Stephanus III & Paulus III*, fratres germani, ambo Cardinales, ambo Pontifices. Mortuus ille 26 Apr. 757: hic 29. Jun. 767. Ultimus sive *trigesimus primus* est Fr. *Vincentius Maria Ursinus*, Cardinalis creatus 22 Febr. 1672.

Perduximus hoc modo ad finem. Excerpta Voluminis hujus, quod quum *prodromum* tantum cæterarum suarum epistolarum doctissimus Autor vocarit, non possumus non voluminum nondum editorum duci desiderio, æque ac *Antiquæ Basilicographiæ*, quam ad prælumpatam habet. Neque enim minorem gloriam inde sperare poterit clarissimus Vir, ac ex iis, quæ hæcenus edidit. Edidit autem, quantum novimus, primo *Speculum Cleri secularis*, sive vitæ SS. Clericorum Secularium, opus tripartitum, cujus *parte prima* continentur vitæ SS. Clericorum primæ tonsuræ, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum & Diaconorum; *parte secunda* vitæ Sacerdotum; *parte tertia* elogia Presbyterorum vitæ sanctimonia illustrium: impressum illud est Neapolî apud Ant. Bulifonem 1678. 1679. in 4to. Conferri de eo poterit *Diarium Eruditorum Romanum*, 1678. p. 98. & 1679. p. 57. Edidit porro *Chronologiam Episcoporum & Archi-Episcoporum Sipontinorum*, Manfredoniæ 1680. Edidit denique, quos Epistola XIV. allegat, *Commentarios in ritum S. Missæ*, & si quæ forte sunt alia. Sed hæc omnia potiore civium suorum ratione habita, Italico sermone conscripsit, quæ si Latine extarent, majori usui forent universis Reipublicæ literariæ civibus.

*ANTIQUITATES APOSTOLICÆ, OR, THE HISTORY of the holy Apostles, and the two Evangelists S S. Marck and Luke, by William Cave &c.*

seu

HISTORIA SANCTORUM APOSTOLORUM, DUORUMQUE, insuper Evangelistarum Marci & Lucæ, per Wilh. Cave, Th. D. & Capellanum Regis Ordinarium. Editio Quinta.

Londini, apud R. Royston, 1684, in fol.

Ali-

**A**liquoties quidem jam materiam nobis suppeditavit præclarissimus hic Autor, commemoratis doctissimis ejus scriptis insignem, ipsius in historia præsertim ecclesiastica cognitionem atque dexteritatem deprædicandi, speciatim in *Actis anni 1685. pag. 85. & 117. & anni 1686. pag. 165. & 177*: non possumus tamen quin de novo nunc in scenam ipsum producamus, postquam elegantissimi hujus, quod exhibemus, scripti non ita pridem nobis copia obtigit. Tametsi vero id serius non nihil ad nos delatum doleamus, nec diffiteri queamus, quanta jam vice recusum, adeoque haud novum esse: nihilominus tantum abest, ut ex ejus recensione nauseam lectori suborituram metuamus; ut potius multorum adhuc gratiam hoc ipso promerituros nos speremus, ad quos forte libri, Anglico quippe idiomate conscripti, notitia penetrare hactenus non valuit. Est autem ille, teste rubrica, Continuatio alius cujusdam scripti, quo sub titulo *Antiquitatum Christianarum* historiam Vitæ ac Mortis sanctissimi Salvatoris *Jer. Taylor* pertractaverat; quemadmodum vicissim majus illud *de Patribus primitiva Ecclesia* opus, in *Actis Mensis Feb. 1685. p. 85.* memoratum, tertiumque superiori anno in Anglia, ut accepimus, recusum, præsentis hujus Apostolicæ Historiæ Continuationem esse *Cavius* voluit. Protestatur in præfatione se coactum quasi & importunis amicorum precibus sollicitatum potius, quam spontaneo motu operi huic semet accinxisse, eò quod hac ratione *Ægyptio* velut labori, lateres sine stramine parandi, sese subditum fore prævideret, ob autorum nempe defectum ac deplorandum istud plerarumque Ecclesiæ antiquitatum, quod dudum passum sumus, naufragium. Fatetur quidem, libro materiam haud fuisse defuturam, si promiscue scriptores quoscunque, frivolos etiam & fabularum plenos, nominatim *Abdiam Babylonum, Passiones Petri & Pauli, Joachimum Perionium, Petrum de Natalibus* & similes in consilium adhibere voluisset; at cum piæ istorum fraudes, nimis plerumque nugis adornatæ ipsi minime arriserint; optat, ut potius antiqua *Hegeppi Commentaria, Clementis Alexandrini Institutiones, Africani Chronographia* aliaque hujusmodi melioris notæ scripta superessent, plenius quippe satisfactura lectori curioso & harum rerum avido; cujus appetitum quidem ab iis, quæ de temporum istorum historia manserunt reliqua, incendi, famem tamen neutiquam sedari posse lubens agnoscit. Cæterum nec diffitetur, Autores in concinnandis hisce gestis a se con-

sulcos

sultos uti non unius generis, ita nec ejusdem auctoritatis aut fidei esse: ut ut enim magna materiæ pars scriptoribus *Ἱεραρχειῶν* debeatur, hausta quippe cum ex quatuor evangeliiis, tum ex actis apostolorum a Luca consignatis; (unde & priorum duorum, Petri nempe & Pauli historia, ut in sacris uberius exhibita, vitas reliquorum longe excedit mole) nihilominus ob horum parvitatem necessum sibi fuisse ait ad Patrum quoque scripta recurrere, tam genuina, quam putantia, quibus nec ipsis tamen in hisce facti saltem materiis omnem derogari posse fidem autumat. Denique nec superfedere se omnino potuisse fatetur scriptis mediolorum & recentiorum seculorum, quæ fabulas quidem alicubi intermiscere, plures tamen insimul solidiores ac vero haud ab- similes narrationes continere visa sint; quorsum refert *Symeonem Parapbrasten*, *Nicephorum Callistum*, *Menaam* item & *Menologia* Ecclesiæ Græcæ. Ad præparandum vero melius operis ipsius tractationem, Discursum præmittit Introductorium, de tribus illis majoribus Ecclesiæ Dispensationibus, Patriarchali nempe, Mosaica & Evangelica, ubi in brevi velut schemate statum rerum in præcedentibus Ecclesiæ periodis accurate depingere satagit, ut apparet, quibus gradibus status Evangelicus fuerit introductus, & quam Deus in qualibet ætate methodo usus fuerit in monstranda hominibus via pietatis atque virtutis. Nimirum non historicum hoc in libro nude agit Autor, sed ubi vis data occasione pia etiam dogmata & regulas sanctioris vitæ sedulo inculcât, lectoremq; adeo suum non doctiorem solum, sed & probiorem dimittere allaborat: quemadmodum etiam in vitis singulorum apostolorum, quorum epistolas reliquas habemus, non omisit loca horum, difficiliora simul tangere, eorumq; obscuritatem diluere: uti speciatim plurima Pauli *ἑρμηνεία*, præcipue circa articulum justificationis, ex primæ istius ecclesiæ facie & statu controversiarum tunc temporis maxime vigentium, perquam commode deducit ac explicat.

Porro de ipsis libri contentis, quorum quidem plurima haud alibi passim habebis obvia, multa hic verba facere non erit opus, maxime cum liber non nunc primum prodeat speciminis tamen loco unum alterumq; quod cursoria nobis lectio obtulit, allégasse haud pigebit. Ac ex Discursus quidem Introductorii tripartiti *primò capite*, ubi de Dispensatione Patriarchali sermo est, inter alia notamus, Autorem in ea esse opinionem, quod sabbatum non mox a tempore creationis, sed ex lege

ex lege demum per Moſen lata ſua habuerit incunabula, cum fatentibus id antiquioribus Judæis & Patrum plurimis, per univerſa Patriarcharum tempora ne minimum quidem ejus extet veſtigium. Id enim quod *Gen. 2. v. 3.* habetur, aut per proleſin quandam à Moſe dictum eſſe exiſtimat, ſiquidem id ad ſabbathum aliquod hebdomadarium referri debeat; aut, quod verius & textui æque ac praxi iſtius ævi magis accommodum putat, nullo plane ad id reſpectu habito, id ſaltem inferre, quod Deus benedixerit ac ſanctificaverit illam ſaltem diem ſeptimam, eo quod tunc omnia ſua opera in creatione hominis compleviſſet, utpote in quo, tanquã in corõide creationis magnifica, ipſe ſe ſuo modo ſanctificare intenderit, *pag. 10.* Circa finem *ſecundi capituli* Oeconomiam Moſaicam exhibentis, ubi de variis Judæorum traditionibus diſcurrendi occaſio eſt, præſertim Pharifæorum (in quorum ſectæ incunabulis definiendis inſignem a Chronologis Judaicis antichroniſmum committi notat, dum ſtatuunt, eam cœpiſſe temporibus Tiberii Cæſaris & Ptolemæi Philadelphi, quaſi hi ſynchroni fuiſſent, qui 260 ad minimum annis diſtent, *pag. 53.*) inter alia tractat de officioſo iſto voto Corban, cujus mentio fit *Marc. 7. v. 11.* idque non, ut vulgo creditur, in eo conſiſtiſſe ait, quod quis univerſa ſua bona ſacris uſibus ac Deo conſecraſſet: ſed innuit ibidem certam votorum ſpeciem, cujus veſtigia in Rabbīnorum ſcriptis frequentiſſima extant, quamque **דָּוָן רָבָא** ſeu *votum interdicti* appellaverint, qua mediante ſe intuitu ſolum certarum perſonarum & rerum adſtringere fuerint ſoliti, v. g. quod hoc vel illud officii genus ab hoc vel illo amico recipere nullo modo poſthac vellent, quod hanc vel illam rem huic vel illi homini uſpiam commodare, aut ejus uſibus concedere nollent; quali voto ſemel emiſſo, utut ex inconsiderato impetu, æque nefas reputarint illi contravenire, ac ſi *corban* ſeu rem ſolemniter Deo dedicatam attigiſſent: tale itaque votum interdicti, importuna parentum inopum mendicatione forte a tenaci & ingrato filio elicitum, in iſto textu intelligendum eſſe contendit, *pag. 51.* In *tertio capite* ſeu tractatione de Evangelica diſpenſatione, quando de Baptiſmo agit, probat etiam, in veteri teſtamento baptiſmi frequentiſſimum uſum fuiſſe, præſertim in adoptatione proſelytorum; dum in maſculi quidem converſione tria, circumciſio nempe, baptiſmus & ſacrificium euchariſticum, in foemina vero duo, baptiſmus & oblatio fuerint requiſita: imo quod Rabbī



bini annotent, ubicunq; vestium lotio imperata legatur, ibidem baptismum junctum reputari, *pag. 60.* Hæc ex discursu præliminari. Jam ut de ipsius etiam libri argumentis quædam allegemus, Autor in ipsa quidem vitæ *Petri*, quæ agmen ducit, descriptione fatetur, multa esse, quæ quæstionem, an Petrus unquam Romæ fuerit, dubiam reddant, quamvis ipse nihilominus in affirmativam inclinet: at in subjuncta appendice (quæ nunc noviter accessisse videtur; quemadmodum & in aliis partibus hæc editio prioribus auctior laudatur,) plenius deducit, ob plurima antiquorum testimonia commode non posse negari, quod Apostolus hic Romam venerit, quamvis paucis ante mortem ejus annis id factum putet: & cum hæc in re contrarium repererit *Frid. Spanhemium*, in peculiari dissertatione *de temere credita Petri in urbem Romanam professione*. anno 1679 Lugduni Batavorum edita, pluribus ostendit, ejus contradictionem non frustraneam solum & periculosam, ob labefactam tot antiquorum fidem, sed & inutilem esse, dum ex quæstionis hujus concessione debite restricta nil quicquam causæ Pontificiorum accedat, *pag. 59. seqq.* In vita porro *Pauli*, ubi de ara Dei incogniti Athenis reperta sermo est, integram istius inscriptionem ex *Oecumenio* hanc fuisse allegat: ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ ΚΑΙ ΑΙΒΥΤΗΣ ΘΕΩΝ ΑΓΝΩΣΤΩΝ ΚΑΙ ΖΕΝΩΝ. Ut alia, quæ hanc in rem affert, taceamus. *Vid. pag. 81. seqq.* In historia *Johannis* ex *Bellonio* narrat, in insula *Pathmo* a Græcis monachis hodiernum ostendi manum hominis cujusdam mortui, a qua resecti ungues continuo recrefcere soleant, quam quidem Turcæ unius ex ipsorum Prophetis fuisse contendunt, Monachi tamen illi perhibeant ipsius *Johannis* manum esse, qua apocalypsin ibi locorum consignaverit, *pag. 157.* In vita *Matthæi*, ex publicano apostoli, ostendit, istud officii genus apud Judæos quidem summe exosum fuisse, in tantum ut pro peccato non habuerint, telonio præfectum adhibito etiam perjurio circumvenire: at e diverso apud Romanos sat honorificum habitum esse, & vix aliis nisi equestribus dignitatis hominibus concreditum: quoniam refert, *T. Fl. Sabino*, *Vespasiani Cæsaris* patri, teloniis provinciarum Asiaticarum præposito, statuas in honorem erectas fuisse, cum inscriptione ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, *pag. 180.* Quoad *Bartholomæum* observat, præter nudum nomen nil quicquam de eo in historia Evangelica referri, indeq; cum quibusdam conjicit, ipsum sub aliq; adhuc nomine ibidem latere, idque

idque probabiliter non aliud, quam Nathanaelis esse auguratur. Allegat certe hujus opinionis rationes haudquaquam temnendas, primo quod Johannes nusquam Bartholomæi, reliqui evangelistæ nullibi Nathanelis mentionem faciunt; deinde quod uti a Johanne Philippus Nathanaeli ratione accessus ad Christum & primæ vocationis jungitur, ita apud reliquos tres in recensioe duodecim apostolorum Philippus Bartholomæo constanter ad latus ponitur; ulterius quod in apparitione Christi resuscitati prope lacum Tiberiadis, Nathanael expressis verbis in medio aliorum apostolorum recensetur; denique quod nulla appareat causa, quare in supplendo per sortem Judæ proditoris loco Nathanael, toties tamen cum Salvatore conversatus, non inter candidatos simul recensitus fuerit, nisi jam tum antea in apostolorum collegio locum habuisset. Nathanaelis ergo nomen proprium ipsi fuisse autumat, alterum vero Bartholomæi aut patronymicum fuisse (more isti genti perquam familiari, uti Petrus etiam Bar-jona, Joseph Bar-sabas, Josef Bar-nabas vocatur) aut sectæ cujusdam, cui antea addictus fuerit, appellationem: Tholmæanorum enim ordinem inter sectas illius ævi haud ultimum locum obtinuisse probat, ut hac ratione Bar-tholmæi idem significarit ac filius seu discipulus Tholmæanorum, pag. 174. Plura hujusmodi excerpere non erit opus, cum ex his, quæ hæcenus allata sunt, abunde de reliquis judicium sumi valeat. Cetero in rubrica jam indicatum est, apostolorum historiarum vitas etiam duorum evangelistarum subjungi, Marci nempe & Lucæ: reliquos enim duos ex ipsorum duodecim apostolorum numero fuisse, nemo ignorat. Denique in fine superpondii loco subnectit Autor Diptycha Apostolica, ut vocat, hoc est succinctam enumerationem & seriem episcoporum, qui per priora tria secula præfuerunt aut præfuisse certe feruntur Ecclesiis Apostolicis, puta Antiochenæ, Romanæ, Hierosolymitanæ, Byzantinæ & Alexandrinæ: ad perfectionem enim pleniorum historiarum apostolorum utique pertinere existimavit, scire quosnam hi in ecclesiis a se plantatis immediate ac proxime successores habuerint.

*ADAMI ADAMANDI KOCHANSKI E SOC. JESU, SERENISS. Polonia Regis Mathematici, MENSURÆ Universalis Magnitudinum ac Temporum. Ad Actorum Erud. Collectores.*

**P**ræterlapsi anni 1686 Mense Decembri, transmiseram Parisios meas aliquot Observationes ad Amicum quendam, rogatum impense, ut eas ipsemet Ephemeridum Gallicarum Collectori in manus traderet: sed cum trimestri jam elapso nihil comperti habeam, utrum eo pervenerint, visum mihi est e re literaria futurum, si eas, prout a me tunc conscriptæ fuerant, ab interitu vindicarem. Ommissa itaque conjectura illa mea de Motu Diurno Telluris, e terræ motu petita, quæ Actis Erud. Lipsiensibus Mense Julio Anni 1685 inserta est, & quam in Gallia, succussionibus ejusmodi magis, quam nostræ regiones obnoxia, notam reddere, & observatores exstimulare cupiebam, reliqua eò tunc transmissa, verbis iisdem, fideliter & integre exscribam, ut sequitur.

*Clariss. & Eruditiss. Viro Ephemeridum Gallic. Collectori &c.*

Non aliud paucis his, quæ Tibi nunc, Cl. Vir, adfero, prætexam patrociniæ præfationemque, quam nos æque natura sciendi cupidos, ac ad ea, quæ scimus aliis enarranda proclives esse. Eo quoque invitant Tua, aliorumque in promovendis scientiis exempla. Quod si non omnes ad extruenda scientiarum palatia, marmor aut gemmas adferimus, etiam sabulum, paleæque leves cæmento hujus ædificiû non erunt, opinor, inutiles.

### I. Nova mensura universalis Temporum.

Quærit hucusque Geometria certam quandam, ac invariabilem Corporum Linearumque mensuram; quæ quidem, opinione mea, in ipsius magnitudinis continuæ natura delitescit, sed non prius eruenda, quam cognita sit, & ad aliquam mensuram revocata quantitas Angulorum Mixtilineorum, quales sunt semicirculorum, segmentorumque: At quia id vicissim certam lineæ rectæ, arcus eos subtendentis, quantitatè præsupponit, nec fortassis alia via indagari potest, difficultas hæc abit in circulum nullo humano ingenio explicabilem. Quocirca Problemati huic solvendo adhibita fuit a nonnullis mensura Temporis a Pendulo petita, cujus vibrationes minuta secunda primi Mobilis, vel horum partes aliquotas adæquant. Et vero improbari minime debet Inventum istud, si debitis cum cautelis in eo procedatur, ac præsertim ut nobis certo constet, Pendula nec ab Atmosphæræ in diversis climatibus varietate, nec a varia centri terræ distantia sensibilibiter alterari; quod an quisquam exploraverit, ignoro: quia tamen  
ejusmo-

ejusmodi penduli inventio hominibus occupatis admodum operosa videtur: nam plurium vicariam opem postulat, unico tentamine non obtinetur, nubibus eluditur &c. idcirco innuam aliud fortasse commodius, cujus ope motus omnes etiam Cœlestes mensurari, ac prædictorum Pendulorum vera quantitas facilius determinari poterit. Observavi ab annis compluribus, candelas usitate cujusvis crassitie, ardentibus in aere libero ac tranquillo; scintillationes, sive subsultationes illas suas ab aere undulatum accurrente ortas, vibrationibus ad sensum æquiditurnis peragere. Inveniatur ergo Pendulum, cujus una vibratio quaternis, aut senis ejusmodi palpitationibus sit æqualis, atque hujus Penduli longitudo simpla vel dupla cum motu diurno fixarum, nec non Solis medio, conferatur: sicut enim habebimus mensuram non e Cœlo, sed ex Elemento ignis nostri sublunaris deductam; quam tamen & ab aliis elementis aliter obtinebimus.

## II. Nova mensura universalis Magnitudinum.

Præter aliam indicatam, est & alia quædam non inelegans hujus indagandæ ratio, ab elemento Aquæ deducta, diversa tamen ab ea, quam T. Livius Burattini, amicus quondam meus, secutus est in suo hac de re tractatu, Italice in Lituania edito: sed quia meam hanc Observationem paucis hic explicare non possum, alteri tempori locoque reservare cogor. Nostræ igitur Arti Geometriæ Practicæ, a naturis Aeris mensuras mutuabimur hoc modo. Prætermittis itaque omnium vegetabilium seminibus, pilis animalium, fibris corporum Microscopio detectis &c. ego spem omnem collocavi in Velucibus. Aptissimas huic negotio crederem pennas ex alis passeris domestici ruralis; supposito tamen quod hæc species avicularum etiam in extremo Oriente, nec non America reperiatur, & quidem ejusdem staturæ cum nostratibus. Refert O. Dappers in sua Africa Germanice edita, passeris ad caput Ponnæ spei reperiri, sed earum pennæ cum nostratibus essent conferendæ. Praxis ad rem præsentem ita esset instituenda. Ex alterutra ala passeris masculi & femine, sumatur certa quædam penna, v. g. tertia & quarta, & ea primum artificio facili in directum extendatur: tum in medio cauliculi, plumulis transversis investiti, capiatur certus quidam numerus intervallorû, quibus transversæ plumulæ ab invicem distant, istæ enim divisiones inservient nobis per modum scalæ cujusdam arti-

ficialis, juxta quam taxari poterunt partes aliquotæ pollicum, aut palmorum pedis Geometrici, ac etiam aliarum Urbium, ac posteritati scripto commendari: non enim mihi credibile videtur, passerulorum nostrorum proceritatem secuturis sæculis immutandam. Cautelas in operando necessarias non enumero, quia perspicacibus loquor. Si quis autem subtiliore, & exactiore scala uti volet, hanc inveniet in iisdem passerum pennis: nam & ipsæmet transversæ plumulæ subdivisæ sunt aliis transversis plumulis, quæ judice rudiore Microscopio, magis æqualibus ab invicem distant intervallis. *Inquirant igitur curiosi*, quibus aut maria trajicere, aut a regionum peritis id intelligere commodum fuerit, utrum passeres & hirundines, aut aliæ aves communes ubique terrarum, & quidem (quod caput rei est) ejusdem cum nostris staturæ reperiantur. Plumulas transversas struthionis, pavonis, ciconiæ &c. relinquendas censeo, quod non sint adeo obviæ, quales esse præstat. Habeo complures alas passerum e diversis Europæ partibus, quæ primo aspectu æquales esse videntur, sed eas per otium diligentius adinvicem conferam. *Pondus universale* tunc primum adferam, cum explicuero artificium illud aquam tractandi initio commemoratum. Id interim silentio minime præteribo, pro pondere universali rudioris minervæ, sumi posse aureos Hungaricos, quos & Ducatos appellamus: hi enim per totum orbem sparsi sunt, & quidem ponderis delectu prius instituto, non admodum inæquales. His igitur utcunque taxari poterunt libræ (pondo) diversarum urbium, etiam in Asia, ubi Anglica Marcarum ponduscula ad manum haberi non possunt.

### III. Mensurarum facilis ad posteros, vel absentes transmissio.

Non abs re fortassis erit hoc loco commemorare, deceptum fuisse W. Snellium, & aliquos cum eo Authores, qui crediderunt, mensuras pedum chartæ madidæ impressas, certa quadam proportione post ejus siccationem contrahi. Certum enim est, chartæ longitudinem magis huic contracturæ subesse, quam latitudinem. *Longitudinem* autem illam voco, juxta quam porriguntur in longum vestigia filorum æneorum, e quibus cribrum aut forma papyri contexta est. *Latitudo chartæ ea est*, quæ prædicta filamenta transversim connectit geminis filis, hinc & inde ad intervallum pollicis circiter. Occasione porro pedis Romani antiqui, a Villalpando in Apparatu Templi chartæ impressi

impressi & genuino pedi plerumque congruentis, exploravi diversas in Europa chartas, & inter eas, illam ipsam Hispanicam Villalpandi, quæ inter omnes minimam passa est a siccatione contracturam secundum latitudinem, in quam Pes ille porrigitur: fortassis autem id accidit ex eo, quod ipsa quidem tenuis sit, licet cribro crassioribus filis contexto formata fuerit; nam in alia quadam ejusdem fortis, at non nihil crassiore, inveni totum Pedem una centesima breviorum eo, quem Roma a Grunbergero nostro, Villalpandi, in calculandis Apparatus Tabulis, adjutore, lapidi subtiliter incisum, exactissime dimensus sum, & in ænea lamina designatum adhuc possideo. Hic tamen alter Pes impressus crassiori chartæ, nec dum compactoris malleum subierat, quem postea passus, defectum illum liberaliter compensavit.

Experimentum illius rei sic institui: e qualibet chartarum infra positarum, sumpsi duas fascias latas 130 Centesimis unius uncie pedis Rhenani, longas autem Semipede Rhën. quartum fasciarum una erat resecta juxta longitudinem, altera secundum latitudinem chartæ. Hæ fasciæ aqua fluviatili madefactæ creverunt juxta numeros adjectos, qui sunt centesimæ partes unius uncie Pedis Rhinlandici.


*Sequentes Chartæ madefactæ creverunt In Longum | In Latũ.*

Romana di Fuligno candida & solida	- - - - 10	- 7.
Hispanica Villalpandi in figura Congii Rom.	- - - - 10	- 5.
Eadem non nihil crassior, de qua superius sermo	- - - - 10	- 7.
Florentina epistolaris, quales & septem consequentes	- 13	- 8.
Genuensis cum tridentis insigni	- - - - 16	- 9.
Italica quædam tenuissima, cum hasta	- - - - 17	- 10.
Gallica cum Cornu Tabellionis	- - - - 10	- 9.
Hollandica præcedentem mentita	- - - - 11	- 8.
Joachimicæ Vallis in Bohemia, candida, tenuis, at compactato		- 13.
Commotovien. in Bohem. probe aluminata, tenuis tamen	14	- 10.
Uratislaviën. in Silesia, tenuis, at compacta	- - - 13	- 10.
Regalis crassa Bohemica	- - - - 14	- 9.
Dantiscana crassa cum Carpionis insigni	- - - - 9	- 7.
Italica Regalis vetusta, ac solide compacta	- - - 10	- 9.
Alia crassis filamentis contexta, & mediocriter crassa	- 13	9½.

Observavi præterea, lineas ac figuras laminis æneis incisas, & cutato

litato prælo Cylindrico in charta expressas, magis ea parte contrahi, qua Cylindrorum violenta pressione charta fuerat in longum distenta, quod non ita contingit in transversum; unde fit, ut circuli præsertim majusculi, laminæ diligenter incisi, & memorato prelo expressi, charta siccata reddantur altera parte contractiores. Sed neq; Ricciolus noster in sua Geogra. Reform. errandi periculum omne sustulit, semipedem Romanum chartæ siccatae imprimi curando; nam hæc ipsa ad aeris alterationes nonnihil mutatur, & tractu temporis non secus ac tabularum lignearum, quin & eboris latitudo, minuitur. Securior itaque modus esset hujusmodi mensuras particulares ad posteros transmittendi, incidendo illas formæ metallicæ, ac tum imprimendo bracteolis illis æris coronarii, quæ ab Italis *Orpello*, a Germanis *Kauschgold* appellantur. Hæc enim non incommodè libris a compactore inseri poterunt. Alteratio illa modica, quam subeunt a calore vel frigore, sensibilem in semipedes non inducet errorem. Si quis tamen e foliis impressis genunas consequi volet mensuras, eas a charta prius humectata, & convenienter extensa, sat exactas poterit impetrare.

Per Epistolam vero commodissime mitti poterit Amico absenti mensura semipedis, vel ejus quadrantis, in chorda tenui ænea, quales in Musicis instrumentis adhibentur; In ejus enim extremis ad intra reflexis fiunt per contorsionem chordæ duo laquei A & B. partes vero contortæ malleo nonnihil tunduntur, ut firmiter cohæreant: tandem extento supra datam mensuram mediocriter filo æneo, ejus extremitates internæ forficula, vel cultello, accurata manu quantum opus est, reciduntur. Inspice adjectam Figuram.



#### IV. Penduli portatilis, ac Horologiorum perfectio.

Vibrationes ejusdè penduli in arcibus inæqualibus inæquales esse, a multo tempore experientia oculis ipsis manifesta didici. Hanc quidè inæqualitatem Cycloidis adminiculo sublatam esse non ignoro, videtur interim mihi Cycloidis usus cum pendulo e fascia appenso, in usus nauticos, ad longitudines Terræ investigandas, ob navis agitationem, nonnihil impeditus esse. Quamobrem construxi horologium, cujus  
rotæ

rotæ ad numeros Astronomicos decurrunt, in eoque duo pendula æqualia appensa sunt ex elateribus chalybeis, mediocriter latis, at facile flexibilibus, & breviusculis quidem, sed qui pro re nata produci nonnihil, vel contrahi possunt, reliquæ pendulorum virgæ sunt rigidæ. Superior autem elateres hos adinstar cycloidis, digressiones & in iis moras pendulis non permittere, sed æquales ad sensum vibrationes peragere: quæ quidem in horologio meo breves sunt. Nam binæ compositæ sive quaternæ simplices uni secundo respondent: verum & in longioribus pendulis e convenienti elatere pendentibus, de felici successu dubitare non licet. *Experiantur itaque navigantes*, annon pendulum elatere huiusmodi sustentatum, altero illo suspenso e fascia cycloidem stringente, sit in mari commodius.

Horologiis rotatis in sacco portatilibus applicueram olim pendulum Magneticum, quod frustra validi magnetis ad vibrationes incitabatur satis æquales; sed quia pondus lapidis gravat, & ferri vicinia æqualitatem vibrationum perturbat, ideo repudiato hoc invento, id tandem effeci, ut horologia parva nunc usitata, quæ librile habent elatere spirali instructum, nulla inter ambulandum vel equitandum agitatione turbentur in suo motu regulari. Appendo enim totum horologii corpus intra suam thecam extimam nonnihil ampliorem, ita ut circa systematis totius axem, librilis axi parallelum, vel circa duos potius ejus polos, aut cuspides, instar Rosæ nauticæ, libere convertatur horologium totum: quo fit, ut nulla agitatio horologii sic appensi ejus librile in suo cursu perturbet, quemadmodum fit in usitatis, quæ manu velociter reciproceque agitata, vibrationes librilis enormiter præcipitant: Id ipsum autem etiam in accelerata deambulatione, quando videlicet sacciperium pendens, una cum horologio in eo contento, reciproce agitatur, contingere solet, & incautos decipere. Praxis appensionis illius varie poterit institui. Ego hanc tenui. Thecam extimam ansa & annulo appensorio, nec non crystallo instruxi: in fundo thecæ defixi brevem stylum, qui pileolum in pixide horologii firmatum sustentat: alter polus est ille ipse, qui indicem horologum defert, & in altero pileolo crystallo centrum occupante, circumagitur.

Non ingratum fortasse Curiosis erit hac occasione intelligere, me excogitasse ab annis aliquot artificium quoddam, quo mediante, quilibet rudis homo, puer aut foemina, quin & cæcus incidere poterit



quascunque minutas horologiorum rotas, tot dentium quot imperantur, absque prævia earum divisione, & insuper eadem opera plures, æquales, majores, & minores. Præterea aliud artificium ad formandam Torno cochleam illam Horologii, quæ chordam, vel catenulam colligit, dando illi figuram, attemperandis viribus cujuscunque datæ elateris chalybei convenientem; ita ut cochlea circuitus imperatos complectatur. An autem ista publicari debeant, ne in eorum artificum, qui veteribus insistere coguntur, detrimentum cedant, anceps hæreo.

Ausim etiam Opticis polliceri Tornum universale, in quo lentes, & specula omnium sectionum Conicarum, elaborari possunt; & quidem ratione modoque inter omnes alios commodissimo: reddidit enim illud immune eo defectu, quo omnes aliorum machinæ tales laborant; ne videlicet inter laborandum propositæ figuræ modulus deteratur.

Hucusque ea, quæ a me in Galliam missa fuerant, e quibus illud posterius Num. IV de Horologiis in sacco portatilibus, quia jam a me Actis Erud. Anni 1685 Mense Septembri commemoratum fuerat, ne hoc loco crambem bis coctam sapiat, hoc ei condimentum adjiciam. Posse videlicet, absque nova totius horologii constructione, qualem prædicto loco supposui, omnibus aliis Portatilibus, illam circa binos axes conversionem, non difficulter conciliari, ac præsertim iis, quæ spirali, aut etiam recto elatere vibrationes libriliis uniformes efficere debent. Horologium itaque usitata ratione jam constructum, thecæ cuidam extimæ (rejecta vel retenta, si lubet, pristina) includatur, intra quam aptata sit armilla quædam latior, in Ellipfin, horologio recipiendo, & firmiter retinendo idoneam, inflexa, & in sua minore Diametro, duabus oppositis cuspidibus instructa, circa quas, tantquam Polos, totum Horologium cum armilla intra thecam extimant, armilla nonnihil ampliorem, converti circulariter possit: In Horologiis enim taliter gyrañtibus, eorum librili concedi poterit elater fortior, ac prædominans elateri majori, rotas omnes impellenti, ut hoc modo vibrationes libriliis, inæquali rotarum dentatarum tractioni minus obnoxia sint, nec tamen primum impulsum sibi datum, & a rotis invitantibus conservatum, amittant,

COM.

*COMMENTARIUM IN I. LIBRUM INSTITUTIONUM JURIS Canonici, autore R. P. Jo. Baptista Neri a Petra Sancta Ordinis Minim. S. Francisci de Paula, Lectore Jubilato & Jur. Can. Professore.*

Florentiæ, apud Petrum Matini, 1686, in 4.

**E**Diderat Autor, præter Sertum summi philosophicum, e scholasticis quæstionibus potissimum contentum, jam anno 1683 Commentarium in Jo. Pauli Lancellotti Institutionum Librum Secundum; quod cum non male cessisse ex amicorum approbatione, plura ejusmodi ut scribere pergeret, instigantium intelligeret, ordine præpostero nunc ad primum etiam librum commentario illustravit, semet applicuit, idque tanto libentius, quod intera temporis Juris etiam Canonici professio ipsi fuerit concedita, nec amplius ut antea extra oleas vagari adeo videri possit. Rationem vero, quare secundum librum prius adgredi maluerit, hanc reddit, quod a facilioribus incipiendum sibi putaverit. Methodus ab eo adhibita hæc est, ut & titulorum & paragraphorum seriem a Lancellotto servatam secutus, ea ad quemvis eorum congerere ac breviter exhibere satagat, quæ ab aliis Commentatoribus annotata reperit: moralistarum etiam dogmata & quæstiones nullibi non inspergat, citato plerumque sat magno autorum numero; quorum tamen haud omnes a se visos ipsemet ingenue fatetur. Cæterum rebus magis quam verbis intentum fuisse autorem nostrum, contextus passim loquitur, stylo quippe constans Latino quidem, at in tantum ad modernum Italiæ idioma sapissime deflectente, ut vix eum plene intellecturus sit, nisi qui aliqualem phrasium Italicarum notitiã sibi compararit; id quod facile cuilibet librum inspicienti erit obvium. Quod reliquum est, promittit se, si quidem vitam Deus largiatur, propediem ad tertium etiam librum progressum facturum, ac uti in primo de personis, & in secundo de rebus egerit, ita in illo de Judiciis doctrinam plenius propositurum. Denique nec id tacendum, quod in hoc ad primum librum commentario, variis titulis per modum appendicis subjecerit diversarum conscientia quæstionum resolutiones, quas nempe in contextu ipso ob excursum prolixiorẽ pertractare minus congruum reputavit. Concernunt vero hæc doctrinam de regula-

L 1 2  
ribus

ribus, præscriptione, irregularitate, excommunicatione, debito sponsi erga sponsam, ingratitude, aliisque nonnullis materiis, quæ ex Syl-  
labo operi præmissis plenius cognosci poterunt.

*AVERTISSEMENT CHARITABLE A CEUX, QUI  
composoient autrefois les eglises de Poitou, & qui gemis-  
sent maintenant dans l'op-  
pression.*  
est:

ADMONITIO EX CHARITATE PROPECTA AD ILLOS, E  
quibus quondam Pictonum Ecclesiæ constabant, quique nunc  
sub oppressione gemunt.  
Coloniz, 1686, in 12.

Pictavis suis persuasurus Autor, ut religioni reformatæ aut constan-  
ter adhæreant, aut si illam vi blanditiivæ adacti ejurarint, posito  
metu ac hypocrisis postliminio accedant, argumenta selectiora profert,  
quibus tum Pontificii in Reformatos, tum hi in illos depugnare solent.  
Solvit ista, hæc urget. Cap. enim 1. probat, nec res secundas Papista-  
rum, nec adversas Reformatorum argumento esse posse, errare hos,  
non ilios. Negat c. 2. soli Romanæ Ecclesiæ *Ecclesia* titulum compe-  
tere. Reformatos non novatores hæreticosve esse ob ea, quæ vel  
credunt, vel credere abnuunt, capite 3 & 4 disputat. Contra vero  
cap. 5 contendit, docere eosdem, quicquid aut ad sanctitatis studium,  
aut salutem consequendam quoquo modo faciat. Hinc tela mon-  
strat, quibus secus sentientes peti queant. Nimirum c. 6 & 7 tum  
doctrinam, tum disciplinam Pontificiorum *ἀγροφον*; cap. 8 & 9 u-  
tramque *ἀντίγροφον* esse, ostendere allaborat. Concludit inde c. 10.  
neminem in Religione Papistica salvari posse. Præmissis his, quæ mil-  
lies pridem dicta sunt, subjungit ea, quæ, ut libelli aliquam mentionem  
faceremus, mereri visa sunt. Capitibus quippe 11 & 12 duriora illa fa-  
ta prolixè recenset, quæ reformatæ Pictonum Ecclesiæ a pace Pyrenæa  
usque ad edicti Nannetensis abolitionem subierunt. Quamvis enim  
historiographorum id genus mentionem hæcenus parcissimam feci-  
mus,

mus, illius tamen causa cum primis erat, quod a *Johanne Claudio* Ministro quondam Charentonensi, post exule, tandem Hagiensi pastore & historiographo Arausionensi, motuum nuperorum Gallicorum historiam omnibus numeris absolutissimam expectaremus. Ex quo vero spes isthæc cum doctissimo viro d. 13. Jan. st. n. hoc ipso anno, extincta fuit, non temnendos putamus, qui ex parte saltem, quid annis superioribus in Galliis religionis causa aut obtentu contigerit, referunt. An vere, an falso, dicere nec possumus, nec volumus. Nec enim alteri parti advocati desunt, qui longe clementius & Christianis moribus convenientius cum reformatæ religionis hominibus actum fuisse, orbi persuadere nituntur. Nobis igitur authorum hujusmodi nomina indicasse sufficit. At Anonymus ille exul ulterius procedi, & ex iis, quæ adversus Reformatos a Clero Gallicano hæcenus acta sunt, judicium ferri cupit, quam bona sit, quam Evangelio conveniat ipsorum doctrina. Id quod c. 3. facit, adjunctis parænesibus & consolationibus ad eos, quorum gratia libellum hunc exaravit.

*HENRICI MEIBOMII AD SAXONIÆ INFERIORIS IMPRIMIS HISTORIAM INTRODUCTIO.*

Helmstadii, apud Georg Wolfgangum Hammium,  
1687. in 4.

Saxoniz & Saxonum historiam plenius auditoribus suis in Academia Julia traditurus *Meibomius polyhistor clarissimus*, non abs re forte existimavit, si *προπαιδείας χάριν* hanc, quam nominavimus, *Introductionem* præmitteret, ut præ gustum & auditores sui, & alii historiz ejus cupidi lectores haberent. In qua, a prima origine veteris Saxoniz terminos, a recentiori & nova decem in Germania circularum divisione in superiorem & inferiorem facta, diversos contendit; quippe qui & Henetorum & Westphalorum terras ceu colonias Saxonum comprehendissent. Deinde juxta temporum seriem, historiz Saxoniz summam quasi exhibere aggressus, animadvertit, *Claudium Ptolemaum*, qui sub Antonino Pio Imper. claruit, *l. h. II. c. XI* primum gentis fortissimæ, sub *Σαξόνων* nomine meminisse, eosq; *ἐπὶ τὴν ἀρχαία τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου*, h. e. ad *Cimbriae peninsulae cervicem* quæ *Hollatorum* hodie est, collocasse. Inde hos, subsequētib; proxi-

me seculis, rei nauticæ deditos latius progressos, anno Christi 449 in Britanniam vocatos, post varia bella, nova ibidem regna condidisse; quorum *Cambdenus in Britannia sua, & Langhornius in Antiquitatibus Albionensibus* sub finem, & in *Chronico Regum Anglorum pag. 5.* mentionem injiciunt: seculo sexto, data ipsis per Francos occasione, terminos suos per Thuringiam promovisse, sociosque Francorum & amicos appellatos. Hinc seculo VII & VIII Saxones per bella cum Francis gesta, celebriores factos, in tres gentes, *Ostwalos* (alias Ostfalos, Osterlingos & Austerlandos dictos) *Westphalos & Angarios* divisos; atque dein a Carolo M. post acerrimum XXXII annorum bellum, subactos tandem ac ad fidem Christianam conversos fuisse, ex *Eginbarde* tradit: quo facto, ut imperium Carolus in Saxoniam extenderit, non tamen assumpto; quod aliqui volunt, *Dominatoris Saxonum* titulo; item, ut sacra ordinavit Christiana; destructis eorum fanis & idolis, exponit. Post Caroli M. excessum, Saxones, qui fidelitatem Regi & filii ejus, nec non etiam Francis promiserant, eandem Ludovico Pio servasse docet. Sed cum Caroli M. posteri Aquilonaris Saxoniam parvam haberent curam, Slavos & Normannos seu Danos illam graviter afflixisse, clade non una illata, observat. Quæ occasione duces sibi Saxones assumpsisse, conjicit, qui adversus vim hostium sibi essent præsidio. Ludolphum enim anno DCCCLVI se ducem Saxoniam scripsisse in tabulis foundationum monasterii Brunefusani & Gandersheimensis probat: cujus filius Otto, Heinrici Aucupis pater, ad summam Imperii dignitatem vocatus legitur, et si ob ingravescentem ætatem eam recusavit. Sequentibus ergo temporibus sub Heinrico laudato & Ottonibus, Regibus & Imperatoribus magnis, Saxoniam caput extollere maxime cepisse, urbesq; in ea celebres fundatas & munitas fuisse notat. Hinc postquam ad Suevicos principes a Saxoniciæ Imperialis apex devenisset, majores tum Saxones spiritus cepisse, libertatem, rejecta potestate Regia, affectantes. Quæ res sub Heinrico IV ætatis nondum maturæ Imperatore, gravissimi & diuturni belli causa extitit. Quo confecto *Lotharium* laudat, quod non in Germaniam universam tantum meritis illustri, sed maxime in Saxoniam fuerit; quippe qui magno ejus bono, Heinricum Bavarie ducem, data ei in matrimonium filia in has terras vocasset, ducatumque Saxoniam eidem contulisset: quod ipso Serenissima Domus, quæ nunc Brunsvico-Lunaburgica audit, in Saxo.

Saxoniam fundata fuerit. Quae ut variis deinde fatis, sub Conradō III & Friderico I Imperatoribus iactata sit, ex Chronico Helmoldi tradit. Nempe, quod sub Friderico I Westphalia & Angaria a Saxoniam avulsa, & proprio ducatu insignita fuerit. Qua de causa, imminuta sic veteris Saxoniam potentiam, dux Saxoniam novus, priori potentia impar, in superiori Saxoniam Wittebergae ad Albim sedem constituit suam. Hinc mutationem status in Saxoniam per Ottonem, Henrici Leonis nepotem, factam describit. Nam anno 1235 mense Augusto, novum ducatum Brunsvicensem & Lunenburgensem in Saxoniam a Friderico II Imperatore stabilitum fuisse probat. Ex quo tempore major in Saxoniam inferiori quies fuit. In hac enarratione, originem foederis urbium Hanseaticarum anno 1241 facti, simul attingit, & ad topographiam ac historiam ecclesiasticam Saxoniam digreditur, adductis & laudatis ejus tum veteribus, tum novis clarissimis scriptoribus. Quibus indicem scriptorum etiam genealogicorum Saxoniorum subjungit, introductionem hanc eruditissimam finiens.

*DE NOVITIO OPERE, QUOD INSCRIBITUR Prædestinatus, Auctoris anonymi Semipelagiani (in re, sub Prædestinatorum nomine scribentis adversus divos sancti Patris Augustini discipulos) consarcinato (ut supponitur) anno 434 tempore Prospero, nuper reperto & impresso in Gallis, & a nemine hactenus revocato ad examen, nova Quæstio Historico - Theologica, auctore F. Seraphino Piccinardo Brixienti Ord. Prædicatorum, provincia Magistro ac Theologo Primario Patavii in via S. Thoma.*

Patavii, sumptibus Petri Mariae Frambotti  
1686, in 4.

Quattuor supra quadraginta elapsi sunt anni, ex quo Jacobus Simonius, Jesuiticæ Societatis Presbyter jam senex, post plurima alia novum aliquod antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, in Mariæ Remensis bibliotheca sine Auctoris nomine repertum, e tenebris produxit. Quod etiam Hincmarus Remensis Hygino, alii Primasio tribuissent,

& ipse

& ipse ex styli & sententiarum affinitate autorem ejus *Arnobium* juniorem deprehendisse sibi videretur; nihilominus tamen, cum & suæ ipsiq; divinationi minus fideret, & aliorum judicia falsis præsumtionibus inniti crederet, *Prædestinati* titulo signare maluit.

Prædestinatorum enim hæresin Autor ille, quisquis fuerit, tripartito hoc opusculo quantis potest viribus impugnat, ac primum quidem 90 hæreses recenset, in quo catalogo cum Pelagiana, Nestoriana, & Prædestinatiana ultimo compareant loco, Autorem hunc nondum exorto Eutyche, & ante *Gennadium* Massiliensem scripsisse, Sirmondus conjicit. Deinde vero libellum prædestinatianis erroribus confertum, & a Prædestinatis sub *Augustini*, ut inscriptio habet, nomine confictum exhibet, quem postea tertia opusculi parte non sine magna verborum acrimonia confutat.

Non poterat Autoris hujus editio iis non ægre facere, qui e *Calvini* & *Jansenii* schola, ipsam Augustini & orthodoxæ ecclesiæ doctrinam a Pelagianis & Semipelagianis prædestinatianæ hæreseos titulo infamam, dicere solebant. Quocirca mirum videri posset, si quod *Piccinardo* nostro visum, ab eo tempore, quo Sirmondi studio Prædestinatus in publicum prodiit, quod A. C. 1643 factum est, primus omnium *Natalis Alexander* paucis abhinc annis causam istam unica pagella tetigisset, cæterique omnes cum *Theophilo Raynaudo* & *Vincenzio Conzenzono*, aut sine examine præteriissent, aut unica linea despexissent, adeoque nemo hæctenus Prædestinati opus ad examen revocasset.

At secus quam Piccinardus putat, contigisse, vel sola *Johannis Awrai* Doctoris Sorbonici censura, altero statim post Prædestinatum anno edita testari potest, quæ Autorem hunc annoymum plurimorum errorum, Pelagianismi aliarumque hæresium, mendaciorum, fabularum, crassæ ignorantia & foedissimæ imposturæ arguit, quod librum, quem sub Augustini nomine confictum asserit, ipse finxerit, cum ex omnibus styli lineamentis una & confutantis & confutati appareat facies. Equibus tandem concludit, Autorem istum ascititio Prædestinati nomine prodeuntem, tanquam hominē nullius eruditionis & conscientia, idoneum non esse, qui in minima re testari, nedum judicis aut arbitri partes sibi vindicare possit. Hæc *Awrai* censura Gallia ab Autore scripta, paulo post, nempe A. 1645 in Latinum sermonem conversa, & ipsi Prædestinato annexa, in Belgio denuo lucem publicam

blicam aspexit. Quid *Gilbertus Mauguinus* in confutatione fabulæ prædestinatianæ c. 4. aliique plures de Prædestinato Sirmondi statuerint, recensere nolumus, ne a *Piccinardo* nostro longius divagemur, qui etsi in examine hujus operis antecessores haud paucos habuerit, reliquos tamen omnes conjiciendi audacia superat, & multa in medium producit, quæ nondum cuiquam hætenus in mentem venisse legimus.

Autorem enim Prædestinati a Sirmondo vulgati *Vincentium* appellat, siquidem 16. objectiones Vincentianas, quas *Prosper* Aquitanus confutavit, ex hoc ipso Prædestinati opere excerptas, collatione facta probare contendit. Etsi enim nonnulla objectionum istarum capita, videlicet 9. 10. 11. & 16. in Prædestinato expressis verbis non occurrant, ex cæteris tamen ea consequi judicat, Afferit insuper, Autorem Prædestinati in fine operis, vel epilogi vel indiculi instar, omnia ista sedecim errorum capita Augustini discipulis, imprimis vero *Prospero* & *Hilario* per calumniâ objecta, lectorum oculis conspicienda præbuisse. Cumque indiculus iste in Prædestinato hodie non amplius compareat, eundem vel injuria temporum detritum, vel ab editoribus eo sine omissum suspicatur, ut autorem hunc eo felicius pro catholico venditare possent, neve *Vincentii Semipelagiani* a *Prospero* refutati vestigia manifesto deprehenderentur. Ne autem, quæ de sedecim errorum indice vel epilogo differit, gratis affirmare videatur, primum *Prosperi* testimonium adducit, qui in responsione ad objectiones Vincentianas ad hunc ipsum Prædestinati indiculum respiciens dicat: *contexunt, & qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publicè privatimque circumferunt, asserentes talia esse in nostro sensu, qualia diabolico indiculo continentur.* Deinde quoque ad *Hincmarum* Remensem provocat, qui in epistola ad *Carolus* Calvum apud *Flodoardum* lib. 3. c. 15. post recensita nonnullorum scripta, quæ sibi opposita fuerant, hunc in modum pergit: *insecunt etiam in suis scriptis de quibusdam sedecim capitulis, quasi nobis debeant imputari, de quibus nihil audivimus neque vidimus, antequam venerabilis Ebbo Gratianopolitanus episcopus vobis ea, quasi a bona memoria Fratris vestri Lotbario transmissa detulit, quorum capitulorum Autorem nec adnotatum invenimus, nec cum multum quaesivimus, invenire valuimus.* His enim verbis Autorem Prædestinati ejusque indiculum ab

Mm

Hinc



Hincmaro indicari censet, qui a Rege Lothario Caroli Calvi Fratre ad Ebbonem transmissus, & ab Ebbone publicatus in Hincmari manus venerit. Ac ne quis objiciat, verba Hincmari, quibus Autorem istorum sedecim capitulorum sibi plane incognitum testatur, ad Autorem Prædestinati minime pertinere posse; cum Hincmarus in opere suo de prædestinatione Autorem Prædestinati semel iterumque Hyginum appellaverit, Piccinardus tempora distinguenda monet. Anno enim 856, quo Hincmarus prius suum de prædestinatione opus elucubravit, cujus sola præfatio ad Regem Carolum superest, nondum ipsi quicquam de Autore hujus operis constituisse, at anno 859, quo posterius de prædestinatione opus evulgavit, cum jam per triennium scriptum hoc perlustrandi commodiorem occasionem habuisset, ex argumento libelli primi minus recte intellecto Hyginum pro Autore habuisse censet.

Porro cum plures quinto seculo Vincentii fuerint, *Vincentium Lirinensem* ab opere Prædestinati alienum pronunciat. Etsi enim sibi ipse objiciat, quod Vincentius Lirinensis ab *Henrico Noriso & Natali Alexandro* Semipelagianæ hæreseos arguatur, & scripta sua sub *Peregrini* nomine ediderit, ex quo fortasse Hincmari errorem natum esse cogitari possit, qui characteribus antiquitate nonnihil oblitteratis pro *Peregrino Hyginum* legerit, objectiones tamen istas parum habere roboris respondet, cum & *Vincentium Lirinensem* a Pelagianæ labe, quod a libi a se probatum asserit, immunem fuisse, & illum Hincmari errorem aliunde promanasse constet. *Vincentio* igitur *Lirinensi* absoluto, aliud *Vincentiorum* par adducit, nimirum *Vincentium Psalmorum* interpretem, a *Gennadio* c. 80. de *Scriptoribus Eccles.* commendatum, & alterum cognomento *Victorem*, adversus quem *Augustinus* libros quatuor de origine animæ composuit. Ex his duobus *Vincentiis* alterutrum *Prædestinati* opus edidisse *Piccinardus* ita statuit, ut ferme magis ad *Vincentium Victoris* inclinare videatur.

De cætero hunc *Prædestinati* autorem *Vincentium*, a *Prospero* non modo in responsione ad objectiones *Vincentianas* ex instituto confutatum, sed & in posterioribus ejusdem scriptis, imprimis vero in commentario ad quinque postremas *Psalmorum* decades, & in libris de vocatione gentium obiter perstrictum asserit. Lectum quoque eundem *Prædestinati* Autorem ab *Arnobio* juniore ex eo arguit, quod simili-

similibus verbis & argumentis contra Prædestinatos usus fuerit, et si ab Autore Prædestinati in eo differat, quod contra Prædestinatos agens, in medio veritatis consistens ad alterum Semipelagianismi extremum non deflexerit, quod contra *Natalem Alexandrum* & alios Arnobium Juniorem Semipelagianis annumerantes eo sine probandum suscipit, ut Prædestinati opus Semipelagianum autorem redolens, Arnobio juniorei perperam tribui simul evincat.

Præter Prosperum Vincentio se opposuisse tradit *Autorem ὁ προγνωσκῶν*, quæ Augustini Tom. 7. leguntur. Hunc enim toto libro 6, cum priores quinque *Julianum* tangant, Prædestinati Autorem aggregiditavit. Qua occasione de Autore istorum hypognosticon disquirat, & quamvis *Johannis Garnerii* rationes pro *Sixto* seu *Xylo* III probabiles censeat, easque contra *Natalis Alexandri* objecta dubia defendat, verisimilius tamen ipsi videtur, libros istos a *Mario Mercatore* compositos fuisse, qui post subnotationes in *Julianum* plenius hoc opus jam in subnotationibus promissum elucubraverit, & Græcæ linguæ non imperitus Græco hoc titulo insigniverit.

Quantum autem ad secundum Prædestinati librum attinet, qui sub Augustini nomine confictus inscribitur, ejus Autorem *Piccinardus Evodium Uzalensem* esse pronūciat, qui, cum apud *Adrumetinos monachos* Prædestinatorum hæresis exorta jam fuisset, a *Valentino* Abbate rogatus, sententiam suam & alia quadam epistola, & hoc ipso libello indicaverit. Et quamvis epistola Augustini 95 *Evodium* a Prædestinatorum errore absolvere videatur, *Piccinardus* tamen ex libro 3. *Augustini* de libero arbitrio contrarium affirmat. Porro suspicatur, fortasse *Evodium* libello suo hunc præfixisse titulum: *expositio doctrinae Augustini*. Cumque hic libellus forte una cum nonnullis Augustini scriptis ad *Massilienses* allatus fuerit, inde per errorem contigisse, ut hic libellus pro Augustini foetu habitus fuerit, nisi forte *Massilienses* ex malitia Augustinum Prædestinatorum erroribus involvere ausi fuerint. Posteaquam vero *Cælestinus P. R.* *Prosperi* monitu, damnatis *Semipelagianis* pro Augustino sententiam dixerit, *Massilienses* Augustinum ipsum non amplius adortos, in ipsius discipulos omne calumniarum virus effudisse, adeoque Autorem Prædestinati libellum, quem *Evodius* scripserat, ab Augustini discipulis sub Augustini nomine confictum affirmasse.

In corollariis primæ sectionis, inter quæ primum locum obtinet realis antiquæ hæreseos Prædestinarianæ existentia, item in consecrariis sectionis tertiæ, quæ inscribitur antidotum adversus ea, quæ in auctore Prædestinati caveri debent, alios etiam Auctores censuræ suæ Piccinardus subjicit, imprimis *Hincmarum* Remensem, cujus novem errata perstringit, & e recentioribus *M. Antonium de Dominis*, *Jacobum Sirmundum*, *Andream Junium*, *Christophorum de Ortbega* & *Theophilum Raynaudum*, ultimo vero loco nonnulla de *Prospero* ejusq; scriptis differit, ejusdemque responsionem ad 16. objectiones Vincentii subjungit.

Hæc ex prima & tertia sectione, quibus opus Prædestinati ad examen revocatur, paucis notare libuit. Secunda enim sectio ipsum Prædestinati opus complectitur, ex tomo 27. bibliothecæ Patrum Lugdunensis denuo editum, ita tamen, ut loco præfationis Sirmondianæ, qua opus illud commendatum fuerat, admonitio ad lectorem de cavendis hujus libri erroribus præmissa deprehendatur, in qua graviter Piccinardus queritur, auctorem hunc Pelagianum aut saltem Semipelagianum, ipso Fausto Rejenfi crassiolem, non modo sine censura, verum etiam cum Sirmondi elogio Sanctis ecclesiæ Patribus additum fuisse.

*A CONTINUATION OF THE NEVV DIGESTER  
of Bones &c.*

sive, -

CONTINUATIO NOVI DIGESTORIS OSSIUM, AUCTORE  
Dionys. Papino, M. D. & Societatis Regiæ Socio.

Londini, apud Joseph. Streater, 1687, in 4.

**S**Exennium jam fere elapsum est, ex quo ingeniosissimus Auctor modum curioso orbi aperuit, mediante aeris & aquæ bullientis compressione res durissimas ipsaque etiam ossa, ad gratam & esui aptam mollitiem, intra paucum tempus percoquendi, gelatinas varias non compendiose minus, quam copiose parandi, aliasque quamplurimas res, in vita communi summe proficuas, efficiendi; quemadmodum tam de machina hunc in finem inventa, quam ejus operationibus dictum pluribus fuit in *Actis anni 1682. pag. 105. seq. & pag. 305. seq.* quorsum brevitate causa benevolum Lectorem pro pleniori eorum, quæ  
mox

mox anobis dicenda erunt, intellectu remissum volumus. Tametsi  
 vero in scripto tunc edito insignem & multifariam hujus rei utilitatē,  
 cum operandi facilitate conjunctam, ad oculum demonstrasset, nihi-  
 lominus mirabundum se hactenus animadvertisse scribit, a paucissimis  
 inventum hoc in usum fuisse deductum, plerisque id pro infructuosa  
 curiositate reputantibus; qua in parte non dissimile ejus fatum ab eo,  
 quod molæ tam aquaticæ quam pneumaticæ olim passæ sunt, agnoscit,  
 utpote quarum machinam, qua tamen hodie carere absque summa  
 molestia haud possumus, primitus ab ipso etiam Plinio, perspicacissimo  
 alioquin, itidem mere inter curiosas speculationes recensitam allegat.  
 Ut proinde homines de hujus inventi emolumentis plenius convince-  
 rentur, non solum cuilibet licentiam facit, ipsius operationes semel per  
 septimanam, loco ac tempore præfixis, instituendas coram spectandi;  
 sed & præfenti Tractatu (quem Johanni Comiti Carberiz, Societatis  
 Regiæ nunc Præsidi inscripsit,) perfectiorem adhuc & pluribus sufful-  
 tam experimentis notitiam communicare, omnemque sic ulteriorem  
 dubitationem residuamve obscuritatem tollere adgressus est. Ac primo  
 quidem occupatus est in describenda nova hujus machinæ forma, qua-  
 lem ad mandatum defuncti proxime Regis, pro ipsius Laboratorio in  
*Whitehall* construi fecerit: quæ ipsa tamen cum quoad partes essentia-  
 les parum aut nihil differat ab ea, quam anno 1682. pag. 106. descriptam,  
 ibidemque *tab. 6. fig. 1. 2.* depictam dedimus, (nisi quod exterior ejus  
 fabrica, simpliciori facie comparens, & tantum non lebetem vulgarem  
 mentiens, facilius artificium tegat) hinc ei de novo hic prolixius deli-  
 neandæ non immorabimur, satis fore existimantes, si paucissimis indi-  
 caverimus, quænam potissimæ inter novam hanc & priorem illam  
 machinæ structuram differentia intercedant. Nimirum ne dicamus,  
 exterioris lebetis operculum, quod antea duabus modo cochleis clau-  
 debatur, nunc earum quatuor habere: item, interioris lebetis orificium  
 seu aperturam notabiliter extra aquam, cui immittitur, eminere, mi-  
 nusque adeo ac antea, periculi esse, ne eo post peractam coctionem a-  
 perto, aqua influens forte res coctas earumve saporem corrumpat;  
 præcipuum discrimen in eo consistit, quod foramen in operculo lebe-  
 tis extimi (cui immixtus canalis cum incumbente obturaculo antea  
 gradus internæ pressionis moderabatur) nunc penitus omissum sit,  
 multisque adeo ambagibus hoc pacto machina liberata. Tametsi

enim primum hujus inventi fundamentum in eo situm sit, quod quemadmodum corpora alia ignita, quo compactiora sunt, eo magis adurunt, (uti v. g. ferrum candens fortius carbone fervet) ita & aqua bulliens, quo magis per compressionem ejus rarefactio ac dilatatio impeditur, eo potentius in res immerfas agit: attamen cum ea propter non opus sit gradus pressionis adeo scrupulose observare, satius existimavit, machinam semota penitus hac molestia simpliciore, adeoque usui magis accommodam exhibere; maxime cum antehac foraminis istius quandoque contingens apertio, plures corrupisse operationes comperta sit. Sufficit etenim, uti Autor jam in priori tractatu monuit, ommissa pressionis graduum computatione, id modo observare, ut semper eadem aquæ quantitas exteriori lebeti seu novo huic MB. infundatur, ac vase dein probe clauso diligenter annotare, quinam caloris gradus singulis operationibus congruat; id quod compendiose efficere pariter jam antehac docuit, pondere nempe suspenso ad parietem e filo 3 circiter pedum, cujusque adeo singulæ vibrationes prope singulæ minuta secunda indicent; sic ut deinceps ad gradum caloris indagandum non alio opus sit, quam ut perpendiculo hoc in motu posito obfervetur, intra quot ejus vibrationes aquæ gutta machinæ operculo, ab omni pinguedine bene mundato, injecta evaporet. Cæterum & id addere consultum putavit Autor, posse aliqualem communicationem relinqui aeri vasis exterioris cum lebete intus posito, idque eo fine, ne si exterius, ut plerumque fit, citius incalcescat, pressio inde enata vas interius omnino queat frangere; quod plus vice simplici contigisse sibi, utut hoc satis fuerit validum, perhibet.

Tametsi vero machina hac, novis præsertim his accessionibus aucta, commodius inventum dari vix posse existimet, ad carnes aliasve res absque aqua, proprioque adeo ipsarum jure coquendas, nihilominus cum multa dentur, quæ absque affusa aqua coctionem respuant, v. g. gelatinæ, fabæ, oryza &c. faciliorem adhuc & minoribus multo sumtibus parabilem modum nunc noviter communicat, res ejusmodi, quæ affuso liquore indigent, brevi manu præparandi, eisdemque earum intuitu cum priori illa machina effectus producendi. Scilicet fieri jubet cylindrum cavum in fundo clausum, at in summitate apertum, stanno intrinsecus crasse satis oblitum, ne alioquin æris sapor cocta inficiat,  
forma,

forma, qualem exhibet *fig. 1.* cui aptatur operculum plana saltem superficie constans, ut in *fig. 2.* videre est, quod pariter stanno obducendum; planitie tamen cylindri orificio tam exacte respondens, ut interposito chartæ humectatæ circulo (utpote quo tam in priori, quam hac machina ad omnes operationes opus est,) nō minimus quidem aeri transitus pateat. Hic cylindrus dein ipse, (absque alio interiori lebete, utpote quo hic opus non est) aqua & ossibus, si v. g. gelatina paranda sit, repletur usq; ad unius circiter pollicis spatium, si vas hoc 12 pollicum profunditatem habeat, cæterum secundum aliam hujus proportionē magis minusve. Ita vas hoc cylindræum immittitur pegmati ferreo, quale *fig. 3.* repræsentatum, aptissimum judicat ei exactissime claudendo, dum nempe ferramentorum duorum, quibus vas insitit, extremitates *BBCC.* (quas paulo magis elatas esse oportet, quam spatium intermedium) directe opponuntur quatuor cochleis *FFFF* operculum prementibus, ut adeo pressio ubivis æqualiter distributa tanto fortior esse queat. Habet præterea pegma hoc ferreum duos in latere axes *DD,* quibus mediantibus suspensum, ope funium aut fulcri ferrei, facile inverti cum inelusa machina pro lubitu queat. Talis enim inversio non ad id solum conducit, ut circulus papyraceus, cujus supra meminimus, continuo humidus servari queat, nec calor vi exsiccatu aeri transitū permittat: sed & ut machina in situ horizontali supra ignem immediate subjectum collocari, citiusque adeo & impensius calefieri possit: cui fini etiam adjecti sunt duo cardines ferrei *EE.* ut nempe affigi illis valeat fornacis quædam species, seu lamina ad carbones excipiendos aptata, figuram craticulæ habens, aut aliquoties saltem perforata, quo subjecti aeris sufflatio ad ignem fortius impellendum sic quodammodo adjuvetur. Cæterum eum constat, cibos facillime ollæ uteri, quod igni admovetur, inter eoquendum adhærescere, adustosque adeo reddi; quo periculo huic obviaret, modum commentus est, quo aqua continuo inter ollam cibumque immixtum interjecta servari possit, omneque adeo empyreuma præaveri. Videlicet utitur hanc in rem lamina stannea, curvata in similitudinem cylindri cujusdam cavi, ac sustentata pedunculis aliquot; quam collocat in eo machinæ latere, quod igni admovendum est, ut sic spatium istud, quod pedunculorum altitudo relinquit, aquæ interfluz totum pateat. Prærogativas vero varias novæ hujus machinæ digestoriæ præ priori illa allegat: v. g. quod

quod ad hanc parandam multo minus metalli requiratur, eaque proinde levioribus sumtibus comparetur; quod plus gelatinæ hic quavis vice excoqui possit, dum major vasis est capacitas; quod minus carbonum hic ad coctionem requiratur, dum ignis immediate subter machinam positus fortius operatur, quam si lateri saltem admoveveretur; sicut experimento comperit, quantitate fere dimidia carbonum, ad priorem machinam requisitorum, hic supersederi posse: porro, quod machina hæc facili negotio agitari valeat, quam succussionem multum conducere ait ad celerioreni glutinosarum particularum dissolutionem in parandis gelatinis; quod post peractam operationem lebes hic facilius & absque metu ebullitionis, etiam antequam omnino refrigerit, aperiri, & liquor coctus educi queat; inversa enim machina cochleas paulatim relaxari posse, donec hic tenui vena effluat in suppositum vasculum. Navigantibus vero, utpote quorum usibus primam etiam illam machinam imprimis commendatam antehac jam diximus) hanc multo adhuc commodiorem fore credit, dum non saltem agitatio ei nil quidquam officit, quæ in vulgaribus caldariis aquam facile dispergeret, sed & fornax hic applicanda sic muniri exiguo negotio potest, ne ab igne periculi quidquam, in navi metuendum sit, Cui accedit, quod hic non solum multo minus aquæ dulcis absumatur in paranda gelatina, coquenda oryza & similibus, sed & carbonibus admodum parcatur, uti jam supra dictum; imprimis si operatio sæpius, & antequam lebes omnino refrigerit, iteretur: quemadmodum computum iniit, quod gelatinæ, saluberrimum navigantibus alimentum præbituræ, 150 librarum intra 24 horarum spatium excoqui possint, insumtis modo carbonum 11 circiter libris. Quanta vero gelatinæ copia ope hujus inventi elici possit, vel exinde patet, quod Autor ex una libra rasuræ eboris excoxerit tribus operationibus usque ad 15 libras gelatinæ optimæ: nec minorem quantitatem ex ossibus ovinis aliisque haberi posse existimat, dummodo suppetat medium, eadem æq; facile ac ebur minuendi. De cætero varia Autor experimenta recenset, quæ de novo hoc digestore in diversarum materiarum coctione ceperit, commemoratis ubique fideliter circumstantiis occurrentibus, ac speciatim, quonam gradu calor in singulis operationibus fuerit adhibitus. Sic mediante hoc invento tincturam e polenta extrahere, & probati saporis cerevisiam conficere docet; utut fateatur majora pro hoc instituto vasa paranda fore, siquidem alicui sic potum talem copiose & cum emolu-

emolumento præparare lubeat: sic enarrat porro, qua ratione succum spissum e dura liquiritiæ radice facili negotio confecerit, item ex viperis, (cum earum sal volatile adeo in medicina commendetur) gelatinæ speciem excoxerit; per quam operationem id incommodi præveniri posse autumat, ne salis illius volatilis magna pars exhalet inter præparandum, uti alias contingat, si hoc in aere libero fiat. Cumque idem vulgari *Chocolata* coctione evenire animadverterit, ut nempe spiritus volatiliores inter parandum perdantur, dum hæc, antequam potui apta fiat, tribus fere vicibus igni soleat admoveri, hinc tentavit ipsam quoque in clausa hac machina præparare; comperitque ex nucibus *Cacao* tincturam sic commode, tertia etiã vice noviter affusa aqua elici posse, nucibus tandem adeo exhaustis, ut formam quidem externam servantes, molles plane & nudis digitis friabiles evadant: unde concludit, elicitio sic omni earum succo laudabili, remanere tantum particulas glutinosas ac terrestres; quas adeo ( præsertim cum ab *Edm. King* edoctus fuerit, eas ipsas noxios sæpe effectus gignere, ) vel semovendas penitus credit, vel, si cui nihilominus eas etiam una assumere libeat, in mortario ligneo aut marmoreo facilius tritas tincturæ admisceri posse existimat. Præterea cum viderit, Norimbergæ aliisque in locis e mollioribus lignis pyxides aliave instrumenta parari, quæ impressam sibi typi excavati figuram recipiant, speciemque anaglyphi operis mentiuntur, hinc experiri simile quid in machina sua voluit, an sc. duriora etiam ligna coctionis ope ad commodam ejusmodi mollitiem perducere valerent: primum quidem adsumto hanc in rem *ligno vite*, cum hoc tanquam resinofum aqua domari posse desperaret; id cum *therebinthina*, ac dein cum spiritu *therebinthinae* igni adposuit, frustraneo tamen eventu, ut calor & major & diuturnior, quam ad emollienda ossa, adhiberetur: postea nihilominus præter expectationem apparuit, nudam aquam huic rei sufficere, dum ita coctum lignum molle & aptum recipiendæ typi figuræ evasit: ubi id solum monet, necessum esse ut lignum sub typo pressum relinquatur, donec omnino siccum evaserit; alias enim fieri, ut partes ejus elastica quadam vi sensim resilientes magnam impactæ figuræ portionem perdant: cæterum *buxum* adhuc commodius hanc in rem adhiberi testatur. Cornua etiam bovina emollire tentavit, ita, ut liquidi ad instar modulo infundi valerent: nec hic tamen effectus conatui omnino respondit: id nihilominus obtinuit, ut

Nn

it, ut



it, ut partes ipsorum extreme tumescerent ac molles reddita, si intra modulum compingerentur, unum quasi corpus emergerent & qualem-cunq; sic formam pro lubitu adsumerent, modo in tali situ in modulo relicta siccarentur. Quod reliquum est, cum ope machinae hujus digestoriae tantam gelatinae copiam ex ossibus educi posse viderit, id quoque egit, ut variis experimentis tentaret, num forte novis etiam usibus praeter comestionem, viscidus hic liquor posthac adhiberi valeat. Ac primo quidem docet, qua ratione gelatina spissiore liquefacta, & variis sigillis ac numismatis superinfusa, exactissimi eorum aegypti inde proveniant: quin imo narrat, aegyptum talem a sigillo, antequam plane siccaretur, demtum, in minutissimam formam paulatim exsiccando contractum, tam accurata tamen proportione singulas sigilli partes servasse, ut figurae microscopio etiam ob exiguitatem inspecta, nil quidquam perfectionis hoc pacto decessisse fuerit deprehensum. Potissimam tamen gelatinae hujus utilitatem in adservandis diversorum generum fructibus fore speravit; sibi etenim persuasit futurum, ut intra vitrum cochleis probe occlusum, & ab omni aeris accessu liberum, in glutinoso hoc liquore haud secus ac in succino inclusi, substantiam suam maxima ex parte illibatam multo satis tempore conservare possent. Tametsi autem & hic spe sua quadantenus exciderit, dum expertus est, fructus ita inclusos brevi tempore tantum non penitus corrugari, & succo per corticem transmissio (quod non sine stupore se in malis etiam aurantiis & citrinis advertisse scribit) gelatinae molem augere: nihilominus modum hunc fructus praeservandi omnibus haecenus usitatis praestare autumat, cum ob sumtum levitatem, tum ob exactiorem saporis nativi retentionem; dum quod fructui de succo decedit, gelatinae accrescit, ut adeo ejus sapor in futura anni tempora conservari commode tam ad salubritatem, quam curiositatem queat. Cum vero deprehensum fuerit, gelatinam talem successu temporis graviusculum odorem spirare; hinc ne quis eo forte offendatur, non solum docet, eundem mali aut corrupti nihil indicare, sed non nisi ab insitis salibus volatilibus provenire, qualia multum saepe conducere ostendit exemplo salis volatilis cornu cervi: sed & modum demonstrat, quo in gratiam delicatolorum (plurimos enim id vix gustantes advertere) hoc quidquid est odoris corrigi valeat. De quo, ut & multifariis experimentis, quibus indagavit, quinam fructus magis minusve ob in-

ob insitam qualitatem apti sint huic preservationi (quo nomine præ aliis rubi mora commendat) plura hic afferre superfedemus, ne longe nimis extra institutum evagari videamur. Flores quoque ita ad servare tentavir, non tamen satis ad votum, dum observasse semet perhibet, eos in se habere principia perquam activa & ad fermentandum apta, quæque spiritus non absimiles vini spiritibus producere soleant. Cum vero gelatina, quæ ad usus talismodi adhibetur, multum per evaporationem inspissata prius esse debeat: hinc occasione hac modum monstrat, evaporationem non hujus saltem, sed & aliorum quorumvis liquorum accelerandi, ope nempe vermicularis spiræ excavatæ, cujus usus alias in chymicis quoque ad spirituum condensationem facilitandam esse solet: nimirum spira hæc foramini vasis in fundo pertusi inseritur, ut *fig. 4.* ostendit, sic ut lampadi accensæ, fundo suppositæ, eadem camini quasi loco inserviens calorem ex æquo undique diffundat. Certe existimat Autor, instrumenti hujus usum varii generis artificibus, qui pro evaporatione multum sæpe expensarum facere necessarium habeant, perquam proficuum esse posse. Denique quamvis idem jam in priori tractatu edocuerit, machinam a se inventam etiam ad varias destillationes adhiberi posse, eoque sine peculiarem ejus fabricam excogitaverit, cujus delineationem pariter jam antehac exhibuimus *in Act. loc. all. pag. 106. fig. 5;* tamen cum postea temporis rem hanc, quam tunc in idea saltem communicaverat, reapse effectui dederit, machinamque ejusmodi, aliquibus tamen mutatis, construi sibi fecerit, haud pigebit ejus descriptionem, qualis nunc ab ipso proponitur, denuo huc transcribere. Est itaque *in Fig. 5. AA* cylindrus cavus major, continendæ aquæ dicatus. *BB* lebes interior pro recipiendis materiis destillandis. *CC* circulus ex ære fusus sat crassus, cum foramine in medio, per quod transiens lebes *BB* eidem exactissime ac firmiter adferruminatur. *DD* annulus ferreus perquam validus, circumdans aperturam lebetis *BB*, aptatusque super circulum *CC*. *EE* duæ appendices aut ansulæ annuli *DD*, quibus mediantibus annulus hic ferreus firmari potest ope paxillorum ferreorum ad pegma ferreum *GGGG*, attractusque dein ope cochlearum *FF*, valide premit circulum *CC*, eumque facit exacte claudere aperturam cylindri *A*. *HH* est vasculum, cujus orificium diligentissime adplicatur aperturæ lebetis *BB*, idque ope cochleæ *LL*, vas vero hoc vel ex vitro fieri potest, vel ex metallo.

tallo. *MM* tenuis tubulus epistomium habens cum clave versatili, quo mediante aer extrahi potest e lebete *BB*, si cui forte placeat destillare quid *in Vacuo*. *NN* duæ appendices pegmatis ferrei ad machinam totam in suspenso tenendam, ut in schemate videre est; eo nempe sine, ut eadem facili negotio sursum deorsum inverti valeat.

Sic dein spatium inter cylindrum majorem *AA*, & interiorem lebetem *BB* aqua impletur, rebusq; destillandis lebeti *BB* immixtis, opus est ut craticula ænea intus ponatur, ad impediendum, ne eadem deorsum labantur, ita ut tamen vaporibus liberum maneat in vasculum *HH* transire: hinc machina invertenda sic est, ut vase *HH* infimum situm habente, vapores in eo remanere queant, postquam fuerint condensati. Ignis vero applicandus est cylindro *AA*, sustentandus ibi mediante lamina ferrea semicirculari adpensa cardinibus *OO*. Consultum quoque esse ait, ut in promptu sit vas aqua frigida plenum, cui ima machinæ pars immergi valeat, quo vapores tanto citius condensentur in vase *HH*. Conducere vero prædicat machinam ita instructam, ad indagandos diversos effectus ope destillationis producendos, prout ea fiat in diversis gradibus rarefactionis & condensationis aeris: perhibet insuper, destillationes sic in *MB* citius & difficilioribus in casibus, ac vulgo, peragi posse; nec periculum a desse, quicquam sic de partibus subtilioribus & volatilibus perendi.


Hactenus de machina Digestoria, quæ primam Tractatus præsentis partem absolvit: reliquum nunc esset, ut de altera etiam ageremus, quæ appendicis loco annectitur, ac de Antlia pneumatica amplificata & ad novos usus applicata tractat: sed quia verendum, ne nimis nunc prolixitatis arguamur, ejus recensionem in Acta mensis sequentis, Deo volente, malumus dilatam.

*OBSERVATIONES ANATOMICÆ CIRCA CONCEPTIONEM, GESTATIONEM PARTUMQUE  
RANARUM.*

**Q**UAM primum veris hujus initium post superatum brumale frigus salutavimus, vidimusque ex hybernaculis suis prodire ranas, elegans profecto nobis occasio oborta est inquirendi penitius in primam nascendarum ranarum initia, curiosa omnino, sed hactenus a nemine  
fati



VI ad a. 1687. pag. 205.  
Fig. i.



*fatis accurate descripta. Dies erat Martii Mensis undecimus, qui primam suggererat foemellam utero jamjam gerentem, a quo tempore ad praesentem usque horam innumeræ occurrunt foeminae pariter ac mares. Inter illas aliae quidem jamjam pepererunt, aliae adhuc utero gestant, aliae nondum compressae sunt: hi autem vel deprehenduntur in ipso coeundi actu, vel ad congressum proni, vel etiam exhausti Venere atque languentes. Sunt enim mares circa veris accessum instructi ex crescentia quadam in pollice utriusque pedis anterioris callosa, quæ mirabili & ex holoferieo quasi confecto integumento occultatur, typhæ aquaticæ qua substantiam & colorem non multum dissimili. Atque hæc ipsa macula firmiter primum adhæret in iis, qui congressum appetunt: laxius adhæret ac detrahi potest in his, qui Venere exercuerunt crebrius: decidit denique sua sponte postquam robur virile prostratum est. Interiora si spectes, notabis præcipue vesiculas seminales in viris ante coitum adeo intumescere a lactescente spermate, ut non raro sexies & ultra superare magnitudinem in figura I. depictam visæ sint: qui in congressu capiuntur, non unius magnitudinis vesiculas ostendunt, sed modo majores, modo minores, pro diversitate, scilicet vel ejecti vel iterum collecti spermatis: qui vero suo jam satisfecerunt officio, iis una cum pene atque pollicum callis minuuntur vesiculae seminales ita, ut vix ac ne vix quidem conspiciantur, nisi quis per ureteres apertos flatum immittat. Foemellæ contra & graciles in pedibus pollices ubique servant, & vesiculis illis spermaticis penitus carent; at testiculi longe amplissimi sunt, multis modis testes marium superantes, & oviductus cum duplici utero adeo sunt aspectu jucundi, ut nihil in rana elegantius cernatur, quam applicato ad tubæ superius orificium tubulo, si flatu distendantur. Ovula vero in foemellarum sic dictis testiculis seu potius ovarijs reperta, ab initio exilissima sunt & pellucida, successu temporis accrescunt eadem pedentim, coloremque suscipiunt ex lactescente lividum, in quibusdam nonnihil viridem: postmodum ovaria plane variegata deprehenduntur, aliis quidem ovulis lividis aut quodammodo virescentibus, aliis ex toto atque aliis ex parte fuscis, donec tandem nigra prorsus evadant maturitate: atque tum demum ad concipienda intra uterum ovula admodum propinqua sunt ranæ. Nimirum & ranas observavimus cum maribus suis congregantes eo etiam tempore, quo ovula*

non omnino nigra, sed variegata comparuerunt, tumque non modo foemellarum tergo, quod solemnius est, sed & abdomini incumbunt mares. Qui primus congressus dubio procul ad imprægnanda ovula idem valet, quod in gallinis e. g. galli coitus, h. e. ut plura simul ova foecundentur. Nam & analogia partium genitalium similem cum avibus congressum suadet, & alteratio illa notabilis, quam circa foemellæ compressæ anum videre licet, idē confirmat; ut taceamus ab iis, quos captandi ranas ergo emisimus, non imperitis rerum naturalium, sancte contestatum, non semel ranas obvenisse juxta consuetudinem volucrum vere coeuntes junctis podicibus. Verum longe curiosior est alter ille congressus, ranis peculiaris, qui nempe tum demum contingit, quando matura jam ova utero excipienda veniunt. Id vero nulli clarius, quam die 18. Martii vidimus in rana ex ulnis mariti surrepta. Cum enim abdomen ejus aperiretur, occurrebant primum in dextro latere ovula saltem bina, libere inter cor & pulmones oberrantia, in sinistro latere plus quam triginta reperiebantur similia, illæ sis tamen & ovariis atque ovulis. Elevato igitur sterno, cum ad oviductus initium properassemus, visus est dexter ad duarum circiter transversorum digitorum latitudinē plane vacuus, in cujus tamen progressu plura hinc inde notabantur ovula, ejusdem magnitudinis & coloris cum his, quæ libere in thorace volutabantur. In sinistro autem latere principium oviductus adeo erat repletum, ut, cum tubulum applicare voluissimus, unum alterumque redierit ex oviductu compresso ovulum, & reliqua flatum immittendum omnino sufflaminarint; in reliquo oviductus progressu non nisi tria observare licuit ovula, quanquam utrumque ovarium semihæstum, & uterus ex utraq; parte semiple-nus occurreret. Quapropter dubium non est, quin ovula ex ovario in oviductum atque per hunc porro in uterum usq; deferantur, favente imprimis maris compressione in ranis. Neque enim amplexus ille adeo fortis ac diuturnus de nihilo est, siquidem inde etiam natas in pectore suggillationes cum excoriatione sæpius monstrarunt foemellæ, indicantes hac ratione & locum atque vires in compressione a maribus facta. Videlicet quia oviductus extremitas, secus ac in aliis observatur brutis, immobilis existit longiusque ab ovario distat, factum est egregionaturæ instituto, ut, cum venter ranæ cum sterno mobili a rana comprimeretur, ovula ex ovario delapsa versq; superiora adigantur,

ab ovi-

ab oviductus adæquato ore excipienda. Juvat autem ovulorum ingressum non parum cordis motus & pulmonum, siquidem inter inspilandum cum pulmo elevatur, hoc ipso ovula quoque attolluntur versus cor; dum vero hoc attingunt, impelluntur continuo, ac partim a pulmonis, partim a cordis auricularumque motu tamdiu redduntur in-quieta, donec foramen oviductus ingrediantur. Tum vero quæ semel ingressa sunt, ad uterum usque deducuntur, virtute canalis propria, quippe qui intestinis admodum similis sine dubio simili quoque motu peristaltico gaudet. Hunc in finem fibris instruitur variis, tenuibus sed egregio dispositis ordine, quæ in oviductu aperto non obscure conspiciuntur nudo etiam oculo, nisi quis forte hebetudine laboret enormi. Restat itaque unicum ut expediamus, nimirum unde prod-eat albumen illud seu pellucidus liquor summeque viscidus, qui nigra circumdat ovula. Etenim quæ recenter utero excepta sunt, ab initio tantillum liquoris illius admixtum habent; augetur nihilominus hic ipse indies adeo, ut tandem pondus ovulorum omne superet. Ad hæc mirum est, visciditatem eam non tam accrescere cum numero ovulorum in uterum delapsorum, quam supervenire potius, postquam exhaustis ovariiis uterus omnino plenus est: ne dicam obvenisse nobis ranam, in cujus sinistro utero perfectum jam ex omni parte sperma detinebatur, in dextro tamen nuda fere apparebant ovula, fortasse tardius huic delata ob inæqualem maris compressionem; siquidem ejus luculentum in pectore matris vidimus testimonium, excoriationem puta non in utroque sed sinistro saltem latere conspicuam. Sed ad rem: a mare injici liquor hic viscidus non videtur, quia talis in ejus vesiculis spermaticis non invenitur, sed fluidus magis & lacteus. Neque ex altera parte maternus id promittit uterus, utpote cujus substantia pure membranacea est & tenuis admodum, si duplicaturam ejus, qua lumbis annectitur, excipias. Nec denique ovulis vel in ovario, vel dum in cavo ventris fluctuant, quicquam accrescit; ergo superest unice, ut in oviductum inquiramus. Favet autem huic primo, quod reperimus, non quidem ubique, sed hinc inde pellucidum liquorem inter ovula trajicenda permixtum. Secundo majorem illius humoris copiam vidimus circa insertionem oviductus ovulis affusam, minorem in reliqua uteri cavitate. Tertio si aperiatur oviductus, occurrit ibidem glutinosus humor, qualem in reliquo corpore nusquam reperire licet. Denique quarto

extra



extra omnem dubitationem nos collocavit microscopii usus; hujus etenim beneficio vidimus non obscure glandulas omnem oviductus cavitatem undique contegentes. Et quemadmodum canalis ille post partum miris modis attenuatur, tum amplitudine tum substantia, ita & glandulae hae tum temporis longe exiliores sunt. Eadem ante ingravitationem multum majores spectantur, quando & conspectiores & crassiores sunt oviductus. At suavissimum plane spectaculum praebent ranarum utero gerentium oviductus, quippe qui aperti non modo glandulas offerunt satis conspicuas, sed & e glandularum poris manantem lympham. Quas enim ibidem spectandas fibras supra memoravimus, ex glandulis his concatenatis teguntur miro naturae artificio: interjectae autem striae (quales fere in extremitate digitorum nostrorum cernimus) decurrentem inde humorem & colligunt & provehant ulterius. Posito igitur maximam requiri hujus liquoris copiam, ad fovendam ac fortassis enutriendam etiam ranarum sobolem longe numerosissimam, non deterremur attamen a jam declaratis fontibus, quando quidem sufficere potest & glandularum illarum immensa frequentia, & ipsius canalis longitudo, quae, si a mesenterio suo liberentur haec intestinula, in minoribus etiam ranis dimidiam, in majoribus integram fere ulnam nostratibus usitatam attingit. Adde his diuturnitatem temporis, quo ranæ utero gerunt, non hora aut die, nedum septimana circumscriptam, & res omnis salva erit.

*Explicatio Figurarum.*

*Fig. 1.*

*In rana mare indicat*

- 1. Exerescenciam pollicis adnatam in utroque anteriore pede,
- 2. Penem ex concursu vasorum ejaculantium exsurgentem,
- C. Vesiculas seminales ureteribus annexas,
- D. Testes cum renibus communicantes per vascula seminalia,
- E. Renes cum ureteribus.
- F. Vesicam Urinariam duplicem, turgidam flatu immisso,
- G. Intestini recti portionem,
- H. Sternum,
- I. Lobos Hepatis,
- K. Spinam dorsæ,

*Fig. 2.*

*In rana gravida notat*

- A. Cor,
- B. Pulmones collapsos,
- C. Epatis portionem,
- D. Ventriculum,
- E. Intestina,
- F. Intestinum rectum,
- G. Vesicam Urinariam apertam,
- H. Ureterum exitum, fetis immisissis,
- I. Ostia uterina,
- K. Uterum duplicem ovis gravem,
- L. Oviductum,
- M. Ostium ejus superius inter cor & pulmones hians,
- N. Ovaria exhausta,

\* \* \* \* \*

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ  
Calendis Junii, Anni M DC LXXXVII.*

## JOH. HENRICI HEIDEGGERI IN VIAM *Concordiæ Protestantium Ecclesiasticæ Ma- nuctio.*

Amstelodami, apud Henr. Wetstein, 1687.

**E**Ruditionem & claritudinem Viri non est quod hic commende-  
mus, jam satis orbi literario notam. Hoc tractatu propensum  
ad pacem ecclesiasticam inter Protestantes studium ostendit;  
quod quidem pios omnes merito tenet, licet successus non nisi  
a singulari Dei gratia, qua infinita pene obstacula superentur, expectari  
possit. Agnoscit hoc ipse Autor in libelli præfatione, temporum ta-  
men & judicii divini contemplatione excitatum se ad scribendum pro-  
fitetur. In *duas autem diatribas* distribuit, quæ proponenda habuit.  
In *prima*, præmissis prius aut repetitis denuo causis, quæ dissentientes  
ad pacem movere debeant, a pietate & necessitate deductis, ante o-  
mnia consensum utriusque Confessionis, *Augustanæ & Reformatæ*, in  
maximis fidei articulis laudat & probat. Communem notat Augustana  
subscriptionem, quam huc usque ab omnibus Theologis Reformatis,  
qui in Academiis Germaniæ Doctorum titulum assumunt, & a  
se ipso factam esse refert §. 12. Cum vero objici posse animadvertat,  
acta Synodi *Dordracenæ*, aut quæ eam præcessit, *Delphenfis*, in qui-  
bus negatur, Reformatos Lutheranorum confessionem unquam rece-  
pisse; diluere id vult aliquibus rationibus, & testimonio *Güberii Voe-  
tii* celeberrimi inter Reformatos Belgas Theologi, qui Synodi utriusque  
membrum fuit. Dicit itaque, non *Augustanam Confessionem* anni 1530,  
sed *Formulam Concordiæ*, quam genuinam *Flacianorum, seu Neo Luthera-  
norum* confessionem appellat, intellectam esse. Hæc ex §. 13. referi-  
mus,

○ ○

mus, nulla approbandi intentione; neque enim ignari sumus, quomodo nostrates *Flacianismi* & *Neo Lutheranismi* imputationes pro contumeliosis habeant. Disputat inde §. 14. de Augustanæ confessionis variatione, de qua tot lites ortæ sunt; per eam enim rerum nullam, sed tantum modi doctrinæ differentiam inductam esse censet, putatque Luthero consentiente, vel saltem non dissentiente, mutationem factam esse. Hac stante, in *articulum decimum Aug. Conf.* consentire ait omnes Reformatorum confessiones; nullam enim esse, quæ neget *vere adesse in Cæna Domini, & vescentibus distribui corpus & sanguinem J. C.* Disceptari solum de modo præsentia, qui in prima Aug. Conf. editione per verba *sub specie panis & vini*, quæ in posteriori expuncta sunt, vel Pontificio dogmati favere, vel præsentiam in, *cum & sub pane*, sive *secundum loci indistantiam* complecti videatur: cum tamen Reformati illam tantum admittant, *qua mediante verbo & symbolis, per os fidei, in æteriori homini exhibetur, sic ut pii per fidem communionem symbolis confirmatam cum Christo habeant, & in ipso vivant.* (sunt verba Autoris §. 17.) Sententiam vero illam de *indistantia loci* sive *ubiquitate*, ne Luthero quidem, nedum Melanchthoni confessionis auctori, aut Philippo Hassiæ Principi eam subscribenti, in mentem venisse putat, ideoq; nec clausula Articuli, qua *secus docentes improbantur*, Reformatos, sed Anabaptistas, aut eos qui nuda signa asserbant, tangi existimat. Levioris momenti esse judicat Art. XI. de *confessione privata*, item Art. XII. de *perseverantia iustorum*: hic enim iterum Anabaptistas damnari, qui *ἀναμαρτυρία* *σταναν*, non Reformatos, qui eam non asserant, sed gratiam ad tempus amitti posse non negent, eatenus *Puritanis* & *Catharis* non minus ac Anabaptistis repugnantes. Duriora sunt, quæ §. 22. adversus illos ex Lutheranis, qui *Formulam Concordiæ* acceptarunt, disseruntur. Interim §. 23. vel ex illa ipsa Formula Concordiæ pro certo supponitur, Augustanam confessionem utriusque partis symbolum commune confessionis & contestationis esse, adeoque neutram partem ab altera damnari, aut hæreseos ream haberi posse. Controversias postea distinguit in incertas & certas. Inter illas refert imputationes ex consequentiis, vel crudis particularium doctorum dictis, collectas. Inter has numerat quæstionem de Sacramentis a Luthero cum Carolostadio & Zvinglio agitari cœptam, quæ sola A. 1529 in colloquio Marburgensi a consentientibus in reliqua, excepta fuerit; in qua tamen utrosque

phrasi-

phrasibus incommodis usos esse, se ipsos mutuo non intellexisse, & de verbis potius quam re pugnasse, Calvini iudicio asseverat, §. 30. Memorat inde, ut occasione istius de Sacramento disceptationis de *ubiquitate* quam vocant, circa an. 1557, & paulo post dein de *predestinatione & gratia* disputari coeptum sit, quibus & alia accesserint, a quibusdam, inter quos *D. Jacobum Andream & Job. Eckardum* §. 31. notat, ultra modum aucta; imminuta vero, quoties ad colloquia res pervenerit, qualia Lipsiæ A. 1651, & Cassellæ A. 1662 habita refert. Neque tamen dissimulat, quæ in posteriori conventa sunt, ab altero ex Theologis Rintelensibus *D. Petro Musæo* in dubium revocata, & Wittenbergensibus Theologis improbata esse. Tractat inde pluribus de distinctione articulorum fundamentalium, & statum controversiæ de S. Coena proponit, ex quo concludit, eam non esse de fundamento. Pari modo §. 49. & seqq. de controversiâ circa *Personam Christi* disserit, eam etiam pro verbali habens, & quæ facile tolli possit, sublata catachresi phrasium. Pergit inde §. 55. & seqq. ad quæstionem de *predestinatione*, neque hanc pro fundamentali agnoscit. Idem statuit de disputatione circa *gratiam universalem* §. 62. & seqq. de *efficacia gratia convertentis* §. 64. de *perseverantia sanctorum* §. 66. & seqq. Non magis ad fundamentum pertinere tradit lites de *baptismo* §. 68, & speciatim de *exorcismo* §. 70. Summa eo redit §. 71. & seqq. controversias, quas collocutores Lipsienses, Cassellani & Rintelenses superesse judicarunt, ad fundamentum fidei ac salutis fidelium nihil attinere, sed plerasque stipulares esse, quæ in oculis fratrum non trahis, sed festucæ locum habeant. Addit tamen Autor protestationem §. 73, se ista charitate, qua dissentientes ab erroribus fundamentalibus absolvit, nolle veritati sententiæ, quam ipse cum Reformatis in articulis controversis tenet, præjudicare; infirmitati quidem ignoscendum, sed non imitandam illam aut suscipiendam esse: optandum potius & annitendum, ut erroribus qualibuscunque omnes liberentur; interim vero, ut in rei summa concordēs, sese mutuo tollerent, & per vincula Spiritus & pacis sese conjungant.

*Diatriba secunda* suadet Autor Protestantibus concordiam, non obstante dissensu in nonnullis (quas exigui momenti esse censuit) quæstionibus; ita tamen, ut veritati non fiat præjudicium: absque illa enim nullam iniri posse pacem. Zelum saltem intempestivum improbat, allegatis §. 6. verbis *Job. Mattiæ Streguensis* in Suecia Episcopi, ex

tractatu *Ramo olivæ A. 1656.* edito, & concedit retineri posse, salva veritate & concordia, diversas opiniones. Inde §. 8. duodecim argumentis sententiam suam adstruit, quorum primum §. 9. & seqq. ex lege charitatis deducit, ostenso quomodo illa per contentiones lædatur. Exempla Christi & Apostolorum, infirmitates tolerantium proponit (arg. 2.) §. 17. itemque primitivæ & priscae Ecclesiæ, (arg. 3.) §. 19. speciatim Cyrilli Alex. & Johannis Antiocheni. His comparat *Lutheri & Carolostadii*, nec non hyperaspistarum, inde *Àmsdorffii*, hinc *Zwvinglii* contentiones §. 23. Statum præterea Ecclesiæ militantis, quæ imperfectione non careat, (arg. 4.) considerari jubet, adducta doctrina Apostoli 1. Cor. XIII, cui repugnent qui errantium personas odio errorum implicant. Vincula spirituales unitatis Eph. IV. 3. 6. descripta §. 26. (arg. 5.) in utroque Protestantium cœtu salva esse affirmat. Providentiam Dei (arg. 6.) qua utrique ab erroribus Pontificiis olim liberati, & huc usque, sicut & ab aliis hæresibus conservati fuerint, incitamentum concordia præbere judicat §. 30. & seqq. Idem suadet (arg. 7. ex communione principiorum, speciatim in articulo justificationis, §. 33. & objectioni, quod Reformati justificationes in decreto Dei particulari ponant, non sine querela adversus ejus argumenti autores respondet, plenissimum de justificatione consensum inter partes esse demonstrandum sumens, non obstante disceptatione de ordine finis & mediorum in decreto prædestinationis, quo posito leviores dissensiones omnes conciliari posse arbitratur. Argumentatur (8.) §. 83. & seqq. ab Ecclesiis ante reformationem sub Pontificatu pressis, vel ab eo exclusis & separatis, v. g. *Waldensibus & Bohemis*, quas pro veræ Ecclesiæ membris etiam *Lutherus* habuerit, itemque orientabilibus quibusdam, quæ dissentientes licet a Protestantibus in nonnullis articulis, veræ tamen Ecclesiæ axioma non amiserint. Diluit exceptionem, quasi nunc intolerabilius erretur, ob clariores demonstrationes contrariæ sententiæ. (Arg. 9.) §. 44. spem concordia inde concipit, quod non solum ex parte Reformationum illa cupidissime desideretur, & dudum anno 1631. in Synodo Carentonensi decreta & oblata fuerit, sed quod etiam inter Augustanæ confessionis Theologos, uti & Principes & Politicos, fuerint (quos nominat §. 46. & seqq.) eodem tendentes. Allegat articulum VII Pæis *Westphalicæ A. 1648*, per quem controversia inter Protestantes reservata sunt ulteriori compositioni,

fitioni, nec deesse hodie putat & Theologos, & Principes ac sapientes ex Politicis, qui promovere hoc negotium possint. Taxat tamen laxitatem eorum ex Aug. Conf. Theologis, qui etiam cum Pontificiis concordiam sanciri posse putaverint, & provocat ad dissertationem collegæ sui *D. Cass. Wolfpii de Articulis unionis inter Ecclesiam Romanam & Lutheranam nuper vulgatis*. Laudat corpus harmonicum confessionum, tanquam sancientiæ concordie palladium, & Lutheri exemplum, qui A. 1536 concordiam cum Argentinenis & aliis superioris Germaniæ Theologis inierit, eamque literis, quarum verba allegat, ad Helvetios A. 1537 incredibili orationis (ut scribit) suavitate & devotione commendaverit. Dolet itaque illum postea animum mutasse, affectibus (ita putat) turbatum, secutamque concordie illius dissolutionem deplorat. Extollit aliam, inter Augustanæ & Helveticæ confessionis coetus in Polonia A. 1570 *Sendomiria* compositam, & quædam ex literis a Polonis Proceribus & Theologis ad Germanos An. 1578 datis refert. Exemplum etiam consensus inter Bohemos A. 1579 initi, & postea a Maximiliano II. Imp. confirmati proponit, quo A. 1606 labante etiam libertas Regni illius labascere coeperit. §. 60. (Arg. 10.) a Pontificiis ipsis discere Protestantibus posse notat, si observent, quomodo illi concordiam colant, non obstante dissensu in plurimis & maximi momenti articulis, per concilium Tridentinum nequicquam sopito. E contrario rigorem illum ex Antichristi spiritu §. 62. (arg. 11.) profectum, quo Pontifex etiam levissimas dissensiones post definitionem Ecclesiæ continuatas, persequitur, imitari dicit, qui suas opiniones in articulis non fundamentalibus cum supercilio & anathemate aliis obtudunt. Denique §. 63. (arg. 12.) hortenda damna, quæ ex disordiis huc usque in ecclesiam emanaverint, expendi monet; per has enim & Papatui & Mahometismo augmenta accessisse. Nec tacet simulatas veteres inter Protestantibus, quæ infelicem belli *Smaltalditi* superioris, & *Robemio Germanici* nostro seculo gesti, eventum produxerint, non sine adversariotum risu, & letis in futurum auguriis, quæ ex scriptis quibusdam adducit: judicia etiam Dei presentia, & persecutiones utrique parti inflictas aut intentatas, ob oculos ponit.

Nostrum non est, sententiam de re gravissimi momenti, ejus felix eventus ut omnibus desiderabilis, ita frustraneus conatus non sine majoris incommodi periculo est, hic aperire. Recensuimus præcipuos

libelli contenta. Ut vero clarissimi Autoris mens tanto apertius intelligatur, de vexatissimis quibusdam inter Protestantes quæstionibus verba quædam ejus, speciminis causa adscribemus. *De sacra Cæna* inter alia ita loquitur, Part. I. §. 44: Nos quoque opinionem illam Lutheranorum, quod in Cæna Domini corpus Christi organo oris a dignis, & indignis comedatur, sed non mastictetur, vel in stomachum trajicitur (sic enim mentem suam explicant, stipulam revera esse, concordæ fidelium nil obstantem, inde colligimus, quia in examine conscientiz & probatione nostri, in legitimo Cænz Dominicæ usu, protinus ita exurit & evanescit; quando videlicet pia anima non, quid alii sumant, cogitat, sed ut ipsa digne, mystico videlicet & spirituali modo, per veram fidem, corpus & sanguinem Christi percipiat, allaborat. Otiosam ergo speculationem quandam de reproborum communionis (de qua qui morosius disputant, perinde mihi facere videntur, atque Medici de homine mortuo disceptantes, an opotum pharmacum in eo vim habeat?) opinio illa continet, quæ fidei praxin in communionis salutari, quam ipsis etiam Lutheranis concedimus, non impedit. Neque vero alia ipsorum, alia nostra est in examine illo, & probatione nostri ab Apostolo præcepta praxis; sed utrorum eadem est. Ex qua, si recta uti ratione velint, facile colligent, se magno in errore & rerum nostrarum ignorantie hæcenus versatos esse, cum videlicet Christum a nobis excludi a Cæna, & nudis signis nos ludere, absque salutari corporis & sanguinis Christi perceptione crediderunt. Æque ac Eckhartus *Fascic.* p. 510. 512. conqueritur de nobis, quod injuriam Lutheranis faciamus, dicentes eos statueretrajektionem corporis Christi in stomachum, consubstantiationem, symysiam, impanationem, aut localem inclusionem in pane, aut commixtionem cum pane. Non enim adesse corpus Christi physice & localiter, sed imperscrutabili modo, Wittenbergenfes *ad Acta Colloq. Mompelg.* p. 76. neque ullum esse descensum corporis Christi vel visibilem vel invisibilem, Lutherus *Epist. ad Civitates*, asseruere. Licet ergo ignorantie quadam circa modum loquendi aut suum aut nostrum teneantur, tamen nihil statuunt, ultra nos, quod velint tanquam articulum fidei obtrudere; quanquam illud, quod imperscrutabile esse dicunt, negare nolint. In articulo *de Gratia universali* ad objectionem, qua contraria de particulari sententia refelli maxime solet, ita respondet §. 64. Quod sine promissionibus absolute

absolute universalibus fidem in electis generari, & in tentationibus confirmari non posse, nonnulli obtinent, eo quod fides seu individualis applicatio gratiæ ex particulari promissione ad paucos, non ad omnes relata, oriri nequeat; vix equidem pondus ullum habet. Non dicam, fidem salvificam generari non posse ex tali promissione, quæ ad infideles etiam & reprobos pertinet; cum id quod in fidelibus & infidelibus, electis & reprobis commune est, fidei causa esse nequeat. An enim firmam fidem concipere possum, Christum Salvatorem meum esse, & mihi remissionem peccatorum ac vitam largiturum esse, quia verbi Divini absoluta promissio ad omnes & singulos, adeoque etiam reprobos pertinet? Sic enim vel reprobi etiam fidem salvificam concipient, & Christum suum Salvatorem apprehendent: vel absoluta promissio fidei causa non est. Principium ergo ab universalitate absoluta sumtum, vagum nimis & remotum ac plane insufficiens est; imprimis cum consentiamus utrinque, nec suasionem morali fidem concipi, nec beneficia morte Christi parta & acquisita applicari per dictamen rationis, sed per solam operationem & efficaciam Spiritus S. absque qua, de gratia Dei, tanquam ad se pertinente, nihil homo statuere potest, nisi forte affirmare velit se Christi esse, etiam si Spiritum Christi non habeat, contra Apostolum Rom VIII. 9. Hæc autem Spiritus S. efficacia cum in omnibus non sit, asserta licet universalis gratia fidem homini cuivis in individuo solidam non faciet. Certius longe fidei & concipiendæ & firmandæ fundamentum est, si secundum ductum verbi divini universales propositiones cum suis restrictionibus & limitationibus, ubique fere & semper adjectis componantur, atque sic applicentur. Cum ergo promissio universalis extet, quod Deus velit respicere eos, qui contrito corde sunt, quod velit quietem dare iis, qui fatigati sunt: quod æternam vitam dare velit omnibus qui credunt in filium in mortem traditum pro credentibus &c. ejus promissionis applicatio plane, ceteris paribus, fidem gignere & in tentationibus corroborare apta nata est. Atque eo sensu promissiones applicatas non particulares, sed universales, non contra sed secundum Evangelium, nempe credentibus, omnibus factas, etiam Helvetica Confessio cap. X. profitetur his verbis: *Consoletur nos in tentatione predestinationis, qua vix alia est periculosior, quod promissiones Dei sunt universales fidelibus.* Denique de perseverantia sanctorum in conventu Lipsiensi convenisse scribit



67. fideles electos quosvis certos esse posse ac debere salutis suae, non  
 conjecturali tantum, sed infallibili fidei divinæ, cui subesse falsum non  
 potest, certitudine. Pergit postea: Ita Hutterus in comp. Loc. XIII.  
 29. querenti: An electi possint esse certi de sua perseverantia in fi-  
 de? respondet: Imo certissimi. 1. Quia norunt electionem & salutem  
 suam unice fundatam in Christo. 2. Quia Spiritus S. in electis habi-  
 tat ut in templo suo, & (NB.) in iis non est otiosus, sed impellit eos ad  
 obediendum mandatis Dei. Perhibet enim testimonium, quod sint  
 filii Dei. 3. Quia certo sciunt, Deum se invocantes exaudire. Et  
 Brochmannus Loco de fide justif. cap. 2. q. 20. clare, nostrorum, inquit,  
 Theologorum certa & constans assertio est, quod homo vere fidelis  
 certissimus esse possit, debeatque de peccatorum remissione, justi-  
 tia & salute. Hoc fundamentum si constanter, & pressis manibus Evan-  
 gelici retinuerint, non multum profecto litis supererit, quia sic & non  
 perseverantes vere fideles nunquam fuerint, sed professi duntaxat &  
 ἰδοξασμένους tales, quibus illud Publii Syri quadrat: Fidem nemo un-  
 quam perdit, nisi qui non habet: & fides subinde nutans, imo amissa  
 & expiranti similis, in solidum tamen, ratione puta & radicis & fructus,  
 & presentis & operationis seu sensus, amittetur & expirabit nun-  
 quam, quia eadem ratione etiam certitudo fidei & perseverantiae in  
 solidum amitteretur & expiraret, quod utriusque nos constanter negamus.  
 Et de hoc etiam quicquid sit, hoc unum in quaestione manebit, an fides  
 & iustitia, quam finaliter non deficere utrique consentimus, quæ in  
 tentationum actu non sentitur, neque operatur πρὸς κέρρον, ad tem-  
 pus, pereat, mox revictura tamen vividiusque se prolatura, an sopiatur  
 duntaxat? Neutra hic opinio tanti momenti est, ut fundamento fidei  
 convellendo par sit, quia utraque certitudinem fidei ac perseverantiae  
 finalis tuetur; & ad salutem vel damnationem æternam opinantis al-  
 terutrius non multum adeo refert, an in tentationum actu fides & Spi-  
 ritus S. absit, an sopitus lateat, (cum absentis, sed mox redituri tamen,  
 & sopiti ac non operantis haud grave adeo discrimen sit;) dummodo  
 lætam mox, sive ex favillis, sive ex ætherea sua sede faciem suam denuo  
 proferat, nubilis hisce dispulsis suavissimus Phœbus succedat, & tan-  
 dem militantem, & varie jactatam electorum animam ad tranquillita-  
 tis coelestis portum perducatur. *Ex his de aliis iudicium capi potest.*

ARTI-

ARTICLES DE RÉUNION ENTRE LES PROTESTANS de la Confession d'Ambourg, & les Reformez; proposés par un Theologien de la Confession d'Ambourg.

id est

ARTICULI REUNIONIS INTER PROTESTANTES AUGUSTANÆ Confessionis & Reformatos, propositi per Theologum quendam Aug. Confess.

Rotterdam, apud Abraham Acher, 1687. in 4.

**A**rticuli isti, omisso Autoris nomine, in duobus quaternionibus majoris formæ Latine exhibentur, sub titulo *Conditionum pie unionis Ecclesiarum Protestantium*: Gallica versio e regione, in divisa additur paginæ arcola. Proponuntur autem primo articuli XVIII *dogmatici*, nempe (1) de Deo & credendi principio. (2) de perduto generis humani statu. (3) de philanthropia Patris. (4) de pietate erga Deum. (5) de sanctitate Dei. (6) de mysterio incarnationis. (7) de generis humani redemptione. (8) de pietate erga Redemptorem. (9) de conversione. (10) de justificatione & annexis. (11) de officio justificatorum. (12) de miseria relapsorum. (13) de sufficientia contritionis & fidei vivæ ad salutem. (14) de baptismo. (15) de sacra coena. (16) de vera salutis causa. (17) de fructu bonorum operum. (18) de electione. Dein subjunguntur *Practici* VI, in quibus cavetur (1) ne ullius Ecclesiæ Protestantis status turbetur per vim, tumulum aut schisma. (2) ne Ecclesiæ ob ritus diversos gravi censura in publicis scriptis aut sermonibus privatis perstringantur. (3 & 4) ut eorum, qui dogmaticos illos articulos profitentur, sacra usurpari salva conscientia & fide possint, & ut solo nationum nomine distinguantur Ecclesiæ, v. g. *Evangelica Protestans Angliæ, Sæciciæ, Saxonie, Belgii*. (5) ne de salute eorum dubitetur, qui capitales articulos credendo defuncti sunt. (6) ut qui in aliis articulis (præter dogmaticos illos XVIII) hæsitant, titubant aut errant, fraterne doceantur, quomodo assertiones illorum cum verbo Dei & articulis illis virtualiter pugnent, admonentur etiam ut peculiarem sententiam suam in sinu reponant, interim spe emendationis tolerantur. Articulos dogmaticos excerpo

Pp

re, idem

re, idem foret ac exscribere. Præstat eos legi sicuti editi sunt, stylo quidem plano & populari. Is tamen qui eos edidit, Reformatarum partium Theologus, collaudato Autoris studio pacifico, metuere videtur, ne Reformatis quibusdam multa displiceant, cum nihil, ut putat, hic remissum sit ex sententia August. Conf. Theologorum, sed pro fidei articulis proponantur etiam minima controversiarum puncta, quæ inter utramque partem ventilantur. Quod quomodo se habeat, lectoris judicio permittimus. Existimat monitor, factum id esse ab autore ut privato, qui sibi convenire non existimaverit, suo arbitratu demere & circumcidere suæ communionis dogmata; sperari autem posse id futurum, si alii A. C. Theologi eodem pacis spiritu tractatum concordia aggrediantur; obtineri enim eam non posse, nisi mutuo aliquid relaxetur: si vero una pars alteri velit suam solum sententiam obtrudere, non alium reunionis modum extitutum esse, quam quem in Gallia *Protestantes* nuper experti sunt. Fatetur tamen idem, Articulum de S. Coena, qui maximum dissensus momentum faciat, tam sapienter & moderate conceptum esse, ut omnes acquiescere in eo possint. Est is, ut diximus, Artic. XV, in 14 puncta divisus, quorum priora sex, quæ questionibus inter partes accommodantur, speciminis veluti causa adscribemus: 1. Dominus noster Jesus Christus, benedictione præmissa, discipulis suis dixit, *accipite panem hunc, edite illum.*, hoc enim quod vobis cum pane isto exhibeo, est corpus meum. 2. Hæc cum sint verissima: certe panis sacræ mensæ benedictus est symbolum cum corpore Christi, modo tamen inexplicabili, conjunctissimum, eoque sensu vocatur ille ab Apostolo communio corporis Christi. 3. Nulli ergo non sacræ mensæ hospiti præbet Servator noster, cum egregiis hæcæ celestis cibi potusque signis ac sigillis, cum pane, inquam, & vino benedicto, corpus ac sanguinem suum. 4. Ast præbet illa eo modo, quem Deus nusquam nobis revelavit, quem ille proinde nos scire ac definire noluit, ac consequenter mortali nemo potest capere atque explicare. 5. Unde adeo universis convivis id incumbit, ut in sacri epuli usu ad animum sibi vocent, cum fiducia, desiderio, spe gratiæ, & precibus, corpus ac sanguinem Domini, velut thesaurum summum cum visibilibus elementis modo ineffabili communicatum; ut item mortem Domini celebrent cum gratiarum actione. 6. Quisquis tum piam Christi recordationem præ-

prætermiserit, mortis reus erit sempiternæ, ob indignam symbolorum, atque pretiosissimi thesauri acceptionem. In reliquis quædam contra abusus Pontificios diriguntur, interque illa *undecimum*, ubi Autor dicit, *stultissime agere illas, qui ita consecrant, edunt aut bibunt, ut Deo per symbolorum consecrationem Christi mortem representent, quia nulla passionis Servatoris cum symbolorum benedictione & fruitione similitudo intercedit*, annotante editore Gallo, ita explicatum per epistolam ab Autore esse perhibetur, ut non neget sacramentum coenæ dominicæ esse imaginem passionis Christi. Art. VII. de redemptione generis humani ita conceptus est: 1. Dominus noster Jesus Christus est Mediator Dei & hominum quorumcunque. 2. Dedit semetipsum antitypum verissimum pro universis ac singulis hominibus. 3. Præstitit enim vice generis humani exactissimum obsequium præceptis, divinis, suscepit in se omnium hominum peccata, atque elevatus est, tandem velut victima, imputatis alienis peccatis onusta & maledictionum obnoxia, in crucem: ut universi qui crediderint habeant, ab æterno exitio liberati, certo certius vitam æternam, ut consequenter omnes & singuli deinceps victuri homines, dummodo fecerint hominis convertendi officium, convertantur, & dummodo crediderint, salventur. Huic correspondet Art. VIII. §. 1: proinde nos universi ac singuli reliquique mortales omnes, obstricti sumus, ut credamus Jesum Christum nostrum esse Salvatorem, ut ideirco in ipso confidamus, ac speremus, eum amemus, revereamur, celebremus, omnique obsequio deveneremur. Congruit etiam Art. XVIII. de electione: 1. Deo nostro jam ante orbem conditum omnia sua nota fuere operata. 2. Quam ergo ob causam, quem in finem, quoque modo Deus in tempore quicquam facit, procurat, permittit, eam ob causam, eum in finem, eoque modo, se id esse facturum, procuraturum, promissurum, decrevit ab æterno. 3. Proinde jam ante mundi fundamenta de temporaria sua beneficiorum gratiæ dispensatione sic penes animum suum constituit: Mittam filium meum proprium, quadragesimo post apostasiam generis humani seculo in carnem. Is per suam satisfactionem universis acquirat beneficia necessaria quæcunque; quisquis jam mortalium faciet officium hominis convertendi, justificandi, adoptandi, renovandi, conservandi (in fide & pietate) reparandi (ad contritionem & fidem post anaptosin) is convertetur, justificabitur, ad-

„optabitur, renovabitur, conservabitur & reparabitur. Adduntur  
 „subsumtionum exempla. Cætera, ut dictum est, ad ipsius scripti lectio-  
 nem remittimus.

**JACOBI WILHELMI IM HOFF NOTITIA S. ROM.  
 Germanici Imperii Procerum, Historico-Heraldico-Genera-  
 logica.**

Tubingæ, sumpt. Joh. Georg. Cottæ, 1687. in 4.

**C**um Nobilissimus operis hujus Author anno 1683 *Spicilegii Rit-  
 tershusiani* partem priorem, tres genealogicarum tabularum deca-  
 das complexam, evulgasset, simulque promississet libellum singularem,  
 quo quicquid Rittershusii Familiarum Germanicarum tabulis deesset,  
 affatim suppleretur; nil magis nos in votis habere, quam festinatam  
 illius editionem, in Actis istius anni p. 423. 424. professi sumus. Et  
 respondit sane expectatione citius votis nostris, dum anno sequenti  
 Tubingæ hanc *Notitiam Procerum Imperii*, tam *in folio*, quam *in octa-  
 va forma*, excudi curavit, eamque hoc anno denuo, sed infinitis locis  
 emendatiorem & auctiorem edidit.

Distinguitur opus hoc, quod nunc primum Authoris sui nomen  
 fronti adscriptum gerit, libris noxem, quorum *primus* agit de Impera-  
 tore & familia *Cæsarea*, *alter* de Electoribus, *certius* de Principibus ec-  
 clesiasticis, Archiepiscopis, Episcopis, Magistris ordinum Teutonici  
 & Johannitici per Germaniam, Abbatibus ad principale fastigium e-  
 vectis, Prælati aliis, qui curiatim suffragia ferunt, ac denique Abbatissis.  
*Quarto* acceditur ad Principes seculares, & quidem antiquiores, qui-  
 bus *libro quinto* Principes in specie sic dicti adduntur. Reliquis *quatuor*  
*libris* recensentur totidem Comitum ac Baronum scamna, *Wetteravi-  
 cum* puta, *Suevicum*, *Franconicum*, *Westphalicum*.

De tot tantisque communis patriæ proceribus eo pacto agit No-  
 ster, ut, quod *seculares* attinet, cujusvis familiæ primam originem se-  
 culo inquirat, eaque inventa doceat, quoties & in quos ramos succes-  
 su temporis distincta, qua fortuna usa, quibus denique dititionibus ac  
 clientelis subinde aucta fuerit. Uti vero nusquam iis immoratur, de  
 quibus Rittershusius ea quæ par erat, dixerat; ita, quotquot illum fir-  
 gerant, aut post illius fata illuxerant, natales, nuptiales, emortuales dies  
 ac an

et annos, summa industria undiqueque conquisitos, distincte ac copiose annotat. Utque primo intuitu liqueat, quænam anno 1684. (quo primitus hæc commentatus fuerat,) in singulis ramis eminerint familiarum capita, nomina eorum majusculis exarata litoris extantiora redidit. Subjungit tandem *Insignia Gentis* heraldice enarrata. Quod *ecclesiasticos* autem spectat, ante omnia moderni Præsulis nomen, titulos, parentes ac insignia commemorat; inde in episcopatus aut monasterii itemque ordinum Teutonici & Johannitici historiam divagatur, ac quo hodie præsertim loco eorum res sint, quotve ac quosnam Canonicos anno 1684. aluerint, dilucide edisserit. Cumque tantum non omnes familie hoc triennio incrementa & decrements non una habuerint, nec pauci Ecclesiasticorum procerum isto temporis intervallo vita functi fuerint, singulis fere paginis in recentissima hac editione aliquid accessit; cæterarum (quas per operarum festinationem suis locis reponere integram Authori non fuit,) observationum farrago amplissima in calcem voluminis cum indicibus locupletissimis personarum, insignium & rerum necessariorum rejecta est.

**SPICILEGII RITTERSHUSIANI PARS**

*posterior, sive Tabula Genealogica XXXX.*

Tubingæ, apud Joh. Georg. Cattam. 1685, in fol.

**I**dem autor est posterioris hujus partis, qui prioris, in *Actis* anni 1683 p. 423. memoratæ, nempe Nobilissimus *J. c. Guilb. Im Hoff*, Patritius Norimbergensis. Recensentur hæc ipsa parte stemmata illustrium aliquot in utraque Germania, Hungaria, Bohemia, Polonia & Suecia familiarum, quarum nomina in Sylloge Genealogiarum *Rittershusianarum* frustra inquires; non alia autem sunt, ac quæ sequuntur: *Ab Altbann, Auerspergii, Bannerii, Bielke, a Blagay, Curlandia Duces, Egmondani, Esterbasii, Fursenbergii* Barones in Westphalia, *Gallenbergii, Greiffenklavii, Hornii, Jevera & Kniphuisii* Dynastæ, *Ligniaci, Leutenhauptii, Lubomirskii, de Martiniz, Ochsenfirne* Comites, *Palsii, Radzivillii, Rappolsteinii, Rosenberga* Comites, *Salmenses, Serinii, Slavata, Steinbockii, Tattenbachii, Wiesnovvezii*. Præmittitur supplementum in illarum familiarum, quibus in *Notitia Procerum Imperii* nullus locus commode dari poterat, genealogias *Rittershusianas*, Comitum scilicet

P p 3

*Brabe,*

*Brabe*, *Dominorum Broderoda*, *Burggr. & Com. de Dobna*, *Comitum de Hardeck*, *Comitum Kovenbüller*, *Ducum Lignicensium*, *Comitum de Marsberg*, *L. B. de Polheim*; *de Schallenberg*, *Schifer de Freyling*, *Com. de Stahrenberg*, *Dóm de Stabenberg*; *Com. de Traun*, *Lib. Bar. de Welt & de Zinzendorf*. Mantissa loco emendantur genealogiæ Comitum de *Windischgrätz* & *L. B. ab Egk*, in priore spicilegii parte extantes.

**JACOBI WILHELMI IM HOFF EXCELLENTIUM FAMILIARUM in Gallia Genealogia.**

Norimb. sumptibus Joh. Andr. Enderici filiorum,  
1687, in folio.

**A**mplissimam messem in Galliis invenit, cum *Rittershusii* industria vix unum alterumque *Spicilegium* in Germania reliquerat, Nobilissimus Autor. Duplicem autem familiarum Galliarum classem sibi hoc opere illustrandam putavit; quarum alteram constituit *Regia stirps a Roberto Forti, Hugonis Capeti proavo deducta*, & cum omnibus suis, tam legitimis, quam naturalibus surculis, tabulis XXVIII explicata. Cui accedunt in tabulis aliis viginti sex, stemmata *Principum extraneorum*, qui in Galliam sedem fortunarum transtulerunt, ibidemque jure indigenatus donati sunt, ut & illorum, qui Principibus extraneis dignitate pares habentur. Eorum nomina, si cupis, habe: *Duces Sabaudia, Losbaringia, Grimaldi, Turrio-Arvernenses, Robanci, Tremolli*. Alteram classem absolvunt *Duces ac Pares Franciæ, Fuxii, Albertiani, Montmorancii, Crussolii, Jousani, (Joyeuse), Nogaretio-Vallesani, Gondii, Levii, (de Levis) Hallvini, Gontaltino-Bironii, Berhanii, Albertini, Bónii, Crequi, Sanlarii, Cossii, Richelii, Rupifulcaudii, (la Rochefoucaud), San-Simonii, Caumontii, Estræ, Grammontii, Porteo-Mazariniani, (La Porte-Mazarin), Neovillei, Rupichoartii, Bellovillei, (Beauvilliers), Pleffiaco-Liancurii, Poterii, Noallii, Seguiarii, Cambotio-Coslinii, Choefelii (Choiseul) Aumontii, Seneterrani, Sanmaurii (de Sainte Maure), Guffierii, Albusonii, Brancacii, Gorrevodii, Bornonvillei, Hospitalii, Navallii, Arpajonii, Vetus-villai, (Vieville) Rupilaurii, Durfortii (Durasfort) Dallonici, Claramontani (Clermont-Tonnere) Colinii, Harlai. Impendit*

pendit Vir Nobilissimus *quingentes* harum illustrissimarum gentium stemmatibus tabulas CIII. Ino majora adhuc moliebatur. Sed qua de causa sententiam mutavit, ipsemet verbis edisserere placet. *Erato* (inquit) *mihi in animo, post Regum, Principum ac Ducum Pariumque genealogias, stemmata etiam aliorum sago & toga illustrium virorum, illorum imprimis, qui officii Corona, seu vocant, sunt functi, persequi, atque adeo tertiam etiam ac quartam classem subungere; a quibus equidem aequo tandem animo manus sustuli, cum de consilio suo Polybistor Germania nostra longe clarissimus, Dn. Philippus Jacobus Spenerus ad me scripsisset. Illud enim omne praecipuum meae arbitratus, pensum cum eo lubentissime partitus sum. Singularum autem Tabularum Genealogicarum paginis aversis inscripsit summa capitularum Virorum cujusvis familiae celebriorum, quorum nomen solum, conjugium, ac obitus in ipsa tabula commemorata fuerant. Praemitit tibi vis iconem Scuti Gentilitii ligno affabre incisi, illamque Heraldice exponit. Neq; silentio praetermittit, quicquid de prima cujusvis familiae origine inter Genealogos disputari assolet. Uti vero Germaniae nostrae tantum civem non minus ingenio & industria, quam natalium splendore illustrem ex animo gratulamur: ita nulli ambigimus, quin Itali, Hispani, Angli, idem sibi ab eo praestari officium desideraturi sint, quali hactenus de Imperii Rom. Germanici & Regni Francici Proceribus immortalter meritus est.*

### JOANNIS HARDUINI DE BAPTISMO

*Quaestio triplex.*

Parisii, apud Danielem Horthemels, 1687, in 4.

**P**rima quaestio *de Baptismo pro mortuis*, versatur in explicando loco Pauli i. Corinth. XV, quem Auctor neutiquam inter *duos vivos* ejus collocandum censet; omnemque difficultatem ex duobus fontibus ortam arbitratur, tum ex veteri illo & vulgato novi foederis interprete; quem terimus; tum vero imprimis ex nimia eorum subtilitate, qui huic loco explanando incubuerunt. Propterea operae pretium duxit, certas circumferibere interpretandi quinque regulas; & ad eas veluti ad normam certissimam varias variorum interpretationes exigere. Quo facto suam censoriae subiecit virgulae, quae eo redit; ut *baptismum pro-*  

PIER



*per morbos*, sive occasione mortuorum, a Paulo significatum tradat. Vult quippe, Corinthios eo anno morbum invalisse, quo grassante nem plurimi supremum obibant, & in iis haud pauci eorum, qui, ut Pacianus ait, ad altare veniebant indigni. Quamobrem ingruentis lethi metu, τῶ φέβῳ τῶν νεκρῶν, propter mortuos, sive occasione mortuorum, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quorum maximus numerus fuit, baptismo alii ut tingerentur orabant. Quo illi studio prospicere sibi se in futurum significabant: & quo minus restare vitæ videbatur, hoc sollicitius viaticum alterius vitæ querere &c. Hanc suam sententiam multis argumentis confirmat, nec despiciatui fore confidit. Primum, quod ante a se præstitutis explanandi hujus loci legibus ac regulis ad amissimæ congruit. Deinde, quod est plana atque expedita. Tum quod & subsequentiæ ætatis exemplo, & consimili Augustini effato fulcitur ac nititur. Denique quod accommodatam quam maxime ad propositum ostendit Pauli argumentationem.

Secunda quaestio *de baptismo in vino* ex responso, quod Stephanus II Papa anno DCCLIV in Carisiaco villa, Gallicanæ Ecclesiæ Antistitibus dedisse fertur, originem trahit. Harduinus rejectis binis respondendi modis (quorum neuter de historię fide dubitat, sed alter quidem casu necessitatis Stephanum vult compulsum, ut vinum aquæ substituendum decreverit, ubi ea non invenitur; alter depravatam esse textum & corrigendum clamat); tertium forte sibi oblatam defendit, statuitque, e novendecim capitulis, sive responsis, quæ Stephano adscribuntur, decem omnino supposititia esse: ista videlicet, secundum, tertium, quartum, nonum, decimum, undecimum, (quod est de Baptismo in vino) duodecimum, decimum tertium, decimum quartum, & decimum octavum. Sex deinde ex iis ipsis, nempe nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum tertium, & decimum quartum, Sirisio Papæ primum dolo malo attributa, tum pari scelere atque audacia Stephani responsis corpus illud insertum, ac veluti purpureo panno centonem assutum. Hanc autem fraudem corruptionemque sub Gratiani Monachi tempora collocat, cui fuere hi canones suppositii ob eam causam incompti; additque vetustissimos codices manu exaratos, qui eos exhibent, ætatem eam adeo non antecedere, ut vix assequantur.

Tertiæ quaestioni *de Baptismo in nomine Christi* ansam dedit responsum

sponsum Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, cui enodando alia etiam similia Lucæ in Actis & Ambrosii loca Auctor proponit, eaque ita interpretatur, ut non in Christi modo, verum etiam in Trinitatis nomine baptizari, unum & idem existimatum sit, atque post confessionem utriuslibet baptizari; quæ fiebat in redditione Symboli ante baptismum. Ut adeo verba illa, *baptizari in nomine Christi*, non ad formam baptismi, ut vulgo fit, sed ad confessionem baptizati referenda veniant. Dehinc prolixè disputat, alia forma verborum, quam quæ est a Christo Domino præstituta, vix unum alterumve hominum genus in tota antiquitate usum reperiri; & quæ de hæreticis ex Concilio Nicæno, Gregorio, Innocentio, aliis, objici solent, quomodo cunque potest, ad suam opinionem inflectere satagit.

**NOVISSIMA IDEA DE FEBRIBUS &c.**

*auctore Jacobo Sylvio.*

Dublina, apud Jos. Rey, 1686. in 8.

**P**aradoxa in plerisque Auctoris opinio de febribus est, quam pro instituti ratione per transfennam modo videre aggredimur. Præmittit fusius naturalis status descriptionem, asseritque sanitatem in regulari commissione & unione particularum insensibilium chyli & sanguinis consistere, ita ut inrerveniente materia subtili & aere, blanda illarum porennet commotio. Hæc vero (quam fermentationis, effervescentiæ, agitationis vocabulo promiscue effert) prout major vel minor sit, eo magis expandi cordis parietes. Quo magis hi expandantur, eo majori impetu a corde sanguinem proflire, & antecedentem in arteria magna propellere. Quo major quoque sanguinis effervescentia, eo citatiorem quoque respirationem esse, & vice versa. Quo hæc frequentior, eo plus aeris inveni, unde major commotio sive rarefactio sanguinis, atque ex hac major resistentia contra atmosphæræ pressuram oriatur, sicque velociori motu cruor feratur. Hinc invaletudinis, imo febrium causam ponit irregularem particularum in sanguine missionem, & perturbatam earum commotionem. Hanc verò longe minorem in febribus judicat, ob materiæ subtilis ingressum per lineam rectam præpeditum. Tum sanguinem asserit minus intumescere, minusque sic resistere atmosphæræ compressioni. Ac cum hoc modo strictior ejus compages evadat, minus expandi cordis parietes

*per morbos*, sive occasione mortuorum, a Paulo significatum tradat. Vult quippe, Corinthios eo anno morbum invalisse, quo grassante diem plurimum supremum obibant, & in iis haud pauci eorum, qui, ut Pacianus ait, ad altare veniebant indigni. Quamobrem ingruentis lethi metu, τῶ φέβῳ τῶν νεκρῶν, propter mortuos, sive occasione mortuorum, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quorum maximus numerus fuit, baptismo alii ut tingerentur orabant. Quo illi studio prospicere sibi se in futurum significabant: & quo minus restare vitæ videbatur, hoc sollicitius viaticum alterius vitæ querere &c. Hanc suam sententiam multis argumentis confirmat, nec despiciatui fore confidit. Primum, quod ante a se præstitutis explanandi hujus loci legibus ac regulis ad amantissimum congruit. Deinde, quod est plana atque expedita. Tum quod & subsequantium ætatum exemplo, & consimili Augustini effato fulcitur ac nititur. Denique quod accommodatam quam maxime ad propositum ostendit Pauli argumentationem.

Secunda quaestio *de baptismo in vino* ex responso, quod Stephanus II Papa anno DCCLIV in Carisiaco villa, Gallicanae Ecclesiae Antistitibus dedisse fertur, originem trahit. Harduinus rejectis binis respondendi modis (quorum neuter de historiae fide dubitat, sed alter quidem casu necessitatis Stephanum vult compulsum, ut vinum aquae substituendum decreverit, ubi ea non invenitur; alter depravatam esse textum & corrigendum clamat); tertium forte sibi oblatam defendit, statuitque, e novendecim capitulis, sive responsis, quae Stephano adscribuntur, decem omnino supposititia esse: ista videlicet, secundum, tertium, quartum, nonum, decimum, undecimum, (quod est de Baptismo in vino) duodecimum, decimum tertium, decimum quartum, & decimum octavum. Sex deinde ex iis ipsis, nempe nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimum tertium, & decimum quartum, Sirisio Papae primum dolo malo attributa, tum pari scelere atque audacia Stephani responsis corpus illud insertum, ac veluti purpureo panno centonem assutum. Hanc autem fraudem corruptionemque sub Gratiani Monachi tempora collocat, cui fuere hi canones suppositii ob eam causam incompti; additque vetustissimos codices manu exaratos, qui eos exhibent, ætatem eam adeo non antecedere, ut vix assequantur.

Tertiae quaestioni *de Baptismo in nomine Christi* ansam dedit responsum

Sponsum Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, cui enodando alia etiam familia Lucæ in Actis & Ambrosii loca Auctor proponit, eaque ita interpretatur, ut non in Christi modo, verum etiam in Trinitatis nomine baptizari, unum & idem existimatum sit, atque post confessionem utriuslibet baptizari; quæ fiebat in redditione Symboli ante baptismum. Ut adeo verba illa, *baptizari in nomine Christi*, non ad formam baptismi, ut vulgo fit, sed ad confessionem baptizati referenda veniant. Dehinc prolixè disputat, alia forma verborum, quam quæ est a Christo Domino præstituta, vix unum alterumve hominum genus in tota antiquitate usum reperiri; & quæ de hæreticis ex Concilio Nicæno, Gregorio, Innocentio, aliis, objici solent, quomodocumque potest, ad suam opinionem inflectere satagit.

*NOVISSIMA IDEA DE FEBRIBUS &c.*

*auctore Jacobo Sylvio.*

Dublina, apud Jos. Rey, 1686. in 8.

**P**ARADOXA in plerisque Auctoris opinio de febribus est, quam pro instituti ratione per transfennam modo videre aggredimur. Præmittit fusius naturalis status descriptionem, asseritque sanitatem in regulari commitione & unione particularum insensibilium chyli & sanguinis consistere, ita ut inerveniente materia subtili & aere, blanda illarum perennet commotio. Hæc vero (quam fermentationis, effervescentiæ, agitationis vocabulo promiscue effert) prout major vel minor sit, eo magis expandi cordis parietes. Quo magis hi expandantur, eo majori impetu a corde sanguinem prosilire, & antecedentem in arteria magna propellere. Quo major quoque sanguinis effervescentia, eo citatiorem quoque respirationem esse, & vice versa. Quo hæc frequentior, eo plus aeris inveni, unde major commotio sive rarefactio sanguinis, atque ex hac major resistentia contra atmosphæræ pressuram oriatur, sicque velociori motu cruor feratur. Hinc invaletudinis, imo febrium causam ponit irregularem particularum in sanguine mitionem, & perturbatam earum commotionem. Hanc verò longe minorem in febribus judicat, ob materiæ subtilis ingressum per lineam rectam præpeditum. Tum sanguinem asserit minus intumescere, minusque sic resistere atmosphæræ compressioni. Ac cum hoc modo strictior ejus compages evadat, minus expandi cordis parietes

rietes, minori impetu sanguinem inde expelli, lentio- rem ipsius progressum fieri. Hinc mechanica ratione, ait, clarum existere, quod pulsus debeat evadere frequentior. Nam cum sanguinis minus intumescat, necessario cor cum annexa arteria crebrius constringi debere. Id quod e contrario liqueat; nam si sanguis rite, intumescat, eor magis expandi. Ad majorem vero sive integram ejus expansionem longius temporis spatium requiri, quam ad minorem sive mediam, sicque pulsus omnino tardio- rem fieri. Præterea vel ideo quoque cor & arteriam frequentio- rem edere pulsus, quod cum sanguinem in febribus multas ob rationes crassio- rem ac viscosiorem nequeant una pulsatione propellere, crebris ac iteratis pulsibus protrudere allaborent. Falli itaque auctores turpiter, qui majorem sanguinis rarefactionem & circulationem citatio- rem ex pulsu frequenti velint indi- cari; in hoc saltem veridicos, quod pulsus quam pro natura frequen- tior, febris signum constituat pathognomonicum, cum omni, soli & semper competere deprehendatur. De cætero symptomata duo palmaria in febribus observabilia, calorem scilicet & frigus, explicans fusus ostendit, ad essentiam illarum hæc non pertinere, sed pro effectibus solum habenda. Simul quomodo ex frigore calor emergat, prolixius exponit; utriusque vero majorem in partibus sensum sive perceptionem, ex tardiori circulatione sanguinis, adeoque hujus diu- turniori inhæ- sione deducit. Sic a frusto glaciæ, parti cuidam corporis affric- to, exiguum frigoris sensum produci: longe majorem vero, si plane inhæreat. Pariter carbonem ardentem sive prunam raptim digi- tis attolli posse, lente non posse. Ignem enim subtilem ac transeuntem non lædere, nec caloris sensum inferre, quod de crassiore ac permanente non liceat asserere. Falsissimum itaque pronuntiat, quod calor in febri- bus auctus, urina intensius tincta & pulsus frequens, velociorem sangui- nis motum queant indicare. Ac quinque argumentis probat, corpus li- quidum cito moveri posse, & tamen non existere calidum: & contra, calidum esse posse, nec tamen veloci- ter moveri. Reliqua in febribus occurrentia symptomata ad unum omnia ex perturbata sanguinis par- ticularum missione, sed diverso modo, explicat, ita ut aliter sitis, aliter capitis dolor, anxietates præcordiorum, vomitiones, nausæ, diarrhœæ, vigiliæ &c. producantur. Hinc de periodo febrium statis ho- ris redeuntium differens, majorem vel minorem materiæ glandulæ ven- triculi,

triculi, intestinorum, & forsan etiam pancreatis, obstruentis visciditatem, & humoris stagnantis pro moræ diversitate majorem vel minorem aciditatem acculat. Citius vero vel tardius paroxysmorum reditus inde credit determinari, febresque continuas existere, quando tam cito se subsequantur, ita ut altera nondum remiserit, quando altera incipit. Curationem denique explanaturus, erroneam methodum per refrigerantia, humectantia, phlebotomiam, & cathartica rejicit. In specie, si refrigerantia necessaria adeo sunt, quærit, cur febricitantes non frigido aeri exponantur? aut cur inde ledantur? cur ægri ardore summo afflicti in lecto calido detineantur? cur in malignis non frigida, sed sudorifera præscribantur? cur e contrario vehementer calida, ut piper, caryophilli, euphorbium, spiritus vini &c, febres curent? Itaque ad inducendum corpori ex febre æstuanti frigus, & siccitatem tollendam, non frigida & humectantia, sed calefacientia potius in usum vocare jubet, imo attenuantibus & temperantibus rem totam absolvere. Commendat in hunc finem salia lixiva volatilia & fixa, item spiritus volatiles vel puros, vel aromaticos, nec non oleosa, ut aromatica olea stillatitia &c. modumque operationis eorum quoad cuncta febrium symptomata superius commemorata, ad mentem Cartesianorum fusiùs explicat. Camphoram vero, tanquam naturale sal volatile oleosum sine pari ac perfectissimum extollit. Huic plurimum assimilari sperma ceti (quod gummi vel bitumen mari extractum pronuntiat) arbitratur. Spiritum salis ammoniaci vero omnibus sibi hactenus notis aromaticis præfert, ad edomandum acidum in febribus semper peccans & in perturbata sanguinis missione occurrens. Formulam præscribendi ex reliquis unicam modo hic inferemus:

Recip. Vini Canarin. vel aquæ Menth. ℥iv.

Elixir vit. aromat. vel aqu. vit.

Matth. aut cujusvis aromat. ℥j,

Sp. Theriac. Camphor. ℥iſſ.

Salis vol. oleosigutt. xxv.

Diafcond. Sylv. ℥j.

Antimon. diaphor. vel bez miner. gr. xxx,

ocul. cancri ℥j.

Spermat. cet. ℥ij.

Salis tartari ℥j. &c.

Q q 2

M. &c

M. & pro re nata addendum monet vel oleum quoddam stillatitium, vel aliquid camphoræ loco salis volatilis oleofi. De hac mistura singulis horis capiendum suadet cochleare unum, donec sudores erumpant, unde melius habituri sint ægri. quod circulatio sanguinis liberior fiat. Cæterum phlebotomiam & cathartica parum damni, parumque juvaminis afferre posse cum Borello statuit, quod qui similia adhibent, neque facilius curentur, neque moriantur, quam illi qui plane talia in auxilium non vocant. Negare tamen non præsumit, in quibusdam forsan Epidemiis aliquid inde utilitatis expectandum fore.

Ad ultimum annexa est huic tractatui dissertatio de insensibili transpiratione, in qua ipsius definitio, origo sive causa, necessitas & rationes, tandemque usus investigantur. Prolixitatem vitaturi unicum hoc afferimus, quod Auctor probare nitatur, sub effervescentiæ motu continuo quasdam particulas ex misti compage aquosas, spirituosas &c. avolare & exhalare. Ab his vero aerem propellentibus necessario materiam subtilem cogi ex tubulis aeris discedere, & loca exinanita particularum jam exclusarum iterum occupare. Cumque singulae corporis partes succo nutritio perfusa sint, hic autem effervescat, atque effervescentia nulla sine evaporatione, ut dictum, contingat, consequi inde omnino, quod transpiratio fiat in qualibet corporis parte. Hinc postquam Sanctorii sententiæ subscripsit, plus scilicet in die naturali insensibiliter per poros cutis diffari, quam per urinas aut alvum egeratur, concludit quod transpiratio arctissime cum sanitate conjuncta sit, ni absolute hanc ab illa dependere velimus admittere. Hoc vero quotidianæ experientiæ testimonio putat confirmatum, dum ab impedita transpiratione, vel alterata ejus periodo cujusque generis ægitudines exoriri observentur.

GULIELMI ROBERTSON, A. M. THE-

*ſaurus Lingua ſanctæ.*

sive,

Concordantiæ Lexicon Hebræo-Latino-  
Biblicum.

Londini, impensis Thomæ Savvbridge, 1686, in 4.

Varia

**V**aria extant *Lexica Hebræo-Biblica*, quæ celebriores Christianorum Judæorumve Philologi indefesso studio, at impari successu, congesserunt. Ex his par Rabbiorum Arabum *Abuvvalid* & *R. Tanchum Hierosolymitanum*, præeunte celeberrimo *Pocockio*, laudavimus *Aktorum anni superioris* p. 577. 578. 579. Horum utrumque si typis excubire curarent Angli, magnum apud eos, qui Ebræa peritius nosse aut valent, aut cupiunt, beneficium ponerent. Tacemus alios *arxidétus*, quorum nomina apud *Buxtorfium*, *Plantavitium*, *Baroloccium*, & *R. Schabtai*, in Bibliothecis, quas singuli ediderunt, Rabbiniis legere est. Caremus illorum usu eo æquiori animo, quod jacturam abunde refarciat *R. Davidis Kimchii Sepher Schoraschim*, h. e. **LIBER RADICUM** seu *Lexicon*, quod secundam partem *Sepher Micblol* sive Operis Grammatici constituit. Editum id est *Neapoli* anno *Æræ Judaicæ* contractionis 250, i. e. Christi 1490; *Constantinopoli* a. 273, Christi 1513; *Venetiâ* a. 307, Christi 1547, ac suffragiis Eruditorum utriusque gentis tantum non omnium, inter similis argumenti libros principatum facile obtinuit. Fuerunt tamen, qui nec in tantum nomen censoriam expedire virgulam veriti sunt. Illos inter *R. Samuel Ben R. Lariph*, (cujus curæ editionem Neapolitanam debemus,) omnia illa Scripturæ loca, quorum lectio a vulgata Masoretharum abscedebat, e *Kimchio* temere expunxit, qua de re legisse non poenitebit *Claudium Capellanum*, *Maris* Rabbiniçi infidi parte I. capite tertio. Alter est *R. Joseph Cassi*, qui *Scharfborb Keseph*, *Catenas Argenteas*, seu *Librum de Radicibus Hebraorum* nondum editum, teste *R. Schabtai*, conscripsit, *Kimchium* que quavis arrepta occasione resellere studuit. Addatur *Don Jshat Abarbanel*, qui præfatione in *Prophetas Minores*, fol. 224. col. 2. illum in *Commentariis Prophetiis* plagii, quo in *Abenefram* injurios fuerit, postulavit, suspensionem que simul suggessit, nec in *Lexico* istum a crimine hoc sibi omnino temperasse. Verum quicquid hujus sit, id saltem extra controversiam esse videtur, vix ullum Christianorum, si absque *Kimchii* opera fuisset, tantæ molis opus aggressurum fuisse. Contra vero, ex quo illius scripta Christianorum manibus tæri experunt, quamplurima ad illius exemplum *Lexica Hebræo Latino-Biblica* concinnata novimus, authoribus *Sante Pagnino Lucensi* (cujus lacunas subpleverunt *Job. Mercerus*, *Antonius Cwallerius*, & *Bonsventura Cornelius Berramus*) *Johanne Foslero*; *Johanne Avenario*, *Marco Bherino*



*Brixiano, Job. Buxtorfio, Nic. Petrao, Job. Plantavicio, Job. Coccejo, Eduardo Leigbio, aliis, quorum catalogum Maxime Reverendus Augustus Pfeifferus noster texuit Critices Sacra cap. V. §. 10.* Nullum tamen hactenus Lexicon lucem aspexit, quod non laboraret defectibus nonnullis, quos laudatus Pfeifferus anno jamjam hujus seculi septuagesimo nono tum in *Epistolica Consultatione*, tum in *Critica Sacra* cap. V. Qu. X. operose exposuit; constat vero, Eruditos maximæ famæ non unos Virum tanto oneri ferundo aptissimum publico nomine per literas rogasse, ut ipsemet ad Idem illius suæ normam lexicon adornaret faceretque juris publici. Utinam autem ei per concatenatos labores Ecclesiasticos Academicosque liceret, votis illorum propediem assurgere. Tunc quippe profecto haberemus, quod *thesaurum* quovis auro cariorum Orbi Literario impense gratulareretur.

Interea vero dum hujus spe tenemur, non ingratus est hic Gul. Robertsoni *Thesaurus*, laude certe sua non indignus, utpote in quo *Lexica Hebraica hucusque edita omnia, Buxtorfisque Concordantias Ebraicæ, methodice, succincte & quasi synoptice exhibere* voluit. Sub quavis enim radice non tantum omnes conjugationum & nominum formas, simplices atque compositas adducit, sed & ad singulas annotat locorum Scripturæ univerforum, (ubi illa legitur,) non verba quidem, librum tamen, eaput & versum. Sed & e re Ebraicæ linguæ cupidorum sine dubio fuisset, si eadem methodo, qua voces flexibiles explicatas dedit, de inflexilibus etiam *particulis* Hebraicis agere non abnuisset, quarum aliquas quidem, easque biliteras & trilateras, evoluit, sed, uti videtur, nimis succincte: unilateras autem plane neglexit. Illius vero causam vix aliam fuisse opinamur, quam quod fuerit destitutus *Concordantiis Particularum Hebræo Chaldaicarum* *Christ. Noldii*, Theologi Hauniensis, opere summi (si quid judicamus) laboris atque ingenii. Additi sunt singulis vocibus Commentarioli ex *Kimchio, Aben Ezra, R. Salomone, R. Levi, R. Mosche, Abarbenele*, item Lexicographis *Munsterero, Pagnino, Forstero, Avenario, Mercero, Cavallerio, Buxtorfio, Coccejo* deprompti, quibus sensus vocum rariorum aut anomalarum, (a quo sæpe totius versus interpretatio pendet,) hic illiç declaratur. Cæterum eximiam agnoscimus industriam Auctoris, qui absq; ullo vivo præceptore Ebræam & utramque Aramæam linguam addidicisse se refert in *Postscripto, seu Paratip ad Linguam Hebræicam studii*, quæ sub-

juncta

juncta olim *Thesauro lingua Græca referato* abs illo ante quadriennium edito, nunc vero sub finem quoque *Lexici Hebraici* recusa cernitur. Sequitur ejusdem

**GULIELMI ROBERTSON MANIPU-**  
*lus Lingua Sancta & Eruditorum.*

Centabrig. Typis Johannis Heyes, 1686, in 8.

**Q**uatuor partibus *Manipulus* hic absolvitur. Prima parte habetur *Index Alphabeticus Hebraeo-Biblicus ad Concordantiale Lexicon Hebraeo Latino-Biblicum nuper editum, in quo voces defectiva & anomala ad proprias radices reducuntur, ut facilius in Lexico reperiantur.* Altera agit de *Accentuatione Hebraeo-Biblica*, tum profaica, tum metrica. Tertia de *formatione verborum*. Ultimam constituunt *sententia Hebraeo-Latina Biblica triginta dua*, in quibus exempla præcipuarum anomaliarum extant, publicatæ olim hoc ordine a *Victorino Bybncro*, nunc vero pro praxi *Lexicon de vocibus difficilioribus* consulendi, adjectæ.

**LEXICON NOVUM HEBRÆO-LATINUM AD MO-**  
*dum Lexici Schreveliani Græci compositum &c.*  
*adauctum Lexico Chaldaico-Biblico*  
*a Johanne Leusden.*

Ultrajecti, apud Franc. Halma, 1687, in 8.

**D**uz voluminis hujus partes sunt. Altera complectitur *Indicem Hebraicum Gulielmi Robertsoni*, (de quo, cœu prima parte *Manipuli Lingua Sancta*, modo diximus,) novo nunc titulo *Lexici Hebraeo-Latini & interpretatione Latina vocum Hebræarum a Job. Leusdenio* donatum. Alteram absolvit *Lexicon* seu *index vocum Chaldaico-Biblicarum*, eodem filo, ac *Hebraicus Robertsoni*, ab ipso Leusdenio pertextus.

**JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHAMBOGEN, J. U. D. & S.**  
*Cæs. Maj. Consilarii, &c. Praelectiones publicæ in*  
*Justiniani Institutionum Juris IV Libros*  
*compositæ.*

Neo-Pragæ, typis Joh. Nic. Hampelii, 1687, in 4.

Secunda

SECUNDA nunc vice in publicum prodit præfens ad Instituta Justiniana commentarius, a Consultissimo Autore antehac in Universitate Carolo-Ferdinandæ Pragenſi auditoribus in calamum dictatus, ac dein anno 1676 primum in lucem editus. Egit in eo non id solum, ut prima juris principia perspicue ac distincte proponeret, dubiaque ex apparenti textuum pugna subinde nata resolveret, ac alias quæstiones frequentius apud juris interpretes obvias decideret; quæ singula scilicet jam antehac a plerisque aliis commentatoribus pertractata reputari possent: sed & speciatim in eo occupatus fuit, ut patrii juris, Bohemici puta, notitiam aliqualem suis in tempore una imprimeret, nec vicinæ Saxonæ statuta, sicubi a communi jure discederent, allegare omitteret. Brevisſimis tamen verbis utrumque horum præstitit, & plerumque non nisi remissive, dubio procul, ut auditores ad ipsarum Regni legum evolutionem melius aduſuaceret. Ut ut autem secundum ea, quæ ab Autore adducuntur, in plurimis capitibus Bohemiæ jura eum Justinianæ legis amice conspirant; haud pauca tamen vicissim deprehendere licet, in quibus manifeste satis ab invicem discedunt: quorsum v. g. pertinet, quod in Bohemia minorennitas vigesimo anno terminetur; quod certa tutorum species detur, qui patriam potestatem habere dicantur, nec inviti rationes reddere cogantur; quod subditus absque scitu Domini vel capitanei sui, ultra 3 sſs. Bohemicos mutare vel fidejuberè efficaciter nequeat; quod quantitas legitimæ determinata non sit, (pro tertia tamen plerumque decidi ait,) quod patre consentiente filius familias valide testamentum condat; quod contra fiscum ne quidem immemorialis currat præscriptio; quod, si creditor prius conveniat principalem debitorem, hoc ipso fidejussor liberetur, quodque fidejussoria obligatio morte fidejussoris expiret. Quemadmodum vero ipsum jus Bohemicum non uniforme est, sed in municipale & provinciale dispescitur; quorum illud Bartolum de Saxo Ferrato, a Carolo IV. eapropter Pragæ evocatum autorem habere dicitur, & statui civico pro norma ac regula propositum est; hoc vero, nempe Provinciale, (renovatum & editum a Ferdinando II. anno 1627. 10. Maji, ac dein adauctum Novellis declaratoris Ferdinandi III. anno 1640, 1. Febr. junctim publicatis,) eos imprimis concernit, qui altioris status sunt: ita Autor noster distinctionis hujus sedulam ubivis rationem habuit, indigitando, quid provinciali, quid municipali jure cautum

cautum sit, cum utriusque haud levis aliquando discrepantia occurrat. Sic jure municipali pubertatis terminus in foemina est annus 15, in masculo 18; at jure provinciali 20 demum anno mas pro pubere haberi fertur: jure municipali nuptiarum, absque parentum consensu initae, sunt legitima exheredationis liberorum causa; jure vero provinciali non item, nisi insuper Judicium Provinciale a Testatore super ea re in consilium abhibitum fuerit: jure municipali testamentum valide fit coram duobus testibus, aut etiam sine testibus, modo indubie a testatore scriptum aut subscriptum factum sit; at jure provinciali, etiam si propria manu scriptum sit, requiruntur tamen insuper testes quatuor altioris status; aut certe, si hi deficiant, ut quinque alii bonae famae viri subscripserint ac subsignarint, opus est. Praeterea & haec in specie ad jus municipale referenda sunt, quod sorores ad tutelam admittuntur: quod is pro herede habetur, cui plurimum in testamento relatum est: quod is, qui ab actione semel mota per annum & diem desistit, postea non amplius auditur: denique quod, etsi regulariter ibi dotalium soleat esse tertia pars ultra dotem, sic ut v. g. quae 100 intulit, capiat 150; nihilominus, si viduus virginem ducat, teneatur eam in duplo contradotare, ne ita, quae dotem tulit 100 aureorum, dotalitii nomine 300 capiat. Atque haec quidem de jure Bohemico allegata sufficiant: de his enim, quae ex jure Saxonico aequae ac communi afferuntur, cum in vulgus nota sint, dicere nil attinet. De caetero, quemadmodum hic Autoris confutissimi labor antehac ab ejusdem auditoribus cum applausu fuit exceptus; ita quin eundem porro apud lectores etiam ob ordinatam probe & perspicuam in docendo methodum sit promeriturus, nulli dubitamus.

*ABRAHAMI HEIDANI CORPUS THEOLOGIAE Christianae.*

Lugd. Bat. apud Johann. de Vivie &c. 1686, in 4.

**P**RAelectiones Academicas suas, ex quibus hic liber natus est, Heidanus ipse, cum adhuc in vivis esset, licet saepe rogatus, ad incudem revocare & in lucem edere noluit; ne ut editor Carolus Crucius, professione Jctus, illius nepos, ad Lectorem praefatus fatetur, in se irritaret eos, qui lites aliis ex minima sententiarum disparitate, vel ex solo livore graves

graves & molestas movent. Quibus sine dubio ea respicit, quæ Heidanus partim ex principiis philosophiæ Cartesianæ, partim ex hypothefibus Coccejanz Theologiæ passim in Systemate suo docuit. Enim vero illa nova dogmata non valde occulta habuit, sed publice etiam proposuit in disputationibus, ac defendit adeo constanter contra interdictum Curatorum Academiz Leidenfis, ut ab officio Professorio tandem deponeretur. Annotamus autem in Corpore, quod præ oculis habemus, Theologiæ Christianæ, Cartesianismum sapere: *ideam DEI nobis esse annatam; nihil in DEO dari actum infinitum; recte dici, DEUM crastina die incipere esse; de DEI existentia in philosophia dubitari posse; mundo non esse assignandos terminos; propter hominem alia omnia non esse facta; principium, cogito ergo sum, esse omnium primum in philosophia; hominem sine corpore manere hominem, i. e. substantiam intelligentem; & alia, quæ prætermittimus.* Coccejanz sunt assertiones: *opus Spiritus S. in fœderatis sub veteri Testamento, non fuisse fiduciam in libertate filiorum DEI, sed servilem famulationem: non contigisse fidelibus V. T. plenam peccatorum remissionem, i. e. ἀφεσις, sed solam τάρα i. e. dissimulationem in conniventia DEI.*

In cæteris antiquum rigorem Reformatorum servat. Nam & Supralapsariorum sententiam acriter tuetur, & distinctionem inter sufficientiam & efficaciam mortis Christi refellit, & gratiam universalem, itidem ab iis, qui inter illos pacem & concordiam ecclesiasticam nobiscum suadent, assertam explodit. Integrum opus in duos tomos distributum est. In primo continentur Loci septem; (1) *de Theologia & Sacra Scriptura*; (2) *de DEO & Trinitate*; (3) *de decretis DEI, ubi de Prædestinatione*; (4) *de Creatione*; (5) *de Providentia actuali*; (6) *de Peccato & viribus liberi arbitrii post lapsum*; (7) *de Mediatore, ejus statibus & officiis.* Tomus alter comprehendit Locos octo, (8) *de Fœdere Gratia, ejusque dispensatione sub Vet. & N. T.* (9) *de Satisfactione Christi pro peccatis*; (10) *de Vocatione hominum ad Salutem, ubi de Gratia*; (11) *de Justificatione & adoptione*; (12) *de Sanctificatione & Libertate Christiana*; (13) *de Ecclesia*; (14) *de Sacramentis*; (15) *de Homine novissimis.*

**JACOBI BERNOULLI, MATHEMATUM PROFESSORIS Basileensis, Gemina Appendix ad Examen perpetui Mobilis, insertum m. Decembri Anno-  
rum anno-1686.**

Priorem

**P**riorem harum Appendicum a clarissimo Autore *submissam*, incun-  
te Januario presentis anni accepimus: quo ipso & December Novella-  
rum Batavarum ad nos perlatas, *machina* a D. Papino & Pujola impugna-  
ta defensionem, ab Autore suo susceptam, nobis exhibuit. Non ingratus em-  
go Appendicis Autori fore putavimus publicationis eouq; moram, dum ip-  
se de novo hoc responso quantocumque certior redderetur, una fortassis opera ste-  
rato *Machina* defensa examine defuncturus. Sed dum scheda Batava  
Lipsia Basileam perferuntur, ejusque litera, segnius a latore curata, ad  
nos remeant, unus & alter mensis lapsus est; ut priori Appendici, Auto-  
ri voto mense Aprilis publicanda, altera superveniret, junctim nunc cum  
illa publicanda. Ceterum quae in Novellis Batavis, mensibus Majo,  
Junio, Septembri & Decembri A. 1686, pag. 577, 671, 1004, 1378. in u-  
traque parte de perpetuo hoc mobilis disceptata sunt, vel ideo huc trans-  
ferre negleximus, quod ea in compendio referant Appendices Ber-  
mondiana. Sic autem illa:

I.

**M**irabitur procul dubio Lector, quod postquam materiae in diver-  
sis Eruditorum Actis ad ventilandum propositae satis diu inter  
Doctos agitatae fuerunt, ego de novo & postliminio quasi earum exa-  
men aggredi soleam, prout jam aliquoties usu mihi venit. Sed mirari de-  
finet, cum perceperit, Acta isthac sero admodum, nempe Novellas  
Reip. Lit. Actaq; Lipsiensia bis duntaxat in anno, Parisiensia elapso de-  
mum anno, Londinensia nunquam ad manus nostras pervenire, iterum-  
que aliquot praeterlabi menses, priusquam Actorum Collectores sche-  
darum mearum fiant participes. Transmiseram illis, instantibus ulti-  
mis nundinis Francofurtensibus, examen alicujus Perpetui Mobilis in  
Novellis publicati, iisdemque demum finitis perlati ad nos Menses  
Novell. Aprilis, Majus, Junius, e quibus a D. Papino & D. Pujolas in  
examine istius Machinae praeventum me esse cognovi. Sed quoniam  
diversam ab illis in hoc negotio viam inivi, nolo campum hunc prius  
deferere, quam quae praeterea tum circa utriusque responsionem, tum  
circa instantias Auctoris Machinae notanda mihi occurrerunt, publice  
impertivero.

Omnes tres in eo convenimus, quod in istiusmodi Folle, qualena  
proponit Auctor, nulla sequi possit alarum expansio, vel mercurii de-  
scensus. Ad hoc ostendendum illi quidem tum pondus mercurii in-

R r 2

clusi,

clusi, tum partem pressionis atmosphaericae, quae mediante tubo mercurium inclusum afficit, junctim contemplantur: ego seposita hujus accessione Follem ut undique clausum consideravi, ostendique, solius inclusi mercurii pondere alas Follis dilatari non posse; quo ipso satis refelli puto Auctoris opinionem, saltem illam, quae persuasum habet, per hydrargyri descensum in summitate Follis vacuum genitum iri: ut maxime enim pressio illa accessoria 5 digitorum mercurialium juncta ponderi inclusi hydrargyri, tanta supponeretur, quae dilatando Folli sufficeret; ista tamen tunc dilatatio produceretur non per subitaneum hydrargyri lapsum, sed per ejus detrusionem, succedente continuo per tubum alio mercurio, qui vacuum fieri impediret. Sed hoc obiter; neq; enim vacuum ad experimenti successum necessarium esse existimo. Responsio interim Papini huc redit: pressionem, quam Atmosphaera exercet intra follem, a longitudine intervenienti tubi plus diminui, quam augeri eadem possit a pondere mercurii inclusi. Si quaeras qui hoc fieri queat, cum diminuatur 22 tantum, augeatur vero 40 digitis mercurialibus; adjicit ille, asserti sui veritatem facili subduei posse calculo: qua sua responsione ansam mihi praebet suspicandi, quod existimet, inclusum mercurium in follem agere pro ratione solius suae molis sive ponderis; cum evidens admodum sit, si solam spectes molem, pyramidem 40 digitos altam minorem esse prisma in eadem quidem basi, sed altitudine 22 digitorum constituto: meus namque veriorque calculus, qui alas follis pro gemino vecte habet, viresque inclusi mercurii in premendis alis aestimat ex rationibus ponderum simul & distantiarum, tametsi satis planus sit & facilis, non tamen usque adeo obvius est, quin meruisset apponi a Papino, si huc digitum intendisset. Cum itaque non apposuerit, omnino conjicio, in hac illam sententia esse, quod in folle undique clauso non nisi triplo major, quam 27 digitorum altitudo requiratur, ad constituendum aequilibrium inter mercurium & externum aerem; cum ex calculo meo nupero pateat, quadruplo majorem in illo altitudinem deponci. Id cum in finem moneo, ut constat, quod si parva illa 5 digitorum accessio, qua vires inclusi ponderis augentur, juxta Papini calculum, dilatando folli 40 digitos tantum alto non sufficiat, multo minus illa in mea hypothesei effectui huic producendo suffectura sit. Ex dictis autem porro liquet, mirum non esse, quod responsio D. Papini minus satisfecerit Auctori

Auctori Machinæ, qui duo regessit; quorum alterum (nam in priori, quod mutationem quarundam partium machinæ concernit, fateor me ejus mentem non assequi) huc redit, quod Follis utique non dilataretur, si mercurius in illum ageret ratione molis suæ more corporum solidorum, non vero pro ratione altitudinis, ut solent liquida; centies namq; se expertum esse ait, si follis superne apertus intra liquidum aliquod aliquousque demergatur, accidere, ut liquor internus vel ad eandem cum externo se componat altitudinem, siquidem homogeneous illi sit, vel ut altius humilivse consistat, si eodem vel levior vel gravior fuerit. Unde colligere vult, quoniam 27 digiti mercuriales æquiperent altitudini atmosphæricæ, follem mercurio repletum dictamque excedentem altitudinem in aere perinde dilatatum iri, atque dilataretur, si stagnanti alicubi mercurio immergeretur ad 27 digitorum profunditatem. Ad instantiam hanc diluendam sciendum, longe aliam esse rationem follis aeri expositi, quam follis in hydrargyrum demersi, prout ex mea explicatione evidentissime liquere potest. Si Follis aeri exponatur, omnia alarum puncta premuntur a filamentis atmosphæricis ejusdem ad sensum altitudinis, quorum singula æquiperant 27 pollicibus mercurii: si demergatur in hydrargyrum, puncta quo propiora basi follis, eo minori extrinsecus pondere afficiuntur, filamentis mercurialibus sensim decrecentibus versus superficiem stagnantis hydrargyri, ubi tandem plane evanescent; adeoq; follis homogeneo liquore adimpleris necessario eousque sive dilatabitur sive constringetur, donec liquor intra extraque illum in eadem planitie horizontali constiterit, utpote quo casu singulis ejus punctis intra extraque follem ejusdem respective altitudinis & ponderis filamenta incumbunt. Hæc hætenus.

Quantum ad D. Pujolas refutationem, sic ille ad evertendam hanc Machinam ratiocinatus: Argentum, inquit, in folle 40 digitos alto non potest delabi ad 27 digitorum altitudinem, quoniam eousque dilatatur follis, ut in ejus summitate plus relinquatur vacui spatii, quam antea occupatum fuerat a tredecim mercurii digitis, qui descenderunt. Vacuum istud impleri denuo nec per mercurium tubi, nec per materiam subtilem potest; quoniam neutrum horum fluidorum aliis viribus in follem impelli posset, quam iisdem, quibus follis expanderetur: quæ vires non estimandæ forent ex omnibus 40 digitis inclusi mercurii, utpote quo-



rum 27 ob atmosphæræ æquilibrium irriti redderentur, sed a reliquis duntaxat tredecim: hæ vires autem non possent adigere in summam folli, nisi 13 alios mercurii digitos, qui non sufficerent ad implendum vacuum. Ergo &c. Verum enimvero præterquam quod nulla in hoc ratiocinio evidentiâ est mathematica, multa quoque occurrunt, quæ vix admitti possunt. *Primo* cum dicitur, delapso ad 27 digitos mercurio, vacuitatem nasci majorem spatio a 13 delapsis digitis antea occupato, id perpetuo & absolute verum non est; posset enim nunc major nunc minor esse dicto spatio, pro diversa ratione amplitudinis basis ad altitudinem folli. *Secundo* non necessum esset, ut mercurius per tubum impelleretur in follem iisdem illis viribus, quibus dilatatur folli; numquid impelli posset pondere columnæ atmosphæræ tubi vasculo incumbentis? Videtur hic Auctor revocare velle circulum Cartesiana; constat autem, phænomena hydrostatica longe melius & feliciter explari per Paschalianas columnas, quam per circulum Cartesii. *Tertio* si res foret explicanda per circulum, dicendo, mercurium impelli per tubum in follem a pauculo aere folli circumfuso, qui per folli dilatationem loco pulsus fuit; tum sequitur pariter, in siphone cujus crus longius exæquat 40 digitos, argentum ex breviori pelli in longius, vi paucilli aeris, qui per effluxum argenti e longiori exundavit; adeoque ascensum mercurii per crus brevius tempore correspondere debere cum descensu ejus per longius, quod experientiæ refragatur; cum lapsus ejus per longius sit momentaneus, ascensus per brevius lentior & successivus. *Quarto*, non tantum 27 digiti mercurii inclusi, sed tota ejus altitudo, etiamsi 100 exæquaret digitos, irrita redderetur a contrapondio atmosphæræ, ut ex nostra explicatione liquet. *Quin*, nulla evidens ratio est, cur tredecim mercurii digiti non possint impellere in follem tantum argenti, quantum sufficit ad replendum totum vacuum; tametsi enim amplitudo hujus vacui major sit spatio, quod occupant tredecim delapsi digiti, ejus tamen altitudo 13 digitis necessario minor esse debet. Constat vero, vires liquidorum æstimandas esse ex sola altitudine, nulla habita ratione molis; prout parva liquoris alicujus quantitas angustiiori siphonis cruri infusa, ad eandem attollit altitudinem multo majorem ejus molem in ampliori crure contentam. Atque hæc de insufficientia responsionis D. Pujolas.

Idem refutavit objectionem ab Auctore Machinæ sibi motam.  
Quoni-

Quoniam vero rationes ejus in Novellis non recententur, superest, ut & hanc instantiam ex hypothesi mea diluam. Memorat Auctor, experimentum se cepisse cum folle 10 digitorum, cujus basi adaptatus erat tubus 30 digitorum mercurio repletus & superne sigillatus; follem enim sibi relictum expansum fuisse, descendente mercurio tubi ad con-  
 fuetam altitudinem 27 digitorum. Sed quotusquisque est, qui in no-  
 stra explicatione non videat rationem disparitatis inter utrumque fol-  
 lem? In folle 40 digitorum, univcrsa mercurii moles externi aeris pres-  
 sioni mediantibus alis compressibilibus exposita est; in folle vero bre-  
 viori soli infimi 10 digiti ab aere laterali afficiuntur, totaque mercurii  
 portio inclusa tubo ob firmitudinem laterum ejus a laterali aeris pres-  
 sione immunis præstat; unde cum solius tubi longitudo 27 digitos  
 exsuperet, mirum non est, subsidere in illo mercurium. Num vero  
 præcise ad 27 digitorum altitudinem descensurus sit, subdubito, calculo  
 diversitatem nonnullam exhibente. Esto Follis ABC, cui adaptetur  
 tubus DE. Ex hydrostaticis principiis notum est, a pauxillo liquore  
 tubi DE licet angustissimi, tantundem premi subjectam basin latissi-  
 mam AC, quantum premeretur a multo majore ejus copia in tubo AG,  
 ejusdem quidem altitudinis cum DE, sed amplitudinis longe majoris,  
 nempe basi AC adæquatæ, contenta. Loco igitur tubi DE substitua-  
 tur alius AG, repletus itidem mercurio, qui fingatur descendisse in L,  
 ibique æquilibrium constituere cum externo aere L, qui alas AB, BC  
 comprimit. Sunt autem in Folle pyramidali ABC, altitudo  $BD = a = 10$   
 digitis.  $BA$  vel etiam  $DA = b$ . Circumferentia basis  $= c$ . Altitudo mer-  
 curialis 27 digitorum æquivalens altitudini atmosphericæ  $L = d$ . Alti-  
 tudo quæsitæ  $DI = x$ . Deprehenduntur momenta infinitarum  
 superficierum prismaticarum (circa communem axem  $IB$  con-  
 stitutarum & exhaurientium soliditatem follis ABC, tubique AM)  
 constituere geminam seriem secundanorum, diminutam serie tertia-  
 norum, cujus ultimus terminus  $bex \frac{1}{3} abc - abc$ . adeoque summa mo-  
 mentorum  $\frac{bbcx}{3} \frac{1}{3} \frac{abbc}{3} \frac{abbc}{4} = \frac{bbcx}{3} \frac{1}{3} \frac{abbc}{12}$ . Momenta filamentorum  
 atmospherarum L, alas AB, BC comprimentium constituunt serie-  
 em secundanorum, cujus ultimus terminus  $bed$ , adeoque summa mo-  
 mentorum  $\frac{bbcd}{3}$ : unde  $\frac{bbcd}{3} = \frac{bbcx}{3} \frac{1}{3} \frac{abbc}{12}$ , &  $x = d \cdot \frac{1}{4} a = 27 \cdot 2 \frac{1}{4} = 24 \frac{1}{2}$   
 digitis. Patet ergo, altitudinem argenti post descensum fore  $34 \frac{1}{2}$  di-  
 gitorum

TAB. VII.  
Fig. 1.

gitorum, si follis altitudinem una comprehendas; si minus, tantum  $24\frac{1}{2}$  digitorum; illo nempe respectu majorem, hoc minorem 27 digitis. Non nego tamen, altius in tubo sustentari posse, imo debere, si & ratio habeatur aeris externi, basi follis incumbentis, alarumque divaricationem tanto fortius prohibentis, cujus quidem nos considerationem hic negleximus.

## II.

**I**ubes, ut examini subjiciam iteratam Responsonem, quam Auctor Perpetui Mobilis sub finem superioris anni animadversioni Dn. Papini opposuit, cujusque me nuperrime participem fecisti, transmissis Novellarum Batavarum ex mense Decemb. foliis nonnullis. Id nunc, expedito quod nostri negotio, eo lubentius in me suscipio, quod ex discussione Responsonis hujus maximopere illustrari & confirmari videam illam meam hypothesin, quæ defectum machinæ e vectis ratione deduxit.

Duabus Responso memorata partibus absolvitur: in priorè Auctor inversione totius Machinæ, in altera partium quarundam immutatione pristino retento situ objectioni satisfacere studuit. Quantum ad inversionem Machinæ, quo jam in prima sua Responso digitorum obscure intenderat Auctor, huc ejus conjicio redire mentem. Existimat perinde esse, quantum ad inclusi Mercurii vires quo situ erigatur Machina; itaque si externi aeris pressione debiliores forte judicentur, invertendam duntaxat esse pyramidem, applicandumque tubum sursum spectanti vertici; inversum namque follem a prævalente aere, non aliter atque in altero situ, compressum iri extruso per tubum mercurio in vasculum; compresso folle præponderaturum ejus verticem, atque ad situm horizontalem se demissurum; postmodum refluxurum esse e vasculo mercurium, follemque de novo dilatatum iri (quandoquidem tubi vasculum 22 tantum digitis a vertice follis, distans altius consistat axe motus, qui prope centrum gravitatis machinæ constitutus 30. circiter ab eodem vertice digitis abest; ) denique folle sic dilatato erecturum se verticem præponderante scilicet jam iterum basi, atque ita Machinam recuperato pristino situ alternas rotationis vices perpetuo continuaturam. Sic Auctor. At ego revocato ad examen ratiocinio isto deprehendo, eandem causam, quæ follis dilatationem nuper prohibuit, cum basi sursum spectabat, contraria nunc ratione  
base

21. 1687. pag. 320. sqq.

Fig. 1.




Fig. 6.




Fig. 2.




Fig. 3.





Fig. 5.





basse deorsum versa ejusdem compressionem impedire; adeo invida natura Protei adinstar contrarias induere solet formas, velut omni studio conatus nostros in tam nobili indagine delusura. Cujus quidem diversitatis rationem nescio an dare poterit Cl. Papinus, qui solam hydrargyri molem spectare solet, cum hæc in utroque follis situ una eademque maneat: In nostra certe hypothese discriminis causa evidens admodum est, quandoquidem in priori follis situ longiora filamenta mercurialia, quæ præcipuum machinæ momentum conferre deberent, inutilia & inertia fere existunt, incumbentia quippe solum ipsi follis vertici, seu vectium hypomochlio, partibusque illi vicinissimis; cum eadem in situ altero premendo partes a vertice remotissimas, insigne valde in divaricandis alis robur acquirant. Hinc enim fit, ut eadem mercurii inclusi quantitas, quæ uno in situ sustinendæ pressioni atmosphæricæ neutiquam par fuit, in altero ei multum prævaleat, follique dilatandò abunde sufficiat. Ne vero quod dixi de insignibus viribus, quas mercurius in alas inversi follis exerat, scrupulum movere possit apud ignaros hydrostaticæ scientiæ, qui sibi forte persuadent, alas istas ab intercepto mercurio omnino non affici, utpote cujus filamentis nullatenus subjacent; observandum, perinde se hic rem habere atque cum situla aqua repleta, qualis repræsentatur Fig. 2. ubi filamenta aquea *ab, ab* &c. nativo gravitatis impetu directe quidem fundum Fig. 2. feriunt, sed ab ejus rigiditate repercussa quasi, ad latera situlæ deflectunt, eaque in singulis punctis non minore afficiunt pressione, quam qua afficerent, si directe singulis incumberent; quod vel exinde colligitur, quia insertis hinc inde perforato utriusque lateri tubis *cd, cd*, aqua in singulis sursum impellitur ad altitudinem æqualem ei, quam intra cavitatem situlæ obtinet. Ad eundem scilicet modum in Folle perpendiculariter erecto, cujus basis ima respicit, singula alarum puncta *gg* &c. (Fig. 3.) intelligenda sunt premi extrorsum a totidem filamentis mercurialibus *mn, mn* &c. inde ad verticem follis *n* protensis: nec alia utrobique differentia est, quam quod basis follis non sit rigida materia instar fundi situlæ, sed corium plicatile; e quo tamen aliud videtur nihil sequi, quam corium istud primo, detrudendum esse ab incumbente pondere mercurii, donec experitur detrusionem, quantum fieri potuit, & rigescente jam corio, corium prementis hydrargyri in utramque, deinceps, uti dictum, follis alam redundet; prout nullum dubium est

quin si loco rigidi fundi situla substituaturs flexilis quaedam materia, nihilominus aqua in tubis *ed, ed &c.* ad eandem cum inclusa altitudinem assurrectura sit, postquam flexile fundum, quousque potuit, ab illa destrusum & extensum fuerit.

TAB. VII.  
Fig. 3-

Ut jam consueto nostro calculo determinemus accuratam pressionis quantitatem, qua utraque pyramidalis follis ala tam intus a mercurialibus quam extus ab aereis urgetur filamentis; notetur, momenta harum pressionum componi ex tribus rationibus, ex ratione videlicet altitudinum filamentorum, latitudinum alarum follis, & distantiarum denique a vertice ejus, ceu hypomochlio: Altitudines filamentorum mercurialium *mn, mn &c.* (Fig. 3.) incipiendo a vertice *n*, constituunt seriem primanorum, cujus ultimus terminus est altitudo *np = 40* digitis = *a*, atmosphaericorum autem *gb, gb &c.* altitudines seriem æqualium, quarum singulae æquivalent 27 digitis mercurii = *b*: Latitudines alarum, ut & Distantiæ ab hypomochlio, conficiunt duas itidem series primanorum, quarum ultimi termini sunt maxima alæ latitudo ad basin, quæ sit *c*, & ejusdem longitudo *on*, vel potius recta *op*, directioni filamentorum *bg, bg &c.* perpendicularis, quæ vocetur *d*. Erit itaque summa momentorum omnium totius mercurii  $\frac{a c d d}{4}$ , quæ se habet ad summam momentorum atmosphæra  $\frac{b c d d}{3}$ , ut 20 ad 4b, id est, substituto valore ipsarum *a* & *b*, ut 120 ad 108, seu 10 ad 9. Fortior igitur pressio est ab intra profecta a mercurio, pressione ab extra, quam producit aer; quare dilatabitur follis, non constringetur, contra quam existimat ejus Inventor. Quod si follis non pyramidalis, sed triangularis fiat (qualem construi posse non est dubium) tunc pressio ab intra ad pressionem ab extra erit, ut 24 ad 3b hoc est, in folle 40 dig. alto, ut 80 ad 8r: adeo ut hac tantillo majore existente, comprimi quidem valeat ejuscemodi follis ab ambiente aere; id quod obtinendi motus perpetui spem aliquam facere posset, nisi tum nova a longitudine tubi & collocatione vasculi oboriretur difficultas, quæ ex nunc dicendis plenus elucebit. Reperi namque eodem duce calculo sequens generale Theorema, observatu valde dignum, utpote quod omnem hac de re questionem statim. *In quovis folle perpendiculariter erecto seu triangulari seu pyramidalis, cujuscumq; sit altitudinis & quocumque adimpletus liquore, si ve basis sursum deorsumve spectet,*

*Est, pressio liquoris inclusi tanta est, quanta proficisci potest ab uniformi columna ejusdem liquoris, cujus altitudo sit aequalis distantia summitatis a centro gravitatis follis: adeoque si tubus summitati follis applicatus e regione centri gravitatis terminetur, representabit machina siphonem crurum aequalium, intercedente utrinquo perfecto partium aequilibrio.*

Hinc constat primo, si basis follis sursum respiciat, in triangulari requiri ter 27, id est, 81; in pyramidali quater 27, hoc est, 108 digitorum altitudinem, ad constituendum æquipondium inter externam atmosphæram & inclusum hydrargyrum: quandoquidem tum centrum gravitatis ibi tertia, hic quarta solum parte altitudinis a summitate distat: sin vero basis deorsum spectet, sufficere in triangulari folle  $40\frac{1}{2}$ , in pyramidali 36 digitos, quoniam tum centrum gravitatis ibi duabus tertiis, hic tribus quartis partibus altitudinis, utrobique scilicet 27 digitis, a summitate abest; adeoque hoc in situ sufficere illi subduplam, huic subtriplam, ejus quæ in priori situ requirebatur, altitudinem.

Constat etiam secundo, mercurium follis triangularis 40 digitos alti, cujus basis sursum spectat, æquipollere non nisi  $13\frac{1}{3}$  digitis, pyramidalis vero paris altitudinis, duntaxat 10 digitis, (non 20, ut putat Cl. Papinus;) sin vicissim basis deorsum vergat, illius mercurium æquivalere  $26\frac{2}{3}$ , hujus 30 digitis.

Constat denique tertio, quod ubicunque statuatur tubi vasculum, Auctor Machinæ necessario spe sua frustrandus sit. Nam in folle, cuius basis sursum conversa est (Fig. 4.) si vasculum  $r$ , humilius collocetur axe motus, sive huic vicino centro gravitatis  $s$ ; præponderabit ex natura siphonis argentum tubi; comprimetur ergo follis, non dilatabitur, ut vellet Auctor: sin altius constituatur, præponderabit equidem argentum in folle, eumque dilatabit; sed rotata postmodum circa axem, & situm horizontalem adepta machina, non poterit argentum e folle in vasculum elevatius retrofluere. Vice versa in folle cujus basis ima respicit (Fig. 5) si vasculum supra axem statuatur, prævalebit hydrargyrum in folle; quare dilatabitur, non constringetur, ut optaret Auctor: sin infra axem, constringetur quidem, sed facta deinceps rotatione nullus jam mercurii e loco humili in altiore, e vasculo in follem dabitur refluxus.

Atque ita confido, me non tantum absolutam impossibilitatem consequendi hac ratione motus alicujus perpetui ex meo principio



Sole clarius ostendisse, sed & Regulam simul universalem exhibuisse, pro æstimandis quibuslibet in Triangulo vel Pyramide compressibili contentorum liquorum pressionibus: id ipsum est, quod Auctor Machinæ in fine Dissertationis suæ a Doctis indagari desiderat, quodque contemplationis insignis & usus fore non exigui recte conjicit. Hæc de primæ Responſionis parte.

Quod jam alteram attinet, qua pristino retento situ vel prolongatione folliſ, vel abbreviatione tubi Machinæ suæ medelam afferre studuit ei non est cur immoremur; quandoquidem non meum, sed Papinianum calculum enervat; quocirca quid ad correctionem hanc ex suis principiis sibi respondendum sit, ipse viderit Papinus; quod me spectat, prolonget, abbreviet Auctor, quantum volet, quid profecturus sit, unico supra allato dilemmate edoceri poterit. Nolo etiam bina Experimenta de Folle in aquam demerso, alioque adaptatum in basi tubum habente, quorum mentionem iteratam in Responſione sua injicit, hic recoquere, postquam disparem inter hos folles & controversam machinam rationem in prima mea Appendice liquido ostendi. Unicum est quod non possum quin occasione dictæ Appendicis memorem, me videlicet parumper justo æquius in illa de Papini calculo sensisse; conjecturabam enim, illum seposita vectis consideratione, Mercurii pressionem in folle juxta molem æstimasse, adeoque subtriplam ejus, quæ a columna uniformi & æque alta proficiscitur; video autem, ab ipso statui omnino subduplam; cum tamen ignorare non debuerit, pyramidem subtriplam esse, non subduplam æque-alti Prismatis ejusdem basis.

**AUGMENTA QUÆDAM ET EXPERIMENTA NOVA**  
*circa Anliam Pneumaticam, facta partim in Anglia, partim in Italia, communicata a Dionys. Papino,*  
*Med. D. & Soc. Reg. Angl. Socio.*

Londini, 1687, in 4.

**M**Emores promissi, quod in Actis proxime præteriti mensis pag. 84. dedimus, exhibemus nunc appendicem, quam Papinus tractatui a nobis nuper recensito subjunxit; aut si mavis, alteram eamque potioſorem tractatus partem. Iste enim cum tribus constet sectionibus, harum non nisi una Novo Ossium Digestori, de quo tamen rubrica potissi-

potissimum concepta est, dicatur; reliquas duas absument antlia pneumatica, de qua nunc agendum nobis erit. Communicaverat Autor clarissimus jam ante 12 annos hujus usum in libello Parisiis edito, cui titulus: *Nouvelles experiences du Voidé*, seu Nova Experimenta circa Vacuum; at eum opuscula ejusmodi facile deperdi, rariusque de novo imprimi soleant, maluit totius machinæ constructionem in tractatu hoc denuo repetere, quam simpliciter Lectorem istuc ablegare. Eandem proinde & nos in eorum gratiam, quibus aut Gallica ista, aut Anglica hæc legere non vacat, huc transferre non gravabimur; non solum quod Autor hanc suam machinam omnibus aliorum hac in parte inventis perfectiorem autumat; sed & quia diversis eam accessionibus novis adauctam nunc exhibet.

Depingitur tota ejus fabrica in Fig. 6. ubi AAA est pē- TAB. VII.  
 gma tribus cruribus insistentis, ac duos cum dimidio pedes altum. BB Fig. 6.  
 ipsum antliæ corpus exacte lævigatum & æquabile ab una extremitate ad alteram, pegmati modo dicto firmiter affixum ope trium cochlearum, quæ transeunt per tres lamellas æneas, antliæ ferruminis ope adfixas. CC est operculum antliæ obliquo situ impositum. D foramen in summitate hujus operculi, valvula munitum, quæ aeri egressum quidem ex antlia concedit liberum, ingressum verò inhibet. EE vasculum non admodum profundum ferruminatum supra operculum CC: inserviens ad aquam jugiter super valvula D servandam. F exiguum foramen obturatum stylo æneo & vesicæ segmento, per quod aer rursus intra recipiens admitti potest. GG discus antliæ supra quem aptatur recipiens VV. HH est canalis ferruminatus una sui extremitate ad foramen in centro disci GG; altera ad medium operculi CC, ut nempe communicatio pateat inter receptaculum VV & antliam AA. I signat valvulam applicatam fundo canalis HH, quæ viam præbet aeri ex recipiente VV intra antliam BB, at reditum ejus per eandem viam prohibet. LL est tubulus ferrumine junctus antliæ circa superiorem ejus partem, & corio fortiter circumligato oclusus. MM stylus æneus pertransiens corium, quod tubulum LL obturat, ac pertingens ad valvulam I, quo quis movendo exteriorem hujus styli partem aperire aut claudere pro re nata queat valvulam, sine admissione aeris externi per tubum LL, utpote qui corio exacte ocluditur. N pondusculum est, cujus æquilibrium clausuram servare queat valvulam I. O O

S 3

virga

TAB. VII.  
Fig. 7.

virga ferrea affixa embolo antliæ, habens in ima parte stapedem, cui quis pedem immittens sursum ac deorsum movere valeat embolum: virga hæc ferrea transit per foramen in centro orbis  $\mathcal{Q}$ , quod facit ut in situ directo ad axem antliæ illa moveri valeat.  $RR$   $SS$  est embolus hujus machinæ, tantum ab aliis pistillis diversus, ut singulæ ejus partes explanatione indigeant. Scilicet constat duabus partibus principalibus,  $RR$  ac  $SS$ , pars superior longior est ideo, quia totum atmosphæ-  
ræ pondus quasi sustinet, excavata quoque interius, ut aquam contineat: pars altera  $SS$  brevior est, dum inservit saltem sustentandæ aquæ in parte  $RR$  contentæ, ne deorsum labatur.  $TT$  canaliculus utrinque apertus, transmissus per partem  $SS$  cui adferruminatur, ac pertingens prope ad operculum usque partis  $RR$ .  $XX$  est alius tubulus transiens centrum partis  $SS$ , cui ferrumine jungitur, perinde ut & operculo partis  $RR$ ; atque hic canaliculus foramen  $T$  habet non longe a dicto operculo. Quando jam descriptus ita embolus est prope fundum antliæ, tenuior extremitas tubi recurvi, representati *fig. 7.* inferi debet orificio canaliculi  $TT$ , ut aqua dein immissa infundibulo, quod est in summo tubi hujus recurvi, penetret per superius ostium canalisis  $TT$  in summam partem emboli, dum aer mediante foramine  $T$  libere emigrat per imum orificium tubuli  $XX$ ; hinc aqua ulterius replet spacium  $ZZ$ , quod intercedit inter utramque emboli partem; nec decidere aqua hæc potest, dum impeditur a parte  $SS$ : pars ergo  $RR$  aquæ istius ope omnino circummunita est, nec aer inter embolum antliamque semet insinuare valet intra vacuum, quod superius efficitur. Usus deinde machinæ sic instructæ ita se habet, ut aqua infundatur antliæ per canalem  $HH$ , eo fine, quo dum impellitur embolus versus antliæ verticem, aqua hæc omne illud spacium impleat, ad quod embolus ipse pertingere nequit, utque hoc pacto omnis aer ex antlia ejici valeat per foramen, quod est sub valvula  $D$ : hinc recipiens exhauriendum applicatur super discum  $GG$ , & pondusculum  $N$  tollitur ad aperiendam valvulam  $I$ , eodem tempore dum pistillum pede deorsum trahitur; ita contingit, ut aer ex recipiente  $VV$  libere defluat in antliam  $BB$  per tubum  $HH$ , ut alio dein non opus sit, quam ut valvula  $I$  rursus occludatur, ad regressum denegandum aeri, (qui pistillo iterum intruso sursum per foramen  $D$  erumpere cogitur,) & operatio hoc modo toties repetatur, donec recipiens plane fuerit evacuatum. Tametsi vero

Autor

Autor difficillimum autemet, secundum methodum ab aliis adhibitam perfectum efficere vacuum, dum aer in vase maximam partem exhausto summe dilatatus vix habilis est ad valvulam antliæ amplius aperendam ( id quod in specie de clarissimi etiam *Sturmi* antliæ annotat, ) ut sic plerumque aliquantilla ejus portio maneat residua: nihilominus in hac sua machina id minime metuendum putat, dum aeris transitus ex recipiente in antliam sit liberrimus, tam ob ejus elasticitatem, quam pondus; præsentim cum canalis *H H* jam sat amplus sit, nec adeo ejus exilitas ( quam in data olim descriptione nimiam fere fuisse agnoscit ) aeri transeunti ullatenus obesse valeat. Præterea & hac ex parte commodiorem nunc hanc suam machinam a se redditam esse prædicat, quod discus *G G* adeo accurate complanatus & lævigatus sit, ut recipiens applicatum sibi tam exacte claudat, ne ullo ulterius cæmento opus sit, quod antehac circumlitum non digitos operantis minus, quam vitra unctuosæ reddebat. Novam quoque rationem commentus est res receptaculo evacuato inclusas facili negotio & absque ulla aeris admissione movendi, & quidem plures etiam simul, si opus sit. Nimirum sumit receptaculum utrinque apertum, quale in *Fig. 8.* est *AA*, cujus minori apertura ( major enim antliæ disco incumbit ) applicat laminam metallinam *B B* pluribus pertusam foraminibus, huic dein obtendit corium madefactum, & per hoc laminæque foramina tot intrudit stylos æneos, uti hic *CC*, quot requiruntur ad res intus movendas: stylus enim, quem corium arcte ambiens excluso ære sic tenet, ut pars exterius, pars intra receptaculum extet, digitis pro lubitu regi, & regere vicissim ac movere res inclusas potest: pro majori vero securitate suadet, ut supra recipiens adferruminetur circulus *DD*, qui aqua affusa repletus aeris irruptioni fortius adhuc resistere valeat.

Sternit hocce inventum viam alii cuidam operationi non minus proficue, ut nempe Vitrum exhaustum intra vacuum operculo elaudi queat, absque ulla aeris intromissione; cumque eum ipsum modum omnibus aliis in hac re alias adhiberi solitis Autor præferat, eundem & hoc loco commemorasse haud pigebit, præsertim quod operatio talis, uti ex sequentibus patebit, ad producendos varios effectus necessaria sit. Est itaque in *Fig. 9.* *AA* Vas vitreum, continens materiam *Fig. 9.* talem, quam in vacuo occludere juvat. *B B* operculum superficiei exactissime

TAB. VII.  
Fig. 7.

virga ferrea affixa embolo antliæ, habens in ima parte stapedem, cui quis pedem immittens sursum ac deorsum movere valeat embolum: virga hæc ferrea transit per foramen in centro orbis  $Q$ , quod facit ut in situ directo ad axem antliæ illa moveri valeat.  $RR$   $SS$  est embolus hujus machinæ, tantum ab aliis pistillis diversus, ut singulæ ejus partes explanatione indigeant. Scilicet constat duabus partibus principalibus,  $RR$  ac  $SS$ , pars superior longior est ideo, quia totum atmospheræ pondus quasi sustinet, excavata quoque interius, ut aquam contineat: pars altera  $SS$  brevior est, dum inservit saltem sustentandæ aquæ in parte  $RR$  contentæ, ne deorsum labatur.  $TT$  canaliculus utrinque apertus, transmissus per partem  $SS$  cui adferruminatur, ac pertingens prope ad operculum usque partis  $RR$ .  $XX$  est alius tubulus transiens centrum partis  $SS$ , cui ferrumine jungitur, perinde ut & operculo partis  $RR$ ; atque hic canaliculus foramen  $T$  habet non longe a dicto operculo. Quando jam descriptus ita embolus est prope fundum antliæ, tenuior extremitas tubi recurvi, representati *fig. 7.* inferi debet officio canaliculi  $TT$ , ut aqua dein immissa infundibulo, quod est in summo tubi hujus recurvi, penetret per superius ostium canalisis  $TT$  in summam partem emboli, dum aer mediante foramine  $T$  libere emigrat per imum officium tubuli  $XX$ ; hinc aqua ulterius replet spacium  $ZZ$ , quod intercedit inter utramque emboli partem; nec decidere aqua hæc potest, dum impeditur a parte  $SS$ : pars ergo  $RR$  aquæ istius ope omnino circummunita est, nec aer inter embolum antliamque semet insinuare valet intra vacuum, quod superius efficitur. Usus deinde machinæ sic instructæ ita se habet, ut aqua infundatur antliæ per canalem  $HH$ , eo fine, quo dum impellitur embolus versus antliæ verticem, aqua hæc omne illud spacium impleat, ad quod embolus ipse pertingere nequit, utque hoc pacto omnis aer ex antliâ ejici valeat per foramen, quod est sub valvula  $D$ : hinc recipiens exhauriendum applicatur super discum  $GG$ , & pondusculum  $N$  tollitur ad aperiendam valvulam  $I$ , eodem tempore dum pistillum pede deorsum trahitur: ita contingit, ut aer ex recipiente  $VV$  libere defluat in antliam  $BB$  per tubum  $HH$ , ut alio dein non opus sit, quam ut valvula  $I$  rursus occludatur, ad regressum denegandum aeri, (qui pistillo iterum intruso sursum per foramen  $D$  erumpere cogitur,) & operatio hoc modo toties repetatur, donec recipiens plane fuerit evacuatum. Tametsi vero

Autor

Autor difficillimum autemet, secundum methodum ab aliis adhibitam perfectum efficere vacuum, dum aer in vase maximam partem exhausto summe dilatatus vix habilis est ad valvulam antliae amplius aperiendam (id quod in specie de clarissimi etiam *Sturmi* antliae annotat,) ut sic plerumque aliquantilla ejus portio maneat residua: nihilominus in hac sua machina id minime metuendum putat, dum aeris transitus ex recipiente in antliam sit liberrimus, tam ob ejus elasticitatem, quam pondus; praesertim cum canalis *HH* jam sat amplus sit, nec adeo ejus exilitas (quam in data olim descriptione nimiam fere fuisse agnoscit) aeri transeunti ullatenus obesse valeat. Praeterea & hac ex parte commodiorem nunc hanc suam machinam a se redditam esse praedicat, quod discus *GG* adeo accurate complanatus & lavigatus sit, ut recipiens applicatum sibi tam exacte claudat, ne ullo ulterius exmento opus sit, quod antehac circumlitum non digitos operantis minus, quam vitra unctuosam reddebat. Novam quoque rationem commentus est res receptaculo evacuato inclusas facili negotio & absque ulla aeris admissione movendi, & quidem plures etiam simul, si opus sit. Nimirum sumit receptaculum utrinque apertum, quale in *Fig. 8.* est *AA*, cujus minori aperturæ (major enim antliae disco incumbit) applicat laminam metallinam *BB* pluribus pertusam foraminibus, huic dein obtendit corium madefactum, & per hoc laminæque foramina tot intrudit stylos æneos, uti hic *CC*, quot requiruntur ad res intus movendas: stylus enim, quem corium arcte ambiens excluso aere sic tenet, ut pars exterius, pars intra receptaculum extet, digitis prohibitu regi, & regere vicissim ac movere res inclusas potest: pro majori vero securitate suadet, ut supra recipiens adferruminetur circulus *DD*, qui aqua affusa repletus aeris irruptioni fortius adhuc resistere valeat.

TAB. VII

Fig. 8.

Sternit hocce inventum viam alii cuidam operationi non minus proficere, ut nempe Vitrum exhaustum intra vacuum operculo elaudi queat, absque ulla aeris intromissione; cumque eum ipsum modum omnibus aliis in hac re alias adhiberi solitis Autor praferat, eundem & hoc loco commemorasse haud pigebit, praesertim quod operatio talis, uti ex sequentibus patebit, ad producendos varios effectus necessaria sit. Est itaque in *Fig. 9.* *AA* Vas vitreum, continens materiam *Fig. 9.* talem, quam in vacuo ocludere juvat. *BB* operculum superficiei exactissime

actissime complanata correspondens orificio vasis *AA*. *CC* est tenuissima plumbi particula, alligata vasi *AA* ac suffulciens operculum *BB*, ut vasculum *AA* apertum maneat, indeque aer libere emigrare queat. *DD* est vas magnum aqua plenum, cui immittitur vasculum *AA*. *EE* signat aliud vas aperturam deorsum spectantem habens, exacte complanatum & applicatum orificio vasis *DD*. *FFF* est canalis insertus angustæ aperturæ in vertice vasis *EE*, & communicationem habens cum antlia pneumatica, ut hac via aer extrahi possit. *GG* stylus æneus transiens per foramen in tubulo *FF*, cujus ope deprimi operculum *BB* valeat ad orificium vasis *AA*, postquam id aere jam evacuatum est. Hunc vero canalem æque ac stylum æneum tam arcte præligare oportet vesica aut anguillæ cute, ne aeri insimul aditus pateat intra vas *EE*. *HH* est epistomium per quod aqua intromitti queat in vas *DD*, quando lubitum est. *II* amphora seu cupa aquis plena, cui immittendum est vas *DD*. Rebus sic dispositis, antlia pneumatica agitur ad extrahendum aerem per canalem *FFF*: exhaustis ita probe vasis, stylus æneus *GG* deorsum trudendus est, ad applicandum juste operculum supra vas *AA*: plumbi enim particula *CC* facile flexa cedit, dum hoc modo premitur. Tum epistomium *HH* aperiendum est, ut aqua hæc via irrumpens immediate semet superfundat vasculo *AA* quo sic omnibus sub aqua mersis, ab aeris illapsu nil metuendum superfit. Deinde vasculum *EE* separatur a vase *DD*, ac vitrum *AA* eximitur; ejus operculum antequam omnino siccescat, opus est ut junctura terebinthina aut syrupo circumcirca oblinatur: atq; hoc pacto materia in tali vase occlusa in vacuo adservari potest, quamdiu libuerit: & uno recipiente sic exhausto, aliud immediate in locum ejus substitui & exhauriri pariter potest; ut ita intra horæ spacium complura talismodi vasa aere evacuata reddere ac seponere liceat.

Et hætenus quidem de ipsa antliæ Papinianæ structura, ejusque augmentis & ampliationibus de novo adjectis & exogitatis dicta sufficere poterunt. Restat nunc, ut breviter etiam de experimentis, quæ machinæ hujus ope instituta in tractatu hoc enarrantur, agamus. Sunt autem ea duorum generum; alia nempe ab autore ipso in Angliâ facta, quæ sectionem secundam constituunt; alia Venetiis in Academia Sarottiana tentata, quæ in tertia sectione enumerantur. Priora quod concernit, protestatur Autor, se eos solum Antliæ usus hic recensere.

venfitos voluisse, qui aut cognitionem rerum naturalium aliqua ex parte promovere, aut realem quandam utilitatem præstare queant, omiffis iis, qui oculos nude aut curiositatem inanem pascere videri possent. In principio mentionem facit novæ istius bombardæ pneumaticæ, cujus & nos ex Transactionibus Philosophicis Anglicanis meminimus in *Actis anni 1686, pag. 500*: ac tametsi eam adhuc dum magnarum esse virium prædicet, sic ut secundum ipsius computum, ex tubo 17 pedes longo, globus diametrum habens unius pedis (excavatus tamen, ne pondere excedat libras  $37\frac{1}{2}$ ) ad distantiam 256 pedum propelli queat intra unum minutum secundum: nihilominus fatetur effectui tanto haud parum decessurum fore, si manibus vulgi experimenti hujus operatio committi debeat, cujus etiam diversas rationes allegat: præterea non dissimulat, aeris in vacuum irrupentis celeritatem, in comparatione ejus quæ globo ejaculando communicanda est, in invento hoc velut infinitam fuisse suppositam; cum tamen e diverso demonstrari valeat, istam aeris pernicitatem majorem non esse, quam quæ ad summum 1305 pedes emetiatur intra unum minutum secundum: ut adeo, cum globus in tubo tali acquisivit velocitatem transeundi modo 100 pedes in uno minuto secundo, jam actio aeris in globum imminuta sit parte sui decima tertia circiter. Pluribus tamen de hoc invento hic agere noluit, eo quod, uti refert, Societas Regia jam in eo occupata sit, ut variis experimentis ejus vires exactius determinet; præmonita saltem hæc in antecessum voluit Autor, ne majores sibi quis ab isto effectus polliceatur, quam quidem præstare valeat. Hinc ad percensenda varii generis experimenta a se facta progreditur, quorum magna pars versatur circa præcavendam variorum fructuum & eduliorum corruptionem, per eorundem inclusionem in exhausto recipiente. Ubi quidem in genere comperit, res talismodi nequaquam per solam aeris externi exclusionem præservari posse, dum ipsarum pleræque fermentationis ope novum ex se aerem producant; id quod ad oculum ipsi patuit mediante baroscopio mercuriali, una in recipientibus exhaustis incluso; cujus Mercurius nempe, etsi post primam aeris extractionem omnino subsideret, nihilominus paucis post diebus plus minusve in tubulo semet elevans indubia aeris de novo geniti indicia dedit. Attamen rationem adinvenit medendi huic malo, per præviam rerum inclusarum leviculam cõctionem, dum recipiens

T t

exhau-



exhaustum & oclusum aquæ fervidæ immittitur : hæc operatione enim vidit, non solum gelatinas, carnes, pisces, sed & varii generis fructus adservari posse multo satis tempore, absque ullo etiam saccharo, utpote cujus admixtionem tali fructuum præservationi obesse potius, quam prodesse testatur. Quinimo perhibet, fructus etiam jam fermentare incipientes nihilominus aliquandiu ab ulteriore corruptione conservari posse, si dicto modo igni admoveantur immediate, postquam in vacuo clausi sunt. Cum tamen non omnis generis fructus coctionem absque sui destructione quadam subire queant, (uti v. g. fraga absque summa alteratione coqui non posse, expertus est,) hinc perpendere jubet, quinam præservandi modus cuilibet speciei magis conveniat; quemadmodum ipse deprehendit, cerasa & poma in vacuo non æque feliciter ac gelatina ad futuros usus recondi posse: de quo adservandi modo *mensæ præcedente* quædam disseruimus. Ulterius perhibet Autor tincturam ex polenta aliisve hujusmodi materiis facile & calore sat exiguo extrahi posse, si aer omnis prius exhauriatur e vase: hoc enim sic ex omnibus corporum talismodi poris elicito, liquorem expeditius intra eosdem penetrare. Ex qua ipsa ratione dulcariis etiam artificibus utilem esse machinam hanc tradit, dum syrupus penitus & absque notabili alteratione rerum condiendarum poros subintrare valeat. Cumque præterea observarit, in fusione metallorum ectypum ideo sæpius imperfectiorem emergere, quod aer intra typi cavitates hærens impediatur, ne hic exacte metallo repleatur: hinc fusuram perfectiorem fore ratus est, si non saltem interfundendum typus ab omni aere liber esset, sed & id simul curaretur, ut mox dein admissum totum atmosphæræ pondus metallo liquido incumbens, illud intra minutissimas etiam typi rimas cogeret. Modum proinde commentus est, quo in recipiente exhausto ipsa talis fusio perficeretur. Nimirum in *Fig. 6.* antliæ disco *GG* applicuit recipiens *VV* utrinque apertum, cujus superiorem aperturam exacte claudit operculo foramen in medio sui habente; huic immisit canalem infundibuli *22* ferrumine probe circummunitum, cujus canalis ostiolum superius pauxillo cæmenti obturavit, dum aer omnis ex recipiente *VV* exantliatus esset: postmodo plumbum liquefactum indidit infundibulo *22*, sic ut hujus fervore eliquatum extemplo cæmentum, quod canalem obturabat, transitum plumbo concederet, idque ab aere post ipsum cum impetu in reci-

in recipiens irruente propelleretur intra tenuissima etiam lineamenta subiecti typi 33. Ectypum sic apprime exactum ex fusione emerisse Autor prædicat; quo tamen perfectiorem adhuc fieri posse confidit, si præter hoc inventum alia etiam adminicula artificibus hac in re consueta accederent. Concludit tandem, ex his a se adductis experimentis non minus ac exiis, quæ antehac a Boyleo, Hugenio, Guerikio communicata fuerant, satis patere, quam multifaria utilitas publicæ ex anthiæ pneumaticæ usu accrescere posset: non enim in exigua solum materiæ quantitate operationes tales procedere, sed in magna etiam copia, præsertim cum capacia satis vitra venalia prostant haud adeo magno pretio, quæ usibus ejusmodi inservire & recipientium loco adhiberi queant. Vanum etiam esse, quod quidam autument, experimenta talia vulgi captum transcendere & doctiores sibi manus solum exposcere, inde probat, quod nautæ, pharmacopœi, dulciarii aliique sat ingenii quotidie ostendant, in rebus aliis longe difficilioribus in effectum deducendis. Agnoscit tamen id quasi in fatiis esse, ut nugaces ejusmodi objectiones publicum plerumque defraudent fructibus, alioqui ex solerti Societatis Regiæ labore capiendis.

In tertia & ultima tractatus sectione, uti jam supra dictum, agitur de experimentis circa anthiam pneumaticam ab Academia Sarottiana factis. Nimirum cum clarissimus Sarotti, Secretarius Senatus Veneti, in Anglia legatione aliquandiu functus, anno 1681 Venetias repeteret, proposuit sibi posthæc non tantum bibliothecam suam ad usus publicos aperire; sed & ad exemplum Societatis Regiæ academiam experimentalem domi stabilire, ad indagandas res naturales, & promovendas magis magisque vitæ humanæ commoditates: unde non solum machinas plerasque, quæ in communi hominum ingeniosorum usu hunc versantur, ex Francia perinde ac Anglia sibi procuravit; sed & ex Anglia eum in finem diversos secum abduxit, quos proficuos istarum rerum adjutores fore confidit, interque eos etiam Papinum nostrum; qui ad eo biennii spacio, quo Venetiis commoratus est, libertatem habuit, singula in Academia ista eotempore actitata annotandi; de quibus ea saltem hoc loco communicata voluit, quæ materiæ hujus tractatus quodammodo essent affinia; licet ipse sibi longe plura consignarit, quæ ibidem peracta ac tentata fuere: quemadmodum & unum alterumque Discursum a prælaudati hujus academiciæ fundatoris filio, Am-

TAB. VII.  
Fig. 10.

brofio Sarotti ad socios subinde habitum verbotenus recenſet, unde non minus ingenioſa hujus dexteritas, quam methodus procedendi in iſta Societate abunde colligi poteſt. Prima hujus tentamina Autor ait verſata fuiſſe circa varios preſſuræ aeris ( ibi terrarum tunc nondum ſatis cognitæ ) effectus, qui vulgo ex metu vacui deduci ſolent; e quibus unicum ſaltem enarrat, quod a nemine adhuc obſervatum, indubie tamen oſtendere autumat, motiones illas, quæ vulgo attractioni adſcribuntur, per meram impulſionem produci. Scilicet in Fig. 10. diſco antiæ pneumaticæ *AA* applicata fuit apertura receptaculi *BB*, quod aliud anguſtius in ſuprema parte oriſcium habuit cui inſertus tubulus *CC*, cæmento probe obturatus: receptaculum *BB* ultra mediam ſui partem aqua repletum eſt, ac ne hæc efflueret, dum aer ipſi incumbens extraheretur, per foramen diſci *AA* immiſſus fuit canalis *DD*, utrinque apertus: hinc ſumma receptaculi *BB* regione probe exhauſta, & recluſo dein ſupremo oſtio tubuli *CC*, aer immediate cum impetu intrans per tubulum ex ima ejus apertura ſic erupit, ut ultra hanc notabili ſatis ſpacio intra aquam bullæ aeræ descenderent, antequam verſus ſummam ejus ſuperficiem ruruſus emergerent: unde concluſum fuit, attractionem hic vel ideo ſtatui non poſſe, quod aer alioqui mox ſurſum rapi debuiffet, quamprimum e tubulo *CC* liberatus foret, ne adeo viam potuiſſet quærere contrariam ab ea quam vacui tractio ipſi injungeret. Progreſſam inde academiam ait ad indagandum, quænam aeris quantitas metallorum ſubſtantiam & compoſitionem intret; id quod ita probari poſſe exiſtimarunt, ſi intra recipiens exhaustum ferri limatura aquæ forti injecta, cognito utriuſque pondere, notaretur in barometro ſimul incluſo, quanta ex horum ebullitione aeris portio de novo in recipiente enaſceretur; ac certe ſupputatione inita apparuit, aerem ſic productum uſque ad  $\frac{2}{3}$  ponderis ferri diſſoluti adſcendiſſe: ac licet academicorum nonnulli hic opinati fuerint, aerem ex ferventi potius aqua forti, quam ferri limatura productum fuiſſe; patuit tamen poſtea, ſolam aquam fortem, tametiſi in vacuo ita calefacta eſſet, ut bulliret, nullum omnino aerem ex ſe progeſſiſſe. Plura nihilominus ad majorem rei hujus certitudinem experimenta facta fuere, quæ ſingula hic adducere nimis prolixum foret. Porro diverſis tentaminibus probatum eſt, aerem eſſe medium cujuſ ope ſoni communicentur auribus: itemque ex collisione ſilicis cum chalybe

chalybone minimam quidem in vacuo scintillam prolici, utut aliquid creperet, ac debilissimæ lucis adversum fuerit ab eo, qui ad ipsum collisionis locum accuratius attenderit. Fatetur quidem Autor, a *Boyleo in Exper. Phys. Mech.* scintillas etiam in simili experimento visas esse, sed existimat, cum forte tum temporis nondum instrumenta sat exacta ad manus habuisset. Ulterius inquisitum fuit, num pulvis in ovo respiraret, quod nonnulli ob laxiores putaminis poros sibi persuaserunt: contrarium tamen patuit, cum ovum incubatum non solum in exhausto recipiente calorem servasset, sed & eo post aperto pulvis adhuc vivere deprehenderetur. Varia quoque tentamina facta reperiuntur super aeris proprietate in dissolutione corporum acceleranda, dum curiose annotata est differentia dissolutionis ferri ac aeris, in aqua forti æqualis utrinque quantitatis, jam in vacuo, jam in aere libero, jam in clauso, jam in compresso aere factæ. Præterea tinctoribus etiam proficuum esse antiham hanc, comprobatum est, cum tam lignum rubrum, quam granorum cocci pulvis, multo citius æqualem aquæ quantitatem inficere cerneretur in vacuo, quam in libero aere: quinimo si calefactio aquæ accederet, patuit dimidiam cocci granorum portionem fortiorum tincturam in vacuo dare, quam duplum ejus extra vacuum: in tincturis tamen medicinalibus hoc modo parandis, eventus non ita expectationi respondit. Denique reliqua experimenta fere concernunt Destillationem in Vacuo, pro qua perficienda Autor machinam communicat, quæ *Fig. II.* depingitur, utpote quam commodiorem aliquanto existimat ea, quæ antehac a *Boyleo* tradita fuit, licet non omnino ab ea diversa sit. Nimirum *AAAA* sunt duo vasa vitrea, unum quidem ad capiendas materias destillandas, alterum ad recipiendos vapores destillatos. *BB* est tubus communicationem faciens inter utrumque vas, quorum orificia tam exacte ejus extremitatibus applicanda sunt, ne aer externus subintrare valeat. *CC* canaliculus utrinque patulus ac ferruminatus ad foramen in medio tubi *BB*. *DDD* alius tubulus inflexus, cujus una extremitas intrat canalem *CC*, eique colligatur mediante anguillæ cute, ne aeri aditus pateat: altera extremitas applicatur antiæ aereæ, cujus ope dein aere prorsus evacuandum est hoc instrumentum. Separari vero hic tubulus sine aeris intromissione inde rursus potest, ut instrumentum libere absportare liceat, auxilio ejusdem cutis anguillinæ, si hæc alligetur quidem, non tamen ita tensa super u-

TAB. VII.  
Fig. II.

trumque canalem *DD CC*, quin satis protrahi queat ad faciendam in medio cutis ligaturam inter hunc & illum : quo peracto dein canalis *DD* vinculum tuto solvi, & ipse semoveri pro lubitu potest. Effectus hujus machinæ is fuisse refertur, ut paratis duobus ejusmodi instrumentis æqualibus, altero exhausto & aere evacuato, altero sibi relicto, & utroque in *MB*. calefacto, prius quidem & citius & copiosius in eodem caloris gradu destillare res sibi commissas animadversum fuerit, quam alterum. Imprimis commendatur ad florum destillationem, eo quod eam non citius saltem, sed & absque ullo empyreumate perficere soleat : uti exemplum refertur de elicita sic aqua rosarum, quæ non solum solito suavius olens, sed &, quod insolitum, aliquot post diebus velut coagulata deprehensa fuerit. Id quoque observatum est, vapores in vacuo non tam alte ascendere solere, ac in ordinariis recipientibus aere compresso plenis : cum enim tubus communicatorius *BB* 20 pollices altus & ex vitro factus fuisset, apparuit etiam si calor in *MB*. ad horæ spacium sat impense continuatus fuisset, vapores tamen nequaquam usque ad summam tubi pertigisse, sed maximam altitudinem, ad quam paucæ & exiguæ quedam guttulæ ascendissent, fuisse 15 pollicum : unde Autor non hoc tantum colligit, in destillatione in vacuo curandum esse, ut brevissimam, qua fieri possit, ascensus viam habeant vapores : sed & sperat, accedente ulteriori experientia, rectificationes ope vacui expeditiores reddi posse, si notetur conveniens altitudo instrumentorum & caloris gradus, qui spiritum eorum propellere valeat, aquosas particulas nequeat. Denique cum Autor in Prima Sectione perhibuisset, (dum de machina agebat, quam mense elapso *Fig. 5.* exhibuimus) res destillatas in vacuo multo minus liquoris reddere, quam in aere compresso, idque tantum non pugnare e diametro videatur cum his, quæ modo dicta sunt de expeditiori in vacuo destillatione : ad horum conciliationem monet, experimentum quidem, de quo in Sectione I. fuerit dictum, intenso satis igne peractum esse ; at vero omnia hæc Venetiis facta tentamintâ exilem modo ignis gradum habuisse : itaque ibi quidem calorem etiam particulas rerum destillatarum multum intricatas exolvere, hic vero non nisi volatiliores & minus intricatas elicere aptum fuisse. Jam vero ex diversis his intentionibus, priorem quidem multum juvari, at alteram impediri potius per aeris compressionem ostendit : unde concludit, quod destillatio-

nes,

nes, quæ requirant calorem intensiorem, melius in aere compresso fi-  
ant, at res volatiliores & leniorem æstum exposcentes feliciter in vacuo  
destillantur. Atque hæc quidem potissima sunt experimenta, quæ  
quoad has materias se præsentente Venetiis facta refert Papinus: cæterum  
non ambigit, plura adhuc post suum ex Italia abitum instituta fuisse, an-  
tequam Academia hæc per novam dehinc Sarotti in Angliam ablega-  
tionem dissolveretur.

**CHRISTOPHORI CELLARII GEOGRAPHIA NOVA,**  
*sive hodiernam Terrarum Orbis faciem clarissime illustrans, ad no-  
strorum temporum historias accommo-  
data.*

Cizæ, apud Joh. Bielkium, 1687 in 12.

Superioris anni mense Septembri p. 431 hujusdem Autoris *Geogra-  
phiam Antiquam* memoravimus: nunc *Nova* accedit, sive descri-  
ptio Orbis, ut nostris ille temporibus distributus est. Additur gene-  
ralis præfatio, Antiquæ & Novæ simul accommodata, qua fatetur Au-  
tor clarissimus, non esse unius hominis, Geographiam universam scri-  
bere, sed perfectum opus a multis simul expectandum esse, quorum  
quisque patriam suam, aut regionem, in qua maxime versatus est, de-  
scribat, cujusmodi concordiam an unquam sperare liceat, ipse non  
sine causa subdubitat. Interea acquiescimus in eorum labore, qui,  
quam diligentissime fieri potest, singula perferunt, in quorum nu-  
mero ut censeatur, dignus cum primis est Autor noster, qui id singu-  
lari cura & industria egit, ut Orbis hodierni faciem ex probatissimis  
monumentis peregrinantium, ex fœderibus quoque & pacificationi-  
bus publicis, nec non ex ephemeridum novellis, recentibusque histo-  
riis verius pleniusque, quantum modus breviarii permisit, designaret;  
præsertim in Germania nostra, cujus eas provincias, in quibus aut  
ipse versatus fuit, aut consulere earum peritissimos Viros potuit, copio-  
sius accuratiusque delineavit.

**REFLEXIONS PHILOSOPHIQUES ET THEOLO-  
giques sur le Nouveau Systeme de la Nature &  
de la Grace, Livre III. &c. i. s.**

Refle-

REFLEXIONUM PHILOSOPHICARUM & THEOLOGICARUM in Novum Systema de Natura & Gratia Liber Tertius de Jesu Christo, quatenus causa est gratiæ.

Coloniz, 1686, in 12.

**P**Ræmittitur etiam tertio huic libro approbatio Lovaniensium Theologorum, in qua palmam Arnaldo porrigere non dubitant. Ajunt enim, utut magnus Philosophus sit *Malebranchius*, Theologum tamen in iis, quæ de Christo & gratia docuit, non deprehendi; iterumque Augustini illud applicant, *esse ista magna magnorum doctorum deliramenta*. Controversiam vero jam ad finem vergere monent, cum præsertim Arnaldus nihil amplius hac super re novi promittat, eoque deduxerit adversarii Systema, ut neque ad illustrandum, neque ad refutandum quidquam addi posse videatur.

Liber ipse capita habet XX, in quibus *Arnaldus* propositionem *Malebranchii*, quod *Christus Jesus, qua homo, sit causa occasionalis gratiæ*, examinat & impugnat. Prius tamen in brevi præloquio & *cap. I.* ad dissertationem suam *de miraculis veteris Testamenti per angelos factis* (cujus contenta An. 1685. p. 309. exhibuimus) lectorem remittit; per hanc enim omnia fundamenta propositionis illius eversa esse pronuntiat. Hanc vero ita explicat, ut non debeat intelligi de mediatione Christi, inter Deum & homines, quam orthodoxi omnes confitentur, sed ita ut alios sensus comprehendat, eosdem nempe quos de Angelorum ministerio *Malebranchius* exposuerit. Nempe (1) quod neget Christum ut hominem, ullam potentiam realem ad agendum habere; (2) quod Deum non nisi executorem, absque ulla particulari voluntate, faciat eorum quæ Christus ordinaverit; (3) quod Christus sua tantum, non patris voluntate aut inspiratione ordinet & distribuatur gratiam. Quemadmodum autem tria ista a *Malebranchio*, cum de ministerio angelorum in miraculis V. T. ageret, probata esse ex Scripturis *Arnaldus* negavit: ita multo minus de Christo probari posse censet, & ad decem dicta ex *Epistolis Paulinis* & ex *Act. Apost.* a *Malebranchio* allata, paucis respondet, nihilq; ex iis pro *Malebranchii* sententia demonstrari ostendit. *Cap. II.* repetitis denuo tribus illis problematibus,

primus

*primum* speciatim aggreditur, in quo ille negat, Christum hominem potentiam realem in regenda Ecclesia accepisse, eo prolapsus, ut dicat, *Christi humanam naturam nil nisi imbecillitatem esse, sicut omnes creaturas cum Deo comparatas.* Hoc vero *Arnaldus* existimat *Nestorianismum* sapere, & cum virtute unionis personalis minime convenire, quam ex Scriptura & Patrum testimoniis, repugnante licet ratiocinatione humana, clarissime asseri demonstrat, & ad dubitationes respondet; ad illam maxime, quæ ex precibus Christi ad Patrem factis moveri potest: precatum enim esse, non quia egebat, sed ut nobis exemplum daret, & nostras preces sanctificaret. Monet tamen, etsi ex hoc principio non responderetur *Malebranchio*, sed concederetur, Christum, qua hominem, per se nihil operari, sed solum a Patre petere & desiderare; nondum tamen sequi, esse eum saltem causam occasionalem. Nam (*cap. III.*) falsum esse monstrat alterum propositionis fundamentum, quod anima Christi, sive *Christus ut homo* operetur & ordinet, & Deus saltem exequatur. Explicata enim prius *Malebranchii* sententia, adductisque ejus verbis magnificis, ut ait, & quæ tyronibus admiranda videri possent, simplicia & veriora ex sacris literis opponit, ex quibus clarum & manifestum fiat, Christum non suam, sed Patris voluntatem fecisse. Addit *Thoma Aquinatis* sententiam, quod *omnia qua circa humanitatem Christi acta sunt, divina gesta sint dispositione.* Ex contraria vero *Malebranchii* opinione sequi indicat (*cap. IV.*) electos non eligi a Deo, sed a Christo, cum tamen prius expresse affirmet Scriptura. Et (*cap. V.*) stante *Malebranchii* sententia, in questione de electione & reprobatione non recurrendum fore, ut Scriptura docet, ad impenetrabilia judicia Dei, sed ad animam Christi, quæ quosdam (ut *Malebranchius* loquitur) *ut indignos cura sua negligat; cum tamen Christus ipse omnia Patri attribuat.* Allegat maxime & ex *Augustino* explicat dictum Joh. VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* quod repetitur, & causa incredulitatis inde deducitur v. 64. 65. Addit de induratione textum Joh. XIII. 37, & breviter refert, quæ in libro contra *Malletum* scripserit; unde concludit, infringi systema adversarii, sive induratio puniendi, sive corrigendi & convertendi causa. sive ad utrumque finem fieri statuatur; & ad Dei voluntatem determinatam recurrendum esse, non vero ad occasionalem causam in Christo. Affert & *Augustini* sententiam ex Lib. de



REFLEXIONUM PHILOSOPHICARUM & THEOLOGICARUM in Novum Systema de Natura & Gratia Liber Tertius de Jesu Christo, quatenus causa est gratiæ.

Coloniz, 1686, in 12.

**P**Ræmittitur etiam tertio huic libro approbatio Lovaniensium Theologorum, in qua palmam Arnaldo porrigere non dubitant. Ajunt enim, ut ut magnus Philosophus sit *Malebranchius*, Theologum tamen in iis, quæ de Christo & gratia docuit, non deprehendi; iterumque Augustini illud applicant, *esse ista magna magnorum doctorum deliramenta*. Controversiam vero jam ad finem vergere monent, cum præsertim Arnaldus nihil amplius hac super re novi promittat, eoque deduxerit adversarii Systema, ut neque ad illustrandum, neque ad refutandum quidquam addi posse videatur.

Liber ipse capita habet XX, in quibus *Arnaldus* propositionem *Malebranchii*, quod *Christus Jesus, qua homo, sit causa occasionalis gratiæ*, examinat & impugnat. Prius tamen in brevi præloquio & *cap. I.* ad dissertationem suam *de miraculis veteris Testamenti per angelos factis* (cujus contenta An. 1685. p. 309. exhibuimus) lectorem remittit; per hanc enim omnia fundamenta propositionis illius eversa esse pronuntiat. Hanc vero ita explicat, ut non debeat intelligi de mediatione Christi, inter Deum & homines, quam orthodoxi omnes confitentur, sed ita ut alios sensus comprehendat, eosdem nempe quos de Angelorum ministerio *Malebranchius* exposuerit. Nempe (1) quod negat Christum ut hominem, ullam potentiam realem ad agendum habere; (2) quod Deum non nisi executorem, absque ulla particulari voluntate, faciat eorum quæ Christus ordinaverit; (3) quod Christus sua tantum, non patris voluntate aut inspiratione ordinet & distribuat gratiam. Quemadmodum autem tria ista a *Malebranchio*, cum de ministerio angelorum in miraculis V. T. ageret, probata esse ex Scripturis *Arnaldus* negavit: ita multo minus de Christo probari posse censet, & ad decem dicta ex *Epistolis Paulinis* & ex *Act. Apost.* a *Malebranchio* allata, paucis respondet, nihilq; ex iis pro *Malebranchii* sententia demonstrari ostendit. *Cap. II.* repetitis denuo tribus illis problematibus,

*primus*

*primam* speciatim aggreditur, in quo ille negat, Christum hominem potentiam realem in regenda Ecclesia accepisse, eo prolapsus, ut dicat, *Christi humanam naturam nil nisi imbecillitatem esse, sicut omnes creaturas cum Deo comparatas.* Hoc vero Arnaldus existimat Nestorianismum sapere, & cum virtute unionis personalis minime convenire, quam ex Scriptura & Patrum testimoniis, repugnante licet ratiocinatione humana, clarissime asseri demonstrat, & ad dubitationes respondet; ad illam maxime, quæ ex precibus Christi ad Patrem factis moveri potest: precatum enim esse, non quia egebat, sed ut nobis exemplum daret, & nostras preces sanctificaret. Monet tamen, etsi ex hoc principio non responderetur Malebranchio, sed concederetur, Christum, quæ hominem, per se nihil operari, sed solum a Patre petere & desiderare; nondum tamen sequi, esse eum saltem causam occasionalem. Nam (*cap. III.*) falsum esse monstrat alterum propositionis fundamentum, quod anima Christi, sive *Christus ut homo* operetur & ordinet, & Deus saltem exequatur. Explicata enim prius Malebranchii sententia, adductisque ejus verbis magnificis, ut ait, & quæ tyronibus admiranda videri possent, simplicia & veriora ex sacris literis opponit, ex quibus clarum & manifestum fiat, Christum non suam, sed Patris voluntatem fecisse. Addit *Thoma Aquinatis* sententiam, quod *omnis qua circa humanitatem Christi acta sunt, divina gesta sint dispositione.* Ex contraria vero Malebranchii opinione sequi indicat (*cap. IV.*) electos non eligi a Deo, sed a Christo, cum tamen prius expresse affirmet Scriptura. Et (*cap. V.*) stante Malebranchii sententia, in questione de electione & reprobatione non recurrentum fore, ut Scriptura docet, ad impenetrabilia judicia Dei, sed ad animam Christi, quæ quosdam (ut Malebranchius loquitur) *ut indignos cura sua negligat; cum tamen Christus ipse omnia Patri attribuat.* Allegat maxime & ex Augustino explicat dictum Joh. VI, 44: *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* quod repetitur, & causa incredulitatis inde deducitur v. 64. 65. Addit de induratione textum Joh. XIII. 37, & breviter refert, quæ in libro contra *Malletum* scripserit; unde concludit, infringi systema adversarii, sive induratio puniendi, sive corrigendi & convertendi causa, sive ad utrumque finem fieri statuatur; & ad Dei voluntatem determinatam recurrentum esse, non vero ad occasionalem causam in Christo. Affert & Augustini sententiam ex Lib. de

*Don. persev. c. 9. it. lib. VI. in Jul. c. 14. ubi de parvulis, e. g. duobus originali peccato obstrictis, quorum alter assumatur, alter relinquatur, ad inscrutabilia judicia Dei, non vero (ut Malebranchius) ad animam Christi respiciendum esse docet. Tertium propositionis membrum (cap. VI.) repetitis ex dissertatione de ministerio Angelorum verbis tractat, & ex unione hypostatica naturarum in Christo, refutat Malebranchii tradita, dicentis, quod preces non inspicientur Christo a Deo patre. Ostendit etiam, ut de libertate, & de eo quod in potestate nostra est, obscure & ambigue loquatur; ipse vero cum omnibus sanctus (ut scribit) gratia defensoribus, contra Pelagianos statuit, in nostra potestate esse, & liberrime a nobis fieri, qua volumus fieri, vel non fieri, qua notumus, est ea invincibili gratia sua Deus nobis inspiraverit; idque vel maxime de Christo verum esse, adeoque minime metuendum cum Malebranchio, quasi ex necessitate agat, si Patris inspiratione agat. Ambiguitatem & dissimulationem etiam adversario imputat, quando alibi is ita loquatur, quasi quædam ex paterna determinatione, quædam ex sua faceret Christus; vere enim sentire, nullam ejus actionem a Patre determinari. Adscribit quædam de unione personali, ejusque effectu & applicatione, ex Episcopi Meldensis discursu de historia univers. & ex Thomassini libro de Verbo incarnato, & inde iterum concludit, diffuere eos cum Nestorio fœdus unitatis personalis, qui docent, animam Christi agere aliquid independenter a Verbo. Explicat hoc ulterius (cap. VII.) ubi ex Thoma de duabus voluntatibus in Christo contra hæresin Monothelitarum agit, & orthodoxam doctrinam in hoc versari docet, quod naturæ quidem humanæ in J. C. voluntas propria tribui debeat, quæ non (ut Monothelitæ sentiebant) a divina absorpta sit, sive ut instrumentum inanimatum & mere passive se habeat; nihilominus tamen credendum sit, hanc voluntatem Christi hominis semper secundum nutum voluntatis divinæ moveri, idque ex Patribus & Theologis antiquioribus adstruit. Occurrit etiam objectioni, quæ ex premissis Christi in horto fieri posset, ubi is videbatur aliud velle quam Pater: adducit autem Thomæ dicta, quibus voluntas illa Christi voluntas sensualitatis dicitur, quæ tamen rationali sese submittebat, & quod illa ipsa sensualitas, sive quod natura humana propriis motibus movebatur, ex beneplacito sit divino; ut Damascenus locutus est. Ex iisdem principiis (cap. VIII.) adversus Malebranchii explicationem I. Tr. de N. &*

G. n. 14. disputat, eumque confundere ait *indifferentiam & libertatem*; item male distinguere, quod Christus in omnibus liber sit, exceptis iis quæ ad gloriam Patris spectant. Addit non pauca de perfectione amoris in Deum, quem Christus habet, & imperfectione ejus, quem habent fideles in vita præsentis, aliaque lectu utilia. *Cap. IX.* ad demonstrationem Geometricam, ut scribit, progressus XVIII propositiones sive lemmata ponit, quorum quatuordecim ex *Malebranchii* traditis excerpfit, reliqua ex Theologia formavit, inter quæ n. 14. repetitur illud *Damasceni*, supra relatum: *voluntatis divina beneplacito natura humana propriis motibus movebatur in Christo*; & n. 16. additur, maxime hoc pertinere ad voluntatem Christi humanam; quæ etsi liberior & perfectior sit, quam omnium hominum, habeat tamen (secundum verba Thomæ Aquin.) *determinatum modum volendi, ex eo quod est in hypostasi divina, ut scilicet moveretur semper secundum nutum voluntatis divina.* Funditus itaque destrui censet propositionem *Malebranchianam*, quia (1) impossibile sit, stantibus illis lemmatibus, ut anima Christi, unita Verbo personaliter, & ab hoc semper mota, velle possit alia, quam quæ divina voluntas determinaverit; unde & impossibile sit, esse causam occasionalem gratiæ. *Quæ enim causa ipsa est intelligens, & ab aliis determinatur, sicut anima Christi determinatur a Deo, illa non potest determinare aliam.* Hoc N. X ex ipsius *Malebranchii* principiis asseritur; qui ideo Christo potestatem a Deo independentem assignasse dicitur, ut occasionaliter, id est independentem & liberrime Dei voluntatem generalem determinet. Contrarium (2) adstruit Arnaldus ex eo, quod Christus nil velit, nisi quod sciat Deum velle in genere & in specie, & (3) quod Deus legem talem, quam *Malebranchius* supponit, sibi nunquam præscripserit, ut Christo obedire vellet in regenda Ecclesia; sed e contrario, quod Christus legem sibi ad perfectissimam obedientiam Patri præstandam constituerit, voluntatemque suam humanam vi unionis hypostaticæ Deo totaliter submisit. Corollarium hinc elicit, idque demonstratum esse censet, & ab Ecclesia Catholica semper creditum, Deum in ordine gratiæ voluntate particulari agere, & proinde falsum esse, *quod Christi anima sit causa occasionalis gratiæ.* Demonstrationi isti a priori subnectit *cap. X.* aliam a posteriori, & ostendit, si Christus secundum *Malebranchium* statuatur causa occasionalis gratiæ, tunc omnes illas difficultates in Christum recidere, quæ Deo circa distributionem gratiæ obijciuntur, &

harum a Deo amoliendarum causa, ignominiose tractari Christum, scientiam ei imperfectam attribuendo, in quo tamen *absconditi sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei*. Monet autem, non solum nihil tale Apostolos & sanctos sensisse, qui omnes causam difficultatum istarum in imperscrutabilia Dei judicia devolverint; sed & ea, quæ contra sentit *Malebranchius*, sophismatibus & contradictionibus laborare. Examinat inde aliqua ex ejus scriptis, & difficultati illi maxima nullum remedium ex nova hac sententia afferri dicit, eum nempe Christus gratiam peccatoribus aliquibus conferat, quæ ad convertendos illos non sufficit? item cur permittat tot infantes mori absque baptismo? cur tot nationibus nihil de se prædicari faciat? cur tot malos Christianos gentilium more vivere sinat? Horum omnium culpa Deum liberari ex novo systemate, & Christum onerari, cum statuitur, Deum quidem ex sua parte voluntatem generalem habere erga omnes homines, sed animam J. C. causam occasionalem esse, quæ plurimos hominum ut indignos sua cura negligat. Si hoc (ait) *Malebranchius* non vult Deo tribuere, cur tribuit Christo, quem tamen fatetur immensæ esse bonitatis & misericordiæ? Dein si credit, Deum omnes homines salvos esse velle, impediri tamen sapientia sua, ne particulari agat voluntate, neque conferat omnibus necessariam ad salutem gratiam; cur Christus, qui particulari voluntate agit, non determinat infallibiliter voluntatem Dei, ad salutem omnibus conferendam? Dein si Christus zelum habet pro gloria Patris, & gloria hujus tanto major est, quanto majus, augustius & frequentius est templum Ecclesiæ, quod Christus extruit, cur non omnes omnino homines in illud introducit? Quam misera est responsio (pergit.) quod Christus non pro omnibus intercesserit, quia quosdam cura sua indignos habeat? Improbat iterum thesin *Malebranchii*, quod voluntas Dei generalis de salvandis hominibus impediatur per ejus sapientiam, & quod non nisi simplicissimo modo homines salvare velit; modus autem is fit, ut anima Christi sit causa occasionalis distribuendæ gratiæ. Postea *cap. XI* scribit, ad quæstionem, cur *gratia free fides salvifica non omnibus conferatur a Christo*, ex veteri Theologorum systemate responderi, quod credant efficaciter & salventur ii, quibus Deus cor aperuit sicut *Lydia*, Act. XVI. 14. & qui *praordinati sunt ad salutem* Act. XIII. 48. & Augustinum docere *cap. 6. de predestinatione, quod Deus voluntates quorundam præparet, aliorum non præparet, & quod*

quod distinguere debemus, qua sunt ex ejus misericordia, & qua ex justitia sunt; sed ex nova Malebranchii hypothesi responderi, causam in Christo esse, cui indifferens sit, an Paulum vel Johannem salvet. Hoc valde paradoxum & incomprehensibile esse ostendit Arnaldus; convenire enim ex præsuppositis Christo, ut utrumque salvet, quia quam maximum facere vult illud ædificium suum spirituale Ecclesie. Respondet etiam ad dictum Malebranchii, quod Christus suscipiat eos, qui se primo offerunt & vigilant. Hoc vix absolvi a Semipelagianismo posse existimat, idque Malebranchii probat verbis. Urget porro, quæ causa sit, quod alii primi veniant & vigilantes sint, alii tales non sint: an a gratia, an a libero arbitrio? Si prius, culpam in Christum cadere, qui gratiam non det omnibus; si secundum, Pelagianismum totum aut dimidium non evitari. Addit alia ex ipso Autore, conformia traditis Augustini statuentis: desiderare auxilium gratia, inisium gratia est, item: etiam hoc divini numeris est, ut oramus; quibus destrui monstrat, quæ de venientibus & vigilantibus scripsit Malebranchius. Denique ait, si Christus excusatur, quod solum venientibus, non vero omnibus gratiam conferat, tur non & Deus excusatur eodem modo, ex sententia scilicet Semipelagianorum? Cap. XII. eadem suo modo applicat ad traditum Adversarii, de gratia non sufficienti, & de eâ quam ad indurandum dari putat, horribili, ut arguitur, dogmate. Ex argumentationibus autem, quæ contra voluntatem Dei particularem in novo systemate adinventæ sunt, ad Christum applicatis deducitur, idem sequi; nempe ut nec Christus particulari voluntate agat, quia sapientiæ & bonitati Christi non magis ac Dei patris conveniret, particulari voluntate agere, sed potius a particulari illa distributione sufficientis & salvificæ gratiæ abstinere debere. Ad hoc demonstrandum parallelismos facit decem argumentorum, de Deo & Christo, ex hypothesi adversarii, ex quibus concludit absurdum & impium esse, quod Autor Christo culpam impudet, quam Deo non vult tribuere, & quod animæ Christi ignorantiam secretorum cordis humani, nisi a Deo revelentur, assignet, agnoscat tamen revelationem precibus & desiderio Christi illico obtineri, quo ipso, & dum Christus præces negligeret, sapientiæ & bonitati ejus detraheretur. Acrius etiam adversus illam ignorantiam assertionem quod Christus ut homo actualiter nesciat determinationes futuras voluntatis in homine justo, cui gratiam, sed non sufficientem ad vincen-

das tentationes contulit, atque ideo non ut Deus sed ut homo agat. infurget *cap. XIII*, nec mollire contumeliosam hanc sententiam concedit, quod distinguat alicubi, inter *scientiam habitualem & cogitationem actualem*, & *cap. XIV* ex *Thoma Aquin.* docet, quid de scientia animæ Christi statuendum sit, & an vel quatenus illa in Verbo cui unita est, omnia cognoscat. Asserit autem, id fieri & *habitualmente* & *actualiter*, quamvis aliter opinetur *Malebranchius*, aut terminos illos alio sensu sumat. Addit, quod stante etiam, secundum explicationem adversarii, distinctione *habitus & actus*, nihilominus Christus non liberetur ab imputatione profana neglecti actus; qui enim *habitualmente* aliquid scit, *actualiter* idem scire potest, quando & quoties vult; unde sequitur in potestate Christi ut hominis semper esse, ut actualiter statum interiorem cordis humani cognoscat; & si id non faciat, negligentiae culpam non esse vitaturum. *Cap. XV.* monstrat, quomodo dogmata *Malebranchii* a sententia *Thoma* in septem capitibus discrepent. Inde *cap. XVI.* prolixius deducit & accusat, quam indignum & Evangelio Christi plane contrarium sit, quod *Malebranchius* Christo homini ignorantiam fere perpetuam secretorum cordis tribuat, imo quod dicat Christum velle ea ignorare: similem errorem a *Leporio* quodam, tempore Augustini retractatum fuisse. Addit probationes ex historia Evangelica, in qua Christo manifeste tribuitur scrutamen cordium & notitia cogitationum. *Cap. XVII.* prætextus examinat & destruit, per quos *Malebranchium* in errorem illum incidisse arbitratur, ut Christo scientiam secretorum cordis, nisi a Deo revelatorum, abjudicaverit: ita quidem ut pro hæresi & *Nestorianismo* habeat, si quis dicat Christum ut hominem corda non scrutari, nec futuras determinaciones eordis nosse; non minus, quam si quis neget Christum ut hominem esse absque peccato, quia natura humana non magis per se ipsam impecabilis est, quam scrutatrix cordium, extra personalem unionem cum divina. Quod si maxime revelatione Dei ad illam scientiam opus esset, teneri tamen Christum pro bonitate sua statuit, ut illam a Patre petat, a quo nunquam fert repulsam. Negat sine impietate dici, Christum hoc ideo omittere, ut majus miraculum esset, si ut causa occasionalis quosdam homines salvet, quam si omnium corda nosset, omnibusque remedia ad salutem sufficientia applicaret. *Cap. XVIII.* quinque propositiones ex hypothesis *Malebranchii* format, ex quibus falsitatem sententiæ ejus postea deducit,

deducit, cum is veluti certum asseverat, & cum exultatione & triumpho quodam se demonstrasse putat, Deum quidem velle, ut omnes homines salventur, & facere omnia in eum finem, quæ possit facere ex præscripto sive lege sua, sed non salvare plures quam per regulas sapientiæ suæ, & per viam simplicem voluntatis generalis salvare possit, quodque hoc modo omnes difficultates, quæ in materia gratiæ adversus generalem Dei voluntatem ex eventu particulari opponi solent, dissipentur. Sed nullitatem hujus asserti ex inversione propositionum *Malebranchii* demonstrat, eumque provocat, ut ad singulas has demonstrationes respondeat, monstratque si possit, quod non demonstrant nec concludant; hoc ut Theologo ex conscientia dicit inebere, aut ut errorem agnoscat & revocet. *Cap. XIX.* alia quædam loca *Malebranchii* in censuram vocat, in quibus sibi ipsi contradicat, & incongrua de Christo pronuntiet, imo ipsi ut causæ occasionali defectus assignet, quibus tamen carere omnino deberet, ut ipse præsupponit; magnam verè rem præstitisse credat, quod culpam Deo ademptam Christo injungat. *Cap. XX.* sive ultimo, continuat contradictionum syllabum, quem ex hypothësis *Malebranchii* collegit. Hypothëses autem illæ (ut jam sæpius & variis modis dista, etiam nos in compendio denuo exhibeamus) hæc sunt. (1) Deus vult serio, ut omnes homines salventur. (2) nihil est extra Deum, quod eum in hoc proposito impedire possit. (3) in Deo itaque ipso investigandum est, quid eum impediverit, quo minus ipso facto omnes salvet; nempe sapientiæ ejus, quæ vetat eum in salute hominum operanda particulari voluntate agere. (4) hoc stante, debuit Deus causam occasionalem constituere, quæ voluntatem ejus de salvandis omnibus hominibus determinaret, & sese obligare, se ad hujus causæ occasionalis determinationem acturum esse. (5) nemo nisi Christus ut homo, Verbo personaliter unitus, causa hæc esse potuit. (6) Christus charitatem immensam etiam ut homo habens desiderat, ut templum suum spirituale quod ædificat, maximum & augustissimum sit. Negat quidem *Arnaldu* has hypothëses, neque concedit quidquam in illis verum esse, quam quod Deus certo sensu omnes homines velit salvos fieri, & quod Christus dici possit causa occasionalis gratiæ, si per hanc intelligatur causa *ministerialis*. Sed stantibus illis hypothësis plane alias formari debuisse contendit consequentias, nempe etiam in ordine naturæ causæ occasionales defectum habere possint, nullum



nullum tamen patiantur in ordine gratiæ, quia hic dependet a sapientia æterna; itaque Christi ut causæ occasionalis, utpote perfectissimæ officium fore, ut Deum ad ea determinet, quæ illius intentioni de salvandis omnibus hominibus maxime convenirent. Cum vero id non faciat, demonstrative probatum esse, Deum non voluisse omnes homines salvari eo modo, quem *Malebranchius* statuit, neque Christo imputari, aut causam in eo queri debuisse, si tantum illos salvet, quos Deus voluntate non solum antecedenti, sed consequenti atque adeo necessaria & absoluta salvari voluit. Colliduntur itaque (ut tandem per epilogi modum infert) & subruuntur, quæ *Malebranchius* docet. (1) esse defectus sive irregularitates in causa occasionali, id est in anima Christi, & tamen causam hanc intelligentem esse & ab æterna sapientia illuminatam. (2) male dici indignum esse Deo, ut agat voluntate particulari in ordine gratiæ, & causæ occasionali male imputari, quod gratiam aliquando det ad indurandum aut augendam culpam. (3) male statui, omnes homines salvos fore, si Deus particulari voluntate in negotio salutis ageret; male tribui Christo, quod negligat eos, qui se non invocant, & tamen asseri, quod Christus particulari voluntate agat, quæ tamen salutem omnium hominum non efficiat. (4) falsum esse quod Christus casu & fortuito minus det gratiæ quibusdam, quam ad salutem opus habent, dum non cognoscat secretum cordium; cum tamen hanc ipsam qualitatem necessario habeat Christus etiam ex dogmate *Malebranchii*, qui semper eum ut hominem illuminari fatetur a sapientia æterna. Incidisse in hos errores conjicit *Malebranchium* ex curiositate rimandi judicium Dei, & periturum ex dicto Augustini, *quia inscrutabilia scrutari voluit, & investigabilia investigare, nisi crederet & conversaque ad eum oratione hortaretur, ut præjudicium illud suum, de causa universali, qua non debeat agere voluntate particulari, neque in ordine nature neque gratiæ, deponat, imo excreetur, quod utique facturum eum ab initio fuisse confidit, si vidisset sequelas falsas & horribiles, quæ ex eo fluunt; duas imprimis, nempe quod anima Christi licet Verbo personaliter unita, ab hoc tamen non dependeat, nec alias vires quam causæ occasionalis habeat, easque per desideria propria, in Verbo nec formata nec determinata exercent. (2) quod eadem anima etfi a sapientia æterna illuminata, non cognoscat penetrabilia cordium, qua tamen cognitione ad distributionem gratiæ debito modo faciendam opus habet.*

habet. Quam contraria hæc sint doctrinæ Christianæ de Verbo, & de unione ejus cum humana natura, & hujus unionis effectibus, diligenter illum jubet expendere; & systema suum potius deferere ac pro falso agnoscere, quam blasphemis istis opinionibus diutius immorari. Testatur se illum vere amare, sed cum zelo eum ab errore reducendi. Idem alios optare, & ut *Leporii* exemplo errores retractet; promississe enim illum, id facturum se esse, si convincatur. Addit, insolens esse, quod quatuor vicibus editum sit systema tot novis opinionibus plenum, absque omni approbatione Episcoporum & Doctorum. Se vero jam totius operis examen non urgere, sed duarum saltem illarum propositionum; has rogat ut septem vel octo Episcopis vel *Doctores Sorbonicus* aut *Congregationis suæ* proponat, & approbationem ab iis impetret; hoc si præstare nequeat aut negligat, & more suo convitiis compenset laborem, quem ad ejus emendationem impenderit, nihil reliquum esse, quam ut Deus rogetur, ut illum a tanta cœcitate & periculosa præsumptione liberet, & per viam humilitatis ad veritatem ducat.

Judicandi de controversia ista munus hic non sumimus: illis vero parum abest quin assentiamur, qui exhaustam esse æstimarunt. Si quid tamen de illa in posterum denuo profuturum est, quod non ad meras pertineat verborum contentiones, id quoque excerpere tanto minus nos pigebit, quanto breviori labore defuncturos nos esse speramus. Fieri enim vix videtur posse, ut sine plurimorum, quæ jam tot libellis scripta sunt, repetitione, continuari possit disputatio. Prolixitatem relationis benevoli lectores excusabunt, quæ ob materiæ naturam, & terminorum quorundam novitatem haut facile potuit evitari.

**SAMUELIS PUFENDORPII DE HABITU RELIGIONIS Christianæ ad vitam civilem, liber singularis. Accedunt Animadversiones ad aliqua loca e Politicæ Adriani Houtuyn J Cti Batavi.**

Bremæ, apud Ant. Gunth. Schvverdfegerum, 1687, in 4.

**N**ON alia quæstio Protestantès inter ac Pontificios, majore animi contentione per sesqui seculum & ultra agitatâ fuit, quam quæ de

Ecclesia, ejusque indole ac veritate est. Nam qui sectæ Romanensi ejusque capiti Romano Pontifici addicti sunt, in id unice incubere, ut si non argumentorum numero ac pondere, dimachorum tamen immani violentiâ pervincerent, Ecclesiæ Catholicæ ac vere Christianæ nomen, non nisi suo cœtui competere, reliquis Christianis omnibus hæresis aut apostasiæ convitio notatis. Contra vero in Protestantium Ecclesia non defuere Theologi, qui ex veræ Ecclesiæ notarum defectu solide probarunt, cœtum Romanensium non posse sibi illud nomen arrogare, aut illud tantopere jactare; cum a puritate doctrinæ Apostolicæ defecerint dudum, sacrorum aliquod regnum constituendo, quod statum magis civilem, quam regnum Christi, quod non est de hoc mundo aut mundano simile, repræsentet. Sed non omnes, dum doctrinæ morumque errores, crassissimos Pontificiorum diluerunt ac confutarunt, simul cardinem controversiæ attigere, aut etiam primam ejus originem ita perspicue & solide demonstrarunt, ut ab omnibus qui Scholasticas disputationes aut non legunt, aut non capiunt, intelligi satis potuerint. Hanc ob causam celeberrimus *Puffendorfius*, *S. Reg. Maj. Svec. a Consiliis Aulae & Historiographus*, magno cum judicio arcem hanc regni Pontificii subruere aggressus est. Etenim solidis ante fundamentis religionis veræ præstructis, tam indolem ac naturam religionis Christianæ ex immoto sacrarum literarum principio describit, quam *πρῶτον Ψῦδος* Ecclesiæ ac status Pontificii ecclesiastici solide destruit. Hoc vero illud est: *Christum Salvatorem nostrum, dum viam ad salutem æternam perveniendi moralibus panderet, pariter introducere voluisse potestatem quampiam sacram, quæ idonea ac sufficiens sit constituendo certo statui a vulgaribus civitatibus separato, cui divinitus commissa sint imperandi arbitria, & contra quæ nulli mortalium vel hiscere liceat; hancque esse Romanam Ecclesiam, cujus Rex aut summus Pontifex solus episcopus Romanus esse debeat: hujus imperium & dogmata qui amplecti recusat, salute æterna potiri non posse.* Hanc, dico, arcem *Autor amplissimus* libro hocita arietavit, ut unde fulciri queat, tota clericorum Romanensium cohors non facile adparatum inventura sit idoneum. Primum exposita religionis tum naturalis tum revelatæ natura, Principumque circa istam potestatem, ostendit Christum non fecisse novum populum, cum nihil in statu illo humili habuerit territorii, nec Principis personam gesserit; sed ut doctorem summum

Aposto-

*Apostolorum* ministerio doctrinam suam propagasse, absque ullo imperio ipsis concessio. Nam etsi claves regni cœlorum illis crediderit, non tamen inde vim imperii alicujus probari posse. Hinc quid Ecclesia significet, exponit: quæ licet regnum Christi vocetur, non ideo statum aliquem aut rempublicam, quæ uno imperio humano continetur, notet. Hoc solide demonstrato, Ecclesiam, quæ status aliquis est aut respublica, non posse (qua status aliquis est) a Christo esse, ex structura interna Ecclesiæ in sacris literis definita probat; quippe quæ multum a statu differt. Hoc cum de particulari Ecclesia demonstrasset, §. 34. de universali etiam disquirat, ostendens illam quoque ex intentione & instituto Christi nullum constituere statum: nec adparere vinculum aliquod, quod universitatem Christianorum in unum statum colligare idoneum sit, nec utile esse omnes Christianos ita coalescere; neque opus esse monarcha Ecclesiastico aut iudice controversiarum, qualem se fert Episcopus Romanus: controversias sacras in concilio aliquo per doctores congregatos, ut Act. XV Apostoli fecere, componi posse. Hinc naturam Ecclesiæ sub imperio infidelium & Christianorum Principum exponit. Qua occasione jus Principum circa sacra & religionem evolvit, ac quid de tolerantia diversarum religionum sentiendum sit, tradit; Principibus inculcans, ne fidem hominibus obnoxiiis adhibeant, quales sunt sacrificuli, qui obtentu religionis opes quærunt & potentiam, Principumque jura valde imminuunt. Tandem & de jure reformandi agit, docens, civibus etiam competere, a reliquorum communionem, qui erroribus fidei fundamentalibus pertinaciter inhaerent, sese separare, non obstante summorum imperantium, aut cleri sententia: quia quisque pro se cultum suum Deo adprobare teneatur, curamque animæ suæ alteri absolute resignare nequeat.

Appendicis loco propter argumenti cognationem annectit animadversiones ad aliqua loca e Politica contracta *Adriani Houtuyn* *7 Cui Belgæ*, quibus probat, autorem hunc in alterum extremum impingere. Nam uti Romanenses conscientias civium dominatui Pontificis R. ita *Houtuyn* Principum libidini subijcit; profanum ac impium Hobbesii dogma amplectens, quasi Princeps religionem publicam facere queat quamlibet: quia ut ille censet, publicum omne a potestate publica & externum sit. Quam noxiam viri sententiam jugulat, atque idoneis argumentis conficit.

Ecclesia, ejusque indole ac veritate est. Nam qui sectæ Romanensi ejusque capiti Romano Pontifici addicti sunt, in id unice incubuere, ut si non argumentorum numero ac pondere, dimachorum tamen immani violentia pervincerent, Ecclesiæ Catholicæ ac vere Christianæ nomen, non nisi suo cœtui competere, reliquis Christianis omnibus hæresis aut apostasiæ convitio notatis. Contra vero in Protestantium Ecclesia non defuere Theologi, qui ex veræ Ecclesiæ notarum defectu solide probarunt, cœtum Romanensium non posse sibi illud nomen arrogare, aut illud tantopere jactare; cum a puritate doctrinæ Apostolicæ defecerint dudum, sacrorum aliquod regnum constituendo, quod statum magis civilem, quam regnum Christi, quod non est de hoc mundo aut mundano simile, repræsentet. Sed non omnes, dum doctrinæ morumque errores, crassissimos Pontificiorum diluerunt ac confutarunt, simul cardinem controversiæ attigere, aut etiam primam ejus originem ita perspicue & solide demonstrarunt, ut ab omnibus qui Scholasticas disputationes aut non legunt, aut non capiunt, intelligi fatis potuerint. Hanc ob causam celeberrimus *Puffendorfus*, *S. Reg. Maj. Suec. a Consiliis Aulae & Historiographus*, magno cum judicio arcem hanc regni Pontificii subruere aggressus est. Etenim solidis ante fundamentis religionis veræ præstructis, tam indolem ac naturam religionis Christianæ ex immoto sacrarum literarum principio describit, quam *ἡρώτων Ψεύδος* Ecclesiæ ac status Pontificii ecclesiastici solide destruit. Hoc vero illud est: *Christum Salvatorem nostrum, dum viam ad salutem æternam perveniendi mortalibus panderet, pariter introducere voluisse potestatem quampiam sacram, qua idonea ac sufficiens sit constituendo certo statui a vulgaribus civitatibus separato, cui divinitus commissa sint imperandi arbitria, & contra qua nulli mortalium vel hiscere liceat; bancque esse Romanam Ecclesiam, cujus Rex aut summus Pontifex solus episcopus Romanus esse debeat: hujus imperium & dogmata qui amplecti recusat, salute æterna potiri non posse.* Hanc, dico, arcem *Autor amplissimus* libro hoc ita arietavit, ut unde fulciri queat, tota clericorum Romanensium cohors non facile adparatum inventura sit idoneum. Primum exposita religionis tum naturalis tum revelatæ natura, Principumque circa istam potestate, ostendit Christum non fecisse novum populum, cum nihil in statu illo humili habuerit territorii, nec Principi personam gesserit; sed ut doctorem summum

Aposto.

**A**postolorum ministerio doctrinam suam propagasse, absque ullo imperio ipsis concessio. Nam etsi claves regni cœlorum illis crediderit, non tamen inde vim imperii alicujus probari posse. Hinc quid Ecclesia significet, exponit: quæ licet regnum Christi vocetur, non ideo statum aliquem aut rempublicam, quæ uno imperio humano continetur, notet. Hoc solide demonstrato, Ecclesiam, quæ status aliquis est aut respublica, non posse (qua status aliquis est) a Christo esse, ex structura interna Ecclesiæ in sacris literis definita probat; quippe quæ multum a statu differt. Hoc cum de particulari Ecclesia demonstrasset, §. 34. de universali etiam disquirat, ostendens illam quoque ex intentione & instituto Christi nullum constituere statum: nec adparere vinculum aliquod, quod universitatem Christianorum in unum statum colligare idoneum sit, nec utile esse omnes Christianos ita coalescere; neque opus esse monarcha Ecclesiastico aut judice controversiarum, qualem se fert Episcopus Romanus: controversias sacras in concilio aliquo per doctores congregatos, ut Act. XV Apostoli fecere, componi posse. Hinc naturam Ecclesiæ sub imperio infidelium & Christianorum Principum exponit. Qua occasione jus Principum circa sacra & religionem evolvit, ac quid de tolerantia diversarum religionum sentiendum sit, tradit; Principibus inculcans, ne fidem hominibus obnoxiiis adhibeant, quales sunt sacrificuli, qui obtentu religionis opes quærunt & potentiam, Principumque jura valde imminuunt. Tandem & de jure reformandi agit, docens, civibus etiam competere, a reliquorum communione, qui erroribus fidei fundamentalibus pertinaciter inhærent, sese separare, non obstante summorum imperantium, aut cleri sententia: quia quisque pro se cultum suum Deo adprobare teneatur, curamque animæ suæ alteri absolute resignare nequeat.

Appendicis loco propter argumenti cognationem annectit animadversiones ad aliqua loca e Politica contracta *Adriani Houtuyn* *7 Cui Belga*, quibus probat, autorem hunc in alterum extremum impingere. Nam uti Romanenses conscientias civium dominatui Pontificis R. ita *Houtuyn* Principum libidini subjicit; profanum ac impium Hobbesii dogma amplectens, quasi Princeps religionem publicam facere queat quamlibet: quia ut ille censet, publicum omne a potestate publica & externum sit. Quam noxiam viri sententiam jugulat, atque idoneis argumentis conficit.

AUGUSTI PFEIFFERI D. THEOLOGIÆ SIVE POTIUS μαθησιας Judaicae atque Mohammedicae seu Turcico - Persicae principia sublesta & fructus pestilentes.

Lipsiæ, sumptibus Joh. Frid. Gleditsch, 1687, in 8.

**N**ulli dubitamus, septem illarum, quibus eruditissimum hoc opusculum constat, *exercitationum* argumenta nota jam fore Eruditis. Vingt enim circiter anni elapsi sunt, ex quo tum separatim, tum junctim in alma Leucorea lucem publicam primitus aspexerunt. Sufficiet ergo indicasse titulos, qui singulis præfiguntur. Agit prima de *Talmude Judæorum*, altera de *Targumim seu paraphrasibus Chaldaicis V. T.* tertia de *Masora*, quarta de *tribaresio Judæorum, seu de Phariseis, Sadducæis & Essæis*. Quinta exercitatione spectandus sistitur *obtrellator Apella, seu calumniarum Judaicarum in Christum Salvatorem & Christianos e scriptis præcipue Talmudicis perita recensio*. Sexta inscribitur de *Alcorano Mohammedis impostoris*, ultima denique de *Aliibis & Sunnitis, sive de præcipuis Persarum & Turcarum circa religionem dissidiis*. Recusæ vero in urbe hac nostra, non sine augmento prodierunt; quod majus futurum fuisset, nisi ea quæ addere poterat, maxime reverendus & in Judæorum pariter ac Muhammedanorum scriptis versatissimus Auctor reservanda potius duxisset plenæ editioni *Alkorani*, quam una cum notis necessariis & antidoto, publico parare se profiteretur in dedicatione; in qua etiam harmoniam Muhammedico-Judaicam, quoad viginti dogmatum ac morum capita, operose monstravit.

ECLIPSIS SOLIS OBSERVATA LIPSIAE, DIE I.

Maji s. vet. Anno 1687.

**Q**uamquam calculus Rudolfinus immunem a defectu Solem nobis Lipsiæ promitteret: quod tamen idem ad angulum orbitæ Lunaræ & Horizontis, contra quam Tabulæ Rudolfinæ præcipiunt, reductus, in Ephemeridibus Kirchii nostri, Eclipsin unius digiti exhiberet, observationem ejus non negligendam putavimus. Cælo autem circa synodi tempus undiquaque nubilo, & Cauro flante vis aliquid spei supererat,

pererat, phaenomeni hujus deprehendendi ; cum paulo ante sonitum horæ 2 pomeridianæ, per ruptas nubeculas Solem, sed vix ad nutum oculi, a Luna adhuc dum illibatam licuit conspiciere : ex quo spem concepimus, Eclipses hujus aliquatenus saltem observandæ ; nec voto defuit eventus. Post horam enim 2 disjectis iterum nubibus Sol comparuit, jamcum sensibili Eclipsi, cujus tamen quantitatem, ob conspectus breviter annotare nequivimus. Cætera, quæ observavimus, sequens exhibet Tabella.

Horol. urbis			Horol. ambul.			Altit. Solis.		Temp. ex alt. Soliscorr.			
H.	/		H.	/	//	Gr.	/	H.	/	//	
						46.	45	2.	20.	10.	Eclipsis jam satis notabilis
								2.	47.	30	1 $\frac{1}{3}$ Dig. ad minimum : subtercurrentes enim nubeculæ, exactissimam determinationem impedire.
			3.	1.	0			2.	56.	30	1. Dig. Defectus exiguus Def. adhuc, sed difficulter perceptibilis.
			3.	19.	0						
			3.	20	30						
3.	15	3.	21.	0				3.	15.	0	Finis : post quem sudum cælum, ut altitudines Solis notari plurimæ, & cum observatis tempore Eclipses conferri, temporaque ex iis corrigi potuerint.

**C. CORNELII TACITI OPERA QUÆ EXSTANT,**  
*ex recensione & cum animadversionibus Theodori Ryckii.*

Lugduni Batavorum, apud Jac. Hackium, 1687, in 12.

Xx 3

C. Cor-



**C**ornelii Taciti nec sublimius quicquam iudicio aut rectius, nec eloquentia gravius, nec ubertate fertilius, tota gentilium habet eruditio: adeo non historiarum tantam dignitatem perfecisse, sed mensuram omnis ferme sapientiarum, qua hominibus licet, explevisse censetur. Merito igitur tanti a M. Aur. Tacito Imp. habitus est, ut ejus effigiem omnibus bibliothecis poni edicto mandaverit, librosque tanta cura adservari, ut singulis annis decuriones civitatum ejus historiam describi curare jussi sint, inque publicis archivis servare, ne aliquo unquam tempore periret. Sed eadem vetustas quæ cunctas imagines istas delevit, maximam etiam librorum partem absumpsit, & ruinis Imperii Romani hæc monumenta simul involuta sunt, postquam tot tamque diuturnis bellis, quibus totus occidens concussus est, Franci, Allemanni, Gothi, Longobardi cuncta popularentur: Christianorum autem ab auctore hoc animus averfus cladem & interitum eidem acceleraret. Partem tamen Cornelianæ hujus historiarum haut exiguam Corbejense monasterium ad Visurgim asservavit: unde acceptos & Florentiam perlatos superstites libros Leo X edi jussit. Quo studio accensus postea *Beatus Rhenanus*, ex Budensi Matthiæ Corvini Regis bibliotheca optimæ notæ codicem nactus, operam eidem auctori impendit, & post *Franc. Puteolanum* ac *Pb. Beroaldum* emendatiorem auctioremque Tacitum edidit: quem dein secuti *Andreas Alciatus*, *Vicens. Lupanus*, *Marcellus Donatus*, *Æmilius Ferretius*, *M. Vertranius Maurus*, *M. Ant. Muretus*, *Josias Mercerus*, *Cursius Picbena*, ac in primis *Justus Lipsius* & post eum *Val. Acidalius*, *Janus Gruterus*, *Chr. Colerus*, *Scipio Amiratius*, *Virgilius Malvezzius*, *Hannibal Scottus*, *Philippus Carrianius*, *Christophorus Forstnerus*, *Henricus Savilius*, *Hugo Grotius*, *M. Zuverius Boxhornius*, *Matthias Berneggerus*, *Joannes Freinsheimius*, *J. F. Gronovius* alique, insigni studio auctorem hunc emendarunt ac illustrarunt. In quo labore prorsus eximio nonnulli hanc rationem tenuere, ut quæ ad historiam pertinent, accurate persequerentur; alii verborum, quibus hic auctor lectissimis & ad id quod vult exprimendum accommodatissimis usus est, structuram vel investigarunt, vel injuria æviturbatam reconcinnarunt; plerique denique collegerunt & excerpterunt præcepta ad prudentiam civilem pertinentia, quorum incredibilem vim quandam his Annalibus & Historiis contineri tot evulgati libri consentunt, Corneliano e fundo depromti.

Post tot insignes editiones, hæcenus extantes, quarum maximam partem

partem uni volumini Francofurti 1607 evulgato inclusit *Janus Gruterus*; quem anno sequenti Parisienses typi secuti grandiori & auctiori opera Commentatores Taciti recuderunt; novam plane eamque nitidam & politam, hoc quem agimus anno, in Lugdunensi academia, quam amoenioribus studiis ac eleganti solidaque doctrina exornat, prodidit *Theodorus Kyckius*. Quippe codicem calamo exaratum, paucis antea conspectum, qui Rodolphi Agricola olim fuerat, cum possideret; & ex eo æque ac Florentino, (quem Pichea olim contulerat, nuper autem haut paulo accuratiori studio Jac Gronovius V. CL. in Medicea bibliotheca perlustraverat) nec non Galliarum Regis e bibliotheca depromto codice sibi transmissio, multa loca hactenus depravata restitui posse animadverteret; eo studium contulit, ut quantum fieri posset, vera ac genuina Taciti scriptura restitueretur. Quocirca vix quicquam ex ingenio, etsi eximium id ac prorsus capitale habeat doctissimus editor, sed e manuscriptis libris omnia attulit. Ac lectionis hujus, sive a se primum constituta, sive ab aliis antea prodita, rationem in doctis *Animadversionibus* reddidit; in quibus multa ad historiam Romanam, familias, & antiquitates pertinentia, nonnulla etiam ad structuram & conformationem orationis eloquentiamque facientia reperiet studiosus Lector, qui a varietate & jucunditate eruditionis in istis Notis recondita, insignem sibi fructum promittere poterit.

## LIBRI NOVI.

Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemæ Decas II. Liber I. Authore Bohuslao Balbino Soc. Jesu. Vetero-Pragæ 1687. fol.

Sebastiani Christiani a Zeidlern Somatologia Anthropologica, seu Corporis Humani Fabrica. Pragæ 1686. fol.

Biblia, & Historico-Harmonica, & Dogmatico-Parallela; seu Universæ S. Scripturæ tam Veteris quam Novi Testamenti Series & Ordo, Consensus & Concordia. Opus magno labore & multis vigiliis in gratiam S. Scripturam æstimantium, eam docentium discendumque, singulari, plane nova facilitate methodo, Germanico sermone congestum, a *Dornprellis* ab Eberhertz. Luneburgi 1687. fol.

D. Sebastiani Schmidt Commentarius in Librum priorem Samuelis. Argentorati 1687. in 4.

Ejusdem in Prophetam Hoseam Commentarius. Francofurti 1687. in 4.

Ejusdem in priorem Johannis Epistolam Commentarius. Luneburgi 1687. 4.

Cl. Rutilii Itinerarium integris variorum notis illustratum, ex museo Th. I. ab Almeloveen. Amstelod. 1687. in 12.

Luciani Samosatensis Opera ex versione Joh. Benedicti, cum notis integris variorum. Amstelod. 1687. in 8.

Aur-

Aur. Corn. Celsi de Medicina libri VIII, brevioribus Rob. Constantini, IC. Casauboni, aliorumq; scholiis ac locis parallelis illustrati, cura Th. I. ab Almeloveen. Amstelod. 1687. in 12.

Martyrologium Ecclesiæ Germanicæ pervetustum, e membranis descriptum, & libro commentario illustratum a M. F. Beckio. Augustæ Vind. 1687. in 4.

Samuelis Stryckii Tractatus de Successione ab intestato. Francof. ad Viadrum 1687. in 4.

Laurentii Donckers Idea Febris Petechialis. Lugd. Bat. 1687. in 8.

Joh. Jac. Hardegi Apiarium, Observationibus Medicis centum, ac Physicis experimentis refertum. Basil. 1687. in 4.

Joh. Frid. Böckelmanni Exercitationes de Actionibus. Lugd. Bat. 1687. in 4.

Vita Johannis Reuchlini, descripta a Joh. Henr. Majo, Durlaci 1687. in 8.

De necessaria secessione ab Ecclesia Romana Disputationes, auctore Francisco Turretino. Genevæ 1687. in 4.

Joh. Henr. Heideggeri Diatribæ in D. Johannis Theologi Apocalypseos Prophetiam de Babylone Magna. Lugd. Bat. 1687.

Judicia Eruditorum de Symbolo Athanasiano, studiose collecta & inter se collata a Wilhelmo Ernesto Tenzelio. Francof. & Lipsiæ 1687. in 12.

M. Joh. Reiskii Commentatio de Glossopetris Luneburgensibus. Noribergæ 1687. in 8.

Davidis Clerici Orationes, Computus Ecclesiasticus, & Poemata. Accedunt Stephani Clerici Dissertationes Philologicæ. Amstelod. 1687. in 8.

Introductio in Notitiam Societatum Literariorum, auctore M. Gottfried Vockerod. Jenæ, 1687. in 4.

Egidii Menagii Poemata, Octava editio, prioribus longe auctior & emendatior; & quam solam ipse Menagius agnoscit. Amstel. apud Henr. Wetstein 1687. in 12.

D. Matthiæ Zimmermanni Florilegium Philologico-Historicum &c. cum Diatriba de Eruditione eleganti comparanda. Dresdæ, 1687. in 4.

Joh. Schilteri Herennius Modestinus, seu Fragmenta de cautelis cum Commentario. Argentorati 1687. in 4.

D. Joh. Christoph Heroldi Tractatus de Jure Ratificationis. Lipsiæ 1687. in 4.

Joh. Christophori Wagenheilii Exercitationes sex varii argumenti. Altdorf Noricorum, 1687. in 4.

Opus Epitolicum exhibens Johannis Caselii Epistolæ, in Fuchiana & Vagetiana editionibus non comparentes; accurate Justo a Dransfeld, Præmissa est Herm. Conringii Epistola de Scriptis Caselianis &c. Francofurti, 1687. in 8.

Histoire du Pontificat de S. Léon le grand, par M. Maimbourg. à Paris in 4. & la Haye in 12. 1687.

#### Errata quædam.

In Actis A. 1686. p. 173. l. 7. pro *Thomam de Vio Cajetanum*, lege *Cajetanum Thibencium*. In Actis A. 1687. p. 236. l. 3 pro *dechlesiensibus*, lege *Lothariensibus*. P. 256. l. 12. pro *Paraphrasen* lege *Metaphrasen*. pag. 257. l. 22. lege *אשר* *אשר* *אשר*. p. 259. l. 28. pro *Antiochena*, lege *Alexandrina*. p. 269. l. 15. pro c. 3. lege c. 13.

(9)

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ  
Calendis Julii, Anni M DC LXXXVII.*

**ABREGÉ DE L' HISTOIRE DE LA CONGRE-  
gation de auxiliis &c. i. e.**

**Compendium Historiæ de Congregatione sub Pon-  
tificibus Clemente VIII & Paulo V habita, in quæstione  
de Auxiliis gratiæ Divinæ.**

Francofurti, 1687. in 12.

**Q**UAMVIS autorem hujus libelli sententia & stylus vix sinant latere, nolimus tamen, quod ipse celare voluit, conjectura nostra propalare. Debemus interim ejus diligentiam, quod brevi & tersa hac relatione exhibeantur, quæ ad celeberrimam illam inter Dominicanos & Jesuitas controversiam de *Auxiliis* sive de gratia & libero arbitrio maximopere pertinent, non multis exacte cognita; addita etiam, quæ plusquam dimidiam libelli partem constituit, insigni *Actorum Congregationis* sub Clemente VIII ab anno 1598 ad 1605 habitæ enarratione Latina, cujus autor indicatur *D. Gregorius Nunnius Coronel*, Lusitanus, ex ordine Augustiniano, dictæ Congregationis Secretarius. Sed præcipue de scripto Gallico dicendum nobis nunc est.

Exorditur Autor ab inquisitione, quæ fuerit doctrina Ecclesiæ, antequam *Ludovicus Molina* Theologus Hispanus, ex *Societate Jesu*, suam publicare cœperit; nec illam aliam statuit fuisse, quam quæ a S. Augustino & Thoma Aquinate tradita, prædestinationem mere gratuitam & gratiam efficacem per se asserat, & a tota Ecclesia Catholica recepta fuerit. Hæc ex ipso Molina adstruit, quia in suo se invento dissidiis & hæresibus, quas vocat, novum remedium quæsi-

Yy

quæsiſſe jaſtet. Firmat idem alterius haud minus famigerati Jeſuitæ *Marianæ* teſtimonio, qui Molinæ opiniones vocarit *betterna comment. i.* Inprimis laborat, ut Concilium Tridentinum eandem Thomæ doctrinam per decreta ſua aſſeruiſſe evincat. Refert eo maxime ſententiã in cauſa *Patriarchæ Aquilegienſis*, A. 1563 a delegatis per Concilium judicibus latam, cujus acta pleraque ante annos viginti publicata eſſe notat. Ex Jeſuitis etiam tres inſignes, nempe *Jayum*, *Salmeronem* & *Layneſium* concilio interfuiſſe, & ſpecialibus fundatoris ſui *Ignatii* monitis inſtructos veteri opinioni in hæſiſſe memorat, quanquam *Layneſius* Ignatii ſucceſſor habito A. 1558 conventu generali, contra inſtitutum antecceſſoris, qui in *Theologia Sacra Biblia*, & in doctrina Scholaſtica *S. Thomam* legi præceperat, effecerit ut etiam *Magiſtrum ſententiarum*, vel alios recentiores *Summiſtas* legi poſſe decerneretur. Ab eo enim tempore *Molinam* novæ opinioni ſtudiſſe, ex libro ejus *de concordia liberi arbitrii cum gratia donis* A. 1588 edito, conſtare exiſtimat, in quo iſtriginta annos numerat, cum dõgma de *ſcientia media* (quod novæ de gratia opinionis fulcrum eſt) proponere cõpiſſet. *Fonſecam* idem de ſe profiteri ait, & conſentientes allegare præter *Molinam*, *Suarezium*, *Vaſquezum*, *Mendozam*. Sed longius progreſſos, cum A. 1581 *Salmanticæ Prudentius de Montemajori*, ex Societate Theologõ, theſes adverſus decretum abſolutum aliasq; publicafſet, tunc quidem a Facultate Theologica illico damnatas. Inprimis vero A. 1584, cum principatum Societatis *Claudius Aquaviva* ſuſcepſiſſet, & edito libro *de ratione ſtudioſorum*, Profeſſoribus ſui ordinis permiſiſſet, ut a Thomæ placitis in quinquaginta aut pluribus capitibus maximi momenti, & ex quibus fere omnes ejus concluſiones dependeant, recederent. Licet enim eodem anno *Dominicus Bannez* ex ordine *Dominicano*, theſes *Montemajoris*, diſſimulato tamen nomine, modeſte refutafſet, nihilominus rupto quaſi aggere in novas opiniones adverſus Thomam ipſumque Auguſtinum effuſos eſſe Jeſuitas, inter alios *Leonardum Leſſium* & *Hammeliũ*, Lovanii docentes. Narrat inde. ut Theologica Facultas Lovanienſis A. 1587, cum amica admonitione apud Jeſuitas, propoſita licet *Roberti Bellarmini*, qui veterem ſententiã Lovanii docuiſſet, autoritate nihil effeciſſet, triginta & unam propoſitiones eorum cenſurã notaverit; utque idem fecerint

rint Theologi *Duacenses*, interque eos doctissimus *Estius*. Approbata refert has censuras a plerisque in Belgio Episcopis, duobusque Archiepiscopis, *Machliniensi & Cameracensi* fuisse, idque nuper A. 1679 Lovanienses, missis Romam delegatis agnovisse, & majorum suorum decretum, ejusque apologiam Pontifici qui nunc præest, denuo obtulisse, illius jussu a quatuor Theologis examinatam & probatam. Hoc patere ex relatione publica a nemine refutata, quam historiæ de vita *Christiani Lupi* insertam dicit a *Iosepho Sabarino* Augustiniano Romano. Cum vero A. 1587 & sequenti Episcopi Belgæ (sic pergit Autor) in eo essent, ut habita synodo provinciali ulterius adversus Jesuitas progredierentur, ab ipsis Lovaniensibus Theologis moniti rigorem distulerunt. *Sixtus* vero V. Papa dato A. 1588 ad Nuntium suum mandato, silentium utrique parti imposuit, vetuitque hæresis mutuas inculpationes, *Lessio* privatim objurgato. Nihilominus hoc ipso anno supra allegatus liber *Molina* prodiit, *fons divisionum & innumerorum malorum*, ut Autor scribit, *in ecclesia*, neque impediri potuit, repetita Pontificis A. 1589 silentii impositione, quin idem liber paulo post Ulyssiponæ recuderetur, a *Generali Jesuitarum* approbatus. Lovanii tamen Jesuitæ A. 1590 opera intervenientium Episcoporum, Theologis *Facultatis* scripto promiserunt, se non nisi conformia cum illis de articulis controversis docere velle; sed in Hispania recrudit dissidium inter Dominicanos & Jesuitas, habitis Vallisoleti disputationibus. Ex his *A. Padilla*, ex illis *Didacus Nunnius, Didacus Alvarez & Hieronymus Vallefius*, quem sanctitatis fama illustrem perhibent, præcipui propugnatores erant. Cum vero Jesuitæ Pelagiani erroris publice insimularentur, ut populi insultum metuerent, consultum esse duxerunt, ut *Molina* librum ipsi ad tribunal Inquisitionis deferrent; ut & fecerunt, simul tamen petentes, ut *Dominicani*, qui jam X propositiones ex illo excerptas censuræ obtulerant, ab examinatione remoti pro partibus haberentur. Retardatum vero Inquisitionis decretum Jesuitis annitentibus fuisse narratur, licet *Salmaticenses* censuram suam ad Inquisitorum consultationem iterassent: imo Pontificem ipsum *Clementem VIII*, suggerentibus Jesuitis, Dominicanos pro hominibus turbidis, & quæstionis pro legemachiis scholasticis habuisse, nec prius mutatum, quam ipse controversiæ solide cognosca-

gnoscendæ operam dedisset. Injunctum autem (publicato A. 1594 decreto) utrique parti silentium, ita nempe ne in concionibus, disputationibus aut libris, *de gratia & de scientia media* quidquam docerent; curarent vero, ut viri maxime idonei ex utraque parte, sententias suas *ex Scriptura, traditione, conciliorum decretis, & solidissimis Theologia principis* stabilitas; scripto exhiberent, & quid in *Molina* libris censura dignum videretur, annotarent. Executus jussa Pontificia est Inquisitor Hispaniarum Generalis, Cardinalis *Quiroga*; secuta vero sunt Academiarum, Episcoporum & plurimorum Theologorum acria contra *Molinæ* dogmata responsa; vicissim a Jesuitis, *Bannesi* & *Dominicanorum* sententia, *Molinæ* opposita, pro *Calviniana* traducebatur. Exarserat eum in modum disceptatio, ut Rex autoritatem suam interponeret, editis A. 1596 decretis, de silentio & Pontificis sententia expectanda: Hunc autem Jesuitæ ipsi, mitioris judicii spe maxime implorabant, ut causam ad se evocaret, idque obtinuerunt. Hæc itaque occasio est celebris illius *de auxiliis* congregationis, quæ d. 2. Jan. A. 1598 Romæ coepta, & sub duobus Pontificibus continuata est. Quæ in priori sub *Clemente* gesta sunt, is quem nominavimus *Nunnius* jussu *Pauli V.* ex Actis compendiose & docte excerptis. Hæc cum Latine extent, & sententias *Molinæ* earumque censuras, per congregatos Cardinales, Episcopos & Theologos, post multas discussiones, & aliquorum annorum laborem conscriptas, breviter quidem sed exacte referant, & quæstiones ipsæ aliunde notæ sint, transcribi huic non est opus. Statuerunt (ut verbo dicamus) congregati censores, *Molinam* partim cum *Pelagio*, partim cum illis qui *Semi-Pelagiani* vocantur, communes tueri sententias, iisdem rationibus & argumentis niti, adeoque *Augustini* & *Prosperi* sententiæ, per concilia & Pontifices confirmatæ, omnino repugnare, indeque librum ejus *de concordia liberi arbitrii & gratia* supprimendum, cæteraque ejus scripta, donec corrigerentur, suspendenda esse. Quæ vero fuerit Jesuitarum industria, in impedienda harum censurarum confirmatione & publicatione, ex scriptoris *Galli* narratione cognoscitur. In congregatione hac Cardinales erant duo, *Madruceus* & *Arragonius*, Episcopi tres, Theologi ex ordinibus *Carmelitarum, Franciscanorum, Augustinianorum* quatuor, & Doctor quidam *Sorbonicus Parisiensis*; quibus duo additi postea sunt,

unus

unus ex Carmelitis & alter ex Benedictinis; iterumque; urgentibus, & de censorum in se duritie conquerentibus Jesuitis, duo *Franciscani*, quorum alter fuit Jo. de Rada Episcop. postea Pactensis & Archiep. Tranenensis; denique A. 1602 quatuor alii. Inter hos erat Petrus Lombardus Episcopus Aquilanus, titulum Archiepiscopi Armachani gerens, & *Anselmus Monopoli* Generalis *Cappucinatorum*, postea *Cardinalis*. Adesse etiam jussus est, post mortem *Madrutii*, qui congregationis caput fuerat, *Cardinalis Camillus Burgesius* (postea Pontifex *Paulus V.*) denique paulo ante *Clementis* mortem *Cardinalis* etiam *Perrominus*, qui Jesuitarum causæ, Regis Galliz jussu, patrocinabatur, et si ut Autor refert, privatim eorum dogma non probaret. Licet autem Pontifex summa cum circumspectione procederet, transactiones etiam amicas tentaret, & cum frustra esset, ipse congregationi sæpe præsideret, & quæstiones formaret, Jesuitis etiam ad omnia, quæ ad defensionem Molinæ pertinere videbantur, tempus & facultatem indulgeret; in omnibus tamen articulis, & a maxima consultorum parte, damnata & improbata fuit, ut dictum est, Molinæ sententia. Obiit *Clemens VIII* d. 3. Martii A. 1605, cum sibi, ut refert autor Gallus, proposuisset, in festo Pentecostes Bullam contra Molinæ librum publicare. Ipse etiam totam controversiam scripto complexus erat, in quindecim articulos distributam, additis locis ex *Augustino* excerptis. *Clementi* successit *Leo XI*, & huic post brevem viginti quinque dierum pontificatum *Paulus V.* Hic die 14. Septemb. A. 1605. primam in hac causa sessionem habuit, quæ sexagesima nona fuit, computatis quas *Clemens VIII* celebraverat. In hac Nunnii relatio, de qua diximus recitata, præsentibus cum Pontifice decem Cardinalibus, inter quos *Robertus* quoque *Bellarminus* erat, tum plerique Prælati & Theologi a *Clemente* deputati. Quæ in XVIII sub novo Pontifice usque ad mensem Martii A. 1607 habitis sessibus acta sint, breviter in historia hac Gallica referuntur, eoque in summa redeunt, ut ex prioribus decretis nihil mutatum fuerit, neque quidquam quod Jesuitæ objecerant, locum inveniret. Licet vero sessione XIX mense Augusto A. 1607 a Pontifice & novem Cardinalibus, remotis cæteris consultoribus celebrata, de modo definiendi, & an his temporibus expediret ad definitionem venire, deliberatum fuisset, res tamen exitu caruit; neque in actis relatum reperitur, quid conclusum fuerit. Narrat Autor, adductis testimoniiis



niis, ex novem Cardinalibus quatuor suspensionem, quinque decisionem suavisse. In consultorum vero, quorum decem erant, confesso, octo in condemnationem Molinæ, quoad substantiam & modum consensisse, *Armachanum* ratione modi, & unicum Bovium (quem *Augustinianum* Gallus, Nunnius *Carmelitam* vocat) in re ipsa dissensisse. Renovavit interim Pontifex decreta, & ultimo quidem d. 1. Decemb. A. 1607, de intermittendis scriptis in materia *de auxilio gratia*, & vitandis mutuis hæreseos improperiis, usque ad decisionem Pontificiam. Ab illo tempore, elapsis jam fere annis octoginta, publicatio constitutionis Pontificiæ impetrari, petentibus licet *Dominicanis*, non potuit. Jesuitæ vero, ut referre pergit Autor, ita temperarunt professorum suorum dogmata, iisque cautelis usi sunt, ut a crassioribus sententiis, quibus Pelagianismi vel Semipelagianismi suspicio augeri posset, sibi temperarent. Eo interpretatur decretum *Claudii Augustini*, eorum Generalis, A. 1613, d. 14. Decembr. publicatum, & A. 1681 sub *Piccolomineo* renovatum, quod ex *Tanneri Disp. 6. de gratia, qu. 2. dub. 5. n. 86.* exscriptum inserit, additis duodecim observationibus, quarum pleræque ad subtilitates Scholæ de *gratia efficaci & sufficiente* spectant, & in quibus (ut Autor judicat) Jesuitæ duritiam quam in sententia Augustini notabant, non evitarunt sed auxerunt. Tandem ad causam a discipulis S. Augustini adversus Molinæ defensores, ut Autor loquitur, ab annis quadraginta agitatum i. e. *Jansenianam* transgressus, paritatem hujus cum illa, quam *Dominicani* cum *Jesuitis* habuere, ostendere nititur, tantoque gravius in hos invehitur, quod in causa Molinæ a condemnationis ignominia vix servati, cum suspensionem sententiæ pro magno beneficio reputare deberent, illos tamen, quos eandem cum Dominicanis sententiam tueri dicit, magna cum vehementia opprimant, stantibus licet adhuc omnibus, quæ Clementi VIII & Paulo V Pontificibus contra Molinismum deliberata, & ad publicationem parata fuerunt, nullaque in contrarium Pontificum decisione: quo magis insolentiam adversariorum miratur & vituperat, qui etsi vix habeant, qui illis contra Augustini & Thomæ autoritatem ad stipulentur, effecerint tamen artibus suis, ut verioris doctrinæ cordatissimi assertores durissime tractati sint. Hæc fere sunt, quæ in compendio hoc historio continentur, & tandem in exposulatio-

nem

nem contra ea, quæ in Gallia adversus Jansenii defensores acta novimus, desinunt. De materia ipsa, quæ paucis explicari non potest, nec hujus loci est, saltem speciminis causa in gratiam eorum, quibus talium librorum copia non est, ex Nunnii relatione, unum alterumque locum adscribemus, & quidem ex judiciis sive censuris congregationis. Pag. 135: *Resolvit Congregatio, secundum doctrinam S. Augustini, & veritatem catholicam, omnino tenendum esse, in mysterio nostræ justificationis gratiam Christi præponderare hominis libero arbitrio; Molinam vero ab hac Catholica doctrina prorsus defecisse. Quamvis enim hoc verbo (præponderare) usus non fuerit, ex universa tamen illius doctrina de concordia liberi arbitrii cum gratia donis, aperte deducitur, sententiam ipsius fuisse, quod liberum arbitrium in mysterio nostræ justificationis præponderet gratia divina. P. 136: Resolvit Congregatio, non dari in Deo ante absolutum decretum divina voluntatis certam & infallibilem cognitionem futurorum contingentium dependentium a causa libera, & doctrinam de scientia media, per quam Molina Deo tribuit ejusmodi cognitionem, non esse secundum sententiam S. Augustini traditam, sed a Semipelagianis fuisse jam olim inventam, ut gratia divina subtraherent, quod natura tribuerent; atque adeo omnino adversari illi, quæ ille adversus Pelagianos & eorum reliquias constanter docuit. Cum autem ex hac Molina doctrina multa sequantur incommoda & absurda, non solum contra veterem Philosophiam & Theologiam, sed etiam contra fidei principia: censuerunt omnes, e re Catholica fore, ut retenta antiqua Theologorum omnium sententia, de unica simplicissimaque Dei scientia, & ad facile intelligenda ea, quæ ad eam pertinent, illius distributione in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, omnino exterminetur ejusmodi scientia media professio. Pag. 139: Resolvit Congregatio, secundum doctrinam Sancti Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos, ex divinis Scripturis plene, cumulatæque comprobata, gratiam Christi efficacem esse præviã, non pedissequam, & influere in voluntates hominum, bonum motum voluntatis eorum, atque adeo bonum usum auxiliorum esse effectum gratiæ efficacis. Secundum vero doctrinam Molina, qui negat gratiam adjuvantem esse influxum in voluntatem, & constituit, gratiam & voluntatem concurrere tanquam duas causas partiales ad actus supernaturales, atque gratiam efficacem non ab omnipotentia*

*potentia Dei, & absoluta ejus voluntate, quod docuit S. Augustinus, sed ex consensu liberi arbitrii habere suam efficaciam: bonum usum auxiliorum esse ex sola innata libertate: quod est omnino Pelagianum.*

Paucis addo: in Diario, quod *Ludovicus Sanctamori* de negotiatione sua & aliorum Doctorum Sorbonicorum, ab Episcopis quibusdam Galliarum Romam missorum, apud *Innocentium X* habita, anno 1662 (in fol.) Gallice edidit, in additionibus p. 45. ex manuscripto Bibliothecæ Augustinianorum Romæ, conceptas censurarum formulas in XIV propositiones Molinæ exhiberi, quas novem Prælati & Theologi subscripserunt, illi nempe quos retulimus, & inter eos penultimus relationis nunc publicatæ autor Gregorius Nunnius. Alia multa in iisdem additionibus producuntur, quibus affinitas controversiæ, quæ sub Clemente VIII & Paulo V tractata fuit, cum illa, quæ occasione quinque propositionum Jansenio tributarum, sub Innocentio X & Alexandro VII agitata est, & quomodo per condemnationem Jansenismi prospectum sit Molinismo, operose ostenditur. Memorabile est Dominicani cujusdam scriptum p. 79. qui in Molinam ejusque sectatores invehitur, quod pro gratia Christi humanorum cordium victrice & domina, stabiliant talem gratiam (licet eam æquivoco sensu sufficientem vocent) quæ creatæ voluntatis serva sit & pedissequa; ita ut secundum eos jam prædestinatio sanctorum non ex vocante, sed ex operibus prædicanda sit, & electorum salus æterna non amplius miseri Deo, sed volenti & currenti homini plenissime deputetur. Adjicit alia vehementiora, in opinionis illius Pelagianæ auctores & defensores.

**L' HISTOIRE DES DUCS DE BOURGOGNE PAR  
Mr. de Fabert.**

Historia Ducum Burgundiæ, autore Dn. de Fabert.

Coloniæ, 1687. in 12.

**L**ibrum hunc invito Autore, necessario suo, cujus famam Seditani & in Belgio celebrem esse dicit, edere se profitetur autor præfationis, cui nominis loco literas L. de G. subscripsit. Inveniri putat

putat in hac historia simplicitatem Thucydidis, candorem Xenophontis, amoenitatem Herodoti, sublimitatem Livii, politicam Taciti, brevitatem Sallustii, elegantiam Curtii. Opus erat (ait) calamo, qui affectu neque Gallis, neque Hispanis obnoxius esset, putatque hoc defectu ceteros Burgundicarum rerum scriptores laborasse. Si priora illa elogia lectoribus modum superare videantur, postremum forte facilius admittent, qui scriptorem hunc de Burgundia Ducibus, non illis tantum qui Gallicae stirpis fuerunt, sed & de *Austriacis* ita loqui deprehendent, ut in Gallicam nationem, (si ex ea ortus est) nimiae propensionis accusari non possit. Res ipsae quas tractat, a tot aliis autoribus traditae sunt, ut earum enarratione, sine taedio legentium desuñgi nos posse dubitemus. Incipit a *Philippo* (quem *Audacem* cognominarunt) Johannis Galliae Regis filio natu minori, qui extincta priori prosapia, patris provisione, & fratris Caroli V. consensu, Burgundiae Ducatum obtinuit, Turonensi renuntians, anno 1364. Successit illi filius *Johannes*, quem *Intrepidum* vocant; huic *Philippus Bonus*; Philippo *Carolus*, qui continuis bellis *Audaci* cognomentum, proavo olim attributum, infelici eventu renovavit. Hujus filia & haeres unica *Maria* non Burgundiam tantum, sed reliquas etiam Belgii provincias in dotem attulit *Maximiliano* Archiduci Austriae, Romanorum postea Imperatori. Ab eo, cum filium Philippum praecipiti fato amisset, ad nepotem *Carolum V* Imperatorem pervenerunt, in cujus historia desinit *Fabertus*, quae Burgundiae non magis, quam orbis Christiani gesta complectitur. Tam illustrem materiam nactus Scriptor, eloquio & judicio valens, lectoris spem non frustratur, nec digressionibus detinet, nisi eo nomine censenda sit insertio legum, quas *Philippus Bonus* composuit, cum equitum *aurei velleris* Ordinem institueret, pag. 101. ad 143, & catalogus illustrium virorum centum & triginta, qui Ordine illo decorati fuere, ad Caroli V usque tempora, a p. 144. ad 176; sed neminem, ut putamus, legere ista poenitebit. Ut vero vanitatis mundi fastidium, & caelestis quietis desiderium legentibus inspiret Autor, invocato Spiritus S. imo & patronorum Burgundiae *S. Andreae & Georgii* auxilio, casus illorum, quae enarrat temporum, graphice depingit, nec dissimulat, quae Galliae adversa acciderunt. Sane si quis quae illa tunc passa est, cura

præsenti Regni flore & potentia comparet, somnia narrari putabit, cum leget, quomodo Philippus Burgundus non nisi infimis precibus exoratus Carolo VII pacem dederit, utque eum postea a conjuratore periculosissima liberaverit; ut Philippi filius Carolus Ludovicum XI invitum in commilitium adversus hostes suos adegerit, Burgundicæ crucis insignibus indutum. Taxat Fabertus scriptores Gallos, qui talia præterierint, autorem tamen irreprehensibilem & testem oculatum laudat *Georgium Castellanum*. Maximilianum Austriacum verum instar fuisse scribit Principis magnanimi, fortis, liberalis & humanissimi, ea etiam formæ pulchritudine & vultus decore, ut amorem pariter & venerationem sui omnibus inspiraret. Miram fortitudinem ejus in prælio cum Gallis A. 1479 haud procul Terouana, quod vulgo a colle quodam qui *Guinogale* vocatur nominari solet, deprædicat, in quo 9000 Gallorum cecidisse memorat; Cominæum, cujus fidem & alibi desiderat, reprehendens, quod pugnam illam extenuet, & pro velitatione describat. Mariam Burgundam Maximiliani uxorem ab elegantia formæ, a pietate, liberalitate, clementia omnibusque virtutibus laudat, ejusque mortem ita doluisse notat maritum, ut tota vita sua nunquam ejus sine lacrymis & suspiriis meminerit. In Ludovico XI, cum, quod alii etiam magno consensu faciunt, multa vitia notasset, laudat tamen, quod Bajazethis Turcarum Imperatoris legatos, qui jam Massiliam venerant non admiserit, credens, quod Christianus esse nequeat, qui cum hostibus Jesu Christi societatem haberet. Sed nec Ludovici XII, cujus præclaras virtutes plerique extollunt, defectus tacet, malamque ejus fidem culpatur, non solum quod in bello Veneto Maximilianum A. 1508. deseruerit, & ad hostes transferit, sed & quod A. 1506. filiam suam Carolo Imperatoris nepoti promissam, Francisco agnato & postea successorij junxerit; *banc injuriam (ait) Maximilianus libro suo rubro, in quem iniqua Gallorum erga se facta referre solebat, inferere potuisset*. Sane in oratione (propositionem vocant) quam anno sequenti Maximilianus in comitiis Constantiensibus ad Germaniæ proceres recitari fecit, tum typis vulgatam, sed hodie parum cognitam, & in Archivis quærendam, incredibilem in modum de illatis sibi a Gallis, aut quos illi in se concitaverint, hostibus injuriis conqueritur, adeo ut dicat, se cum fortissimis ducibus

ducibus militibusque suis, quorum multa millia in bellis amiserit, ingenti etiam auri vi consumpta, tanta a prima juventute sua, & in virili postea ætate ab hostibus illis passum esse, quanta præter Christum nemo mortalium toleraverit; ita tamen a Deo adjutum semper fuisse, ut ex nulla unquam acie, in qua ipse steterit, victus aut cum ignominia discesserit, sed semper Germani nominis gloriam vindicaverit, servatis & dilatatis etiam Imperii finibus. Sed ut ad Autorem redeamus, non ita indulget laudibus Maximiliani, ut non etiam navos detegat; variabilem enim & plus justo credulum fuisse arguit, & quod, licet conjugii fidem sancte coluerit, antea tamen septem liberos naturales genuerit. Ubi ad Caroli V. gesta Fabertus accedit, & in primis, cum de rebus Lutheri & Protestantium agit, autorum forte magis quos sequitur (inter quos & in Varillasium incidit) quam sua culpa, non uno labitur loco; ita tamen, ut liberrime reprehendat violenta remedia, quæ ad reducendos dissentientes in religione exercentur. Nec ab erroribus immunis est, quos exteri scriptores ignorantia rerum nostrarum incurrunt, ubi Saxonica tangit. Albertum Saxoniz Ducem, unde Serenissimo Potentissimoque Electori, Domino nostro Clementissimo genus est, captum a Kaufungo narrat, sed addit p. 167, eum miraculose in arce Altenburgensi custoditum fuisse: quod quid significet ignoramus, nam ex eadem arce una eum fratre primogenito raptum esse constat. Dein p. 392. scribit, Maximilianum, cum A. 1489. ex Belgio abiret, tres insignes viros tutandæ provinciæ præposuisse, nempe Albertum Saxonem, Marchionem Misniz, Landgravium Thuringiz, & Principem Chimacensem; sed sic duos tantum viros enumerat; idem enim Albertus, & Langravius Thuringiz, & Marchio erat Misniz. Sed leviora hæc laudem egregii scriptoris imminuere non possunt.

### **DEFENSE DES SENTIMENS DE QUELQUES**

*Theologiens de Hollande,*

id est

**Defensio Judiciorum quorundam Theologorum Hollandiz de Richardi Simonis Historia Critica V. T. contra  
Responsum Prioris Bollevillani.**

Amstelodami, apud Henr. Desbordes, 1686, in 8,

Zz 2

Anni

**A**nni superioris mensē Septembri ad Acta nostra retulimus *Judicia quorundam Theologorum Hollandia de Richardi Simonis Historia Critica V. T.* autore *Johanne Clerico* Ebræarum Literarum inter Amstelodamenses Arminianos Professore clarissimo. Proximum ab iis locum *Responsō* dedimus, quo Prior Bollevillanus, *Richardus Simon*, ab *Hollandis* sibi objecta diluere sategerat. Nec erat, ut a *Clerico* causam desertum iri vereremur, quamvis summum pacis inter Christianos conservandæ studium ubique præ se ferat. Ea enim verborum acerbitate in eum animadverterat Criticus ille celeberrimus, ut libellum, cujus excerpta hic daturi sumus, facile ei extorserit. Cum vero nec hanc *Defensionem* suam ab Adversario sine replica dimissum iri haud vane conjecisset, nolle se diutius litigio illo occupari solenniter protestatus est, spe certa fretus, satis se dixisse, unde eruditi de causæ suæ bonitate iudicium ferre possent.

Opusculum isthoc *epistolis septendecim* omnino absolvitur, quæ cum maximam partem aut injurias, quas a *Simone* sibi illatas queritur *Clericus*, retundant ac satyricis compensent salibus, aut opiniones e *Judiciis* pridem excerptas iterato proponant, explicent, confirment; parum abfuit, quin de earum argumento penitus nobis silendum fuisset; nisi hic illic observationes singulares non unas admixtas offendissemus, quarum quasdam huc transtulisse non erit dividia.

Epistola igitur *prima*, inter cæteros *libri Geneseos* scopos & hunc fuisse asseritur, ut ostenderetur origo omnium omnino gentium, sigillatim vero non Israelitarum modo, sed & *Chaldaorum*, eo quod aut sub horum imperio, aut eo tempore, quo multum negotii iis cum Israelitis intercessit, conscriptus fuerit. Ea quippe de causa toto capite X parcius quidem de cæterarum gentium, at longe prolixius de Chaldæorum conditore ac gestis actum fuisse, quo patefceret simul quanta hi vanitate observationes jactarent *Astronomicas* 470000 annorum, credulo nempe orbi persuasuri, origines suas ultra tantum temporis spatium quærendas esse.

Objecerat *Simon*, Paulum non appellaturum fuisse *ecclesiam columnam ac fundamentum veritatis*, 1. *Tim.* III, 5, nisi illam *infallibilem* esse censuisset. Hinc epistola *quarta* obvertitur ei *Maimonidi* dictum in *Sanbedr*, per 1, ubi Synedrium עקר תורה שבעל פה ועמוד

הַיְהוּדִים *fundamentum legis orali & columnas instructionis* salutare haud quaquam veretur, quamvis, Clerico iudice, id nullo modo *infallibile* crediderit.

Affirmatur epistola *quinta*, Richardum Simonem, ut annales Regum Israel non uno, sed quamplurimis & tantum non innumeris voluminibus constituisse, lectoribus persuaderet, locum 2. *Par. XX, 34.* ex versione vulgata mala fide hoc modo exscripsisse: *Reliqua gestorum Josaphat --- scripta sunt in verbis Jebu filii Hanani, qua digesta sunt in LIBROS Regum Israel;* cum in vulgata legatur: *In LIBRO Regum Israel.* (Conf. Acta Erud. 1686, p. 441. l. II.)

Inter caetera argumenta, quibus hypothesis Simonis, (*Synedrion septuaginta virale a DEO Mosis tempore constitutum, non interrupta successione serie ultra captivitatis Babylonica tempora propagatum, constanterque illo prophetici spiritus dono olim accepto gavisum fuisse,*) epistola *sexta* subruitur. Eminent loci 1. Macc. IV, 46. & IX, 27. quibus Autor non obscure inquat, nullos suo tempore prophetas fuisse.

Epistola *septima* conjectura de sacerdote Bethelano Pentateuchi compilatore, (de qua confer finem paginæ 444 Actorum A. 1686.) a variorum objectionibus vindicatur, quas inter non postrema hæc est: Dixerat Judiciorum autor, Pentateuchi compilationem non ante decimum octavum Josiæ annum ad finem perductam esse, cum tamen hic annus nonaginta fere annorum intercapedine distet ab eo tempore, quo decem tribus in captivitatem abductæ, ac Sacerdos ille ad novas colonias Samaritanas erudendas reductus fuerit. Huic dubio satisfactorius Clericus respondet, potuisse notabile temporis spatium inde a captivitate decem tribuum elabi, antequam coloniam illam sacerdoti egerent, antequam istum a Rege impetrarent, antequam ille manum operi admoveret. Forte nec illum ipsum toti operi ultimam manum imposuisse; quin illud a sacerdote illo coeptum, variorum piorum virorum opera ac studio tam diu hic illic interpolatum esse, donec anno Josiæ decimo octavo circiter eam nactum fuerit faciem, quam hodiernum obtinet. Uti enim quam plurima in Pentateucho reperisse se credit, quæ Mosis ævo longe recentiora sint; ita multa in eo desiderat, quæ Mosen in scriptis suis annotasse probabile videatur, e. g. Israelitas toto illo



tempore, quo in Ægypto & deserto commorati sunt, idola coluisse, quorum illud *Ezech. XX. 7. 8*, hoc *Amos V, 25. 26* legitur.

Epistola octava contendit, *נבנב* Verba Gad & Verba Nathan non libros notare a Gade & Nathane scriptos, sed res a Gade Nathaneve gestas, ab aliis vero descriptas; quemadmodum *λόγοι Δαβίδ* 1. Par. XXIX, 29, item verba Salomonis 1. Reg. XI. 41 sint gesta vel vita Davidis atque Salomonis. Observat phrasin USQUE HODIE Matth. XXVII, 8 minime supposititiam esse, quod Simoni probabile visum fuerat, eo quod phrasis ista illis de rebus fere usurpari sueverit, quæ multis retro annis contigerunt. Regorit Clericus, pari modo de *συγγεγόνους* suis locutum esse in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum *Hieronymum*. De Ambrosio enim Alexandrino Didymi discipulo dicere: *usque hodie superest*. De S. Ambrosio Mediolanensi: *usque in presentem diem scribis*. De Didymo Alexandrino itemque Phœbadio Agennensi: *vivit usque hodie*. De Priscilliano denique, qui iussu Maximi Tyranni septennio ante, quam Hieronymus catalogum suum contexeret, trucidatus fuerat: *Hic usq; hodie a nonnullis Gnostica... hæreseos accusatur, defendentibus aliis*.

Epistola nona ac decima Amicus ille Clerici, (eujus de inspiratione librorum sacrorum meditationes *Judiciū Hollandorum*, epp. II. & 12. insertæ fuerunt, quemque *Nasalem Albertum de Verfe* putarat esse Richardus Simon, sed, si Autori nostro fides, falsissime,) suam sententiam latius explicat, objectionibus Simonis respondere nititur, & de Hugonis Grotii consensu sibi gratulatur. Defendit eundem Clericus epistola sequenti undecima ab intentato Deismi crimine, ac *veritatem religionis Christiana*, seposita de inspiratione controverfia, demonstrandam suscipit.

Epistola decima quinta negat Autor, Socino se favere, præsertim in doctrina de divinitate & sacrificio Christi. Neque minus tamen negat, anathemate feriendos esse, qui etiam si in spinoso hoc argumento hallucinentur, cultum nihilominus in Evangelio præscriptum Deo & Christo præsent. Epistola decima sexta ex styli præprimis convenientia prolixè probat, *Petrum* illum *Ambrunum*, qui antagonistam Simonis se credi cupiat, ipsummet esse *Simonem*.

In Epistola denique decima septima copia fit literarum, quas

IV Nonas Novembris 1684 *Crisobulus Hierapolitani* nomine latens *Clericus* latine dederat ad *Origenem Adamantium*; (seu *Richardum Simonem*) *Synopses novorum Bibliorum polyglottorum auctorem*, de emendationibus sacrorum codicum. Hæc vero monita cum ad *Simonis* palatum non essent, respondit illa *Belgica*, de cujus acerbo ac inurbano stylo conqueritur *Clericus*, refertque primam hinc originem traxisse lites, quæ postea se *Simonem*que exercuerint. In epistola hac Latina inter cætera conjicit, emendari posse Hebræos codices, si v. g. ad ductum versionis Syriacæ Gen. XIII. v. 10 pro *Zoar* legatur *Zoan*, i. e. *Tanis*, fertilis aliqua *Ægypti* pars *Israëlitis* olim habitata, *Psal.* LXXVIII v. 12; si I. *Esdrae* X, v. 6 pro *יְהוֹשָׁפָט* *ivit illuc*, *Γαυτολογίας* evitandæ causâ legatur *יְהוֹשָׁפָט* & *commemoratus est*; quemadmodum libro III *Esdrae*, ubi eadem historia repetitur, habetur *αὐλοῦθης ἐκῆ*; ut alia exempla taceamus majori forsan incertitudine laborantia, quæ ordine heic recensere longum nimis foret. Audiatur jam & altera pars.

DE L' INSPIRATION DES LIVRES SACRÉS,  
avec une réponse au livre intitulé *Défense*  
des sentimens, &c.

id est,

PRIORIS BOLLEVILLANI epistola de Inspiratione  
librorum sacrorum, cum Responso ad librum, cui titulus:  
*Défense Judiciorum quorundam Theologorum*  
*Hollandia de Historia Critica P. T.*

Roterodami, apud *Regnerum Leers*, 1687, in 4.

Antiquum suum obtinet V. CL. *Richardus Simon*, *Prior Bollevillani*, ut *Historiam* suam *Criticam* magno animo atque patientia, nec minori cum verborum acrimonia, a quorumvis insultibus defendat. Patet id ex gemino illo opusculo apologetico, quod hoc anno edidit, quorum alterum quidem *Epistola ad Abbatem P. Doctorem & Professore Theologum*, alterum *Responsum* est oppositum *Défensionis Judiciorum* paginis præcedentibus a nobis recensitæ. Sub prioris initium secundis curis refellere aggreditur rationes *Ezechielis Spanheimii* in *Epistola Amstelodami A. 1679* impressa contra

tra Historiam Criticam prolatas, nec Theologis quibusdam Parificensibus improbatas. Probare illæ debebant, non majori reverentia Biblia sacra, quam Aristotelis aut Homeri opera, tractare illum, qui isthæc crisi suæ subicere ac pro lubitu fingere & refingere sustineat. Tuetur se Simon exemplis *Origenis, Hieronymi*, auctorum *Corruptiorum Bibl. Luca Brugenf.* aliorumque virorum magni in Ecclesia nominis, qui idem olim fecerint. Negat specialem illam Dei providentiam, qua textum biblicum conservatum fuisse a Protestantium plerisque eapropter credi putat, quod Judæorum superstitionibus justo nimis addicti sint. Provocat ad testimonia *Friederici Spanheimii* patris *Ezechielis*, & *Iohannis Sauberti*, quorum ille *Cainani* nomen in *Luca III. v. 36. per fraudem potius irrepisset, quam per incuriam, additumque esse non a Luca, sed a corruptore Luca*, dixerit; Hic vero, *scriptoribus, non exscriptoribus Bibliorum infallibilitatem concedendam* monuerit. De cætero Protestantibus imputat, illos non alio fine ad fontes Ebræos ac Græcos recurrere, quam ut eo magis traditiones Ecclesiæ susque deque habere possint. Male illos novas Bibliorum versiones in Ecclesiam invexisse, eo prætextu, quod vulgata Latina ab Hebræo & Græco abscedat, cum nec versio *Lutheri*, nec *Piscatoris*, nec *Belgica dux Reformatorum*, nec *Belgica dux Mennonitarum*, ( quarum alteram *Jacobi Liesveltii*, alteram *Bieskenii* typographorum nominibus ab aliis distingui refert ) nec *Gallica, Anglica*, &c. mendis careant, aut propius ab originali textu absint. Disputat hinc contra *Telierium* Jesuitam, ( autorem *Observationum illarum*, quas suppresso nomine contra Defensionem Versionis Montensis ab Antonio Arnaldo & M. de Sacy curatæ edidit, quasque in Actis Apr. 1686, p. 201 recensuimus ) Cardinalem *Sforriam Pallavicinum in Hist. Conc. Trident.* statuisse omnino ac merito quidem, vulgatam non alio sensu a Concilio Tridentino *authentice* nulloque prætextu *rejiciendam* salutatam fuisse, quam quod Ecclesiæ Latinæ nulla alia versio, in publico Dei cultu adhibenda, obtundi debeat, cum si non in omnibus, saltem in essentialibus fidem ac bonos mores spectantibus, incorrupta sit. Colligit inde, licuisse sibi ideam novæ versionis proponere, non in usum publicum, sed privatam fidelium.

His ita traditis, dicta variorum Judæorum ac Christianorum  
coacer-

conservat, quos in id consensisse putat, fuisse scribas publicos *θεοπνεύστis* inde a Mosis tempore, qui quicquid memoria posteritatis dignum crediderint, ad acta publica retulerint; quæ cum non omnibus paterent, hinc epitomas ab aliis illinc congestas ac populo eeu *regulam* vitæ & fidei traditas fuisse: unde hæc solum epitomæ variis temporibus varie a variis prophetis interpolatæ ac glossematibus illustratæ, *canonica* appellatæ fuerint, non item ipsa Mosis, Josuæ, Gadi, Nathanis, Samuelis aliorumque *εὐτόγραφα*, quæ *θεόπνευστοι* hi viri aut propria manu, aut per amanuenses suos, quales *Baruch*, *Tertius*, aliique fuerint, in chartam olim conjecerant. Epitomas vero has non minus *θεοπνεύστis* dicendas esse, eum ex actis indubitato divinis excerptæ fuerint. Negat tamen, scriptoribus sacris verba aut res eas divinitus fuisse inspiratas, quas aut ex propria experientia, aut veteribus monumentis nosse poterant. Ac hæc quidem hactenus ad *Claudii Frassenii* potissimum *Disquisitiones Biblicas* p. 132. reponere voluit.

Aggreditur dehinc *Eliam du Pin*, Doctorem Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui anno superiori Parisiis apud Pralardum Gallice in octavo edidit *Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum Tomum primum, de Auctoribus trium priorum seculorum, cum dissertatione præliminari de auctoribus librorum Biblicorum*, ubi Spinozæ quoque, Peyrerii, Hobbesii refellere annisus est argumenta, quibus Pentateuchi autorem Mosen esse negatur; cum ipsemet interea *Du Pin* nec Josuæ librum a Josua exaratum autumet. Graviter hinc in eum animadvertit Simon, regulas illius de *νοθεία* libri alicujus cognoscenda, itemque omnia argumenta, quibus Josuæ librum non Josuam authorem habere disputaverat, in Pentateuchum retorquet, quo pateat, infeliciter eum Spinozistas refutasse, imo arma illis ministrasse, quibus contra librorum sacrorum auctoritatem insurgere possint. Exprobrat ei quod Aben-Esram de Pentateucho idem sensisse dicat, quod Spinozam, cum tamen quædam solum loca indicarit, quæ Mosis ævum non videantur sapere, reliqua Mosis omnino esse professus fuerit: Quod Fl. Josephum ex *Aristea & Aristobulo* hausisse ea asserat, quæ de versione τῶν ὀ habet, cum nusquam tamen *Aristobulum* Josephus laudarit, unde Eruditus etiam de illius *νοθεία* suspicio subnata fuit; Quod denique *Arnaldum* de *Lectione*

tra Historiam Criticam prolatas, nec Theologis quibusdam Parifiensibus improbatas. Probare illæ debebant, non majori reverentia Biblia sacra, quam Aristotelis aut Homeri opera, tractare illum, qui isthæc crisi suæ subicere ac pro lubitu fingere & refingere sustineat. Tuetur se Simon exemplis *Origeni*, *Hieronymi*, auctorum *Corroboratorum Bibl. Luca Brugens.* aliorumque virorum magni in Ecclesia nominis, qui idem olim fecerint. Negat specialem illam Dei providentiam, qua textum biblicum conservatum fuisse a Protestantium plerisque capropter credi putat, quod Judæorum superstitionibus justo nimis addicti sint. Provocat ad testimonia *Friederici Spanheimii* patris *Ezechielis*, & *Johannis Sauberti*, quorum ille *Cainani* nomen in *Luca III. v. 36. per fraudem potius irrepissæ, quam per incuriam, additumque esse non a Luca, sed a corruptore Luca*, dixerit; Hic vero, *scriptoribus, non exscriptoribus Bibliorum infallibilitatem concedendam* monuerit. De cætero Protestantibus imputat, illos non alio fine ad fontes Ebræos ac Græcos recurrere, quam ut eo magis traditiones Ecclesiæ susque deque habere possint. Male illos novas Bibliorum versiones in Ecclesiam invexisse, eo prætextu, quod vulgata Latina ab Hebræo & Græco abscedat, cum nec versio *Lutheri*, nec *Piscatorii*, nec *Belgica* dux *Reformatorum*, nec *Belgica* dux *Mennonitarum*, ( quarum alteram *Jacobi Liesveltii*, alteram *Bieskenii* typographorum nominibus ab aliis distingui refert ) nec *Gallica*, *Anglica*, &c. mendis careant, aut propius ab originali textu absint. Disputat hinc contra *Telierium* Jesuitam, ( autorem *Observationum illarum*, quas suppresso nomine contra Defensionem Versionis Montensis ab Antonio Arnaldo & M. de Sacy curatæ edidit, quasque in Actis Apr. 1686, p. 201 recensuimus ) Cardinalem *Sforriam Pallavicinum* in *Hist. Conc. Trident.* statuisse omnino ac merito quidem, vulgatam non alio sensu a Concilio Tridentino *authentisam nulloque prætextu rejiciendam* salutatam fuisse, quam quod Ecclesiæ Latinæ nulla alia versio, in publico Dei cultu adhibenda, obtundi debeat, cum si non in omnibus, saltem in essentialibus fidem ac bonos mores spectantibus, incorrupta sit. Colligit inde, licuisse sibi ideam novæ versionis proponere, non in usum publicum, sed privatum fidelium.

His ita traditis, dicta variorum Judæorum ac Christianorum  
coacer-

coacervat, quos in id consensisse putat, fuisse scribas publicos *θεοπνεύστους* inde a Mosis tempore, qui quicquid memoria posteritatis dignum crediderint, ad acta publica retulerint; quæ cum non omnibus paterent, hinc epitomas ab aliis illinc congestas ac populo *ecce regulam vitæ & fidei* traditas fuisse: unde hæc solum epitomæ variis temporibus varie a variis prophetis interpolatæ ac glossematis illustratæ, *canonica* appellatæ fuerint, non item ipsa Mosis, Josuæ, Gadi, Nathanis, Samuelis aliorumque *εὐαγγελοῦ*, quæ *θεοπνεύστοι* hi viri aut propria manu, aut per amanuenses suos, quales *Baruch, Tertius*, aliique fuerint, in chartam olim conjecerant. Epitomas vero has non minus *θεοπνεύστους* dicendas esse, eum ex actis indubitato divinis excerptæ fuerint. Negat tamen, scriptoribus sacris verba aut res eas divinitus fuisse inspiratas, quas aut ex propria experientia, aut veteribus monumentis nosse poterant. Ac hæc quidem hæctenus ad *Claudii Frassonii* potissimum *Disquisitiones Biblicas* p. 132. reponere voluit.

Aggreditur dehinc *Eliam du Pin*, Doctorem Facultatis Theologicæ Parisiensis, qui anno superiori Parisiis apud Pralardum Gallice in octavo edidit *Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum Tomum primum, de Auctoribus trium priorum seculorum, cum dissertatione præliminari de auctoribus librorum Biblicorum*, ubi Spinozæ quoque, Peyrerii, Hobbessii refellere annisus est argumenta, quibus Pentateuchi autorem Mosen esse negatur; cum ipsemet interea *Du Pin* nec Josuæ librum a Josua exaratum autumat. Graviter hinc in eum animadvertit Simon, regulas illius de *νοθεία* libri alicujus cognoscenda, itemque omnia argumenta, quibus Josuæ librum non Josuam authorem habere disputaverat, in Pentateuchum retorquet, quo pateat, infeliciter eum Spinozistas refutasse, imo arma illis ministrasse, quibus contra librorum sacrorum auctoritatem insurgere possint. Exprobrat ei quod *Aben-Esram* de Pentateucho idem sensisse dicat, quod Spinozam, cum tamen quædam solum loca indicarit, quæ Mosis ævum non videantur sapere, reliqua Mosis omnino esse professus fuerit: Quod *Fl. Josephum* ex *Aristea & Aristobulo* hausisse ea asserat, quæ de versione *των ο* habet, cum nusquam tamen *Aristobulum* Josephus laudarit, unde Eruditus etiam de illius *νοθεία* suspicio subnata fuit; Quod denique *Arnaldum de Lesson*

*Scriptura sacra* tanta fide exscripserit, ut ipsa typographi Belgæ sphalmata emendare religioni sibi duxerit. Respondet dein objectionibus *Elia du Pin*, quas inter palmaria hæc esse videtur, improbabile esse, epitomatores veterum actorum synonymis & repetitionibus, nec exactiore ordine usos esse. Regerit Simon, Ebræos veteres politioris scribendi generis rudes id parum curasse; scopum epitomatorum fuisse, ex prolixioribus actis certa dicta & facta in usum plebis excerpere, retenta elocutione ipsorum authorum. Quin & vertente tempore multa glossemata synonymica ex margine in textum irrepsisse. Cum vero *Seruzam* ab *Elia du Pin* infeliciter refutatam dixisset, universas ejus objectiones ipsemet expendit monstratque, nil amplius illis confici, quam quod scriptis Mosaisicis hic illic additamenta & glossemata accesserint, non item, quod Pentateuchum Mosis opus perperam dicamus.

Coronidis loco asserit, ad Protestantés, non ad Pontificios periculi quicquam redundare ex critica recensione mutationum, quæ Biblia sacra subierint. Possè nimirum hæc Protestantibus objici, ut eo fortius convincantur, in dubiis id genus casibus ad traditionem Ecclesiæ recurrendum esse. Impressam fuisse Parisiis *Capelli Criticam*, cui privilegium impetrarint *Petavius*, *Morimou* atque *Mersennus*. Mirari se itaque, quæ de causâ moderni Parisiensium Theologi, triga illa doctissimorum virorum cautiore & religiosiores videri, atque immitius cum *Historia Critica V. T.* ac illi eum *Critica Capelli* agere cupiant.

Hæc de *Epistola*. Sequitur *Responsum*, capitibus sedecim distinctum, quo singula ac minutissima in *Defensione Judiciorum* dicta rigidissimo examini subjiciuntur. Consulto omitemus innumera, quæ personam literatissimi viri *Johannis Clerici* tangunt. Nequetamen defunt, quæ aut Bibliis sacris, aut systemati Simoniano lucem aliquam foenerentur, dignaque adeo sint, quæ heic recensentur.

Capite sexto, *Mazahirim* & *Sopherim*, h. e. *Simone* interprete, gregarii Regis scribæ aut secretarii, distinguuntur a *Prophetis scribæ*. Et quamvis hi nullibi in S. literis *scribarum* nomine appellentur, sufficere tamen putat Prior Bollevillanus, quod *Esaïam*, *Jehielëm*, *Gadum*, *Nathanem*, alios ejusdem dignitatis viros, Regum

рууX.60.

*συγρόων* gesta scriptis, Scriptura testis sit. Amolitur postea male fidei suspicionem, qua ipsum Epist. V. onerarat Clericus. Nam *libros* quidem in plurativo numero non legi in ea vulgatae editione, quae *Roberti Stephani* manum criticam passa fuerit, quaque Clericus usus videatur; legi tamen in antiqua Lovaniensi, omnibusque ad placita cenforum Romanorum castigatis editionibus, quae proprie Vulgatae nomine hodie venire soleant. In Hebraeo equidem legi *In Libro*; idem vero esse, ac si dictum fuisset: *In sylloge annalium regionum*.

Capite VII concedit Simon, prophetas post Malachiae fata nullos fuisse, ac tantundem ex citato Maccabzorum libro dilucide colligi. At confundi notat a Clerico *Epist. VI. prophetiam cum inspiratione*, quarum hac, non item illa Synedrium quovis tempore praeditum fuisse dixerit. Illius beneficio futurorum aliquem conscium, per hanc infallibilem fieri; quemadmodum Concilia non e Prophetis constant, a divino tamen Spiritu ab errore immunita reddantur. Nec aliter visum esse magno *Hugoni Grotio* in Deut. XVII, II. Huc quoque pertinet, quod Simon capite IV praemonuerat, Maimonidem cum contribulibus omnino putasse, Synedrium nunquam destitutum fuisse illo inspirationis genere, quod Spiritus S. ipsis appellatur, aliove simili; unde non mirum esse, quod *fundamentum legis orali & columna instructionis* iis audierit.

Clarius sententiam suam de Pentateucho explicat *cap. VIII.* statuens, Pentateuchum per Mosen ejusve amanuenses conscriptum, epitomen esse veterum librorum historicorum Hebraeorum, qui plura alia acta habuerint in hanc epitomen minime relata. Eisdem postea nec simul, nec semel insertas fuisse illustrationis ergo additiones non unas glossata, varias lectiones, supplementa, quae tamen non tanti sint, ut gloriam conscripti Pentateuchi Mosis dubiam reddere valeant.

Largitur ambabus manibus Criticus noster c. IX phrasin USQUE HODIE saepissime tempus non nimis remotum respicere, nec rarius tamen de tempore dudum elapso adhiberi, e.g. *Gen. XXVI, 13, XXXII, 32. Act. II, 29.* Negat autem ex illa sola corruptione loci *Matth. XXVII, 8.* se collegisse; quin inde potius, quod codex esset, qui isthac *ὡς τῆς σημερινῆς* non habet, nihilque Evangelista sensui decedat aut accedat, sive legas, sive non legas.



Displicuerat Clerico, quod *Simon* pro *αὐτός* *σε* *Gen. III, 15.* αὐτό *σε* legendum arbitratur, ut pronomen illud genere conveniat cum nomine *σπέρμα* Ⓞ, eo quod minime insolens sit, ut cum liber dictatur, literam initialem vocis sequentis finalem vocis precedentis fuisse putet librarius. Objecerat alter locum *Job. XVI, 13*: ubi persona Spiritus Sancti *ἐκάν* Ⓞ τὸ πνεῦμα audit, unde concluderat, nemini mirum videri debere, quod *σπέρμα* *γυναικός*, cum Christi persona sit, seu *semen* illud *κατ' ἐξοχήν* tale, de quo *Gal. III, 16*, pronomine masculinō indigitatum fuerit. At Bollevillano c. XI vero simile non videtur, septuaginta interpretes reconditum illum *σπέρμα* Ⓞ significatum, quo Messiae personam notat, subodoratos, ideoque *σολοικοφανῆ* isto usos fuisse.

Capite XIV. negat sibi cum *Petro Ambruno* quicquam commune esse, nisi aliquam forsā paritatem styli, quæ tamen a personato illo autore affectata videatur, ut eo tutius lateret.

## LE GRAND DICTIONNAIRE DE L' ACADEMIE

*Françoise.*

sive

Academix Francicæ Dictionarium Magnum.

Pars Prima.

Francofurti, apud Frid. Arnaldum, 1687, in 4. secundum exemplar impressum Parisiis apud Petitum, Academix Fr. Bibliopol.

**M**eminimus in *AHis* anni 1685 pag. 519. controversiæ inter Academiam Francicam ejusque antehac socium Abbatem Fureterium enatæ super editione Lexici cujusdam universalis ab hoc concinnati, & ab illa impugnati, Acriter hæctenus utrinque dimicatum, nec dum, quantum novimus, res aut per sententiam omnino decisa, aut per transactionem sopita est. Videlicet non privilegium tantum semet dudum obtinuisse refert Academia super confectione talismodi dictionarii, cujus vi aliis intra certum tempus interdictum sit, simile quid operis occipere, sed & Fureterium plane plagii postularunt Academici, ferentes ipsum ex compilatis eorum laboribus magnam

magnam operis sui partem adornasse; nec absque prodictionis nota id sibi soli sumere potuisse sine prævia cum ipsis communicatione, quod sciret jam a quinquaginta pene annis præcipuam collegii, cujus ipse socius, occupationem fuisse. Strenue quidem semet contra hæc defendit Fureterius, contendens privilegium quidem ab Academia allegatum, quantum ad clausulam illam exclusivam, non nisi per subdolam obreptionem impetratum esse, cum & praxi consuetæ & libertati commodoque reipublicæ literariæ, adeoque & Regis intentioni manifeste contrariari videatur. Plagii vero commissi suspicionem plusquam frivolam esse in rebus ejusmodi, quæ cuilibet in mentem facile venire possint, ostendit exemplo Dictionarii Richeletiani, quod & hoc plurimis in locis cum lexico Academicorum consonet, tametsi Richeleto nunquam contigisset opus ipsorum lustrare: cæterum innocentiam hac ex parte suam plenius adhuc patere posse ex collatione litorarum O. P. & sequentium in dictionario suo, cum istæ præcedentibus nullatenus cedere deprehendantur, non obstante, quod lexici academici tela eousque nondum contexta sit, adeoque eo intuitu neutiquam expilationi obnoxia. Denique negavit se falcem in Academiæ messera misisse, aut in ipsius autoritatem & jurisdictionem in voces ullatenus involasse, cum in dictionario suo, encyclopædiam velut linguæ Gallicæ exhibituro, id potissimum egerit, ut terminos & nomina artium ac scientiarum (quorum tamen dictionarium academicum, communibus saltem linguæ terminis destinatum, nullam plane rationem habeat) explicaret, communibus vocabulis non nisi accessorii ac supplementi loco adjectis: unde & consensus tandem Fureterius, ut ex opere suo per arbitròs neutri parti addictos ea expungerentur, quæ ad academiæ fûndum spectare viderentur, relictis tantum iis, quæ uti dictum, extra ejusdem scopum forent. Tametsi vero his non attentis Academici Fureterium ex ordine suo excluderint, ac præterea tantum autoritate & existimatione sua apud Magistratum pervicerint, ut privilegium, quod pro suo quoque opere Fureterius impetraverat, revocaretur, speciminis etiam ab ipso pro sui defensione editi & a nobis in Actu loc. sup. alleg. commemorati venditio sub gravi multa interdiceretur; cum nihilominus Fureterius his neutiquam acquievisset, sed pro ulteriori juris sui deductione unum al-

Displicuerat Clerico, quod *Simon* pro *αὐτός* *σ* *Gen. III, 15.* *αὐτό* *σ* legendum arbitratur, ut pronomen illud genere conveniat cum nomine *σπέρμα* *⊙*, eo quod minime insolens sit, ut cum liber dicitur, literam initialem vocis sequentis finalem vocis precedentis fuisse putet librarius. Objecerat alter locum *Job. XVI, 13*: ubi persona Spiritus Sancti *ἐκ.ἦν* *⊙* *τὸ πνεῦμα* audit, unde concluderat, nemini mirum videri debere, quod *σπέρμα* *γυναικός*, cum Christi persona sit, seu semen illud *κατ' ἐξοχήν* tale, de quo *Gal. III, 16*, pronomine masculinō indigitatum fuerit. At Bollevillano c. XI vero simile non videtur, septuaginta interpretes reconditum illum *σπέρμα* *⊙* significatum, quo Messiae personam notat, subodoratos, ideoque *σολοικοφανῆ* isto usos fuisse.

Capite XIV. negat sibi cum *Petro Ambruno* quicquam commune esse, nisi aliquam forsan paritatem styli, quæ tamen a personato illo autore affectata videatur, ut eo tutius lateret.

## LE GRAND DICTIONNAIRE DE L' ACADEMIE

Franc. ise.

five

Academix Francicæ Dictionarium Magnum.

Pars Prima.

Francofurti, apud Frid. Arnaldum, 1687, in 4. secundum exemplar impressum Parisiis apud Petitum, Academix Fr. Bibliopol.

**M**eminimus in *Actis* anni 1685 pag. 519. controversiæ inter Academiam Francicam ejusque antehac socium Abbatem Fureterium enatæ super editione Lexici cujusdam universalis ab hoc concinnati, & ab illa impugnati, Acriter hæctenus utrinque dimicatum, nec dum, quantum novimus, res aut per sententiam omnino decisa, aut per transactionem sopita est. Videlicet non privilegium tantum semet dudum obtinuisse refert Academia super confectione talismodi dictionarii, cujus vi aliis intra certum tempus interdictum sit, simile quid operis occipere, sed & Fureterium plane plagii postularunt Academici, ferentes ipsum ex compilatis eorum laboribus magnam

magnam operis sui partem adornasse; nec absque prodictionis nota id sibi soli sumere potuisse sine prævia cum ipsis communicatione, quod sciret jam a quinquaginta pene annis præcipuam collegii, cujus ipse socius, occupationem fuisse. Strenue quidem semet contra hæc defendit Fureterius, contendens privilegium quidem ab Academia allegatum, quantum ad clausulam illam exclusivam, non nisi per subdolum obreptionem impetratum esse, cum & praxi consuetæ & libertati commodoque reipublicæ literariæ, adeoque & Regis intentioni manifeste contrariari videatur. Plagii vero commissi suspicionem plusquam frivolam esse in rebus ejusmodi, quæ cuilibet in mentem facile venire possint, ostendit exemplo Dictionarii Richeletiani, quod & hoc plurimis in locis cum lexico Academicorum consonet, tametsi Richeleto nunquam contigisset opus ipsorum lustrare: cæterum innocentiam hac ex parte suam plenius adhuc patere posse ex collatione litorarum O. P. & sequentium in dictionario suo, cum istæ præcedentibus nullatenus cedere deprehendantur, non obstante, quod lexici academici tela eousque nondum contexta sit, adeoque eo intuitu neutiquam expilationi obnoxia. Denique negavit se falcem in Academiæ messera misisse, aut in ipsius auctoritatem & jurisdictionem in voces ullatenus involasse, cum in dictionario suo, encyclopædiam velut linguæ Gallicæ exhibituro, id potissimum egerit, ut terminos & nomina artium ac scientiarum (quorum tamen dictionarium academicum, communibus saltem linguæ terminis destinatum, nullam plane rationem habeat) explicaret, communibus vocabulis non nisi accessorii ac supplementi loco adjectis: unde & consensus tandem Fureterius, ut ex opere suo per arbitròs neutri parti addictos ea expungerentur, quæ ad academiæ fundum spectare viderentur, relictis tantum iis, quæ uti dictum, extra ejusdem scopum forent. Tametsi vero his non attentis Academici Fureterium ex ordine suo excluderint, ac præterea tantum auctoritate & existimatione sua apud Magistratum per vicerint, ut privilegium, quod pro suo quoque opere Fureterius impetraverat, revocaretur, speciminis etiam ab ipso pro sui defensione editi & a nobis in Actu loc. sup. alleg. commemorati venditio sub gravi multa interdiceretur; cum nihilominus Fureterius his neutiquam acquievisset, sed pro ulteriori juris sui deductione unum al-

Displicuerat Clerico, quod *Simon* pro αὐτός σε *Gen. III, 15.* αὐτό σε legendum arbitratur, ut pronomem illud genere conveniat cum nomine σπέρματ, eo quod minime insolens sit, ut cum liber dicitur, literam initialem vocis sequentis finalem vocis precedentis fuisse putet librarius. Objecerat alter locum *Job. XVI, 13.* ubi persona Spiritus Sancti ἐκ' αὐτὸ τὸ πνεῦμα audit, unde concluderat, nemini mirum videri debere, quod σπέρμα γυναικός, cum Christi persona sit, seu semen illud κατ' ἐξοχήν tale, de quo *Gal. III, 16*, pronomine masculinō indigitatum fuerit. At Bollevillano c. XI vero simile non videtur, septuaginta interpretes reconditum illum σπέρματ significatum, quo Messiae personam notat, subodoratos, ideoque σολοικοφάνη isto usos fuisse.

Capite *XIV.* negat sibi cum *Petro Ambruno* quicquam commune esse, nisi aliquam forsah paritatem styli, quæ tamen a personato illo autore affectata videatur, ut eo tutius lateret.

## LE GRAND DICTIONNAIRE DE L' ACADEMIE

Francise.

sive

Academix Francicæ Dictionarium Magnum.

Pars Prima.

Francofurti, apud Frid. Arnaldum, 1687, in 4. secundum exemplar impressum Parisiis apud Petitem, Academix Fr. Bibliopol.

**M**eminimus in *Actis anni 1685 pag. 519.* controversiæ inter Academiam Francicam ejusque antehac socium Abbatem Fureterium enatæ super editione Lexici cujusdam universalis ab hoc concinnati, & ab illa impugnati. Acriter hæcenus utrinque dimicatum, nec dum, quantum novimus, res aut per sententiam omnino decisa, aut per transactionem sopita est. Videlicet non privilegium tantum semet dudum obtinuisse refert Academia super confectioe talismodi dictionarii, cujus vi aliis intra certum tempus interdictum sit, simile quid operis occipere, sed & Fureterium plane plagii postularunt Academici, ferentes ipsum ex compulatis eorum laboribus magnam

magnam operis sui partem adornasse; nec absque prodictionis nota id sibi soli sumere potuisse sine prævia cum ipsis communicatione, quod sciret jam a quinquaginta pene annis præcipuam collegii, cujus ipse socius, occupationem fuisse. Strenue quidem semet contra hæc defendit Fureterius, contendens privilegium quidem ab Academia allegatum, quantum ad clausulam illam exclusivam, non nisi per subdolam obreptionem impetratum esse, cum & præxi consuetæ & libertati commodoque reipublicæ literariæ, adeoque & Regis intentioni manifeste contrariari videatur. Plagii vero commissi suspicionem plusquam frivolam esse in rebus ejusmodi, quæ cuilibet in mentem facile venire possint, ostendit exemplo Dictionarii Richeletiani, quod & hoc plurimis in locis cum lexico Academicorum consonet, tamen Richeleto nunquam contigisset opus ipsorum lustrare: cæterum innocentiam hac ex parte suam plenus adhuc patere posse ex collatione litorarum O. P. & sequentium in dictionario suo, cum istæ præcedentibus nullatenus cedere deprehendantur, non obstante, quod lexici academici tela eousque nondum contexta sit, adeoque eo intuitu neutiquam expilationi obnoxia. Denique negavit se falcem in Academia messera misisse, aut in ipsius autoritatem & jurisdictionem in voces ullatenus involasse, cum in dictionario suo, encyclopædiam velut linguæ Gallicæ exhibituro, id potissimum egerit, ut terminos & nomina artium ac scientiarum (quorum tamen dictionarium academicum, communibus saltem linguæ terminis destinatum, nullam plane rationem habeat) explicaret, communibus vocabulis non nisi accessorii ac supplementi loco adjectis: unde & consensit tandem Fureterius, ut ex opere suo per arbitròs neutri parti addictos ea expungerentur, quæ ad academiae fundum spectare viderentur, relictis tantum iis, quæ uti dictum, extra ejusdem scopum forent. Tametsi vero his non attentis Academici Fureterium ex ordine suo excluderint, ac præterea tantum autoritate & existimatione sua apud Magistratum per vicerint, ut privilegium, quod pro suo quoque opere Fureterius impetraverat, revocaretur, specimenis etiam ab ipso pro sui defensione editi & a nobis in *Actu loc. sup. alleg.* commemorati venditio sub gravi multa interdiceretur; cum nihilominus Fureterius his neutiquam acquievisset, sed pro ulteriori juris sui deductione unum al-

terumque scriptum aculeatum satis & satyrico sale refertum emisisset; feruntur Academici nihil amplius eidem reponere voluisse, ac optasse potius, ut quidam candidæ mentis extraneus ipsorum hac in causa patrocinium susciperet, quam ut per posteriores altercationes existimationis suæ periculum porro subire collegium opus haberet. Talem ergo extraneum dudum exoptatum, in sua tandem persona extitisse ait in præfatione libri hujus editor bibliographus, professor tamen insinuat se neutri parti addictum fore, quin potius causam Academiæ ita acturum, ut totius rei decisionem publico eruditorum judicio relinquat, utpote quorum tribunal, sat plerumque severum, hoc in negotio quam maxime suspiciendum autumat, cum alioqui coram magistratu suo Academicos autoritatis pondere defensionis suæ sat pares futuros confidat. Cæterum satius putavit re ipsa quam verbis Academiæ patrocinari, indeque aptissimum fore, si Lexici specimini a Fureterio edito aliud opponeret specimen Dictionarii Academici: unde commodum accidisse ait, ut folia aliquot de hoc ultimo impressa in manus curiosi cujusdam inviderint, ab eoque sibi communicata fuerint; quorum publicationem optimæ responsionis loco futuram sibi persuaserit, monstraturum quippe reapse, tantum abesse, ut opus hoc Academiæ tam exsuccum sit, seu quidem Fureterius perhibere voluerit, ut potius ejusdem præstantia clare sit ostensura, neutiquam in vanum fuisse, quod huic rei tantum temporis a tot viris illustribus fuerit impensum. Opus ipsum jam quod attinet, certe sua id laude utique dignum est, ejusque usus, maxime cum ad umbilicum usque perductum fuerit, multum ad perfectionem notitiamque plenioram Gallici idiomatis contribuet, cum non solum plerisque vocibus phraseologia uberissima subjiciatur, sed & proverbja, ut quæ nimis plerumque morantur linguæ non satis gnaros, ubique sollicitè exponantur. Cum vero non nisi exigua hujus operis portio jam quidem exhibeatur, ut quæ intra terminos literarum alphabeti AB & ex parte C consistit, hinc summopere exoptamus, ut foetus hic tot egregiorum hominum desideratissimus post tanti temporis gestationem tandem integer in lucem emergat: nec Fureterij etiam utilissimus labor ulterius sufflaminetur, quin potius expedita utriusque horum editione præpediem eruditorum voto ex alle satisfiat.

JOHAN-

JOHANNIS SCHILTERI HERENNIVS MO-  
 desinus, sive Fragmenta libri *περὶ ἐπιμετρίων*,  
 Commentario illustrata.

Argentorati, apud Joh. Fried. Spoor, 1687, in 4.

Cum summum jus, ut proverbium ait, summa sæpe injuria esse soleat, nemo non videt, quam proficuum sit, eas observationes & regulas annotare, quibus rigor ille & durities juris per æquitatis velut fecessus emolliri valeat. Certe enim haut ultima portio, quin potius ipsa prudentiæ juridicæ anima in eo sita esse cernitur, ut quis cavere sic & consulere clientibus sciat, quo arreptis ejusmodi viarum compendiis metam negotii civilis feliciter attingant. Tametsi vero e recentioris ævi Jurisconsultis haud defuerint, qui Cautelas tales in aliorum gratiam concessere, quos inter Raymundus, Fichardus, Brederodius, & recentissime celeberrimus Strykius (cujus Tractatus de Cautelis contractuum antehac a nobis commemoratus, nuper adhuc prelo rursus subjectus fuit) imprimis eminent: nihilominus, quod mireris, inter Romanos & antiquiores illos jurisprudentes nemo reperitur, qui huic scriptionis generi calamum commodaverit, cujusque opera adhuc habeamus reliqua, præter unicum Modestianum, Consiliarium quondam Cæsaris Alexandri Severi & Proconsulem Dalmatiæ, qui inter alia quæ edidit scripta singularem librum *περὶ ἐπιμετρίων* seu de Cautelis consignavit; de quo tamen itidem nil nobis remansit, nisi quantum ejus ex generali isto scriptorum juridicorum naufragio servare placuit Pandectarum compilatoribus. Pauca nimirum hæc fragmenta sunt, & decem omnino legum ambitu comprehenduntur; puta *legis 65. de Procur. l. 25. ad SC. Vellej. l. 63. de Jur. dot. l. 58. sol. matrim. l. 9. de susp. tutor. l. 4. de vulg. & pup. subst. l. 50. de adquir. vel om. hered. l. 19. de usu & usufr. & redit. &c. l. 53. de cond. & demonst. l. 45. ad SC. Trebell.* Quemadmodum vero boni vini etiam feces colligere quandoque juvat, ita nec dubitavit consultissimus Schilterus paucula quoque hæc reitam prætiosæ fragmina studiose corrudere, eademque more suo, hoc est, erudite ac solide explicare. Hinc singulis legum modo recensitarum singula dicavit capita, ubi post expositam textus summam & sensum, formato certo casu statum quæstionis clare ubivis

common-



commonstrat, & quid cautelæ inibi contineatur, per dubitandi ac decidendi rationes plenius deducit. Qua occasione monet, non putandum esse, ac si dictarum legum qualibet peculiarem in se cautelam re ipsa contineat, aut omnia, quæ Modestinus in libro hoc scripserit, cautelæ rationem mox habuerint: necesse enim ipsum habuisse, remediistalismi extruendis certa prius fundamenta juris ac hypotheses præsternere, e quorum deductione Digestorum concinnatores dein æque facile quid excerptere valuerint, ac ex cautelis ipsis. De cætero & in eo speciatim occupatus fuit, ut in hisce Modestini fragmentis proposita ad usum fori hodierni redigeret ac ad commodaret, in primis quod ob mutatam multum Jurisprudentiæ faciem, harum legum quædam obsoletæ nunc esse videantur; imo pleræque, si Groxnvvegio aliisque ejus similibus credere velimus; qui nec ipsam *legis 19. D. de usu & usufruct. legat.* decisionem amplius admittunt, quod scilicet, quando in eodem testamento uni fundus, alteri usufructus legatus est in eo fundo, usufructus inter utrumque horum communicetur; existimant quippe eam verborum interpretationem a morum nostrorum simplicitate nimis alienam esse: quod tametsi Nostro displiceat, optat nihilominus, ut ex professo quis conferendis vocabulis forensibus Romanorum cum nostratibus operam impendat, idque vel mediante justo commentario ad *ist. Dig. de V. S.* vel edito dictionario seu glossario juris; eo quidem pacto, ut non tantum, quæ verba in utraque lingua significatione vulgari & naturali æquipolleant, sed vel maxime juridica etiam & civili, doceatur; quale quid hactenus inter desiderata reponendum autumat. In *capite 4. quod legem 63. D. de j. dot.* explanat, inter alia ventilatur quæstio, num conversus ad Christianam religionem Judæus ductam mox mulierem, iterumque desertam ac processu desertionis finito, alteri nuptam, post hujus mortem in matrimonium repetere valeat? Refertur vero, adductis tam dubitandi, quam decidendi rationibus, in Consistorio ecclesiastico Jenensi ante lustrum pro negativa pronunciatum fuisse, eo quod controversiam hanc non ex jure Romano, sed ex Jure divino Hebræorum (ubi talis conjugii renovatio pro abominabili habetur,) definiendam putarent, quippe quod ratione sua etiam Christianos obliget. Cumque in ejusdem *capitu 4. §. 15.* obiter dictum esset de dissolutione matrimonii

monii quoad vinculum in casu commissi adulterii, placuit consultiſſimo Autori, ad dilucidandam plenius hanc materiam, in peculiari Mantissa tractatui ſubjecta, historiam juris circa dogma hoc eccleſiæ Chriſtianæ latiſſe exponere. Ubi primum oſtendit, quod doctrina de ſolutione vinculi in cauſa adulterii, in primitiva eccleſia, tam orientali, quam occidentali, ad initium uſque ſeculi III obtinuerit, & ab eccleſia Græca ad hodiernum uſque diem, poſt factam a Latina ſeparationem, fuerit retenta. Deinde docet, quomodo contraria opinio ineunte ſeculo IV, in Concilio Eliberritano ſeu Granatenſi primum ſubnata, dehinc in Milevitano extenſa, ab Auguſtino poſt contra Pollentium epiſcopum aſſerta, in eccleſiis tamen Galliæ & Germaniæ ſubinde in dubium vocata, nulla denique per 700 ampliſſus annos firma ſanctione ſtabilita fuerit; donec tandem in Concilio Nannetenſi, poſtquam tot ſeculis varie fluctuatam hac in re fuerat, ſententia ferretur, ut tam mulieri innocenti vivente adultero, quam viro innocenti ſuperſtite adultera, matrimonium cum alia perſona eſſet interdictum. De cujus Concilii tamen epocha certi nihil haberi monet, cum antiquiores quidem conciliorum editores illud poſt Triburienſe, anno Chriſti 895 celebratum, collocent; Sirmondus vero ex probabilibus conjecturis id omnino antiquius eſſe autumet. Quicquid tamen de provinciali hoc Concilio ſit, certe univerſalis Eccleſiæ ſanctionem hac de re latam, a Pontificiis, antequam Tridentinum ſub anathematismo hocce dogma introduceret, produci nequaquam potuiſſe, Autor evincit.

### JOHANNIS MARCKII EXERCITATIONES

*Juveniles, ſive Selectarum Diſputationum textualium, atque  
Orationum in Academia Franckerana olim habitarum  
faſciculus.*

Groningæ, typis Dominici Lens, 1686, in 8.

**U**T ſpem in operibus venerandi avi ſui Cloppenburgii anno 1684 junctim editis, factam adimpleret clariffimus autor, hunc Exercitationum faſciculum, quamvis anno fere integro ſerius quam cogitaverat, per varia a typographo potiſſimum injecta impedimenta,

Bbb

menta, in lucem publicam emisit. In cujus Præfatione satis prolixam primam observât, inter opera avi sui positam quoque esse *Rem Judicatam de falce missa in messem theologiam ab Antonio Deusingio &c.* quam eliminandam quidem censuerit Antonii filius Hermanus Deusingius, Jctus celeb. judicans paterno nomini, quin & sibi maculam inuri repetita vulgatione litium dudum sepultarum, imprimis cum multi aut ignoraturi aut ad manus habituri non essent, quæ opposuerat Parens, sed ejusdem desiderio a se satisfieri haud potuisse, cum non putaret in operum omnium ab avo editorum collectione sui esse arbitrii, ut eam supprimeret; præterea nec sententiarum ullam institueret censuram, nec crederet ipsam Patris opinionem suas facere, aut maculam ullam inuti defuncti magno nomini, nedum ipsi, ad quem propria ingenii felicitate instructum Patris defuncti placita non spectarent. Quo tamen omnem pravam amoliretur suspicionem; Lectorem suum hic monere voluit, se non desiderare, ut vel ex avi sui litteris & excerptis vel iudicio Leideniensi, neglectis Viri ipsius prolixioribus scriptis, de ejus opinionibus irrevocabile fiat iudicium; nedum ut opiniones hæc, si forte post examen justum paradoxæ videantur, ullam deteriore de præstantissimo Filio suspensionem cuiquam injiciant. Deinde notat, se post absolutam disputationum suarum impressionem, in doctissimi viri Johannis Vlak, Pastoris Zutphaniensis, eruditissimum opusculum, quo ille eundem Ezechielis locum de Statutis non bonis, septem exercitationibus mox recensendis a se ventilatum, vernaculo sermone quam maxime illustret, incidisse, & observasse, quod censuram thesium suarum candidam instituerit, nolle tamen sese seu ipsi seu ipsius sententiæ opponere, ne male videatur liberalem Viri candorem interpretari, ac de sensu hujus textus nova contentiois serra reciprocetur inter Fratres, quem putet ex scriptis variis inter se collatis satis constare posse sedulo indagatori; aut ne plane sileret, quædam contra laudatum Pastorem, satis modeste tamen pro vindicanda sua sententia in medium affert. Ultimam eamque maximam Præfationis partem repetitis, ut ipse vocat, ineptiis Johannis Crassetii, Jesuitæ Parisiensis, de Sibyllinis Oraculis explodendis impendit, & sex & viginti ejus articulis totidem theses opponit. Ipse Fasciculus sex & viginti dis-

putatio-

putationes secundum codicis sacri ordinem collocatas, cum ad certorum Scripturæ locorum illustrationem spectent, nobis exhibet. Quas Juveniles inscribere visum fuit Autori, quia circa vigesimum ætatis annum, quædam etiam longe ante illum sunt compositæ in commemorazione Lugdunensi, neque aliqua nunc insignis facta sit mutatio, ne opus esset aliud, novusque plane labor. Agunt vero I & II. de *pæna excidii*, quam Deus non tantum ad contentum festi Azymorum *Exod. XII, 15.* multarumque legum postea a Mose latarum, sed etiam ad neglectum circumcisionis ipso Abrahami tempore *Gen. XVII, 10.* statuit; ubi rejectis aliorum sententiis, qui vel de capitali supplicio, vel ecclesiastica excommunicatione vel morte præmatura divinitus immissa tantum, sive cum totali seminis extirpatione conjuncta vel morte æterna eam interpretantur, exponit de exclusionis a Dei fœdere omnibusque promissis & beneficiis, quibus fœderati ex Dei gratia fruuntur, ac ostendit nullum hæcenus propositum fuisse sensum, qui non ex hæc interpretatione fluere possit. Inferre enim exclusionem a Dei fœdere non solum mortem æternam, sed & alias iræ divinæ demonstrationes, per mortem divinitus immissam, per seminis excidium, aut aliter sæpe liberrime instituendas: quin & exclusionem a Dei fœdere, si delictum constet, excommunicationis necessitatem Ecclesiæ imponere, & si supplicium capitale Dei lex statuat, illud non excludere. III. IV. V. VI. & VII. de *Apparitione Samuelis*, in quarum prioribus non verum, sed personatum Samuelem apparuisse, quatuor argumentis ex Saulis derelicti a Deo statu, suscitationis causa, quæ fuit Pythonissa, modo apparitionis scilicet adseensionis, & apparentis persona desumptis, & ab exceptionibus Pontificiorum solide vindicatis demonstrat, in ultima vero quinque objectiones pro sententia adversa adductas diluit. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. de *Statutis non bonis occasione loci Ezech. XX, 25.* ubi prolatis & examinatis per aliquot disputationes variis variorum opinionibus, qui locum hunc *aut de præceptis divina legi*, & quidem vel generaliter omnibus, sic dictis quibusdam ob difficultatem observantiz, aliis ob mortem annexam transgressoribus, aliis vero ob impotentiam ad justificandum, vel specialiter ceremonialibus, ut non bonis, ob rationes multas allegatas; *aut de panis divinis*, vel in comminationibus propositis peccatoribus,

toribus, vel actu exercitis ob peccata populi, in fissura terræ, mor-  
sibus serpentinis, cladibus illatis &c. *aut de profanarum gentium  
statutis* civilibus i. e. tyrannico jugo atque molestissima servitute  
istorum populorum exponunt; verba Prophetæ de statutis Genti-  
lium idololatricis explicat, & septem argumentis suam sententiam  
confirmat. XV & XVI *de Promisso Ebra Adventu ex Malach. IV, 5.*  
quem locum non de Elia V. T. propheta, sed Johanne Christi præ-  
curso agere, primum contra quosdam e veteribus Christianis &  
Pontificiis, deinde Judæorum infidelium cohortem ad oculum  
demonstrat. XVII. XVIII. XIX XX. XXI *de Pane ἐπιτοίω*, qui in  
oratione optima ab optimo Doctore *Matth. VI, 9. seqq.* præscripta  
expeti jubetur, sed qualis innuatur, inter eruditos, aliis de pane spi-  
rituali, aliis de corporali, aliis de spirituali & corporali simul in-  
terpretantibus, admodum controvertitur. Inter harum senten-  
tiarum divortia mediam suam facit Autor, eademque refutatis cæ-  
teris veritati maxime congruam esse, evincere nititur. XXII. *de Cæ-  
libatu Pauli*, quem nonnullis impugnari, maximum collocantibus  
pondus in Apologia, quam ipse Paulus pro se *1. Cor. IX, 5.* instituit:  
aliis defendi, nixis potissimum *1. Cor. VII, 8.* ubi Apostolus cæliba-  
tus statum non tantum commendat, sed & eundem sibi vindicare  
videtur; observat Autor, & rationibus pro utraque opinione addu-  
ctis, sub calcem dissertationis hanc subjungit epiricisim: *Tutissima  
nobis ea videtur sententia cum Martyre, Aretio, Pareo, Gomaro, ac aliis,  
qua opinionem utramque probabilem pronunciat, nec ob defectum Apo-  
stolica historia quicquam hic demonstrative asseri posse statuit. Inte-  
rim si dicendum sit, quam sententia magis probabilis videatur, non  
dubitemus illam præferre, qua Pauli cælibatum asserit, cum dictis Au-  
toribus. Tum quod indubie is simplicissimus *1. Cor. VII,* sit sensus: tum  
quod cælibatus maxime ipsius Apostolatus atque monitis consentire vi-  
deatur. XXI. I. XXIV. *de Templo Christianorum*, in quibus disputa-  
tionibus, contra Pontificios aliosque scriptores, e Scriptura pariter  
atque Historia Ecclesiastica, tempore Apostolorum publicas sacro-  
rum conventuum ædes non habuisse Christianos perspicue docetur.  
XXV. & XXVI. *de Baptismo pro Mortuis*. Inter loca Scripturæ  
Sacræ vexatissima, & diversissimis Interpretum placitis illustrata, re-  
ferendum esse dictum *1. Cor. XV, 29.* nullus, credo, ambiget. E quam-  
plurimi*

plurimis expositionibus ad scriptoris sacri mentem proxime accedere Autori videtur, quæ citatum locum de Baptismo a viventibus, sed loco seu bono defunctorum suscepto accipit, cum hæc verborum simplicitati & propositionis modo maxime congruat, eiq; nec historia repugnet, hæc vim argumenti Apostolici maxime urgeat, hæc cum antecedentibus & consequentibus optime cohæreat, hæc nihil secum incommodi trahat, hanc etiam Viri maximi ac *ἱεροδοξοῦ* tenuerint.

Hiscæ Exercitationibus recensitis Orationum quaternionem, quarum prima de Augmento scientiæ Theologicæ, habita in solenni introductione ad Ordinariam Theologiæ in Academia Franckeræna Professionem d. 15. Septembris A. 1676; altera in obitum D. Nicolai Arnoldi recitata post ductum funus d. 22. Octobris A. 1680; tertia de Coelitem Stolis Albis dicta in inauguratione ad Academiæ Rectoratum, ipsis Kalend. Junii A. 1681; quarta de conficta Constantini donatione, habita in depositione Rectoratus ac abitu ad Academiam Groningo-Omlandicam ipsis Kalend. Junii A. 1682, subjunxit Autor.

**ECCLESIE GRÆCÆ MONUMENTA. TOMVS**  
*tertius, pariter editore & interprete Job. Baptista Cotelerio, Socio Sorbonico atque literarum Græcarum Lectore Regio.*

Parisi. apud Franciscum Muguet, A. 1686, in 4.

**D**E Autoris instituto in Actis nostris Cal. Maj. A. 1683, p. 135. abunde dictum est. Quamobrem sine ambagibus quæ tertio hoc volumine continentur ecclesiæ Græcæ monumenta recensebimus. Occurrit I. Sylloge questionum ex *Hesychie* Presbyteri Hierosolymitani evangelica consonantia per compendium excerpta, ejusdemque *Hesychie* questio: cur Johannes crucem ab ipso Christo, reliqui vero Evangelistæ a Simone Cyrenæo portatam referant? II. Oratio in laudem Basilii M. ab *Ephraemo* conscripta & Latine quidem inter Ephraemi opera, sed Græcæ hæctenus nondum edita. III. *Evangeliis* Scithensis capita ascetica cum epistola ad Anatolium, ejusdem-

que de re monastica libellus, & nomine Dei tetragrammato, quod Hebrææ linguæ ignarus *πρωι* pronunciat, fragmentum jam antea a *Johanne Crojo* in specimine conjecturarum ad loca quædam Origenis, Irenæi, Tertulliani & Epiphaniï, sed minus correcte & sine Evagrii nomine editum, cui subjicitur narratio quædam ex vita Evagrii a Palladio descripta. IV. *Johannis Chrysoctomi* homilia in illud Matth. XXI. 23. in qua potestate hæc facis? V. Capita nonnulla *historia Lausiacæ* a Palladio conscriptæ e duobus Colbertinæ bibliothecæ codicibus collecta, & Græce hætenus nondum vulgata. VI. Ægyptiorum Monachorum historia sive Paradisus. VII. *Nili* de octo vitiis tractatus, non ille, quem *Franciscus Combessius* in novissimo B.B. P. P. auctario, & *Josephus Maria Suarezius* in collectione opusculorum Nili latinitate donaverunt, & cum antiqua versione *Emericus Rigotius* post Palladii de vita Chrysoctomi dialogum iterum typis imprimi curavit, sed alius, qui nunc primum Græce prodit, cura hætenus in operibus *Damasceni* ex *Jacobi Billii* versione latino tantum habitu comparuisset. VIII. Vita Sabæ a Cyrillo Scythopolitano scripta. IX. *Timothei Presbyteri* CP. libellus de triplici hæreticorum receptione, e codice regio, qui a Posseliniana, Meursiana, Combessiana cæterisque editionibus haud parum discrepat, expressus, ejusdemque libelli compendium ex *Niconis* Pandectæ descriptum. X. *Anastasi Sinaitæ* de tribus quadragesimis, & *Anastasi Casariensis* de jejuniis Deiparæ tractatus, & nonnulla ex *Nicone* de jejuniis excerpta. XI. *Nicephori* CP. canones Synodici & epistola canonica. XII. *Johannis Presbyteri* epistola ad *Leonem Grammaticum Archiepiscopum Calabria*. cum Leonis canonico responso. XIII. *Johannis Zonara* canon in Deiparam, qui ex interpretatione *Genebrardi* in B. B. P. P. latine tantum & truncatus extat. XIV. *Theodori Balsamonis* epistola de Rasophoris. XV. Græcorum criminationes adversus ecclesiam Latinam cum epistola ad Innocentium III. XVI. *Phile* versus in Spiritum Sanctum.

Hæc ecclesiæ græcæ monumenta *Cotelerius* notis imprimis criticis sic illustrat, ut quavis occasione data ad alios quoque Autores discurrat, suamque iis emendandis operam impendat, nec raro jocularis quosdam sive librorum sive interpretum errores, quibus & notantem recreari, & lectorem oblectari dicit, observet, qualis ille

ille apud *Blasarem* in Synodico Beveregiano, ubi litera *κ. c. 32.* interpretis non animadvertit pro *νήφων* vigilans legendum esse *Νίξων*, quod est nomen proprium Metropolitæ Cyziçeni, & apud *Philoponum* libr. 4. c. 5. cosmopol. ubi cum inter varia maria recensentur *πόντος ὀλιγυστικός*, interpretis non attendens articulum præpositivum ὀ a voce *λιγυστικός* divellendum esse, mare Oligysticum vertit pro Ligustico, & apud *Anselmum Havelbergensem* dial. 3. c. 6. ubi legitur: *in qua heresi (Ariana) præcipuus fuit Eusebius, qui relicta hereticorum civitate primo concupivit & possedit Nicomediensem ecclesiam, postea vero hanc Cplitanam ecclesiam invasit*, cum legendum sit: *relicta Berytiorum civitate*, siquidem hunc Eusebium Berytiorum episcopum fuisse constat, antequam Nicomediensi & Cplitanæ ecclesie præflet.

Cæterum eut *Cotelerius* observationibus magis necessariis prætermiſſis frequenter ad externas & minus utiles notas dilabatur, ejus rei causam ipse hanc exponit, quod cum ob assiduum morbum nova investigare non posset, veteres animadversiones ex adversariis suis protrudere coactus fuerit, ne consumpti in bonis literis labores funditus perirent. Ex morbi enim pertinacia mortem suam vit doctissimus prælagiebat. Unde in ipso notarum limine, *nos quoque, ait, non pauca e varis MSS. collegimus, eaque in lucem emissuros polliceremur, nisi jam longioris vitæ spes decollasset. Quare volentibus lampada tradere cogimur.* Et in epilogo notarum iterum, *has notas, inquit, breviores quam par eras, duplici de causa confeci, tum ob languorem continuum, tum ut citius totum quantum aggrederer, quanquam vitæ spes sit perficiendi, enitar tamen pro viribus. Cum enim illa Sylloge non inutilis censeatur, oportet me colligentem atque scribentem mori.* Nec vanus augur fuit. Nam diem 12. Augusti anni superioris vitæ suæ extremum habuit.

LA RÉVNIION DES PROTÉSTANS DE  
Srasbourg à l' Eglise Romaine également nécessaire pour leur  
salut, & facile selon leurs principes. Par le P. Jean  
Dez de la Compagnie de JESUS.

id est

P. Johannis



P. Johannis Dez, ex Societate Jesu, Tractatus de reunionem Protestantium Argentoratensium cum Ecclesia Romana, ad eorum salutem necessaria, & secundum ipsorum principia facili.

Argentorati, apud Dolhopfium, Typographum Episcopalem.

A. 1687 in 8.

**A**Nnus jam alter vertitur, cum fama de concionibus ad Argentoratenses, Augustanæ Confessioni addictos, Romanæ Ecclesiæ restituendos habitis, longe lateque percrebuit, spes etiam de earum publicatione facta est. Dum vero hæc differtur, fuere, qui varias moræ causas spargerent; aliqui etiam de approbatione libri dubitarunt, suspicantes plus oblatum fuisse a præcone pacis, quam superiorum suorum consensu præstare posset. Sed suspicionem tollit publica, quæ libello nuperrime tandem edito præfixa est *Vicarii Episcopalis* approbatio d. 2. Jan. hoc anno data, & permissio *Provincialis Jesuitarum Campaniæ*; quæ in fine invenitur, diem 16. Febr. præferens. Ipsa vero materia & structura libri satis ostendit, falsos esse, qui putarunt, alia concionatorem proposuisse *reunionis* media, quam ipsi per suæ religionis placita licuerit, nisi forte de pulpito mollius effatus est quædam, quam calamo expressit: quanquam & hunc ita temperavit, ut eo nomine, & ob perspicuam, elegantem atque tersam dictionem merito laudandus veniat. In ipsa tamen dedicatione, qua Regi Christianissimo *grande nomen*, a Deo, ut scribit, ad exemplum Davidis II. Reg. VII. 9. concessum, evehit, & oppressionem *Reformatorum* in Gallia omnibus ejus gestis præfert, spargere quædam videtur, quæ solitum post libellos hujusmodi eventum minantur. Suggestit enim argumentum, quo Rex moveri possit, ut promissam Argentoratensibus, & huc usque servatam libertatem circa religionem, obstare reductioni illorum ad Ecclesiam Romanam amplius non patiatur, sed *sanctam impatientiam* sive desiderium impleat, quo se & socios ardere dicit Autor, ut Argentoratanam Romano-Catholicam videant, exemplum, uti sperat, Alsatiz, imo toti Germaniæ præbituram. Ait enim (idque postea p. 398. repetit) *missam*, a qua totius cultus Romani summa pendet, teste Sleida-

Sleidano, non abolitam, sed tantum *suspensam* per decretum Senatus A. 1529 fuisse, donec ejus assertores demonstrassent, esse cultum Deo gratum; quod nunc factum esse, sine dubio confidit. Spem illam suam confirmat in *pramonitione* quæ dedicationem sequitur, quod Argentoratenses, quorum majores edito A. 1598 libro de *Ordine Ecclesie sue*, Lutheri dubitationem de authentia Epistolæ D. Jacobi probaverint, ab ista tamen ante annos quindecim, revisa & iterata *Ordinis* illius editione recesserint, idem in aliis capitibus non minus facile facturi videantur. Principia inde & regulas in hoc præloquio præstruit, & utrique parti communes esse putat, per quas examen controversiarum peragendum sit. Ex illis conclusiones elicit, quæ in fine libri leguntur, quas hic anticipare lubet, ut scopus Autoris in titulo jam indicatus tanto liquidius, antequam ejus stabilitamenta proponamus, cognoscatur.

*Prima* itaque conclusio est: *Ecclesiam Romanam esse adhuc bodie, ut olim, veram Ecclesiam Jesu Christi*; erroribus enim fundamentalibus carere, & quod falso tales illi imputati fuerint, ab ipsis jam agnoscî Protestantibus Argentoratensibus. Ex horum sane ore XIII ejusmodi errores p. 438. & seqq. enumerat, de quorum præcipuis in enarratione hac nostra mentio occurret. *Alterâ* conclusio est: *non esse fidem divinam, nisi in Ecclesia Romana*. Cum vero fides divina non nisi verbo seu revelationi Dei innitatur, multus est in hujus conclusionis probatione, ut traditionem cum verbo scripto æquiparet, & jus infallibiliter interpretandi Scripturam Ecclesie Romanæ asserat; ostensis incommodis, quæ sublata tali definitionis potestate, & per interpretationes privatas orientur. Hic ad multiplices dissensiones inter eos, qui a Romana Ecclesia discesserunt, provocat, & *Matthia Pratorii*, quem pro Lutheranis habet, *Tubum pacis* allegat. Hac etiam occasione responsum Lutheri, quo protervos reprehensores versionis suæ, & formulæ illius vexatissimæ *sola fide*, acriter repressit, non leviter exagitat, p. 475. *Tertiâ* conclusio est: *reunionem Argentoratensium necessariam esse ad eorum salutem, & facilem secundum ipsorum principia*. De necessitate constaret, si concederetur, quod asseverat, in sola Ecclesia Romana fidem divinam ipsamque salutem querendam esse; *facilitas* jactatur, quia nunc didicerint, errores fundamentales non esse in Ecclesia Romana, & ve-

ritatem quæ in ea doceatur, ignoratam hucusque, jam perspexerint; accedere Regis omnium maximi potentiam, sub quâ tuti, nihil metuendum habeant ab illis, quorum societatem olim impune non reliquissent.

Ex his facile iudicabunt lectores, quid agendum fuerit Autori, ut destinata exequeretur. Secutus enim numerum & ordinem articulorum Augustanæ Confessionis, Romanæ Ecclesiæ dogmata, quam potest speciosissime proponit & defendit; si non novis argumentis, at non sine grata quadam novitatis figura, eamque personam assumens, quæ ex conscientia sua & sincere agere videatur. At eodem candore producendi fuissent, quos in scena sistit, collocutores ex parte Argentoratensium, qui non solum concederent, de quibus nulla est controversia, sed qui etiam regerent, quæ potuissent & debuissent, non qui his neglectis, aut dissimulato quæstionis statu, causam suam ipsi proderent. Illiberalis enim certaminis genus est, cum subornatis pugnare. Sed Autor excusationem sibi præparasse videtur, dum in præloquio scribit: *loqui facio Protestantes Argentoratenses, qui non sunt perveraces sive obstinati, eosque constringo, ut conclusiones forment, ex principiis examinatis consequentes.* Ita referro, deprehenditur, non quæ illi dixerint, sed quæ ipse dici ab iis voluerit. Quicquid sit, dubitari non potest, eos qui illa locuti sunt, quæ in libello hoc ipsis tribuuntur, jam pro reunitis & ad Romanam Ecclesiam reductis merito esse habendos. Id constabit, responsa eorum ad articulos legentibus, ex quibus quædam recenserebimus, si prius aliquid excerpterimus ex iis, quibus Autor suam exponit ornatque sententiam, recentiores scriptores *Richelium, Walemburgios, Bossuetum*, aliosque imitatus. Omnia persequi nostri instituti ratio non fert, & controversiarum exactior tractatio alterius fori est; exempli igitur & historię causa laboramus. In Art. IV. *de justificatione* p. 24 & seqq. pro communibus concessisque hæc ponuntur: *hominem gratis justificari per misericordiam Dei: Christum solum meritum esse justificationem, Patrique satisfecisse: hujus meriti applicationem necessariam esse salvandis: applicari autem per sacramenta baptismi & penitentia. Opera sive legis naturalis sive scripta, qua fidem præcedunt, soliusque liberi arbitrii natura sunt, nullam justificationis partem constituere: fidem multum præstare, neque absque fide*  
pecca-

*peccatores justificari: neminem autem justificari a Deo, cui non simul infundatur gratia charitatis. Vocabulo justificationis Romano-Catholicos & remissionem peccatorum & infusionem gratia; Protestantibus plerisque remissionem saltem peccatorum intelligere, gratia vero infusionem ab eis vocari renovationem & sanctificationem. Hic cum alia quærant moneantque quos introducit, collocutores, arcem tamen quæstionis, an sola fides sit medium applicativum, & an bona opera ad eum justificationis ingrediantur, non petunt, sed occultato controversiæ cardine, acquiescunt responsis generalibus, justificari nos gratuito: Christum solum meruisse remissionem peccatorum, & phrasin imputationis eo sensu ferri posse, ut intelligatur, gratis infundi peccatori reconciliato justitiam sanctificantem, eique applicari satisfactionem Christi, ac si ipse peccator eam præstitisset. Verum est, concedi etiam a Jesuita, fide justificari hominem; sed addit, meritum Christi sola fide nunquam applicari, nisi fiducia de remissione peccati per Christum impetranda simul inspiretur, & amoris principium quoddam, quo homo ad odium peccati & novæ vitæ studium feratur, ideoque fidem mortuam a D. Jacobo rejici, & dicta Scripturæ de fide justificante intelligenda esse de justitia inchoata, quæ soli fidei debeatur, quia opera præcedentia nihil efficiant, & fides sit omnis gratiæ initium. Si vero de justitia perfecta, per quam homo justus & amicus Dei fiat, loquatur Scriptura, certum esse, hanc soli fidei a Scriptura non tribui, sed fidei vivæ, quæ menti dispositiones inspiret, quas Deus a peccatore exigit, ut eum gratis per Christum justificet. Hæc ita admittunt collocutores, ut p. 35. respondeant, per fidem justificantem se intelligere eam, cui juncta sint opera: (formatam cum Scholasticis dicere potuissent) & per justificationem intelligi simul posse renovationem. De bonis operibus Artic. IV docet Autor, illa non nisi præveniente & cooperante gratia Dei fieri posse, illique soli gloriam eorum deberi, nec nisi virtute meriti Christi ea esse meritoria, iisque præmia in hac & futura vita promissa. Instantibus tamen Protestantibus, quos instruit, respondet p. 49. justum per bona opera mereri augmentationem gratiæ sanctificantis, & per consequens gloriæ; quia enim diversi hi gradus gloriæ nihil aliud sunt, quam ipsa vita æterna, quam Deus bonis operibus promiserit, certum esse, hoc sensu dici posse, quod mereantur vitam æternam.*

isto modo in plurimis aliis capitibus philosophatur, ut ambiguae probabilitati ubique locus sit, maxime etiam ut videtur, cavens ne Romanæ religionis Theologis præjudicium afferat, quos in plurimis materiis rixari (*ils se querellent sur une foule de matieres*) mirum non esse dicit, p. 143. quia *Deus mundum tradere disputationibus eorum ipse voluerit*, Eccl. III, 11. Exemplo esse potest *Articulus XVIII.* In hoc, ne acerrimas inter Dominicanos aut Jansenistas & suæ societatis Doctores plurimos, qui Molinam sequuntur, disceptationes incurrat, Protestantium solum dogmata refert, sua aut sociorum præterit. Proponit autem ex Protestantium ore (1) *quod homo sit liber in rebus naturalibus & civilibus.* (2) *quod nullam habeat libertatem sine gratia Spiritus Sancti in rebus supernaturalibus.* (3) *quod Deus serio velit (voluntate antecedenti) salutem omnium, etiam non electorum.* (4) *quod Christus pro omnibus mortuus sit, etiam pro damnatis.* (5) *quod omnibus dei gratiam necessariam & sufficientem ad salutem.* (6) *quod homines sua malitia resistere possint & resistent gratia, ideoque sua culpa pereant, non ex decreto quod voluntatem hominis cogat.* (7) *quod iustificati gratiam per crimina amittere possint & damnari.* Ad hæc epicrisis loco subjungit p. 268: *rogantur a Catholicis Protestantes, ut in hac doctrina subsistant, quam a biennio Argentorati docuerunt, neque turbari se patiantur per ea, qua Lutherus & discipuli ejus aliter forte docuerunt.* Addit promississe hoc illos, & agnovisse, quod male fecerint, qui ob hanc doctrinam ab Ecclesia Romana discesserint, ut contrariam statuerent. At clarius in aliis capitibus, quæ maximam schismatis causam præbuerunt, in castra sua Argentoratenses traducit, v. g. Art. VII & VIII de Ecclesia, & versantibus in ea hypocritis. Post longam enim centum fere pagellarum catechisationem, Protestantes *ut viri boni* (gens d' honneur) sistuntur, qui concedunt, *Ecclesiam Romanam ab inuiso suo, per secula septendecim veram fidem continuasse, & Episcopis Romanis Petri successoribus primatum jure divino deberi*; agnoscunt continuam Ecclesiæ veræ visibilitatem, in qua non salvati solum homines sint, sed & singulari sanctitatis dono inclaruerint, v. g. *Bernardus, Franciscus, Gerson.* Moveri se dicunt Episcoporum perpetua successione. Wiclefi & Hussi discipulos ab Ecclesia excludunt, & Lutherum novam incepisse non diffitentur. Sic affectis Catechumenis

menis hifce, & plene ut p. 146 refert, convictis Magifter ſex duriffima pronuntiat decreta, quibus ſolam Eccleſiam Romanam pro vera, Proteſtantem autem pro hæretica proclamat: in illa ſola verum verbum Dei recte intellectum, & veram fidem divinam collocat; non niſi humanam, etiam in articulis orthodoxis, Proteſtantibus concedens. His ſtantibus brevem aphoriſmum ſubjungit, *ſoam liem diremſam eſſe*. Hi reſponderunt p. 150, *ſe iſta omnia perfecte comprehende- re, & ut viros, qui bona fide veritatem indagant, juſta illa effata ſatis penetrare*. Quis jam ab his alia expectet? Eadem igitur ſubmiſſione audiunt Art. X de *S. Cena*, quæ ejus occasione de tranſubſtantiatione, de adoratione ſacramenti, & contra omnipreſentiam Chriſti hominis, diſputat; neq; repellunt, quæ ex Luthero ipſo adducit ex *libro de Captiv. Babylon. A. 1520. edito*, cum *tranſubſtantiationis dogma* pro indifferenti adhuc habuit; licet poſtea & id, & alia inter initia diſputationis ſuæ retenta, apertiffime retractaverit. Sic Art. XI & XII *confeſſionis particularis* neceſſitatem agnoſcunt; Tridentini concilii æquitatem probant, quod eorum peccatorum enumeratione contentum ſit, quorum poſt diligentem excuſſionem conſitentes remiſcuntur; *ſatiſfactionem* etiam merito exigi, & ad levandas poenæ temporales proficere concedunt. Non minus liberales ſunt in ad- mittendo *ſeptenario Sacramentorum numero*, Art. XIII, & pro calumnia habent, quæ circa opinionem de *opere operato* Romanæ Eccleſiæ imputantur. Miſerrime vero affliguntur, & commiſerationem excitant, cum ex Magiſtri dictamine ad Art. XIV *cum terrore* (p. 248, 254) percipiunt neceſſitatem ordinis & miſſionis ab Epiſcopis, & quod hi jure divino preſbyteris propoſiti ſint: ſic enim & primis Reformatoribus, & hodiernis Eccleſiæ Proteſtantium miniſtris omne jus docendi & ſacramentorum adminiſtrandorum intercidit. Ita exautoratos ſe agnoſcunt, & nullam Art. XV difficultatem faciunt, circa *ceremonias* a Romana Eccleſia præceptas, nec Art. XIX circa *cultum ſanctorum*; liberati maxime ab illa ſollicitudine, an & quomodo ſancti preces hominum audiant; docentur enim p. 277 ex *Hug. de S. Victore*, nihil referre, ſivè audiant ſivè non audiant, Deum enim nihilominus in ſanctis ſuis coli, Optime capiunt, quod idem ſit ſanctorum qui vivunt, & eorum qui mortui ſunt, interceſſiones. quærere. Improbant, quod idololatria imputata fuerit Romanæ Eccleſiæ

clesiæ, & quod in *Apologia Aug. Conf.* negetur cultus iste ante Gregorii Papæ tempora in Ecclesia fuisse. Discunt, non præcipi cultum sanctorum, sed suaderi aut licitum haberi. Has scilicet veritates tanquam nunc demum cognitatas, reverenter & prompte suscipiunt; pro solatio vero indicat illis Magister, indies severiores leges in Ecclesia Romana adversus abusum cultus sanctorum ferri & expectandas esse. Ex epilogo, qui articulis doctrinalibus Aug. Conf. subijcitur, magnum argumentum reperire sibi visus est Autor, in verbis, quibus Protestantes assentunt: *nihil esse in sua doctrina, quod discrepet ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus cognoscitur. Em, ait, agnoscunt Romanam Ecclesiam fuisse & esse adhuc veram ecclesiam, quia nihil contra eam credere aut docere volunt; dein abusus solum quosdam in ritibus notant, probant igitur fidem.* Irridet eos, qui putant sermonem esse de antiqua Ecclesia Romana; de ea enim (ait) agunt, in qua sint abusus, a qua secedunt, a qua pro hæreticis habentur. Hic quoque aqua hæret collocutoribus illis Argentoratensibus, ideoque haud difficulter concedunt, non adversari articulos Aug. Conf. Ecclesiæ Romanæ, sed omnes ita explicari debere, ut cum ejus sententia concordent, & inde actum, ut Lutherani in Alsatia animum retinuerint, redeundi in Ecclesiam Romanam, crediderintque salutem in illa inveniri posse, & ab omni errore in fundamento eam immunem esse; nec abusus in ritibus obstare, quo minus sit vera Ecclesia, imo nec abusus in ritibus recte explicatis deprehendi. Tanti jam, iudice Jesuita ejusque neophytis, post tot annos constat, quod *confessionis auctores* stylum temperarint, veritatis professione, & modesta errorum indicatione contenti, neque plane desperantes de adversæ partis emendatione. Interim, si locus est huic interpreti, omnium mortalium ineptissimi fuissent confessores, si per Romanam Ecclesiam, cui obloqui volebant, illam intellexerunt, quæ illo tempore vigeat & conspiciebatur. *Menzerus* (ut unum ex millibus allegemus) clarissimus inter nostros Theologus, ad epilogum illum nihil minus, quam talem glossam cogitans, ita commentatur, in *exegefi sua* ad verba: *quatenus illa ex scriptoribus* (antiquis, addis, & probatis) *nota est: Observa discrimen inter Ecclesiam Romanam veterem orthodoxam, & recentiorum ab Anti-Christo subjugatam.* Sed non confessores illi tantum, hoc qui iis nunc tribuitur,

tur, sensu omnium ludibrio sese prostituissent, sed nec levius Carolus V Imp. omnesque Romanæ religioni inhærentes Imperii proceres incurrissent, tam severo edicto, quale in comitiis illis adversus confessionem editum est, in eos detonantes, qui nihil contra eam, quæ tunc publice docebatur, Romanæ Ecclesiæ fidem & disciplinam statuissent. Recensent autem in decreto sat longo ordine, quæ contra illam religionem novari existimabant, quam ipsi veterem & incorruptam credebant, Protestantes vero erroris & innovationis arguebant, ad veriorẽ & incorruptam antiquitatem provocantes.

Pauca addemus ex traditis Dezii ad articulos septem Augustanz Confessionis de abusibus, cum pleraque ex præcedentibus intelligi possint. Artic. I de *communione sub utraque*, omnibus quæ proferri solent, argumentationibus laborat Autor, ut sacerdotibus solis cum jure consecrandi usum sacri calicis vindicet. Ita miseri illi ex disputatoribus discipuli, agnoscunt p. 358, in coetu Protestantium ob defectum ordinationis episcopalis, nil nisi panem & vinum porrigi; meliorem itaque esse Romanensium conditionem, neque præceptum de communicando *sub utraque* tutum aut evidens esse fatentur. Ecclesiam non minus jus ad tollendum calicem habuisse, quam ad baptismum ex submersione in asperisionem mutandum; ad preces tamen descendunt, ut a Pontifice hodierno, permissio utriusq; speciei obtineatur, responsumq; ab Autore concionum accipiunt p. 359, si redierint ad obsequium, & errorib; per quos rigorem Pontificis hucusque commeruerint, renuntiarint, sperandum esse, quod Deus inspiraturus sit Pontifici, quæ ad salutem fidelium maxime proficua sint futura. In Artic. II de *matrimonio sacerdotum*, eadem facilitate succumbentes, aliqua spe eriguntur; dum promitti audiunt fore, ut illis ex pastoribus, qui post conversionem continentiam servare velint, dispensatio detur, ordinem sacrum obtinendi, ejusque gratiæ initium jam a Papa Argentorati factum esse; reliquis a regia munificentia idem expectandum, quod exemplo toti Europæ admirando noviter conversis præstare Rex soleat. Art. III de *Missâ*, allatis vulgatis omnibus, quæ recensere superfluum esset, Protestantes Missam non solum concedunt sacrificium *commemorative* esse, sed & *propitiatoriam*, non quidem (ita enim hoc explicat



pliat Jesuita) ut causam quæ remissionem peccatorum mereatur, aut Deo plene satisfaciatur, sed ut instrumentum, quo per formam impetrationis meritum & satisfactio Christi applicetur, p. 399: hoc sacerdotio & sacrificio carere Ecclesiam non posse, illudque etiam pro mortuis esse offerendum, Judæ scilicet Maccabæi exemplo. Et eodem fundamento purgatorium quoque credunt, mire etiam gaudent p. 402 (*ils sont ravi d' apprendre*) quod intelligant, animabus in purgatorio non nisi per modum suffragii per Missas succurri, & penes Deum stare, an admittere illud velit: delectatos se etiam esse dicunt lectis, quæ Concilium Tridentinum pro Missa & contra ejus abusus definiverit. & petunt, ut hæc quam primum in omnibus Ecclesiis Argentoratensibus restituantur. Art. V (nam IV de *confessione* supra in Art. de *penitentia* tractatus fuit) sine difficultate admittitur doctrina de discrimine ciborum, & de jejuniis ab Ecclesia indictis, per quæ tamen solum *dispositio fiat* ad obtinendam misericordiam Dei, nemo autem justificationem ipsam mereatur. Art. VI itidem agnoscunt, doctrinam Romanam de *vois monasticis* Scripturæ fundamento niti, & quod Lutherus & alii, qui ea violaverint, Spiritum Dei non habuerint; lubenter autem intelligunt, quod non ex definitione Ecclesiæ, sed ex privata doctorum opinione monachatus æquiparetur baptismo, & quod præceptis Evangelica consilia non præferantur, sed tantum perfectior eorum status æstimateur, qui & præcepta & consilia simul observant; item quod confidere jubentur, reformatum iri vitæ monasticæ enormitates. Art. VII & ultimo de *potestate Ecclesiastica* omnia, quæ in Romana Ecclesia de ea statuuntur admittunt, ut Scripturæ & antiquitati convenientia; deprecantur solum nimiam legum multitudinem, læti interim, quod Magister statuatur, solum Deum conscientias obligare, per præcepta licet Ecclesiæ. In fine subnectitur *Revocationis* formula, quam *professionem fidei Catholica* vocant, exacte ad placita Concilii Tridentini effabricata. Eam jurati subscribere tenentur omnes, qui in gratiam Romanæ Ecclesiæ recipi volunt, nulla in quocunque scrupulo, magno aut parvo, restrictione aut moderatione cuiquam permiffa.

Hæc illis, quibus spes aliqua superfuit, de nescio qua compositione per mutuas relaxationes expedienda, abstergere omnem illius

illius opinionis fucum possunt. Quantum enim post tot verborum artes & argutiarum tricas, ex scriptorum hujusmodi henoticorum traditis colligere de vera illorum intentione licet, nulla illis alia conciliandi & uniendi via cordi est, quam quæ conscientiam & salutem omnium, potestati ecclesiasticæ, quam stabiliunt, perpetuo & absolute subijciat; ita ut ii, qui argumentorum efficaciam, repugnante mentis testimonio, cedere nequeunt, hierarchici dictaminis ponderi cæco se submittant obsequio. Id ut recte fit, si divina demonstretur jubentis & desinentis autoritas; ita neminem ab infimæ servitutis ignominia, & æterno conscientie morsu tutum præstat, qui humanæ solum sapientie aut utilitatis respectibus, collum supponit.

**JACOBI TOLLII FORTVITA; IN QVIBVS  
præter Critica nonnulla, tota fabularis Historia Græca, Phœnicia,  
Ægyptiaca ad Chæmiæ pertinere asseritur.**

Amstelodami, apud Janssonio Waesbergios, 1687, in 8.

**I**N fabulis Poetarum non minus, quam in hieroglyphica Ægyptiorum doctrina, artem  $\chi\rho\nu\sigma\sigma\omega\pi\omicron\iota\eta\tau\iota\kappa\eta\upsilon$  velut sub involucre quodam vel aulæ latitare, non uno loco affirmavit grande hodie Daniæ suæ decus, *Olaus Borrichius*, in doctissimo tractatu *de ortu & progressu Chæmiæ*. Sed idem ante eum tum alii complures, tum *Michael* imprimis *Majerus*, Comes Palatinus Cæsareus, Medicinæ Doctor & Cæsareus Archiater. peculiari libro ostensum ivit, cujus hic est titulus: *Arcana arcanissima, b. e. Hieroglyphica Ægyptio-Græca, vulgo necdum cognita, ad demonstrandam falsorum apud antiquos deorum, dearum, heroum, animantium, & institutorum pro sacris receptorum originem, ex uno Ægyptiorum artificio; quod aureum animi & corporis medicamentum peregit, deductam; unde tot Poetarum allegoria, scriptorum narrationes fabulosa & per totam encyclopadiam errores sparsi clarissima veritatis luce manifestantur, suæque tribui singula restituantur, sex libris exposita*. Cujus libri impressi dum meminimus, non possumus non gemelli tractatus facere mentionem, ab eodem Majero propria manu scripti, & quod sciamus, necdum edi-

Ddd

ti, qui

ti, qui a non-nemine Bibliothecæ Paulinæ nostræ non idem pridem fuit donatus. Ejus inscriptio est: *De Theosophia Ægyptiorum ut antiquissima, sic abdita & sacra, ad Græcos hinc & Romanos, uaque sanctissimos, superstitioso Ethnica idololatria nomine traducta, & ad nos fabuloso poeticorum figmentorum nomine derivata, multarum artium circulo, hoc est, de naturali rerum metallicarum artificio, quo pristinæ mundi ætas quingentis ante Christum natum annis exercebatur, ex umbra sermonis allegorici, remotis falsis & ridiculis passim ad mores & alia etiam vulgo nota detorsionibus, in lucem recens exposito. Tractatus veritatis inquisitioni utilissimus, & scitu pernecessarius, autore Michaele Majero Phil. & Med. D. &c.* Est equidem & hic MStus, ut prior impressus, Majeri tractatus ejusdem argumenti; at si principia cum postprincipiis cæteraque omnia inter se conferuntur, plane alia opusculi illius ab hujus structura ac dispositio deprehenditur. De cætero, quod Majerus in tractatibus jam recensitis ostendere satagit, id ipsum quoque in Fortuitis supra memoratis persequitur *clar. Tollius*. Inclaruit is hætenus tanquam Philologus Criticusque non e trivio, quippe qui Aufonium cum notis suis & variorum Amstelodami A. 1671; Ciceronis orationem pro Archia cum notis suis Lugduni Batavorum A. 1677; Gustum ad Longum ut & ἔρωτα κοινωμένον, & Lucianum de Calumnia cum notis suis ibidem A. 1677 edidit. In hisce autem Fortuitis, ut vocat, suis sub initia hujusdem anni evulgatis, non Criticum tantum agit, sed & Physicum & Chemicum, vel Chemicum fabularum poeticarum interpretem; & Criticum quidem in cap. I, ubi veterem inscriptionem de Junone Patulcia illustrat; III, in quo Petronium cum Virgilio confert; IV, in quo Sophoclis in imitando Herodoto judicium expendit; V, in quo Passieni apud Senecam nominis immutationem indicat; VII, ubi Florum & Ciceronem aliquoties tentat; VIII, ubi Lucilium emendat; X, in quo nonnulla in Floro restituit; XIII, ubi Virgilium cum Homero comparat; XIV, in quo Seneca cum Sophocle confertur; XVII, ubi paradoxa Ciceronis aliquoties emendantur; XIX, XXI, XXII, XXVI, & XXIX, in quibus multa in Floro corriguntur; quorsum & cap. XVI, de formula salutatonis *Pax vobiscum*; caput item XXV, quo epigrammata quædam partim recensentur, partim vertuntur, & caput XXVIII, de Fraudibus sacris, referenda

ferenda veniunt. Physicum autem agit Tolloius in cap. VII, ubi de capillis differit; IX, in quo dispicit, cur Luna corporibus proceritatem conferat; XI, in quo virginum ac vetularum discrimen ostendit, & c. XXI, ubi de visu ex professo agit: Chymicum denique in c. II, ubi numerum quinarium Chemiæ; V, in quo aram Amphiarai; c. XII, ubi Lunæ & Solis colores Chemice exponit; XVIII, ubi disquiritur, cur Diana ante Solem sit genita; XXIII, in quo Deucalionis & Pyrrha fabula Chemice enarratur, & XXXI, in quo non Regulus tantum stellatus describitur, sed aliæ quædam fabulæ chemice explicantur. His gemina & alia adjicere se potuisse profitetur in præfatione ad lectorem, fabulam nempe Augiæ, fabulas item de columnis Herculis, de columnis ad arcam Osiridis, de columna Solis, & gemmantibus ex ea lauris, de Petris Ambrosiis, de Cyaneis insulis; de Minerva, Iside, Procne in hirundinē mutatis; de Luna, Iside, Astarte, Cybele. Venere, cur illæ matres mundi, & magnæ matres; de Ovo mundi, Castoris, Pollucis & Helenæ; de phallis templi Deæ Syriæ, de Priapo, de mysteriis Cereris Eleusiniæ, de Diana Priapia, de imbri aureo, quo Danae inpleta &c. Nam ex his quoque, pluribusque aliis antiquorum fabulis naturam lapidis Philosophici, qui merum ab aliis ingenii commentum habeatur, mirifice elucescere confidenter asserit. Fortuitis autem hisce & alia annexuit CL. Tolloius; & primum quidem tractatulum, qui inscriptus est *ἔργον κοιμώμενον* ☉, seu expositionem marmoris antiqui, in quo Cupido leoni indormiens exhibetur, reflexa in sinistrum humerum dextra, sinistra vero duo papavera complexus, quibus lacerta adrepat, cum litteris ad dextrum latus insculptis: O. V. A. R. N. M. Ediderat id libelli Tolloius, ut supra indicavimus, Lugduni Batavorum A. 1677, literasque hæc sic fuerat interpretatus: *Omnis Vis Amoris Requit Nocturna Mitescit*. Sed CL. Rondellius, Professor Trajecti ad Mosam, nocturnum tempus amantibus longe aptissimum esse exputans, scripta Gallice epistola longe aliter literas jam dictas interpretatus fuit, & quidem hoc modo: *Omnis Vis Amantium Requitescens Nullig Momenti*. Item: *Oestro Vernantis Amoris Resistere Nil Miserum*. Igitur non recudi tantum fecit suum *ἔργον κοιμώμενον* Tolloii, sed Rondellii quoque; epistolam de eodē Gallicam Latine vertit, suasque illi notas hac occasione subjecit: ad quas quæ Rondellius statim regeffit, in Novellis Republicæ Litterariæ mensis Martio hujus anni artic. 7. exhibentur. Addidit deinceps & Orationem,

tionem, eamque inauguralem de *Fontibus Eloquentiæ* in Academia Teutoburgica habitam, in qua non Historiarum tantum & Græcæ linguæ, sed & Eloquentiæ Professor fuerat constitutus; ut & Carmen seculare heroicum in trecentimum primum natalem Academiae Heidelbergensis superiore anno sollemnissime celebratum; nec non Odam Alcaicam in Natalem LXXII Serenissimi Principis PHILIPPI GUILIELMI Comitis Palatini ad Rhenum, S. R. I. Archithesaurarii & Electoris; una cum indice rerum & verborum satis locuplete, ut & notatione multorum erratorum typographicorum, quibus hic liber ob absentiam Autoris mirum quantum est defœdatus. Promittit alias idem CL. Tollius in dedicatione Fortuitorum horum ad Serenissimum Principem FRIDERICUM, Marchionem Brandenburgensem, & S. R. I. Archicamerariatus & Electoratus hæredem, cui & Orationem, quam diximus, inauguralem dedicaverat, directâ, se non *Lucretium* tantum ac *Longinum*, Sed & *Sallustium*, *Florum*, *Phædrum* & *Artemidorum* cultiores atque emaculatiores editurum, seque eo sine iter jam ingressum, ut tum Budensem, tum alias nobiliores Bibliothecas excuteret. Quod institutum cum orbi literato non possit non esse proficuum, nos Viro boni publici studiosissimo, jamque in itinere constituto felicem itum ac reditum apprecamur.

## JOHANNIS MVYS PRAXIS CHIRVRGICA

*Rationalis, sive Observationes Chirurgica, &c.*

*Decas V.*

Lugduni Bat. in 12.

**E**X quo quatuor priores Præcos hujus Chirurgicæ Decades in Actis nostris A. 1685, mense Majo recensuimus, præsens etiam quinta ab Autore edita est, sed adjecta promissione de pluribus adhuc publicandis. Distulimus itaque quintam hanc Decadem, donec divulgarentur & reliquæ, eadem nempe opera recensendæ. Ast quia Decades quidē hujus Præcos Chirurgicæ plures ad nos nondum pervenerunt, opusculum vero ejusdem Autoris aliud non ita pridem in manus nostras incidit proxime memorandum, rem non ingratham Benevo-

Benevolo Lectori facturos nos duximus, si quintæ illius Decadis contenta præmitteremus.

Observatione itaque prima Auctor vulnus capitis ex contusione proponit, cum accurata methodo medendi, reddens simul in explicatione curationis haud inelegantes rationes, quamobrem vulnus linteis carptis impleverit? cur rasilis lanugo lintei, Belgice cætoen dicti, in vulneribus adhibita inflammationem gignat? cur olea vulneribus imposuerit nulla &c. Extravagatur deinde paululum, variaque differit de vulneribus stupendis cranii ac cerebri curatis; de difficultate curationis vulnere capitis in illis, qui venerea lue laborant; de vulneribus occipitis, ossis bregmatis, temporum; de fissuris futurarum; de contrahissura; de enchiridibus in vulnere capitis religatione & trepanatione attendendis; de remediis in duræ matris vulneribus adhibendis; de victu capitis vulnere decumbentium; deniq; de remedio sternutationem, quæ adeo noxia est in vulneribus hisce, impediende.

Observat. 2. vulnus thoracem penetrans exhibet, iterumque varia profert, chirurgus tyroni admodum scitu necessaria. Scilicet quomodo vulnus thoracis nimis angustum commode dilatari possit? quali specillo profunditas vulneris debeat explorari? cur turundæ filo sint alligandæ & quamdiu debeant adhiberi? quid agendum, si anteriores thoracis partes simul læsæ, aut vas sanguineum magnum vulneratum? quomodo pulmones læsi cognoscendi? quid expectandum in vulneribus diaphragmatis, cordis & pericardii? num tuto possit cannula argentea vel plumbea loco turundarum in thoracis vulneribus adhiberi? quomodo sanguis in thoracis cavitate coagulatus cito possit resolvi, ut effluat per vulnus, & quid circa paracentesin thoracis observandum, &c.

Obs. 3. de vulnere abdominis penetrante loquitur, ad cuius explicationem subjungit rationem, quare vulnera abdominis etiam non penetrantia difficile curentur? quid in testium vulneribus metuendum? cur vulnera abdominis quo ampliora, eo magis periculosa sint? quid agendum, ubi portio omenti vel intestini extra vulnus pendeat? vulnera epatis qualia excipiant symptomata? quid mali vulnus lienis, renum & vesicæ accersat ægris?

Obs. 4. agit de arteria brachii vulnerata, proponitque remedia

dia, quibus adhibitis, vulnus hoc feliciter fuerit sanatum. Præterea vero rationem reddit, cur vulnera talia, si supra cubitum habeant sedem, difficiliter medicinam admittant, quam si infra cubitum occurrant. Refert deinde se instrumenta possidere ferrea, quibus facile sanguis ex arteriis dissectis profiliens possit compesci; descriptionem tamen ipsorum reticet. Ultimo quæstionem proponit, num liceat in ægris, ubi maxima sanguinis pars per vulnus effluerit, transfusionem sanguinis tuto celebrare?

Obs. V. fracturam tibiæ cum vulnere ejusq; curandi methodum sistit. Rejicit autem in ea venæ sectiones & purgantia, item ligaturam octodecim capitum dictam, quæ alias a practicis in usum vocantur; redditaque ratione, quare lactantium ac gravidarum ossa fracta tam difficile sanentur, duo problemata resolvit, cur hyeme ferena facilius diffingantur ossa? & unde proveniat terror post somnum in illis, qui ossium fractura decumbunt?

Obs. VI. de dislocatione tali loquitur cum vulnere conjuncta; quo in affectu periculum summum perpendens, consilium Sculteti examinat & rejicit, recensendo modum curationis in ægro hocce, felici successu adhibitum.

Obs. VII. de naso ob frigus hybernum læso agit, propositaque hujus affectus causa, rejicit scarificationes partis & sanguisugas ab aliis practicis ad curam morbi commendatas, ipsorum vero in locum resolventia & sale volatili turgida, uti sunt vapor spiritus vini, sperma ceti, &c. laudat.

Obs. VIII. Brachii atrophiam cum imbecillitate motus ac algore conjunctam tradens, non vulgaribus unguentis & emplastris, sed cucurbitulis non scarificatis, fotuque ex acribus ingredientibus parato curari posse docet.

Obs. IX. uvulam ac tonsillas male habentes ad examen vocat, cumque & in his acidum primario peccare existimet, gargarismata cum spiritu salis armoniaci acuata maxime extollit, obiter etiam, quid de laryngotomia sentiendum, insinuat.

Obs. X. labium leporinum describit, cum apparatu chirurgico cautelisque ad curam ejus necessariis.

JOHAN-

Lugd. Batav. apud Petr. van der Aa, 1686, in 12.

Quid sibi velit Auctor nobilissimus Podalirio hocce Redivivo, ipse in præfatione clarissimis verbis eloquitur. *Postquam, inquit, quinque observationum chirurgicarum decades jam in lucem edideram, nonnulla mihi in mentem venerunt, qua cum fructu huic meo tractatui annexi posse existimabam, ideoque hunc dialogum composui, in quo Podalirius redivivus & Philater colloquuntur. A Podalirio propemodum nonnisi flosculi opportantur fragantes ex Parai, Guilemeau, Pigrai, Aquapendemi, Fallopii, Hildani, aliorumque præclarorum, quamvis nimis prolixorum chirurgia scriptorum. Quicquid autem Philater in medium profert, aut ego ipse in praxi medica expertus sum, aut ratiocinando excogitavi, vel denique ex solidioribus recentiorum scriptis excerpti.* Est itaque præsens scriptum instar commentarii ad universam Auctoris Praxin Rationalem; singulis namque observationibus quædam, quæ in particularibus capitibus tractare commode haud poterat, nihilominus tamen ad illustrationem ipsius observationis aliquid adhuc facere judicaverat, addere hic voluit. Exempli loco sit discursus ad decadis primæ observationem primam, Recenset ibi Philater primo, quid agendum sit Medico-Chirurgo, si oculus extra orbitam prolabatur. Progreditur postea ac commemorat visus debilitatem, quam sibi accersunt, qui quotidie aqua frigida solent lavare oculos. Suadet deinde cicatricem oculorum nunquam tangendam; neutiquam enim ejus remotionis spem superesse. Porro qui eminus videre nequeunt, a medicamentis nullum solatium, sed tantum a vitris concavis expectare debere, perhibet. Denique adversus palpebrarum rubedinem, inflammationem cum fordibus, ruborem oculorum, ophthalmiam diuturnam, fistulam lachrymalem, cataractam scirrhumque oculorum cancerosum proponit remedia. Nimii essemus, si scholia reliquis observationibus adjuncta speciatim exponeremus; quapropter solum ex ipsis quædam, quæ Auctoris sunt propria, aut alias non ubivis obvia, recensere placet. Pagina 20. de fomiculis ipsorumque usu differens dicit,   
signum



signum haberi certum, haut amplius prodesse fonticulum, ubi carnea excrescentia in margine ejus appareat. P. 26. spiritum falis armoniaci aromatifaturn, se sæpius in gangræna felici successu usurpasse, refert. P. 31 spiritum frumenti magis esse anodynum, quam vini, experientia edoctus affirmat. P. 37 cæcum a nativitate literas pingere didicisse commemorat, & quidem hac methodo: ex ligno aut alia materia omnes literæ efformabantur, tantæ magnitudinis, ut cæcus earum figuras tactu dignoscere posset, atque ita progressu temporis calami ope in charta easdem imitatus est. P. 55. nervos læsos convelli non solum, sed etiam convulsionum esse causas, observatione singulari adversus Dn. Bontekoe tuetur. P. 71. in crystallo montana tam interne quam externe adhibita, admodum conveniens contra cancerum latitare remedium, rationibus & experientia evincit. P. 82. ignivori quomodo se adversus flammæ violentiam muniant, patet. P. 96 abcessus mammarum sine turundis feliciter sanari refert. Plura dabit evolutio ipsius tractatus, non prolixi.

## LIBRI NOVI.

Divi Chrysostomi Epistola ad Cæsarium Monachum juxta exemplar Cl. V. Emerici Bigotii; cui adjunctæ sunt tres Epistolice Dissertationes, &c. Authore Jacobo Basnage. Roterd. 1687. in 8.

Prænotionum Canoniarum libri V, quibus sacri juris atque universi studii Ecclesiastici principia & adminicula enucleantur; authore Joh. Doujatio. Paris. 1687. in 4.

Traité de l' Aïman, par M. D. . . . a l' Amsterdam, 1687. in 12.

M. Tullii Ciceronis de Officiis libri tres. & in illos Samuelis Rachelii Commentarius Philosophico-Juridicus. Amstelod. 1687. in 8.

Le bon usage du Thé, du Caffé & du Chocolat, par M. de Blegny. a Paris 1687.

Histoire des Oracles, par l' Auteur des Dialogues des Mort. a Paris 1687. 12.

Reflexions sur les cinq livres de Moysé, pour établir la vérité de la religion Chrétienne, par P. Allix. a Londres, 1687. in 8.

La Creance de l'Eglise Orientale sur la Transsubstantiation, avec une réponse aux nouvelles objections de M. Smith. a Paris 1687. in 12.

Reflexions nouvelles sur les causes des maladies & de leurs Symptomes; par le S. de S. André. a Paris. 1687.

Abregé de la vie de M. Claude. a Amsterd. 1687.

Francisci Sanctii Minerva, sive de causis Latinæ Linguz Commentarius, cum animadversionibus & notis Gasp. Scioppii, & Jacobi Perizonii, Franckerz 1687. in 8

L' Antiquité des Temps, rétablie & défendue contre les Juifs & les Nouveaux Chronologistes, a Paris, 1687. in 4.

Histoire des Revolutions arrivées dans l'Europe en matière de Religion, par Mons. Varillas. Tome 3 & 4. a Paris, 1687. in 4.

# ACTA ERUDITORUM

*publicata a Lipsia*

*Calendis Augusti Anni MDC LXXXVII.*

**JOANNIS MEURSII DE REGNO LA-  
conico lib. II. De Piræo liber singularis, & in  
Hæradii Chrestomathiam animadversiones.**

Ultrajecti, apud G. vande Wader, 1687, in 4.

**A** Ntiquitates Græcicas si quis unquam studiose ac erudite a prima usque origine eruit & illustravit, sane *Joannes Meursius* id egregie præ cæteris fecisse dicendus est. Tot enim illustria ejus in hoc genere existant monumenta, ut si quis eorum copiam pariter atque dotes consideret, non unius hominis, sed complurium summorum ingeniorum fructus legere videatur. Nota sunt ejus Glossarium Græco-Barbarum, Auctores Musices antiquissimi, Auctores Græci historiarum mirabilium, Athenæ Atticæ, Areopagus, de populis Atticæ, regnum Atticum, Archontes Attici, Themis Attica, Fortuna Attica, Bibliotheca Attica, Atticæ Lectiones, Pisistratus, Solon, Ceramicus geminus, Theseus & reliqua Attica, Creta, Cyprus, Rhodus, Miscellanea Laconica, aliaque plura. Ex iis quæ post mortem Auctoris usque adhuc prodierunt, tres nunc quos modo nominavimus, (quosque Duumviris celeberrimis, *Samueli Pufendorfio*, & *Job. Georgio Grævio*, quorum ille ex Potentissimi Suecorum Regis bibliotheca depromptos cum amico Grævio communicavit, hic editionis eorum curam habuit, orbis eruditus debet,) libelli elegantes se offerunt.

In his qui de regno Laconico conscriptus primo loco censetur, non initia tantum progressusque regni Laconici in lucem revocat, sed & multa sub fabularum involucris a majoribus tradita, e vetustissimis scriptoribus pervestigata protrahit, unde non exigua

Ecc

pars

pars fabularis, quam vocant, historiæ intelligi, & ad veram componi potest aptissime. Nos pro more summa capita delibabimus. Capitibus sex prioribus antiquissimi regum memorantur; cap. I. primus eorum *Lelex*, αὐτοῦ Σω, Sparti filius, a quo regio *Lelegia* dicta; deinde *Myles* *Delegis* filius, qui in *Alefiis*, vico *Laconicæ*, molam invenisse traditur; post hunc *Eurotas*, *Myletis* filius, qui stagnantes aquas, alveo & flumine facto, ab agris in mare deduxit, unde fluvio nomen, ejus uxor *Cleta* cum *Phaona* inter *Divas* relecta, hæc pro *Gratii* coli coeperunt; cap. II. *Lacedæmon*, *Eurota* gener, qui a se regioni, ab uxore *Sparta* urbi quam condidit, nomina imposuisse narratur; *Amyclas*, *Lacedæmonis* gener, qui de suo nomine *Amyclas* condidit; cap. III. *Argalus* *Amyclæ* filius, quem & *Agigæum* vocant; dehinc *Cynortas* *Argali* frater; inde *Oebalus* *Cynortæ* filius aut nepos, a quo *Lacedæmones* *Oebalii* dicti; cap. IV. *Tyndareus* seu *Tyndarus* *Oebali* filius, qui a fratre *Hippocoonte* regno pulsus ab *Hercule* certis legibus restitutus est, qui que *Minervæ* *Chalciocæ* templum ædificare coepit. Is cap. V. regnum sponte tradidit genero *Menelao* ex filia *Helena*, & filiis *Castoriæ* *Pollusi*. Ab hisce fratribus e *Colcho* reducibus, templum *Minervæ* *Asiæ* conditur; perierunt autem navi fracta, & *Castor* *Argis*, ubi sepultus, *Mixarshagenas* appellatus. Sequitur bellum *Trojanum*, ante quod Ἀθηναίῳ, *Minerva* *Protemplaris* consulta. *Menelai* filiam *Hermionem* *Orestes* duxit, & cum ea Regnum accepit. Cap. VI. *Tisamenus*, *Orestis* filius, qui ab *Heraclidis* *Eurythene* & *Procle* vel *Patrocle*, tunc quum *Hebræos* *Samuel* & *Saul* regerent, dejectus est; quæ expeditio cap. VII & VIII uberius exponitur. Est autem hic quasi finis historiæ *Heroicæ* sive fabularis, & veræ initium.

Ab istis duobus *Herculis* nepotibus duo postea reges simul *Spartæ* regnaverunt, alter ex *Eurysthenidarum* seu *Agriadarum* familia, quorum nomina & tempora a cap. IX. usque ad XIV. enarrantur, alter e *Prochidarum* gente, quorum historia a cap. XV. usque ad XIX. traditur.

*Heraclidis* extinctis tyranni *Lacedæmonem* tenuere, οἱ τῆν ἑνωμι βασιλείαν εἰς τυραννίδα κατέστησαντες, ut de istorum primo *Cleomene* *Polyb.* lib II. memoriæ prodidit. Horum quarto *Nabide* occiso, in *Achæorum* potestatem *Lacedæmonii* pervenerunt, qui prius-

pristinis institutis ademptis, Lacones suis Achæorum legibus vivere jusserunt; sed ut isti quoque Romanis cessere, ab his rursus Spartanis avitis moribus uti permissum est. Posthæc Romanis Laconica amice habita, & primo Prætori, deinde ut proconsularis provincia facta, Proconsuli Achæiæ data gubernanda, donec per Domitianum libertas erepta, post quod tempus Lycurgi leges desierunt. Sub Arcadio & Honorio a Gothis subacta, at Christiana facta, ad Patrensem Metropolitanam pertinuit, in civilibus Achæiæ Principi paruit. Postea Despotæ ab Imperatoribus Constantinopolitanis missi eam rexerunt, donec tandem Constantinopoli expugnata, sub Turcarum jugum redacta est, quæ cap. XX. XXI. & XXII. enarrantur.

Ultimo capite XXIII. exequitur Auctor ea, quæ Reges Lacorum singularia habuerunt, in quibus nonnunquam a Cragio discedit. Totum autem libellum doctissimis multis emendationibus & observationibus, veluti gemmis radiantibus pulcherrime exornavit.

Sequitur de PIRÆEO cæterisque Athenarum portubus commentarius. Et primo quidem Piræei nomen, populum, situm, muros longos *πέλας* & brachia dictos, aliasque munitiones, navalia, armamentarium, tres portus nativos, Cantharum nimirum, Aphrodisium & Zean, duo promontoria, quinque porticus, statuas, Herculem Melitensem *Αλεξίνακον* pomis cultum, Dianam *Αριστοβέλην*, totumque tractum Meliten, fora duo, quæ commune Græciæ emporium, *Δεῖγμα* seu locum ubi merces peregre advectæ ostentui exponebantur, magistratus causa mercatus constitutos, jura emporii, balneum, theatrum, templum Jovis *Σωτήρος* Minervæque & Jovis Ctesii, lemam, capitibus VIII prioribus exponit. Deinde cap. IX. propinquam ei MUNYCHIAM, ejus fana, aras, & de ea vaticinia, ac tandem PHALERUM, ejus navale, spectacula, fontem Clepsydram, fana, aras *ἀγνώτων Δαυμόνων* vel *Αγνώστου Θεῦ*, ἢ *προσκυνησάντες χεῖρας εἰς ἕρανόν ἐξέτεταν*, ut est apud Lucianum, vel *βώμας ἀνανύμεις*, item delicias, atque littus ei adjacens *Κωλιὰς*, in quo templum *Αφροδίτης Κωλιὰς* & reliqua memorabilia cap. X & XI. enarrat.

Ultimo loco habentur in HELLADII CHRESTOMATHIAM annotationes. Fuerunt autem Helladii Ægyptii, urbe Antiochi seu Bessantinoi, vel Bisantinoi, oriundi, Chrestomathias libri IV,

unde hæ reliquæ e Photii excerptis ad nos pervenerunt, complectentes varias observationes, Atticas inprimis, elegantes & doctas. Annotationes ab Auctore tradita varie illustrant & confirmant, in quibus memoratu digna sunt, quæ de Dionysio abisque multis scriptoribus antiquis, & eorum monumentis, perquam studiose ac erudite recensentur.

**ULRICI HUBERI SPECIMEN PHILOSOPHIAE CIVILIS ET STUDENDI BONIS LIBRIS.**

Francqueræ, apud Johannem Gyselaar, 1686. in 8.

**C**ompendium Philosophiæ Practicæ in eorum apprimè gratiam, qui Themidi operas dicarunt, concinnaturus Auctor clarissimus, exemplo Varronis apud Tullium in Quæstionibus Academicis, amicos suos, in quibus est studium, in Græciam mittit, i. e. ad Græcos ire jubet, ut a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur: Cum enim historias Gentium, sententias de moribus & de republica Philosophorum, totamque vetustæ eruditionis varietatem scire horum inprimis esse affirmet, idque eo magis, quo frequentius Jure-Consulti in Pandectæ responsa sua, etiam ubi id agere minime videntur, assertis veterum sapientum superstruere amant; non inutiles labore se defunctum esse putat, quod misso in compendium toto opere Aristotelis ad Nicomachum, Homerum in nuce quasi exhibuerit, & hoc modo partim bonos auctores non sine fructu tractandi (efficacissimam quippe proficiendi methodum ait, probatos scriptores in summam, retentis eorum verbis, contrahere) exemplum dederit; partim propinata prisorum doctrinæ moralis dulcedine, ad ipsas impostorum Græciæ scaturigines, e quibus profluxit omnis admiranda Romanorum *σοφιστική*, veræ nec simulatæ Jurisprudentiæ cultores invitarit. Huic opellæ integrum libellum Cartesii *de Affectibus seu passionibus animæ*, ut eo manifestior fieret singularum virtutum natura, subtexuit; tandemque de suo libros de Jure Civitatis, A. 1671, & iterum A. 1684. publici juris factos, in *επιτομήν* sub titulo *Institutionis Reipublicæ* subjecit, eo potissimum fine, ut tum intra anni spatium prælegendo auditoribus eos posset absolvere, tum hoc ipso occasionem nancisceretur, quædam in illis posita vindicandi.

Condi-

Constituerat enim ibi, inter præcipitia Monarchomachorū, eorumque; qui infinitam absolute imperantibus in subditos potestatem largiuntur, medium ac tutum iter eligere. Hinc facta imperiorum divisione in voluntaria & involuntaria, priora consensui multitudinis natales suos debere, eumque in statu Democratico, utpote quam minimum a naturali abeunte, in nullum aliud placitum abire scripserat, quam ut sit fœdus omnium cum omnibus, cujus summa foret, ut quæ consensu majoris partis statuatur, ea cunctos obligent; nihilque hic tacite excipi, quam ut tum demum resistere majori parti quidam possint, si illa, coitione facta, palam id agat, ut vita bonisque pauciores exuat, vel manifesta injuria abque ullo merito ad mortem trahat. Eandem igitur vim atque auctoritatem imperii, qua in Democratico regimine major pars in minorem gaudet, obtinere in Monarchica & Aristocratica formis Reges & Optimates, adeoque & in nullis aliis, quam his duobus jam allatis casibus, resistere imperantibus subiecto populo jus esse. Præterea iisdem libris, metum vicinæ potentiæ causam non per se belli suscipiendi justificam videri asseruerat. Utraque hæc sententia, quasi periculosa rebus publicis, suas experta fuit contradictiones, quibus hic sub finem præfationis & sect. I. c. 3. §. 44. carptim respondet. Cæterum cum in libris de Jure Civitatis, Jus quoddam publicum Universale Politicæ contradistinctum, in quo delineatur, *quid in regimine cujusque civitatis fas & rectum, quid singulis in eadem republica Ordinibus, Imperanti subiectisque imperio sit tribuendum*, primus omnium tradere aggressus fuerit Auctor doctissimus, illi, præter alia, quæ continent hæud vulgaria, vel solo hoc nomine veniunt commendandi, committendique curiosi lectoris judicio.

**ULRICI HUBERI, SUPREMÆ FRISIORUM Curia Ex-Senatoris, de Concurſu Rationis & Scriptura Liber.**

Franequeræ, apud Henr. Amama & Zachar. Tædama,  
A. 1687, in 8.

**Q**uæ occasio edendi hoc Scriptum celeberrimo Autori fuerit, ipse in Epistola ad D. Johannem van der Waeyen præfixa abunde exponit.

unde hæ reliquæ e Photii excerptis ad nos pervenerunt, complectentes varias observationes, Atticas inprimis, elegantes & doctas. Annotationes ab Auctore tradita variè illustrant & confirmant, in quibus memoratu digna sunt, quæ de Dionysii & eiusque multis scriptoribus antiquis, & eorum monumentis, perquam diligenter ac erudite recensentur.

**ULRICI HUBERI SPECIMEN PHILOSOPHIAE CIVILIS ET STUDENDI BONIS LIBRIS.**

Franequeræ, apud Johannem Gyselaar, 1686. in 8.

**C**ompendium Philosophiæ Practicæ in eorum apprime gratiam, qui Themidi operas dicarunt, concinnaturus. Auctor clarissimus, exemplo Varronis apud Tullium in Quæstionibus Academicis, amicos suos, in quibus est studium, in Græciam mittit, i. e. ad Græcos ire jubet, ut a fontibus potius hauriant, quam rivulos consectentur. Cum enim historias Gentium, sententias de moribus & de re publica Philosophorum, totamque vetustæ eruditionis varietatem scire horum inprimis esse affirmet, idque eo magis, quo frequentius Jure-Consulti in Pandectæ responsa sua, etiam ubi id agere minime videntur, assertis veterum sapientum superstruere amant; non inutiles labore se defunctum esse putat, quod misso in compendium toto opere Aristotelis ad Nicomachum, Homerum in nuce quasi exhibuerit, & hoc modo partim bonos auctores non sine fructu tradendi (efficacissimam quippe proficiendi methodum ait, probatos scriptores in summam, retentis eorum verbis, contrahere) exemplum dederit; partim propinata prisorum doctrinæ moralis dulcedine, ad ipsas in posterum Græciæ scaturigines, e quibus profluxit omnis admiranda Romanorum *νομοθεσία*, veræ nec simulatæ Jurisprudentiæ cultores invitarit. Huic opellæ integrum libellum Cartheii *de Affectibus seu passionibus animæ*, ut eo manifestior fieret singularum virtutum natura, subtexuit; tandemque de suo libros de Jure Civitatis, A. 1671, & iterum A. 1684 publici juris factos, in *ιστοριαν* sub titulo *Institutionis Reipublicæ* subjecit, eo potissimum fine, ut tum intra anni spatium prælegendi auditoribus eos posset absolovere, tum hoc ipso occasionem nancisceretur, quædam in illis posita vindicandi.

Condi-

Constituerat enim ibi, inter præcipua Monarchomachorū, eorumque; qui infinitam absolute imperantibus in subditos potestatem largiuntur, medium ac tutum iter eligere. Hinc facta imperiorum divisione in voluntaria & involuntaria, priora consensui multitudinis natales suos debere, eumque in statu Democratico, utpote quam minimum a naturali abeunte, in nullum aliud placitum abire scripserat, quam ut sit foedus omnium cum omnibus, cujus summa foret, ut quæ consensu majoris partis statuatur, ea cunctos obligent; nihilque hic tacite excipi, quam ut tum demum resistere majori parti quidam possint, si illa, coitione facta, palam id agat, ut vita bonisque pauciores exuat, vel manifesta injuria absque ullo merito ad mortem trahat. Eandem igitur vim atque auctoritatem imperii, qua in Democratico regimine major pars in minorem gaudet, obtinere in Monarchica & Aristocratica formis Reges & Optimates, adeoque & in nullis aliis, quam his duobus jam allatis casibus, resistere imperantibus subiecto populo jus esse. Præterea iisdem libris, metum vicinæ potentiae causam non per se belli suscipiendi justificam videri asseruerat. Utraque hæc sententia, quasi periculosa rebus publicis, suas experta fuit contradictiones, quibus hic sub finem præfationis & sect. I. c. 3. §. 44. carptim responderet. Cæterum cum in libris de Jure Civitatis, Jus quoddam publicum Universale Politicæ contradistinctum, in quo delineatur, *quid in regimine cujusque civitatis fas & rectum, quid singulis in eadem republica Ordinibus, Imperanti subiectisque imperio sit tribuendum*, primus omnium tradere aggressus fuerit Auctor doctissimus, illi, præter alia, quæ continent haud vulgaria, vel solo hoc nomine veniunt commendandi, committendique curiosi lectoris judicio.

**ULRICI HUBERI, SUPREMÆ FRISIORUM Curia Ex-Senatoris, de Concurſu Rationis & Scriptura Liber.**

Franequeræ, apud Henr. Amama & Zachar. Tædama,  
A. 1687, in 8.

**Q**Uæ occasio edendi hoc Scriptum celeberrimo Autori fuerit, ipse in Epistola ad D. Johannem van der Waeyen præfixa abunde exponit.



nit, atque testatur se perlustrando Disputationem inauguralem d. 8. Octob. A. 1686 Franequera habitam, verba thesios octava, quibus docetur, *Scriptura Divinitatem non aliunde, quam ex Ratione adstrui posse; eosque errare, qui asserere sustinent, si Ratio aliquid nobis dicat, quam Scriptura, huic potius esse credendum*, concoquere non potuisse, ideoque contra eadem, si forte ab alio sub censuram non vocarentur, aliquid in medium publice afferre & opponere constituisse; ast cum silentio a Magnifico Academiae Rectore aliquoties imposito, id facere fuerit prohibitus, positiones quasdam suis libris de Jure Civitatis excerptas repetuisse, auxisse, ac antithesis aliquot inauguralibus earumque refutatione instructas, luci publicae dedisse. Contra quas cum duo in laudata Academia Theologiae Professores, D. Johannes van der Waeyen & D. Hermannus Alexander Roel insurrexissent, & sententiae ab Auctore voce pariter ac scripto improbatae patrocinium suscepissent, eandemque ille quidem in Mantissa quadam, hic vero in disputatione de Principio cognoscendae veritatis sub praesidio ejus habita defendissent, praesentem tractatum duumviris illis opponere voluit. Absolvitur autem ille quinque Sectionibus, quarum prima sententiam thesios inauguralis, quam Viri clarissimi defendendam sumserunt, exponit, eandem ad Reformatae religionis Adversariorum, inprimis Socinianorum, Rationem fidei sive Christianae religionis esse principium statuentium, opinionem accedere declarat, & pericula ex illa promanantia, adductis in medium aliquot Reformatorum Theologorum testimoniis, comprobare studet. In secunda sectione ut evincat, falsum esse, divinitatem Scripturae Sacrae, qua autoritas ejus omnis nititur, non aliunde quam ex Ratione cognosci atque adstrui posse, ostendit DD. Reformatos agnoscere lumen & testimonium Spiritus Sancti a ratione distinctum, quo de divinitate Scripturae summaeque fidei salutiferae certi atque convicti, in ea persuasione penitus acquiescant: ipsum Cartesium, a quo thesios inauguralis Patroni suum unicum Veritatis principium hauserint, statuere formalem credendi, quae ad credendum proposita sunt, causam esse lumen supernaturale, non modo a naturali diversum, nec in eventu cum eodem coincidens, sed etiam certius omni lumine naturali atque evidentius; Deum in convertendis infidelibus non semper argumentorum

ponde-

ponderare usum esse, sed sæpissime lumen supernaturale iis affudisse, ut artificialis methode securæ & brevi auditu raptæ mentes, liquet hunc verbo crediderint; quam si rationibus examinandis solvendisque difficultatibus diu exercitæ fuissent: fidelium item, ad cognoscendam penitus mysteriorum sanctorum naturam, arcana Spiritus vimentibus insinuari gustum rerum spiritualium penetrantissimum, eo modo a ratiocinatione distinctum, ut ne gustus quidem ratio reddi possit: præter hunc gustum in verbo Dei duas excellentes Spiritus Sancti operationes, a rationali certitudine fidei distinctas, nempe Spiritum adoptionis & exultationem gaudii ineffabilis, quibus Deus ad obsequendam fidem & Sacræ Scripturæ divinitatem utatur, reperiri; tandem ipsum Joh. vander Waeyen, in libris de vera & genuina Reformatorum sententia in negotio de interprete Scripturæ anno 1669 editis, luminis interni a ratiocinatione differentia & Spiritus Sancti testimonium in confirmanda fidei certitudine agnovisse, atque adeo non ex sola ratione auctoritatem Scripturæ si adstrui posse olim docuisse. In sectione tertia, theses aliquot e disputatione D. Roelii de principio cognoscendæ veritatis sub examen revocat, ac demonstrat, neque in Jurisprudentia, neque in Theologia unicum veritatis indagandæ principium esse rationem: effugium, quod vera, recta & sana ratio tantum hic intelligatur, rem non consistere, cum talis in homine post lapsum misere corrupto non inveniatur: frustra asseri, nos mentem adhuc in se suisque facultatibus integram & incorruptam habere, corruptionemque in usu, actu & habitu tantum consistere: male statuminari, ne quidem notitiam tremendi mysterii de SS. Trinitate posse veram esse, nisi & distincta adeoque vere rationalis sit, ac nihil affirmandum vel negandum, sed dubitandum esse de rebus, quæ in sacris litteris habentur quidem, at in se non clare & distincte cognoscuntur. In sectione IV. mantissam D. Johannis vander Waeyen oppugnat, & declarat se citra injuriam dixisse, Spiritum Sanctum iis esse Rationem, qui Spiritus Sancti operationem cum ratiocinatione confundunt: non quæstionem esse hoc loco, an rationes, quibus sacra Scripturæ divinitas adstrui potest, satis validæ sint ad convictionem, sed de facultate mentis intelligendi & dijudicandi, adeoque de perceptivitate, ut Mantissa vocat, quæri: falsum esse, homines irregnatos

ritos non teneri ad credendum, nisi quatenus eis de divinitate verbi constare potest, eosdemque, si extra Ecclesiam nati sunt, ex sola ratione de eadem convinci & persuaderi posse: discrimen admittendum esse inter nostri & aliorum persuasionem: non repugnare sibi, qui statuunt, rationes satis validas esse ad convictionem de divinitate verbi, hominem tamen animale[m] iis solis non posse convinci: Rationem quoque pro unico veritatis Christianæ principio esse habendam iis, qui eandem pro principio auctoritatis Scripturæ unico agnoscunt: non esse Enthusiastam, qui testimonium Spiritus Sancti immediatum sibi vendicat: negantes aliunde quam ex Ratione constare posse divinitatem Scripturæ Sacræ, parum religiose loqui, atque negare credentibus lumen supernaturale, principium facultatemque novam a naturali Ratione distinctam divinitus immittere: sacræ veritatis cognitioni in homine naturali non tantum occupationes, præjudicia & affectus obstare: non sibi satisfacere mantissæ Autorem, si vel maxime ad salutarem divinitatis Sacræ Scripturæ cognitionem Spiritum Sanctum requirat: testimonia ex Triglandio, Walæo & Eslenio adducta sibi haudquaquam adversari. In sectione V. ad objectiones quasdam a Theses inauguralis Patronis eorumque discipulis in medium allatas respondet. Sub finem tractatus hujus primo theses e disputatione inaugurali, quæ huic controversiæ, ut modo dictum, primam dedit occasionem: deinde theses nonnullæ e disputatione habita sub præsidio D. Roellii de principio cognoscendæ veritatis: tertio mantissa Joh. vander Waeyen subjecta parti XIX Scenographiæ theologicæ, subjunguntur.

*DE IGNE DISSERTATIONES PHYSICÆ, auctore Paulo Casato, Placentino, Soc. Jesu, in quibus plura ad Ignis naturam spectantia physicè explicantur, & physicam philosophandi methodum cum Aristotele consentire ostenditur.*

Venetiis, apud Nicolaum Pezzana, 1686, in 4.

Ingenium pariter atque eruditionem eximiam clarissimus Auctor scripto hoc, varii generis doctrina abundante, & Physicæ scientiæ funda-

fundamenta tradente, testatus est. Tituli facies, & dedicatio ad Magnum Hetruriz Ducem, hunc eundem strenuum Aristotelis asfertorem promittunt. Istius enim methodum non minus in physicis, ac aliis egregiam approbat, calumniam quasimera vocabula obrudat, avertese laborans. Quem in finem hinc & inde factam Aristoteli commentatorum culpa injuriam, ex ipso textu diluit. Salva nihilosciscus cum Peripateticis pace, quam ubique exoptat, ulterius pergit, & propriam aut aliorum recentiorum scriptorum sententiam tradendo, quantum fieri potest, ingeniosa conciliatione cum ipsis gratiam inire satagit. Imo ne ab illis devariare uspiam videri possit, familiaris colloctionis libertatem in præfatione ideo elegisse se scribit, ne aliquid definire pronuntiare cogeretur.

In *prima* igitur dissertatione, Igni nobilitatem asserturus, ex antiquitatum & historiarum monumentis, illine an aquæ princeps locus debeatur, disputat. Hinc a quibusnam gentibus religiose cultus fuerit, tradit, & quanta commoda ad vitam summe necessaria, tum naturalia, tum mechanica, tum medica præstet, variaque plurimorum Auctorum Igni ad scripta elogia enumerat. Denique quomodo mediante face accensa, hujus rei conscio, e longinquo, variis illius flexibus, certas literas significantibus, animi sensa exponi possint, edocet.

Dissertatione *secunda* Ignis naturam explicat. Et primum minus convenientibus reputatis aliis divisionibus, illâ potius probat a præcipuis ejus qualitatibus, luce nimirum & calore, desumptam. Propterea alius ignis dicendus est calidus & splendidus, alius calidus & non splendidus, alius splendidus & non calidus, & porro iste vivus, ille mortuus, hic fatuus. Facta dein alia in vulgarem, & elementarem divisione, in elementorum naturam inquirat. Quæ cum naturæ sint, e quibus omnia primum componuntur, & in quas postremo resolvuntur, simplices eas necessario esse statuit, sed invicem dissimiles. Ab illa autem particularum dissimilitudine, dissimiles oriuntur qualitates. Harum alia primæ dicuntur, quæ naturas simplices ita commiscet, ut unum constituent ex pluribus; alia secundæ, quæ naturarum factam commixtionem sequuntur. Primas dupliciter considerandas exhibet, nunc ut activas, reliquas permiscentes; nunc ut passivas, ab aliis permixtas: illas calorem & frigus, has hu-

Fff

midita


miditatem, & siccitatem appellans. Siquidem calor crassiores particulas attenuat, tenuiores commovet & confundit; frigus tenuiores cogit & commixtas cohibet ne dissolvantur; humiditas natura facilem se præbet, ut attenuetur, reliquisque congruens cohibeatur, ne secedat; siccitas naturam ad id paulo difficiliorem reddit. Verum quia naturis illis, quæ elementi nomine veniunt, neque duæ activæ, neque duæ passivæ simul inesse possunt, sed altera passiva, activa altera; idcirco earundem compositio quatuor species exhibet. Harum prima calida & humida vim habet attenuandi & commovendi, ipsaque facile commovetur & attenuatur; secunda calida & sicca, difficulter commiscetur, facile vero commovet; tertia frigida & humida facultatem habet cogendi, seque facile ad aliarum partium nutum fingi permittit & attenuari; quarta frigida & sicca durior se præbet, tenuiores aliarum particulas ad crassitiem adducendo & cohibendo. Quatuor hæ qualitatum species totidem repræsentant elementa. Quia vero illæ magis, quam in aliis naturis, in aere, igne, aqua & terra elucet, hæ in elementorum denominationem abierunt. Ut autem res penitus intelligatur, humiditatem & siccitatem dupliciter considerat. Illam nunc difficilius angustias corporum subire innuit, iisque permisceri, & aqueam vocat; nunc vero facilius, & aeream dicit. Siccitatem, quæ ob particularum avolantium tenuitatem permisceri repugnat, igni; quæ ob earundem crassitiem mixtioni adversatur, terræ tribuit. Ut inde eluceat, humiditati aeræ contrariari siccitatem terræ, humiditati aeræ siccitatem igneam. Pro temperamento igitur constituendo, crassiores attenuari naturas, tenuiores combinari necesse est; hoc a frigore per terram & aquam, illud a calore per ignem & aerem expectandum. Quod ut eo melius contingat, ita invicem miscentur qualitates, ut elementa bina plus activarum, bina plus passivarum possideant. Quippe hujus diversitatis intuitu, activæ in passivas agendo, pro robore suo mutationem inducunt, & sic elementa, non nisi fractis qualitatibus, in unam speciem temperant. Proinde & Aristotelem, quod vulgaria illa oculis obvientia corpora pro elementis minime habuerit, sed propter primarum qualitatum in illis præcellentiam, eorum denominationem tantum mutuatus ab iis fuerit, excusat. Cum tamen vix possibile sit, mentionem injici illorum, quin  
vulga-

MENSIS AUGUSTI A. MDC LXXXVII. 41

vulgarium notio menti se offerat, rebus non mutatis vocabula alios mutasse refert. Etenim illi in artificiali dissolutione corporum chymica, humorem seu phlegma & spiritum viderunt ascendere, remanentibus in fundo partibus crassioribus, quas illorum ratione fixas nuncupavere. Eapropter ex triplici naturarum genere corpora combinari sibi persuaserunt, ubi inter duo extrema, fixum & spiritum, medius sit humor. Huic mercurii, illi sulphuris, isti salis nomen imposuerunt. Non tamen, quod communia illa in usum nostrum quotidie venientia corpora intelligenda sint, sed quia spiritus a phlegmate liberati ardeant, ut sulphur; partes fixæ remaneant in fundo, ut sal post evaporationem; humor hæc invicem combinet, uti mercurius aurum, cum argentea vasa eo obducit. Ex quibus chymicorum, uti vulgo, in primis a Beguino explicantur, elementa rejicit: quandoquidè si vel maxime Chymia corpora in sulphur, salem & mercuriũ, quæ diversis qualitatibus & proprietatibus constant, dissolvendo acquiescere possit; Physicum tamen alia ratione eadem contemplari oporteat. Priore igitur probata elementorũ recensione, *Ignem dicit spiritum vim habens em caloris non mediocrem*, spiritum indigitans, non aliquid a sale aut sulphure distinctum, sed substantiam tenuem, & subtilem, quæ angustissimos corporum meatus facile pervadat. Correcta dein aliquantulum divisione ignis in vivum, mortuum & fatuum, quod ultimus ad primam speciem potius pertineat, huic dissertationi colophonem imponit.

*Tertiam de Ignis loco adortus, quod ignis supra aerem, tanquã levissimus collocetur, inficiatur.* Commemorata hinc levitatis occasione, recentiorum quorundam de gravitate hypothesin, omnia ad centrum propria gravitate niti, statuentem, impugnat. Eadem quippe facilitate, levitati graviora corpora extrudenti, adscribi posse phænomenorum ætiologiam sibi persuadet. Quamobrem experimentum Torricellii non aeris gravitatem probare, sed illud evincere illi videtur, quod omnia certo ordine disposita sint a natura, certæque constitutæ spheræ, pro majori, vel minori distantia a centro, leviora, aut graviora corpora continentes, ubi neque superiores inferiores premant, neque ab illis premantur, sed pro diversitate naturæ suæ collocatæ sint, quarum ratione corpora nulla sive levia, sive gravia, nisi comparate, dici queant. Sic ex his ratio-

nibus mercurius subsidet nunc magis, nunc minus, prout scilicet major, vel minor ordinis perturbatio contingit, si intra raras, aut densas atmospheræ partes reponatur. Unum e pluribus contra gravitatem aeris mercurium prementis pugnans argumentum adducemus; nimirum quod mercurio ex fistula longiore digitis 30 exeunte, & totam superficiem mercurii in vase contenti attollente, & sic sursum repellente totum cylindrum aereum incumbentem, particulari cylindro aereo major pressio, quam pluribus toti vasi imminentibus & æqualem pariter basin habentibus, quod absurdum, concederetur. Vim item elasticam aeris, in fistula conclusi, & mercurium expellentis, per antliam pneumaticam probatam, eidem innixus inficiatur: scilicet quod si aer in eadem compressus se dilatare conaretur tanto impetu, non repugnaret attrahenti embolo, sed illum potius repelleret; atqui quoniam hoc non evenit in hujusmodi machina ab aere copiosiore, multo minus expectandum putat ab aere pauciore, in fistula concluso. Quod Boylius majorem mercurii subsidentiam, experimento Torricelliano in monte instituto, in hujus medio, & adhuc majorem in cacumine, aeris abbreviato, hinc minus prementi cylindro adscribit; illo Noster utitur, ut ostendat, aerem infimum, accessione cylindrorum debiliorum, gravio-rem reddi non posse. Facta hinc alia per antliam pneumaticam experimenta, e. g. quod animalia in illa, aere exhausto, moriantur; vesicæ flaccidæ latera se dilatent, &c. non per pressionem, sed per tractionem explicat. Elateris enim naturam consistere perhibet, in eo non tantum, ut sese expandat, si comprimatur, sed etiam se recipiat, si distrahatur. In primis vero aeris super aquam pressionem destruo-rem videtur hoc modo: Si aer, inquit, aquam premit, & aqua aquam,



fit in vase superficies aqua FG, cui innatat cylindrus ligneus d a & extra aquam est pars c d. Superficii aqua FG intelligatur parallela superficies HI, in qua est basis lignei cylindri a b. Jam sic, si partes superficiei HI non premerentur aequaliter ab oppositis partibus, pars minus pressa urgeretur sursum; igitur tam premit cylindrus ligneus d a una cum incumbente illi cylindro aereo, quam premunt aquei cylindri aquae bases simul cum impositis cylindris aereis: at reliqui cylindri aerei longio-

longiores sunt illo, qui incumbit cylindro ligneo, aquei vero cylindri æqualis basis non sunt leviores, sed æqualis gravitatis cum toto cylindro ligneo: ergo non est æqualis pressio in  $ab$ , atque in  $io$ , cum tamen fiat consistentia cum liquoris tum ligni. Ex quo non obscure arguitur, nullam esse pressionem aeris supra aquam. Denique aerem se deorsum urgendo, exprimere flammam, tanquam leviorē, negat, cum hac ratione non in conti fastigium ascenderet illa, sed potius basis in supremā parte apparere deberet. Et proin manifestum esse credit, Aristoteliq; consentaneū, gravia & levia non nisi comparate dicenda corpora, prout in medio prona sunt in motū seu sursum, seu deorsum juxta constipationis materiæ dissimilitudinem. Hujus enim comparationis intuitu, etiā ignis gravis & levis esse potest, quatenus quidē igniculi, alias non leves, a vapore ratiore sursum vehi possunt. Igni nimirum pondus plurimū experimentis, cum jam a Boylio revelatis, sunt etiam propriis, asserendum existimat. Florentinorum autem aliqua, quæ pugnare videntur, cum hypothesi sua conciliat. Etiam si in ancipiti hæreat, num igniculi metallo in fusione aut calcinatione accedentes, illudque gravius in aere reddentes, ex sua natura graves sint; vel ideo, quod plures igniculi conclusi in angustiſſimo spatio minus exigant abesse a centro gravium, quam circumfluis aer, minus habens materiæ in mole pari; prout aer, in locum unum congestus atque constipatus, gravior sit non constipato. Nihilominus concludit, Ignem omnium sublimiorem hanc universitatem constituentium elementorum graviſſimum esse, atque illi infimum deberi locum in sphaera elementari. Nempe certo ordine terræ, aquæ, aeris constituto, non nisi aut supremus, aut infimus locus igni reliquus est. Supremus esse nequit, quia potissimum res cunctas gignendi instrumentum calor; calor origo ignis, hic validior est congestus, quam dissipatus: esset autem diffusus & enervatus, si ad amplissima in extremo systemate spatia relegaretur, neque posset a tam immenso intervallo in imas fodinarum latebras ad elementorū permixtionem revocari. Ut ergo infimum locum fortius stabiliat, ignem hunc, quamvis sceleratorum suppliciiis ad mentem Ecclesiæ Romanæ destinatum, nihilominus etiam naturæ decretis obsecundare, asserit. Confirmaturus proin sententiā suam, astrorū influxū ad metallorū generationem non pertingere ostendit. Siquidem id agere deberent



aut luce, aut calore. Lux etiam ipsius Solis non transversum digitum in terram descendit; calor vix sex pedes, etiam si perpendiculariter radii incidant, penetrat. Cum e contrario observatus in fodinis profundissimis calor primum modicus, sed quo altius descenditur, penetrantior, ignem, quasi e corde terræ prorumpentem, & pro diversitate salium, sulphurum, spirituumve, quibus illa scætet, metalla, lapides &c, generantem testetur. Quinimo inde manare vult aquarum per fluvios mare ingressarum, & in altissimis montibus fontium nomine prorumpentium exaltationes. Quandoquidem illæ, ab igne hoc in vaporem resolutæ, per venas telluris transcolentur, atque pro varietate illarum nunc noxiæ, nunc salutare existant. Tandem cruciatuum varia genera, quomodo illis ab igne hoc scelerati affligantur, exponit, & postquam dissimilem igniculorum naturam agnovit (qua ratione disparis quoque sint gravitatis) e terra venientes fixos & terrestres, sed illos, qui forte ex sideribus delapsi, ascensum eo rursus affectant, volatiles & coelestes nuncupat.

Ad quartam proin dissertationem, an exustione nova substantia gignatur, indagaturus, secedit. Illic Vestæ nomen modo terræ, modo igni tribuentium lites conciliat, si per Vestam illa pars telluris igneum centrum ambientis intelligatur. Ignem tamen illum altius latentem dimittit, hunc potius censuræ subjiciens, qui oculis obversatur. Quia tamen fere unicum vulgarium Peripateticorum, uti illos appellat, materiam primam per mutationes demonstrandi argumentum, quæstione in dissertatione hac proposita in dubium vocatur, alia ex ipso Aristotele, commentatorum commentis, uti Auctor loquitur, defœdato, rectius desumuntur. Ibi mutationis principium optimo jure statuitur, ex quo aliquid fit; illud vero utique materię notionem comprehenditur. Hæc vero, quæ prima audit, non una omnibus est, formarum tantum varietate distincta, sed abstracta illius notio naturis omnibus sexcentis & amplius modis differentibus licet, tribui solet. Adeoque & forma pro illius diversitate variat, quatenus pro varia compositione, aut dissolutione particularum alia notio, alia forma emergit. Uti hæc ex ipso Aristotele contra vulgares ejus asseclas, more aliorum conciliatorum probantur. Atque sic ex particularum diverso ingenio membrorum con-

forma

formatio, n̄vis in hexaœdram formatio, &c. dependet. Imo varia salium & spirituum vis, quam in elementorū particulas exercent, similitudinis figuræ in diversis origo & conjecturarum ex physiognomia & signaturis petitarū fundamentum ab illo ponitur. Ex quibus proposita quæstio facile dirimitur, scilicet etiam in igne nullam novam substantiā gigni, sed qualitarum fieri mutationem. Facto hoc fundamento, neque flammam, neque prunas, neque ferrum candens, neque chartam accensam &c. novam ostendere formam concludit, sed propriam ignis formam ad plures species, tanquam minus perfectas, se dilatare: etiam si ardor in ferro candente, papyro accensa, &c. non solis igniculis, sed ipsius etiam rei ardentis partibus agitatis ab illis, debeat. Nova enim per ignem forma substantialis gigni nequit, quia extinctione interiret, aut aeris formam imbueret, imo tota ignis natura in dissipatione substantiæ versetur. Ubi tandem exustionis rationem hanc proponit, ut corpus ex dissimilibus naturis coagmentatum tantam vim caloris concipiat, ut soluto particularum nodo, vel nihil, præter cinerem, aut calcem, aut carbonem relinquatur, vel plane in auras abeat. Illæ vero naturæ tamdiu ignis vocabulum obtinent vulgo, quamdiu acri calore præditæ & luce aliqua conspicuæ, vim retinent ad alia corpora pariter irritanda, ad similem particularum distractionem immisso calore; illaque Aristotelis auctoritate stabilis.

In Dissertatione *Quinta* Caloris tractationem suscipit: quem cum qualitatem dixerit, & a passione differre monstraverit, ut ratio quomodo corporibus insit, curatius dignoscatur, illorum texturam examinat. Atomis igitur valere iussis, particularum doctrinam proficitur, quæ quidem ad definitam tenuitatem deducantur a natura, divina tamen potentia & ex se semper maneant divisibiles. Minima illa corpuscula in primis animalculis ex caseo, in sanguine, in pedibus deambulantiū in Brasilia, &c. genitis, oculorum aciem effugientibus, microscopi tamen ope apparentibus, & certa conjectura, ex plurimis exili corpusculo exilioribus membris constructis, probabilia reddere laborat. Ubi maxime notatu dignum videtur, in febricitantis per venam sectam educto sanguine, vermiculos tenuissimos observari, qui si nigra habeant capita, armatis oculis inspecti, indicent periculum a febre imminere, quam nulla adhuc exan-

thema-

themata malignam esse docuerant. Illæ particulae, certo numero definitæ, quamvis innumerabiles, certis terminis circumscribuntur, id est, figuram obtinent pro naturarum diversitate variam. Constructa ex iis corpora, pro diversa illarum figura & magnitudine, arctius aut laxius cohærent, adeoque interstitia nunc majora, nunc minorâ relinquunt. Scilicet, quæ similem nacta sunt figuram, non firmiter colligantur, & fluidum constituunt; quæ vero dissimilem, ita sibi aut statim, aut aliquo tempore, aut alio interveniente implicantur, ut divelli facile nequeant, & solidum reddunt corpus. Illa interstitia seu cavernulas ab æthere quodam, seu spiritu, ad naturam corporis pertinente, sed non satis reliquis connexo, ita ut facile ab illo expelli possit aut divelli, locum aliis corpusculis subeuntibus concedendo, repleri autumat. Similes enim illi, ac Cartesius materiæ suæ subtilissimæ proprietates tribuit, suamque sententiam & experimentis ex chymia & mathesi cum selectu depromtis confirmat, & Aristotelis consensu roborat. Quibus præmissis, calorem ab igniculis in poros assumtis, & particulas corporum agitantibus atque in motum cientibus, derivat. Quod si tamen aliqui exinde calorem esse naturam, non qualitatem; substantiam, non accidens, inferre satagant, iis substantias quoque nonnunquam accidentium rationem subire, exemplo atramenti chartæ accidentis, & Aristotelis approbatione instructus, respondet. Et quibus hæc a sensibus petita particularum agitatio infirma videtur, considerandum exhibet calorem ab acidi & alkali conflictu excitatum, utpote & ratione illam comprobante. Ast ut caloris causæ intelligantur, effectus in considerationem venire jubet. Nimirum iisdem ab igniculis, in hypocausto madidum linteum exagitatione & exturbatione humoris arefcit; molle lutum, aqueis itidem & fluidis ejectis, durefcit; homo igniculis per cutem & inspirationem sanguini committis, eumque exagitantibus, ut humor sub cute exprimatur, sudat &c. Adeoque quatenus igniculi, in corpus immissi, particulas exagitant, hæc exagitata se digredientes majus spatium requirunt, & in intervalla disjunctarum particularum æther hac ratione, ex corpore proxime compresso expressus, succedit, raritatis causa est calor. Illi tamen igniculi & ænea & alia vasa penetrant, quando in illis corpora in fluorem deducunt, alias satis solida. Sic eosdem etiam lu-

centes

centes vitrum penetrare, & in conspectum subire, hoc experimento asserere conatur. Vitream phiolam, nulli tamen adjecto pedi innitentem, aqua ex puteo haulta repleti; eam candentibus prunis imponi; & ubi illa satis incaluerit, cineres ex prunis decuti, ipsasque continuo flatu urgeri jubet: atque sic flammulas per aquam ascendentes conspici, & cessante flatu remittere testatur. Imo Academicos Florentinos vitri ab igniculis dilatationem, jucundo experimento docere ostendit. Postquam alia deinde ex positis principiis phenomena explicuit, in tepefcere corpus dicit, abeuntibus igniculis, & redeunte frigore. Itaque hoc meram esse privationem negat, & potius dari naturas seu spiritus frigidos, pariter uti calidos, & illorum elasticitatem in constringendo, uti horum in dilatando, sitam esse asserit. Quod si calidi prævalent, frigidos commovent, imo figuram quandoque mutant; si frigidi, calidos ligant. Quandoque tamen ita in mixto temperari possunt, ut utrique contineantur, neque observentur, nisi dissoluto vinculo, effectibus se suis manifestent. Utrique etiam sensu tactus ita pernoscentur, quando calidi fibrillas nervorum exagitant, frigidi constringunt. Et ut alia, quæ ex illis deducit, mittamus, pergimus

ad Dissertationem VI de his, quæ virtute calida dicuntur, agentem. Illic ut quæstionem, an accidentia se de subjecto transferant in subjectum, cum pace Peripateticorum dirimat, distinguendo inter accidentia, alia propria dicit, quæ abesse nequeant omnino, & hæc metaphysica; alia, quæ aliunde adveniunt, & hæc physica vocat. Et horum ratione ignis ferri particulas quidem commovet, non tamen vim suam commovendi in illas transfert. Possunt vero ita copulari hæ naturæ igneæ cum aliis, ut non facile se jungantur, imo in tanta quantitate misceri, ut aliquas rursus emittere sine torius interitu possint, quas ideo abundantes & effluentes nominat. Horum igniculorum intuitu illa actu dicuntur calida, quando iisdem adeo commoventur, ut calor statim sentiat, illa vero virtute, quando illi adeo irretiti sunt, ut non nisi iisdem in libertatem vindicatis, percipiantur. Adeoque hoc ipso causæ æquivocæ sola allegatione, illorum differentiam minus recte ostendi innuit. Ea tamen cum diversitate igniculi in corporibus latent, ut ex quibusdam non nisi collisione, aut majore opera elici possint, v.g. e thalybe & silice,

Ggg

quæ

quæ virtute calida dici non mereantur. Contra vero illa, quæ corpori applicata, aut levi calore externo, aut etiam ipsius corporis, actuata, vim suam exerunt, rectius ita appellantur, eaque a salium abundantia penetrantiora observantur. Sic ex hac igniculorum in mixto majore vel minore copia, gradus medicamentorum deducit. Inter illa tamen quædam, v. g. acetum, rosa, camphora &c. refrigerandi causa adhibentur, cum nihilominus illud non per se, sed per accidens præsent, quatenus igniculi illorum meatus occlusos recludendo, materiæque peccanti aditum concedendo, aut etiam illam simul exterminando, desideratum illum effectum edant. Refrigerationis occasione in principia inquiri, & hinc tria constituit activa, spiritum scilicet, sulphur, & sal; triaque pariter passiva, terræ damnatæ simile, aquam, & spiritus frigidos. Hos subtilissimos dicit, vim habentes se constringendi, & impediendi dissipationem. Imo tamen eunt pro sua, tum pro corporum, quibus cum illis commercium intercedit, natura diversi sunt. Quandoquidem & calidi & frigidi aliam magnitudinem, figuram, & pro pororum in corporibus diversimode compositis majore vel minore laxitate, diversam activitatem obtineant. Quæ omnia desumptis egregiis e naturali scientia exemplis confirmare laborat. Horum itaque spirituum, aut efficacium perditorum, aut extrusis hebetioribus excitatorum, ratione quædam efficaciora sunt combusta, quædam contra. Etiam si vero constringendi efficaciam frigori tribuamus, nonnunquam tamen per accidens calida quædam e. g. sal, cadmia fornacum, adstringere deprehendimus, quatenus igniculi illorum humorem secum rapiunt, & exturbant, ut siccitas sequatur. Tandem propositam initio hujus dissertationis opinionem, ad Ecclesie Romanæ de Eucharistia doctrinam non extendendam esse monet.

Dissertatione VII, quomodo Ignis accendatur, considerat. Primo propositis dissertatione præcedente principiis ulterius patrocinator, eadem artis ope chymico experimento declarans. Hinc igne non novam substantiam gigni, sed partes dissolvi, repetit. Hanc vero dissolutionem principiis suis activis tribuit. Ex hisdem spiritibus expeditam magis calefaciendi virtutem, salibus validiorem efficaciam adscribit. Igniculi igitur, seu sal, seu sulphur, seu spiritus sint, aut igne externo admoto, aut interna agitatione, aut  
etiam

etiam attritu, prout in lignis, commoti, partes ad defectionem sollicitant proximas, adeoque spatio hoc angusto contineri nequeunt, profiliunt, & vicinum fomitem, si quem repererint, corripiunt. Exposito porro ex lignis collis ignem eliciendi modo; monstratis lignorum ad ignescendum majore, vel minore aptitudine, variisque accendi ab illis ignem munimentis; reddita incombusibilitatis in amiantho ratione (quod scilicet maneat lapis etiam si in laminulas & fila scissus, & hac ratione plus terræ & salis contineat, quam ut ad motum ignis perducere queant) enarratisque pluribus, jucundis pariter atque utilibus, ad rem facientibus exemplis, totum negotium his verbis comprehendit. *Illam, inquit, ignem omnino rejiciunt ista, ut nec in flammam, nec in prunas, accendantur, quæ plurimum constant sale fixo & terra, minimumque habent sulphuris cum spiritibus & humore permixti, quo partes conglutinantur; illa vero, quæ non parum habent sulphuris atque spirituum, sed tam spissa coagmentatione cum sale & terra facta est permixtio, ut exigui & pauci meatus pateant ad excipiendos immissos a proximo igne igniculos, agre accendantur: quod si ea sint, quæ sulphure quidem abundant, sed angustas habeant poros, tarde ignem conspiciunt, quem diu retinent; si autem sulphuris atque spirituum copiam rara textura conjungat, ista facile exardescunt, & cito absumentur.* Reliquum deinde interna exagitatione commoti ignis modum, fermentatione minus perfecta explicat. Scilicet, perfectam dicit intestinam quandam commotionem particularum heterogenearum; ex quibus corpus fermentescens constat, quæ dum opportune agitantur, se vicissim atterunt, comminunt, permiscunt, apprehendunt atque in unam speciem temperantur. Hanc vero salibus aqua dissolutis & a terra separatis, inque motum incitatis, sulphureas particulas & spiritus proximos corporis ejusdem impetentibus adscribit, & quomodo in pane, vino, acidis, &c. his mediantibus contingat, refert. Quoniam igitur in igne e foenomadido & concluso erumpente, non simul particulae in unam speciem temperantur & commiscuntur, sed tantum dissolvuntur, minus perfectam fermentationem appellare ipsi placuit.

In VIII Dissertatione de Flamma & fumo acturus, recenset plurima ex calcæ & sulphureis combinata, aquæ affusione incallescere, quædam etiam in flammam abire. Illud negotium similiter salibus so-

bus solutis, partes sulphureas agitantis, attribuit, in flammam vero quandam secedere eas posse ideo negat, quod adhuc ab aqua nimis ligentur, ne erumpere possint in flammam, uti illud experimentis jucundissimis probare satagit. Quippe hæc sulphureis particulis, quæ omnem in partem agitatæ, secessionem etiam in reliquis procurent, ut junctim erumpant, adscribitur. Quod si vero pauciores illæ emanent, fumus, (qui a nitore, quod uterque exhalatio sit, non nisi nomine differt;) sin plures circa superficiem discurrant agitantæ alias particulas, & earum nexum dissolventes, pruna ardens; sin adhuc plures agglomeratæ confertim erumpant, flamma est. Fumus plurimis particulis permistus reperitur, ut vellicatio in oculis, & carni a putredine defensio salinas, cadmia & fuligo terreas doceat. Emanantia hinc ex omnibus corporibus effluvia, eaque ambientia, tanquã atmosphæræ, odoresque per illa, non per species intentionales fieri explicat, & probat. Postquam hinc varia de fumo disseruit notatu digna, carbonum usum, diurnitatem, fragilitatem, &c. in primis propter humoris partes non combinantis defectum, declarat. Modoque lucernas perpetuas conficiendi variorum Autorum enumerato concludit, aut ex tali materia constitisse, quæ perpetua circulatione non in auras abierit, aut etiam, instar phosphorum, sola luce, absque calore, se manifestarit. Ultimo quomodo aer temperatus flammam moderetur, densus comprimatur & extinguatur, rarus dilatari patiatur, aliquot experimentis explanat.

In Diss. IX Ignis extinctionem profitetur. Heraclito ignis mortem, aeris ortum esse affirmante, & Aristotele, aliquid ex igne igni negante conciliatis, ignem interire asserit, aut pabuli ulterioris defectu, aut vi extrinseca, illa tamen prunis & flammæ sæpe diversa. Variis modis vim aeris elasticam, quam & Diss. III inficias iverat, impugnat, quædam circa ignis extinctionem, in antlia pneumatica suscepta experimenta, aeri se contrahenti, sulphureasque particulas secum attrahenti, adscribens. Flata vero extinguuntur lucernæ, vento sax, quod vapor accensus cum plurimis igniculis avellatur & dissipetur, ut reliqui moveri adeo intense nequeant. Rationem hinc reddit, cur quædam ab aqua non extinguantur, quatenus scilicet illa corpus nequeat imbuere, & proluxe tales ignes conficiendi mo-  
dum,

dum aliaque, quæ aqua aut non, aut unum facilius altero extinguat, explicat.

Dissertationem X cinerum examini dicavit. Hinc discrimine inter hos, calcem, & favillas, ostenso, vitrificationis negotium tradit, quod a salium diversitate, cum terra in arena aut lapidibus permittorum, & facilius aut difficilius solutorum, originem ducit. Etenim sal, & hujus ratione cineres, atque etiam nitrum fecundare solent, quatenus illorum calor & motus facit ad exquisitius permiscendas uniendasque cum humore particulas, quibus planta alitur. Et hæc ubique variis instantiis confirmat, atque exemplis scitu tam jucundis, quam utilibus illustrat. Porro enim monstrata salium & cinerum cum sulphure unione, varii usus cinerum commemorantur, quatenus inflammationi medentur, odontalgiam tollunt, dentium cariosorum exesionem juvant, & bullarum eruptione aqua iis superfusa novilunii momentum, ab aliquibus in seminibus terræ mandandis observatum, designant. Cujus phænomeni ætiologiam cum e luna delapsis expirationibus tribuat, harum ratione & lunæ, cæterorumque siderum, quem diss. III negaverat, influxum admittit, quo mediante gravidata tellus rerum miram varietatem patiat. Hincque maris æstus a lunari halitu, materiam in fundo illius delitescentem, in fermentationem agente, & sic incumbentem aquarum molem propellente, deducit. Æstus vero nullos absentis materiæ ejusmodi; diversos, diversitati materiæ, aut influentium expirationum majori vel minori rectitudini, aut obliquitati assignat. Tandemque cinerum speciem calcem, sed magis efficacem dicit, quoniam saxa majore salis copia abundant quam plantæ.

De Aquis Fortibus Diss. XI loquitur. Harum ope metalla dissolvuntur, & calcis forma ex illis ad fundum vasis præcipitantur, perinde atque in magisteriis, decoctis, atque infusis corpora soluta in liquorem abiisse videntur, & ad fundum vasis pulveris specie dimittuntur. Itaque igniculi corpora sistentes, eorum texturam, pro majore vel minore laxitate, aut similitudine, citius aut tardius lacerant. Salium vero imprimis copia & diversitas, illorum liquorum stygiorum efficaciam magis actuat. Quippe ab illa varia phænomena dependere recensentur, dum ab abundantia salium aciditas, a congrua salis & sulphuris mixtura, dulcedo derivatur. Imo & o-



bus solutis, partes sulphureas agitantes, attribuit, in flammam vero quandam secedere eas posse ideo negat, quod adhuc ab aqua nimis ligentur, ne erumpere possint in flammam, uti illud experimentis jucundissimis probare satagit. Quippe hæc sulphureis particulis, quæ omnem in partem agitatæ, secessionem etiam in reliquis procurent, ut junctim erumpant, adscribitur. Quod si vero pauciores illæ emanent, fumus, (qui a nitore, quod uterque exhalatio sit, non nisi nomine differt;) sin plures circa superficiem discurrant agitantibus alias particulas, & earum nexum dissolventes, pruna ardens; sin adhuc plures agglomeratæ confertim erumpant, flamma est. Fumus plurimis particulis permixtus reperitur, ut vellicatio in oculis, & carni a putredine defensio salinas, cadmia & fuligo terreas doceat. Emanantia hinc ex omnibus corporibus effluvia, eaque ambientia, tanquã atmosphæræ, odoresque per illa, non per species intentionales fieri explicat, & probat. Postquam hinc varia de fumo disseruit notatu digna, carbonum usum, diurnitatem, fragilitatem, &c. in primis propter humoris partes non combinantis defectum, declarat. Modoque lucernas perpetuas conficiendi variorum Autorum enumerato concludit, aut ex tali materia constituisse, quæ perpetua circulatione non in auras abierit, aut etiam, instar phosphorum, sola luce, absque calore, se manifestarit. Ultimo quomodo aer temperatus flammam moderetur, densus comprimatur & extinguatur, rarus dilatari patiatur, aliquot experimentis explanat.

In Diss. IX Ignis extinctionem profitetur. Heraclito ignis mortem, aeris ortum esse affirmante, & Aristotele, aliquid ex igne gigni negante conciliatis, ignem interire asserit, aut pabuli ulterioris defectu, aut vi extrinseca, illa tamen prunis & flammæ sæpe diversa. Variis modis vim aeris elasticam, quam & Diss. III inficias iverat, impugnat, quædam circa ignis extinctionem, in antlia pneumatica suscepta experimenta, aeri se contrahenti, sulphureasque particulas secum attrahenti, adscribens. Flata vero extinguuntur lucerna, vento sax, quod vapor accensus cum plurimis igniculis avellatur & dissipetur, ut reliqui moveri adeo intense nequeant. Rationem hinc reddit, cur quædam ab aqua non extinguantur, quatenus scilicet illa corpus nequeat imbuere, & proluxe tales ignes conficiendi mo-  
dum,

dum aliaque, quæ aqua aut non, aut unum facilius altero extinguat, explicat.

Differtationem X cinerum examini dicavit. Hinc discrimine inter hos, calcem, & favillas, ostenso, vitrificationis negotium tradit, quod a salium diversitate, cum terra in arena aut lapidibus permistorum, & facilius aut difficilius solutorum, originem ducit. Etenim sal, & hujus ratione cineres, atque etiam nitrum fœcundare solent, quatenus illorum calor & motus facit ad exquisitius permiscendas uniendasque cum humore particulas, quibus planta alitur. Et hæc ubique variis instantiis confirmat, atque exemplis scitu tam jucundis, quam utilibus illustrat. Porro enim monstrata salium & cinerum cum sulphure unione, varii usus cinerum commemorantur, quatenus inflammationi medentur, odontalgiam tollunt, dentium cariosorum exesionem juvant, & bullarum eruptione aqua iis superfusa novilunii momentum, ab aliquibus in seminibus terræ mandandis observatum, designant. Cujus phænomeni ætiologiam cum e luna delapsis expirationibus tribuat, harum ratione & lunæ, cæterorumq; siderum, quem diss. III negaverat, influxum admittit, quo mediante gravidata tellus rerum miram varietatem patiat. Hincque maris æstus a lunari halitu, materiam in fundo illius delitescentem, in fermentationem agente, & sic incumbentem aquarum molem propellente, deducit. Æstus vero nullos absentis materiæ ejusmodi; diversos, diversitati materiæ, aut influentium expirationum majori vel minori rectitudini, aut obliquitati assignat. Tandemque cinerum speciem calcem, sed magis efficacem dicit, quoniam saxa majore salis copia abundant quam plantæ.

De Aquis Fortibus Diss. XI loquitur. Harum ope metalla dissolvuntur, & calcis forma ex illis ad fundum vasis præcipitantur, perinde atque in magisteriis, decoctis, atque infusis corpora soluta in liquorem abiisse videntur, & ad fundum vasis pulveris specie dimittuntur. Itaque igniculi corpora subeuntes, eorum texturam, pro majore vel minore laxitate, aut similitudine, citius aut tardius lacerant. Salinum vero imprimis copia & diversitas, illorum liquorum stygiorum efficaciam magis actuat. Quippe ab illa varia phænomena dependere recensentur, dum ab abundantia salium aciditas, a congrua salis & sulphuris mixtura, dulcedo derivatur. Imo & o-

peratio variat, quoniam non tantum acida coagularum sanguinem, partes crassiores comminendo, solvunt, & nimis tenuem continent & cogunt; verum etiam aquæ fortes propter varietatem salium, diversa activitate pollent. Hinc postquam plurima non ubi vis obvia ad sententiam suam confirmandam attulit, varios variorum auctorum aquas fortes conficiendi modos exponit, atque quæ alia, præter has, in metalla agant, aut aquarum fortium operationem faciliorent, eruditissime edisserit. Præcipitatio vero contingit partim, quod sal tartari instillatum aquæ fortis salibus metalloque jungatur, adeoque mole facta graviore fundum petant; partim, quod particulis pluribus avolantibus, reliquæ metallo amplius sustinendo impares sint, & illud hæc ratione dimittant. Plinium postea atque Mizaldum corripit, quod ille inter carnes gallinarum, hic inter muris sterces aurum absumi falso autument. Asserta igitur variis exemplis salibus, ab aliarum particularum nexu liberis, vi sese agitando, quomodo per illa, in metallorum poris non congruentibus agitata, copulatio eorundem dirimatur, explicat. Denique auro fulminandi vim affuso oleo tartari ideo accidere existimat, quod particulæ nitrosæ, lapideam quasi naturam habentes, a particulis tartareis, cohibentibus, vi ignis admoti cum impetu avellantur, & aerem hinc scindentes strepitum edant. Quibus alias de auro fulminante annotationes subnectit.

In Diss. XI Lucem ignis dilucidat. Aristotele contra interpretes defenso, lux substantia esse dicitur a DEO creata, quæ sese expanderet super abyssum, eaque a plurimis pro igne habetur. Dupliciter vero considerari debet, alia nimirum siderea, in sole & aliis sideribus, ex sua natura lucentibus; alia terrena, seu quæ per terram diffusa corporum aspectabilium mixtionem ingreditur. Non igitur aliquid innominatum vocanda lux est, secundum Aristotelem, quem tamen, utpote de vocabulo tantum in populari sensu accepto, verba facientem Auctor excusat. Porro salibus magnam cum luce affinitatē intercedere, ex agarico noctu lucente & acri sale abundante, cujus ratione purgans est, aliisque exemplis colligit. Lustrata igitur distinctione inter lucem & lumen, illam in rebus esse dicit, & sine illarum accensione aut dissolutione sese exerere, sed ejus particulas in medio perspicuo, rectos meatus habente, cære & im-

& impellere æthereas particulas in aere, has rursus proximas, usque dum ad oculum pertingant. Agitatio autem illa particularum in tantum temperari debet, ut quidem secessum eæ moliantur, ab aliis vero contineantur, atque hac ratione motum quendam diastoles & systoles, seu porrectionis atque contractionis exhibeant. Quamobrem a porrectionum crebritate, major claritas; ab illarum amplitudine, major efficacia, minor vero apparentia lucis e longinquo a deficiente jam impulsu in sphaera ampla, propter centri distantiam pendet. Visa hinc sonorum & lucis analogia, colorem a lucidarum particularum eorum in sitarum motibus Auctor deducit, quod ex proxima dissertatione clarius eluceſcet. Motus tamen illi ratione medii, in quo sunt modo reflectuntur, modo refringuntur. Illis vero particulis hunc aëris impulsu ad oculum usque continuantibus sphaericam figuram tribuit, & cum globulis eburneis, in ludo tridiculorum, pro vario appulsu motum variantibus confert. Hæque omnia, ut ad penitiorum lucis cognitionem deducantur, ex legibus Dioptrices, more Cartesii & aliorum recentiorum, operose deducit.

In Diss. XIII eaque ultima, Colores per ignem mutatos contemplatur. Principiis itaque in præcedenti dissertatione positis & confirmatis hanc superstruit, adeoque primo qualitaturn primarum complexionem, quia mera vocabula sunt, tanquam insufficientem in colorum mutatione remouet; hinc etiam in diaphani & opaci secundum varias rationes permixtione consistere eam negat. Colores igitur lucis varia temperatione, id est reflexione, refractione &c. diversimode oculum afficiente derivat: quatenus particulae lucis æthereos globulos impellunt, hi rursus contiguos, usque ad oculum, a superficieum vero diversitate, asperitate, vel lævitate, diversimodam motus modificationem experiuntur, cui salium & sulphurum commixtionem opitulari varia experimenta evincunt. Inde enim est, quod pro varia particularum positione, seu etiam separatione, alius atque alius æthereis globulis communicetur motus seu determinatio, ac proinde diversis impulsionebus pulsetur aspectus, & diversam colorum speciem exhibeat. Quæ omnia exemplis solidissimis roborat. Itaque ab igne aut per dissolutionem, aut commixtionem particularum positionem mutante, & consequenter aliam facultatem habente repellendi globulos æthereos, variatur color

color, qui tamen etiam quandoque accedentibus igniculis mutatur. Assertis hinc suis, experimentis & exemplis doctissimis fidem adstruit. Siquidem ubique eruditissimus Auctor adeo multa ad Physicam, Mathesin, Chymiam, artem Medicam, & variam doctrinam facientia proponit, ut impossibile sit, vel summam tantum eorū paucis recensere. Certe, qui illum sub manus sumere dignabitur, non sine delectatione & fructu deponet. Cumque exempla libri venum apud nos nulla prostant, multorum haud dubie gratiam initurus est Bibliopola integerrimus *Job. Fridericus Gleditschius*, qui recudi hunc librum Lipsiæ curat, ut copia illius fieri omnibus propediem possit.

## TRAITE DE L' AIMAN,

seu

### Tractatus de Magnete.

Amstelodami, apud Henr. Wetstein, 1687, in 8.

**U**niversam aut potiore certe de Magnete theoriam brevi systemate complecti, adeoque quod alii aut sparsim aut spissioribus voluminibus persecuti sunt, compendiosa tractatione explicare, propositum est auctori præsentis libelli anonymo; idque, ut apparet, in eorum etiam gratiam, quibus exactiori matheseos aut rerum naturalium cognitione destitutis, haud vacat operosiori harum rerum indagationi semet impendere: unde non solum perspicuè ubivis brevitati studuit, sed & passim opusculum suum adjectis figuris æneis perquam nitidis non illustrare minus, quam exornare satagit. In duas autem partes libellum dispescuit, quarum prior post præmissa generalia quædam, materiam, nomina, colores varios, & patriam famosi hujus lapidis concernentia, potiores ejusdem actiones ac proprietates singulis capitibus enarrat, eo quidem ordine servato, quo probabile est, experimenta ista pedetentim & uno alteri ansam præbente hominibus primum innovuisse. Pars posterior occupata est in reddenda ratione physica singulorum phænomenorum eodem ordine, quo in priori fuerunt exposita. De prima

prima parte adeoque experimentis ipsis non est cur multa hic verba faciamus, cum eadem pleraque apud alios rei magneticae scriptores jam antehac descripta proferant. De tempore, quod illa potiores magnetis virtutes, ex quibus reliquae dependent, primum inventae sint, annotat, alteram quidem earum, quae lapidis hic ferrum sibi unit, satis antiquae inventionis esse, cum constet, eam Platonem, Aristoteli, Theophrasto Lesbio, Lucretio aliisque haud ignotam fuisse: alteram vero quod attinet, magnetis nempe ad polos directionem, in medio linquit, quatenus e duabus verior sit sententia, utrum nempe illa, quae hanc inventionem factam esse refert circa annum Christi 1300 a quodam Johanne Gioja Amalphitano, Regni Neapolitani incolae; an ea, quae artificium hoc circa annum 1260 a Paulo Veneto e China in Italiam vult allatum esse: non dissimulat tamen insimul, apud priscos gentis suae poetas hinc inde mentionem fieri ranunculi cujusdam in pyxide conclusi, cujus ope Christiani illi Argonautae in expeditionibus cruciatis cursum navium suarum in mari dirigere fuerint soliti; per quem ranunculum nempe quidam ob aliqualem figurae similitudinem liliam pyxididis magneticae velint intellectum. Causas jam quod concernit operationum magneticarum in secunda parte explicatas, non multum quidem ea abluunt ab illis, quas ingeniosissimus *Cartesius in P. 4. Princip. philos.* de materia hac reddere conatus est: cum tamen non in totum coincidunt, haud gravabimur Autoris nostri hypothese quoad potiora sui capita generatim & per compendium communicare. Supponit videlicet, tellurem in magno mundi hujus vortice annuatim cum reliquis planetis circa solem, & quotidie circa proprios axes sese rotantem, ita comparatam esse, ut continuo ex ejusdem polis emanet materia quaedam subtilissima, impalpabilis & invisibilis, quae ipsa per ac circa illam perpetua circulatione sic feratur, ut ex alterutro polorum exiens per oppositum polum rursus intret tellurem, eamque mediam per poros axi parallelos transeat, donec iterum e priori illo polo emergat: poros vero illos telluris tales fingit, ac si certis quibusdam particulis ad instar pilorum muniti ac obsiti essent, quae ipsae, materix quidem illi circulanti facilem praebeant transitum, pro-

Hhh

stratae

stratae velut ac jacentes, si hæc motum consuetum ex uno polo intra alterum fervet: at vero, si eadem per ipsum, unde egressa foret, polum rursus aditum quæreret, ad modum erinacei semet erigentes omnem mox pororum viam occluderent. Pariem quoque rationem magnetis esse statuit, utpote cujus axes porosque eodem, antequam eruatur, cum terra situ jacentes, eisdem materiæ circulanti pervios, & per consequens ejusdem cum illa proprietatis hac ex permeatione participes fieri autumat; in tantum ut magnes a terra licet post separatus & effossus, ob continuatam tamen in ejus corpore materiæ illius circulationem pororumque configurationem, telluris naturam eatenus exacte imitetur. Denique in ferro & chalybe similes sibi poros concepit, repletos subtilissimis partibus metallicis, quæ quidem etiam velut pili erigere se ac prosternere secundum longitudinem pororum valeant, aliter tamen quodammodo ac in tellure aus magnete, cum ibi pili isti imaginarii versus alterutrum solum latus procumbere apti fingantur, hic vero ob majorem in ferro flexibilitatem indifferenter versus utrumque latus credantur semet prosternere posse. Clarius hæc de tellure, magnete ac ferro supposita intelligentur, si unum alterumque exemplum subjungamus operationum magneticarum ex principiis istis illustratarum. Sic v. g. directio polorum magnetis secundum polos mundi inde fieri dicitur, quod materia illa magnetica, quæ circa tellurem continuo circuletur, si in itinere suo offendat corpus magnetis cujusdam ita dispositum, ut libertatem quaqua- versum semet movendi habeat, hoc ipsum tamdiu rotet, donec ejus pori paralleli fiant motui illius materiæ, in quo dein situ ob continuatam ejus permeationem perdurent. Porro ferri attractio, quam tamen pulsionem verius dicendam Autor vult, sic explicatur, quod nempe materia illa subtilis, si intra distantiam illam, ad quam usque a magnete suo propellitur, (quod sphaeram activitatis vocitant) ferrum aliquod deprehendat, soleat id ipsum (utpote cujus pori transitui ejus aptiores sint, quam aer,) magna copia subintrare, ibique circulans abripere secum ferrum istud versus polum magnetis proximum, quem alias & ipsa per se ingressura fuisset. Quod dein ferro super polum magnetis debite ducto vis tam tractoria, quam

quam directoria communicetur, ratio hæc redditur, quod per magnetis affricum pili isti in poris ferri sic prosternantur, porique adeo disponantur, ut materia illa, ibi per operationem istam residua, tanquam in novo quodam magnete circulationem suam absolvere possit. Inde quoque deducitur, cur culter, si prius a manubrio versus cuspidem super magnetem trahatur, virtutem attractivam acquirat, at si post motu contrario a cusptide versus manubrium rursus magneti affricetur, eandem extemplo rursus amittat: videlicet per priorem illum ductum cultri directum fieri, uti dictum, ut materia illa magnetica, ex polo magnetis abundanter promanans, intret poros laminæ, eorumque pilis prostratis circulationem suam, ut prius in magnete continuet; at tractu deinde cultri contrario contingere, ut nova ex polo promanans materia magnetica, prius communicatam copia & validiori motu superans pilos istos prostratos rursus erigat, & pristinae confusioi restituat, circulationemque adeo sistat. Cæterum si contraria illa cultri tractio rursus iteretur, tum pilis ex adverso nunc latere procumbentibus, circulationi & sic attractioni de novo locum concedi. Simili denique modo ex prædictis principiis rationes reliquorum phaenomenorum ingeniose satis redduntur; v. g. cur magnes non solum ferro, sed alii magneti semet uniat; cur unius magnetis polus polum alterius consimilem refugiat, oppositum sequatur; cur acus uni magnetis polo applicata, polum ejusdem oppositum evitet, & si huic vi admoveatur, priorem deim reciproce fugere incipiat; cur acus magnetica sub æquatore solum horizonti parallela maneat, cis illum hac sui extremitate, trans eum altera præponderet: cu magnetis duo segmenta, si sectio axi parallela fiat, eodem situ, si alterum e filo suspendatur, supra se invicem reponi nolint, sed contrarium affectent: cur magnes ferro armatus fortis nudo trahat; cur corpora quædam, v. g. ferreae cruces in turribus, item forcipes in igne diu adhibitæ, longo temporis tractu sua sponte vim quandam magneticam, utut debiliorem, nanciscantur: quorum experimentorum omnium causas ab Autore assignatas hic sigillatim referre, cum prolixum nimis futurum foret; malumus lectorem ad ipsam libelli sat nempe succincti lectionem ablegare, ubi curiosarum speculationum assatim deprehendet. De sola tamen acus magneticæ declinatione a Roberto



Normanno, celebri nauclero primum observata, ob frequentem ejus variationem, congruam & adequatam rationem reddi vix ac ne vix quidem posse autumat; enarrans nihilominus, quid causæ a Cartesio, Rohaultio aliisque hæc in re soleat allegari. Caterum varia quoque annotavit, quibus virtus magnetis aut augeri, aut minui, aut in totum extingui possit. Sic tradit, si magnes mediocri prope fortiorem collocatus servetur, mediocri illius vim plerumque evidenter minui, nisi poli utriusque eodem situ sint dispositi; pariter, multum conducere, si magnes e filo libere suspendatur, ut secundum polos mundi prohibitusse convertere queat; id vero nisi fiat, debiliorem eundem facile fieri: rubiginem denique admodum debilitare, candefactionem penitus delere vires magneticas. Id quoque expertum se perhibet, in armando magnete ferrum melius adhiberi, quam chalybem: & videndum esse, ut pedunculi magneti affigendi e ferro seindantur secundum longitudinem, prout eundem ductum est; sic etenim tractionem quæ a parte fortiorem fore, quam si sectio ferri fiat transversim & secundum ejus latitudinem. Non omisit etiam Autor varias de magnete fabulas vulgo receptas explodere, v. g. quod per affictum allii, adamantis contactum, aut menstruatæ correctionem vis ejus sufflaminetur, aut minuatur; quod acus magnete imbuta gradus elevationis poli indicet; (illius enim obliquitatem cum hæc nil commercii habere inde evincit, quod inclinatio ista sit fere graduum 70, in locis, ubi elevatio poli non nisi 40 aut 50 gradus efficit: ) quod Mahometis sarcophagus ope duorum magnetum in aere pendulus servetur: hoc etenim non legibus solum artis magneticæ e diametro contrarium esse, sed & peregrinantium aurophæ repugnare ostendit, totiusque fabulæ originem enaram occasione majoris ejusdæ magnetis in sepulchro Mahometis ad murum affixi, e quo mediante catenula chalybea suspensa teneatur funis argentea: Omnium vero maxime ridet Galenum ejusque affectas, qui sibi persuaserunt, magnetis in pulverem redacti & emplastris commixti magram fore efficaciam in extrahendis e vulnere fragminibus ferri residuis: cum tamen certum sit, fortissimum alias magnetem, si in pulverem comminuetur, ne levissimam quidem scobis ferræ particulam ulterius movendo esse, eo quod hoc pacto & poros & pores suos omnemque

MENSIS AUGUSTI A. M DC LXXXVII. 429

memque partium configurationem amiserit. Sub finem Autor ostendit, quomodo auxilio magnetis varii generis machinæ curiosæ & primo intuitu stupendæ fabricari queant; quibus hic referendis non immorabimur, cum & harum pleræque & plures aliæ, a solertissimo Kirchero in *Arte Magnetica* jam olim monstrata fuerint; qui ipse tamen annotationibus, in praxin ægre deducendis, quandoque nimium indulserit, aliorum judicio decidendum relinquimus.

**SEBASTIANI SCHMIDT, SS. TH. D.**  
*apud Argentoratenses in Universitate Professoris  
Senioris & Conventus Ecclesiastici Præsidis in librum pri-  
orem Samælis Commentarius.*

Argentorati, sumptibus Joh. Frid. Spoor, 1687, in 4.

**SEBASTIANI SCHMIDT IN PROPHE-  
tiam Hoseam commentarius.**

Francofurti ad Moenam, sumptibus Joh. Davidis Zunneri,  
1687, in 4.

**SEBASTIANI SCHMIDT COMMENTA-  
rius in primam Jobanis Epistolam.**

Francof. & Lipsiæ, apud Joh. Georg. Lipper, Bibliopol.  
Luneburg, 1687, in 4.

**N**ihil affectui datur, neminique injuriam facturi sumus, si ætate hac nostra Theologum Ecclesiæ nostratæ addictum superstitem esse dubitemus, qui cum summe reverendo Argentoratensium Antiquitice *Sebastiano Schmidio*, in exponendis sacris literis paria facere audeat. Is enim cum ab omnibus boni interpretis dotibus ad invideam instructus sit, nihil hæcenus in Scripturæ Sacræ libros commentatus est, quod non aut approbationem, aut admirationem saltem apud æquos eruditos que rerum harum arbitros invenerit. Vi-

H h h 3

deas

deas illum ubivis emphases vocum, periodorum nexus, authorum sacrorum scopos majori dexteritate, ac ab aliis factum est, investigare, solidisque argumentis demonstrare. Testes vocaremus commentarios in *Iobam* anno 1670, in Epistolam ad Hebræos 1680, in librum Judicum 1684: in Jeremiam, in Johannis evangelium, in epistolam Jacobi, epistolam ad Ephesios, canticum Zachariæ & concionem Christi montanam a. 1685 editos, de quorum aliquibus in Actis a. 1684. p. 532, & 1685. p. 353. 355. latius disseruimus. Sed luculentius id patebit ex Commentariorum triga, cui hoc demum anno ultimam manum imposuit.

Illorum primus priori *SAMUELIS* libro explanando destinatus est, & ad singula capita primo *novam versionem* exhibet, dein *argumentum & analysin logicam*, porro *annotationes* in obscuriora capitula loca, easque breviores quidem, quarto *quæstiones* cum cura ventilatæ ac prolixius discussas, in quibus, præter sua cogitata, ubique refert, quicquid *Nicolaus Serarius*, *Gespar Sanctius*, ac e nostratibus *Brentius* in suis, quibus singuli Samuelis scripta illustrare conati sunt, commentariis habent aut laude, aut animadversione dignum. Subjunguntur tandem *loci communes* e singulis versibus grata brevitate deducti. De cætero in *alterum Samuelis & duos Regum* versionem & annotationes paratas habet; & quamvis septuagesimum ætatis annum jamjam excesserit, nequicquam tamen grave sibi fore pollicetur, cætera quæ desunt, *analysin* nempe, *quæstiones & locos communes* adjicere, modo DEUS vitam ac vires concesserit, quas Viro optimo in solatium Academiz suæ totiusque Ecclesiz Evangelicæ, toto pectore apprecamur.

Majoris adhuc momenti esse videntur, quæ in *HOSEAM* dixit Venerandus Senex. Is enim stylo adeo conciso ardua mysticisque referta vaticinia eloquitur, ut meras parabolas aut ænigmata narrasse videri queat, quale quid Ezechieli ab auditoribus objectum fuisse, ipsemet testis est. At multam ei lucem *Schmidium* nostrum affudisse, nemo diffitebitur, qui vel levi oculo perstrinxerit *versionem* literalem, *analysin* logicam, *annotationes* locupletissimas, *locosque communes* quamplurimos, sed paucissimis verbis enunciatos; quæ universa ad singula capita reperias. Modeste ac candidè dissentium suum ab interpretibus Judæis Christianisque sæpissime in-

me indicat, ac ad singulos pene versus aliqua monet, quæ tot clarissimos viros fugisse, merito mireris.

*Epistolam* denique *priorem Divi Iohannis* in undecim *Aphorismos*, hosque in sua membra, accurate dispertitur, nexumque ac nervum argumentorum, itemque verborum sensum tum in *analyfi* logica, tum in *annotationibus* dilucide explicat. *Locos communes* nullos addidit, brevitatis & solius exegeseos rationem habens. Unde ei olim junxisse juvabit *Friderici Rappolti* Theologi, dum viveret, de Academia nostra, Ecclesiaeque non minus ac universo orbe literario meritissimi, *Theologiam Aphoristicam Iohannis* ex eadem Epistola excerptam, in qua aliisque Viri operibus Theologicis excudendis præla nostra nunc occupatissima sunt.

Sufficere hæc poterant, ut Lectoribus commentariis illis utendi salivam moveremus. Quia vero cum celeberrimi *Pocockii* commentarium in *Hoseam* anno superiori exeunte ad Acta referremus, in nostratium gratiam compluscula recens observata speciminis causa exhibuimus, lubet nunc decem omnino e multis observationes de obscurioribus quibusdam *Hosæ* locis ex *Schmidii* commentario excerpere, ut exteri, quibus forsitan ejus tam cito copia futura non est, inde conijciant, quid ex ipsis Viri operibus expectare debeant.

Notat igitur ad capitis I. versum 2. uxores in V. T. aut cum pactis dotalitiis ductas esse, aut sine pactis dotalitiis. Posteriori casu non modo פְּלִיטִים *pellices*, sed & זְנוּת *meretrices* appellatas esse. Hujus generis fuisse tum *Jephthæ* matrem *Iud. XI, 1.* tum mulierem illam *scortationum* *Hosæ* nuptam, unde & harum natis *spuriorum* nomen datum fuerit. Conjugium enim tale vitio quidem caruisse morali ac theologico, non item civili.

Ejusdem capitis v. 4. *Hosæ* primogenito imponitur nomen זְנוּת *Isreel*, eo quod propediem *Deus* visitaturus esset super *domum Iehu sanguines Isreelie*, h. e. homicidia & (per synecdochen) cætera *Hos. IV, 1. 2.* recensita crimina, quæ incolæ tum regis urbis *Isreel*, tum regni a regia denominati patrarant. Visitacionem vero illam *Sallumi* ministerio peractam fuisse, ex 2. *Reg. XV, 12.* liquet.

De capitis III. argumento ita sentit *Noster*: *Agî de muliere,*  
qua

deas illum ubivis emphases vocum, periodorum nexus, authorum sacrorum scopos majori dexteritate, ac ab aliis factum est, investigare, solidisque argumentis demonstrare. Testes vocarem commentarios in *Iobam* anno 1670, in *Epistolam ad Hebræos* 1680, in *librum Jüdicum* 1684: in *Jeremiam*, in *Johannis evangelium*, in *epistolam Jacobi*, *epistolam ad Ephesios*, *canticum Zachariz & concionem Christi montanam a. 1685 editos*, de quorum aliquibus in *Actis a. 1684. p. 532, & 1685. p. 353. 355. latius disseruimus*. Sed luculentius id patebit ex *Commentariorum triga*, cui hoc demum anno ultimam manum imposuit.

Illorum primus *priori SAMUELIS libro* explanando destinatus est, & ad singula capita primo *novam versionem* exhibet, dein *argumentum & analyfin logicam*, porro *annotationes* in obscuriora capitula loca, easque breviores quidem, quarto *quaestiones cum cura ventilatas ac prolixius discussas*, in quibus, præter sua cogitata, ubique refert, quicquid *Nicolaus Serarius, Gaspar Sanctius*, ac e nostratibus *Brentius* in suis, quibus singuli Samuelis scripta illustrare conati sunt, commentariis habent aut laude, aut animadversione dignum. Subjunguntur tandem *loci communes* e singulis versibus grata brevitate deducti. De cætero in *alterum Samuelis & duos Regum versionem & annotationes paratas* habet; & quamvis septuagesimum ætatis annum jamjam excesserit, nequicquam tamen grave sibi fore pollicetur, cætera quæ defunt; *analyfin nempe, quaestiones & locos communes* adjicere, modo DEUS vitam ac vires concesserit, quas Viro optimo in solatium *Academiz suæ* totiusque *Ecclesiz Evangelicæ*, toto pectore apprecamur.

Majoris adhuc momenti esse videntur, quæ in *HOSEAM* dixit Venerandus Senex. Is enim stylo adeo conciso ardua mysteriisque referta vaticinia eloquitur, ut meras parabolas aut ænigmata narrasse videri queat, quale quid *Ezechieli* ab auditoribus objectum fuisse, ipsemet testis est. At multam ei lucem *Schmidium nostrum* affudisse, nemo diffitebitur, qui vel levi oculo perstrinxerit *versionem* literalem, *analyfin* logicam, *annotationes* locupletissimas, *locosque communes* quamplurimos, sed paucissimis verbis enunciatos; quæ universa ad singula capita reperias. Modeste ac candidè dissentium suum ab interpretibus *Judæis Christianisque* sæpissime in-

me indicat, ac ad singulos pene versus aliqua monet, quæ tot clarissimos viros fugisse, merito mireris.

*Epistolam* denique *priorem Divi Iohannis* in undecim *Aphorismos*, hosque in sua membra, accurate dispertitur, nexumque ac nexum argumentorum, itemque verborum sensum tum in *analyfi* logica, tum in *annotationibus* dilucide explicat. *Locos communes* nullos addidit, brevitatis & solius exegeseos rationem habens. Unde ei olim junxisse juvabit *Friderici Rappolti* Theologi, dum viveret, de Academia nostra, Ecclesiaeque non minus ac universo orbe literario meritissimi, *Theologiam Aphoristicam Iohannis* ex eadem Epistola excerptam, in qua aliisque Viri operibus Theologicis excudendis præla nostra nunc occupatissima sunt.

Sufficere hæc poterant, ut Lectoribus commentariis illis utendi salivam moveremus. Quia vero cum celeberrimi *Pocockii* commentarium in *Hoseam* anno superiori exeunte ad Acta referremus, in nostratium gratiam compluscula recens observata specimenis causa exhibuimus, lubet nunc decem omnino e multis observationes de obscurioribus quibusdam *Hosæ* locis ex *Schmidii* commentario excerptere, ut exteri, quibus forsan ejus tam cito copia futura non est, inde conjiciant, quid ex ipsis Viri operibus expectare debeant.

Notat igitur ad capitis I. versum 2. uxores in V. T. aut cum pactis dotalitiis ductas esse, aut sine pactis dotalitiis. Posteriori casu non modo פְּלִיטִים *pellices*, sed & מְרֵצִים *meretrices* appellatas esse. Hujus generis fuisse tum *Jephthæ* matrem *Iud. XI, 1.* tum mulierem illam *scortationum* *Hosæ* nuptam, undè & harum natis *spuriorum* nomen datum fuerit. Conjugium enim tale vitio quidem caruisse morali ac theologico, non item civili.

Ejusdem capitis v. 4. *Hosæ* primogenito imponitur nomen יִשְׂרָאֵל *Israël*, eo quod propediem *Deus* *visitaturus* esset super domum *Iehu sanguinis Israëlis*, h. e. homicidia & (per synecdochen) cætera *Hos. IV, 1. 2.* recensita crimina, quæ incolæ tum regis urbis *Israël*, tum regni a regia denominati patrarant. *Visitationem* vero illam *Sallami* ministerio peractam fuisse, ex 2. *Reg. XV, 12.* liquet.

De capitis III. argumento ita sentit *Noster*: *Agi de muliere,*  
*qua*

quæ *amata* quondam *socio*, h. e. legitimo conjugii, sed *adulterio* postea contaminata, ideoque *repudiata* fuerit. Hanc certo pretio conduxisse prophetam, non ut ea unquam sibi nuberet, aut corporis copiam faceret, sed ut *solitaria sederet certo temporis spatio*; id quod mulier non fecisset, nisi tantum lucellum ex temperantia illa sua habuisset, quantum ex veteri consuetudine sperare poterat. Ea vero de causa sumptus illos factos esse ab Hosea, ut imaginem haberet, quæ & *mores* & *facta* decem Tribuum accurate referret. Gentem enim Israeliticam mulierem esse *DEO* quondam *amatam*. Adulterio dein spiritali pollutam amasse *lagenas uvarum*, h. e. lagenas vino plenas uvisque redimitas, seu, quæ iis significantur, computationes Baccho sacras. Hinc meritâ esse, ut omni cultu publico ac religione destituta *sedeat solitaria*, inde a captivitatis Assyriacæ initio usque ad Novi Testamenti tempora, quibus Israelitæ gentilibus permitti ad Jehovam iterum Davidemque Regem accessum habituri sint.

Cap. IV. in hemistichio priori quarti versus, objectionem putat a DEO proponi Prophetæ per voculam  $\text{אָמֵן}$  *veruntamen*, hoc sensu: [Redarguisti tuos.] *Veruntamen* [scias, dicturos illos esse:] *Quisquam ne contendat* [nobiscum,] & *ne arguat quisquam*. [Neve putes, non eandem omnibus mentem esse. Nam] *populus tuus est כַּמְרֹכֵי כֹהֵן* *sicut contendentes sacerdotis*, h. e. sicut sacerdotes contendentes, vel sicut ii, qui contendunt e sacerdotali ordine. Fortius igitur in univeros porro detona, & in sacerdotes quidem v. 5. — 11. in vulgus inde usque ad capitis finem.] Inter sacerdotum crimina v. 8. refertur, quod *peccatum populi comedant*, h. e. Schmidio interprete, sacris comestationibus Bacchive mysteriis intersint, & *ad iniquitatem eorum tollant animam suam*, h. e. sacris Veneris operentur, id quod clarius v. 11. effertur his omnino verbis: *scortatio & vinum & mustum occupavit cor eorum*. Unde v. 9. concluditur, sacerdotes ejusdem furfuris esse ac imam vulgi facem. Et pœna v. 10. indicitur, fore ut nec *perpetuo saturantur*, nec *multam prolem procreent*, quorum alterum Bacchi, alterum Veneris sacris rite strenuequæ celebratis mereri sperabant.

Initium capitis VIII. h. m.  $\text{\pi\alpha\rho\alpha\Phi\epsilon\rho\acute{\alpha}\zeta\epsilon\iota}$  Noster: [O hostis! *Ad palatum tuum buccinam* [pone;] *sicut aquila* [veni] *super domum Jehovæ* vel gentem Israelis, quæ se domum Jehovæ esse gloriatur atque jactitat.

Capitis

Capitis sequentis noni versum primum idem vertit: *Ne late-  
ris, Israel, אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל (i. e. אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל) super similitudine, h. e. idolo.*  
Confer Deut. IV. 15. V. 8. Exod. XX. 4: Versum *decimum tertium*  
reddit: *Ephraïmum, אֶפְרַיִם כְּאֶרֶץ רַחֵם* quando eam [h. e. terram ejus  
omnem] *contemplor אֶרֶץ אֶפְרַיִם* USQUE ad Tyrum, (nam eousque ter-  
mini Palæstinæ protenduntur,) *tota (sane) plantata est in pulchro.*

Legimus C. X. v. 11. *Sed Ephraïm vitula, אֶפְרַיִם אֵימָה, AMANS*  
*TRITURARE.* Observat heic Schmidius ex Jer. L. u. vitulas tri-  
turantes pingues factas, cum nemo prohiberet, ne de frumentis com-  
ederent, quin potius eo potissimum sine triturationi adhiberentur,  
ut tanto largius pascerentur, eoque citius ad eam corporis molem  
assurgerent, quæ jugo ferendo trahendoque aratro apta esset. At  
pinguedinem illam in causa fuisse, ut petulantiores jugique impa-  
tientiores postea essent. Maluisse eadem ratione Ephraïmum *tri-  
turare*, h. e. solvi jugo, liberum vivere, conculcare alios seque inter-  
ea saginare, quam *arare*, alterius jugo subdere *collum* suum *pul-  
chrum*, pingue, ac refractarium. Conf. Deut. XXXII, 15. Quid  
tum fecit Dominus? Non perdidit, sed castigavit. Hinc ait:  
*אֲנִי עֲבַרְתִּי* Ideo ego *transivi super bonitatem collis ejus*, h. e. devasta-  
vi bonitatem terræ ejus, non exerti tamen, quin potius hac ratione  
tantum ejus in Judam dominandi libidinem repressi. (Heic subau-  
diri Schmidius cupit vocem: *אֲמַרְתִּי* Et dixi: Sequentia vero in-  
terrogative accipit:] *Num equitans (seu dominari) facerem Ephra-  
im (super Judam)? Araret Iuda? occaret ei Iacob?* Nullo modo.  
Affectabit equidem Ephraïm imperium in Judam, sed me invito,  
2. Par. XXIX, 9. 10. frustraneoque conatu, 2. Par. XIII, 17. 18.  
Ez. VII, 1. 4-7.

Cap. XI. v. 4. sensum hunc esse opinatur Schmidius: *Funibus*  
*humanis ac amatoris traxi eos. Et (tamen) fui (non revera, sed)*  
*eis, (seu perversa eorum opinione,) sicut ii, qui attollerent jugum*  
*(quod pertingere solet a collo usque) super maxillas eorum. Et*  
*(cum male adeo interpretentur benignitatem meam) inclinabo (me,*  
*aut aures, aut misericordiam) ad eos? Tolerabo (eos)? Non faci-*  
*am. Quin pœnas luent versibus sequentibus expressas.*

Versu nono capitis ultimi non DEUS, nec Israelitæ, sed *Gen-*  
*tiles in N. T. conversi* loqui & coram Israelitis confessionem edere,



Schmidio censentur: O Ephraim! Quid mihi amplius & idolis? (nam) ego respondebo (laudans eanticis amebais) & cantabo illum, h. e. de eo, DEO vel Christo. (Tum) ego ero sicut abies virens, (&) ex me fructus meas invenietur, fructus, inquam, fidei & charitatis.

*SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes Historica, Chronologica, Critica, Dogmatica. Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctore Theologo, & in Majori Conventu & Collegio Parisiensi ejusdem Ordinis Theologia Professore & Studii Regente. Seculi XV & XVI Pars Prima.*

Parisii, apud Antonium Dezallier, 1686, in 8.

**N**ON sine applausu excepta fuisse Romæ prima historiz ecclesiasticæ a Natali Alexandro compositæ volumina, vel ex eo manifestum est, quod ipse Pontifex interprete Cardinali Cibo benedictionem Autori suam impertire non dedignatus fuerit. Verum post editionem seculi 11. & 12. quæ anno post Cleri Gallicani de ecclesiastica potestate declarationem proximo 1683 contigit, apostolica illa quam vocant, benedictio cum anathematis fulmine commutata fuit, quod d. 10. Jul. A. C. 1684 universa, quæ hæcenus prodierant, Natalis Alexandri opera percussit, ut in actis nostris Cal. Jul. 1685. jam retulimus, haud obscuris indiciis augurati, cum historia seculi 13. & 14. haud mitius actum iri. Quod prælagium nos minime sefellit. Etsi autem hac clementissimi Patris inclementia nihil sibi tristius accidere potuisse queruleretur, edito tamen 15 & 16 seculo tertii fulminis periculum subire, quam opus inchoatum non perficere maluit.

Auspicatur historiam seculi 15 & 16, quatuor voluminibus comprehensam, more in anterioribus seculis observato, a Romanis Pontificibus, quorum aliquos libidine, perfidia aliisque flagitiis infectos, neque paucos potestatis suæ orbitam transgressos fuisse non dissimulat. Mandata quæ Nuncio suo ad conventum Noribergensem

genſem aſſegato Franciſco Cheregato dedit *Adrianus VI*, ob reformandæ Curia: Romanæ ſtudioſum maximopere commendat, & Palavicini iudicium, qui *Adrianum* optimum ſacerdotem, ſed Pontificem revera mediocrem dixerat, præeunte *Johanne Launojo* iniquitatis arguit, cum nihil *Adriano* defuerit, quam ſecularis illa politica, diſſimulandi & fallendi artifex, & ambitio ſtudioſumque dominationem promovendi ultra fines canonibus totius mundi reverentia conſecratis præſcriptos, quæ Pontificem non mediocrem, ſed peſſimum feciſſent. Non minus in *Paulo III* emendandæ Romanæ curia: & inſtaurandæ diſciplinæ eccleſiaſtica: ſtudioſum approbat, nec temperare ſibi poteſt, quin conſilium quatuor Cardinalium & quinque Præſulum, quibus tanti momenti propoſitum Pontifex commiſerat, integrum deſcribat, Verba *Marcelli II*, qui manu menſam percutiens ſe non videre dixit, quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvari poſſunt, tanquam αἰγιονομίαν & majuſculis literis exprimi curavit. In *Pauli IV* vita id imprimis obſervatu dignum occurrit, quod ſe alioſque Pontifices variis erroribus obnoxios agnovit; quod ex *Johannis Hayæ* Pariſienſis Theologi narratione, & *Michaelis Caſtelnavi Malviſſerii* Commentariis A. C. 1659 Lutetia: editis prolixius refertur.

Pontifices Romanos excipiunt *hæretici*, agmen ducentibus *Joh. Huſſo* ejuſque aſſeculis *Hieronimo Pragenſi*, *Jacobello Miſnienſi* & *Petro Dresdenſi* (e quibus Petrum Dresdenſem primum communionis ſub utraque apud Bohemos inventorem, *Jacobellum* autem primum ejuſ articuli publicum præconem fuiſſe pronunciat,) & cæteris Huſſitis, quorum dogmata, geſta & fata e variis hitoriarum monumentis recensentur. Et in doctrina quidem *Johannem Huſſum* & Huſſitas Calixtinos circa articulos de tranſubſtantiatione, purgatorio, numero & efficacia ſacramentorum, confeſſione ſacramentali, oratione pro defunctis, interceſſione & invocatione ſanctorum, & veneratione imaginum cum Romana eccleſia conſenſiſſe, ex ipſis Huſſi ſcriptis aliisque argumentis probare contendit, & *Aneam Sylvium* perperam toti ſectæ tribuiſſe cenſet, quæ Thaboritarum propria fuerunt. De *Hieronimo Pragenſi* idem fert iudicium. Utrumque in extremo ſupplicio magna pietatis & conſtantia: ſigna edidiſſe diſſiteri non poteſt, at vaticinia, quæ ab utro-

que edita feruntur, ob Æneæ Sylvii, Poggii aliorumq; ejus ævi Scriptorum silentium falsi arguere laborat.

Huffitis subjiciuntur *Gulielmus de Hildernisen* & *Egidius Cassoris* Autores sectæ *Hominum Intelligentia*; *Picardus* cum suis *Adamiis* a Zisca quidem Thaboritarum duce gladio deletis, sed postea decimo sexto seculo ab *Adamo Pastoris* resuscitatis; *Johannes Parvus*, de cujus propositionibus tyrannicidium approbantibus quid in Gallia, & in curia Romana, & in Constantiensi concilio actum fuerit, fuisse exponitur; *Matthæus Grabon*, cujus errores, una cum Petri de Alliaco & Johannis Gersonii censuris & ipsius Graboni revocatione & abjuratone, inter Gersonii opera habentur; *Augustinus de Roma* ex actis Basiliensis concilii non ignotus, *Religiosi* quidam ex mendicantium sodalitiis, quorum errores ex Augustini Patricii historia Basileensis & Florentini concilii adducuntur; *Petrus Oxoniensis*, cujus librum una cum cathedra igni traditum ex Bannis in Thomam commentario traditur; *Fossarii* qui in fossis & speluncis promiscuas libidines exercuisse, & haustu grandis mûcæ spiritû erroris recepisse perhibentur, & *Hermannus Rutsuvich* ob blasphemata sua deliria in Belgio combustus.

Ab his ad *Lutherum* nostrum Alexander transit, in cujus vita & doctrina enarranda calumniarum cramben a Cochlezo aliisque infensissimis Lutherani nominis hostibus toties coctam & recoctam, non sine lectorum fastidio apponit. Quo spectat, quod prima statim sectione Lutherum nomen familiæ suæ Luder ob inhonestam significationem mutasse, cum dæmone commercia habuisse, & Catharinam de Bore jam gravidam incesto matrimonio sibi copulasse scribit. E scriptis Lutheri ante annû 1521 editis errores, quos putat, ultra centum & viginti excerpit, reliqua ab anno 1521 edita summatim perstringit, & quid in quoque desideret, breviter enarrat. Postea agit quoque de *Carolo studio*, *Zwvinglio*, *Oecolampadio*, *Melancthone*, *Bucevo*, *Schruvenckfeldio*, *Agricola*, *Osiandro*, *Brentio*, *Flacio* & *Stancaro*, cum eorum nomina, ut ait, in Lutherana hæreseos historia frequenter occurrant. In historia Augustana confessionis, Formulæ concordiaë variorumque colloquiorum & conventuum Lutheranae religionis causa habitorum, plerumque, testes partium præjudicio corruptos sequitur. *Incermissas* Lutheranos cum *Holo* & *Lindano*

danotriplices fuisse scribit, Cæsareos, Lipsicos & Francicos, quorum inter se differentiam breviter exponit. In indiculo scriptorum, qui Lutherana, quam putat, hæresin impugnarunt, extremum locum occupat. *Anne Binfa*, virgo & ludi magistra Antverpiensis, quam rythmo teutonico pererudito sedecim libros carminum adversus Lutheranos primum exsurgentes publicasse scribit.

A Lutheranis ad *Anabaptistas*, & ab his ad *Calvinianos* progreditur, quibus diutius immoratur. E plurimis, quæ in medium affert, paucula notasse sufficiat. Inter tres novæ sectæ quasi apostolos a Calvino selectos fuit *Bonus Homo*, qui cum primum in *ministraria* seu publico Jurisconsultorum auditorio apud Pictavienses *Juris* institutiones prælegerit, indeque a Calvino non alio quam *ministri* nomine appellatus fuerit, inde factum esse ex aliorum sententia Autor noster refert, ut Calviniani prædicantes *Ministri* dici coeperint & etiamm dicantur. *Hugonotorum* appellationem ab Helvetiis derivat, se invicem *Evdgenossen* seu foederatos nuncupantibus, quam vocem a Gallis male pronunciatam in vulgatum illud Calvinianæ sectæ cognomen abiisse suspicatur. In *Calvini* vita ex Papyrio Massono Genevensium dictionum adducit, proferentium, se malle apud inferos cum Beza esse, qui festivis jocis eos in mediis flammis exhilarare posset, quam cum moroso & austero Calvino apud superos. Eundem Calvinum olim ob nefarium crimen candentis ferri stigmatem iniustum ex Bolseci fide narrat, cum quo *Beze* quoque, quem Calvinus in Caliphatu Genevensi successorem nominat, pæderastiam & juveniles amores exprobrat. Errores Calvinus ad 52. capita reducit. *Sectas Calvinianorum* imprimis 4 esse scribit, primam eorum, qui Calvinum ad amussim sequuntur, quales esse dicit Reformatos in Gallia & Palatinatu, plerosque Belgas & Helvetios & in Anglia *Puritanos*, ad quos *Independentes* & *Presbyterianos* proxime accedere observat; alteram *Anglo-Calvinianorum* a Puritanis cæterisque Reformatis cum in disciplina, tum in dogmatibus nonnullis dissentientium; tertiam *Piscatorianorum*, quibus quinque peculiare errores attribuit, & quartam *Arminianorum*. Hinc de colloquiis & synodis in causa Calvinianæ hæresis habitis agit, & præcipuos scriptores pontificios, qui Calvinianos impugnarunt, nominat.

Inter *Antitrinitarios*, qui proxime sequuntur, primum locum *Michael Servetus*, medium *Valentinus Gentilis*, *Blandrata* & alii, extremum uterque *Socinus* occupat. Valde autem veremur, ne ipsum quoque Alexandrum nostrum Romana Curia in hæreticorum numero habitura sit, cum *Iohannem Tanquerellum* & *Florentium Iacobum* eam ob causam hæreticis accenseat, quod Romano Pontifici supremam rerum omnium spiritualium pariter & temporalium potestatem attribuere non dubitaverint. Singulares *Michaelis Baji* opiniones in Tridentino concilio dissimulatas animadvertit, cum prudentia postulaverit, externi belli tempore domesticos in pace continere. Postea 79 Baji propositiones a Pio V & Gregorio XIII damnatas, & novas lites de sensu istius diplomatis in Lovaniensi academia exortas recitat. Tandem ad *Guliebnum* quoque *Poffellum* accedit, quem etsi a delirio famineis sexus per *Johannam* virginem Veneram reparandi absolvat, ejusque librum de orbis concordia commendat, diffiteri tamen non potest, quin multa deliriis & erroribus passim inaspera scripserit, nimirum de trinitate mundi, corporis & animarum, de Christo intoxicato, de matrice mundi, de salvandis universis omnis generis hominum sectis, de clave absconditorum a seculo, quæ nec apostoli nec ipsa ecclesia portare potuisset, de mysteriis sibi per Angelum Raziel revelatis, de nativitate mediatoris futura & alia, ob quæ a Theologis Parisiensibus reprehensum & a Magistratu increpitum, & tandem in monasterium S. Martini a Campis secedere jussum, abdicatis erroribus per annos aliquot pie vixisse, & pene centenarium obiisse scribit. Mutuatus hæc, ut videtur, e Spondani annalibus ecclesiasticis, quibus Auctorem frequenter usum collato utriusque opere nemo dubitabit. Historia hæresium absoluta *scriptorum ecclesiasticorum*, quos vocat, aliorumque Auctorum Pontificiorum ætatem, præcipua scripta & nonnunquam gesta hoc ordine indicat, ut a biblicis interpretibus ad Theologos polemicos, asceticos & morales progressus in Jureconsultis & Historicis desinat, quibus in fine decimi quinti seculi etiam duo philosophi *Johannes Picus Mirandulanus* & *Marsilius Ficinus* adjunguntur. De plerisque agit brevissime. Libri de imitatione Christi, num *Thomam a Campis* auctorem habeant, quod Canonici Regulares S. Augustini asserunt, an *Iohannem Gersen*, cui

Monachi

Monachi Benedictini opus illud vindicare satagunt, pronunciare non audent, cum utriusque parti gravissima argumenta non deesse censeat. *Hieronymum Sevonarolam* ob declamationes in luxum & licentiam Cleri praesertim Romani, & quod in ecclesia a planta pedis usque ad verticem nihil sani esse, & abominationem desolationis in loco sancto stare praedicasset, ab Alexandro VI injusto anathemate confixum, eoque agente tandem a Florentino Magistratu damnatum, patibulo suspensum & combustum memorat. Pleraque, quae in *Santis Pagnini* bibliis Romanis censoribus displicent, Genevensium interpolatorum nequitiae adscribenda esse cum Raynaudo & Mirzo suspicatur. Haud minus *Francisci Vatabli* versionem ab haereticis in Gallia foede interpolatam, sed postea a Salmanticensibus & Complutensibus Theologis emaculatam asserit, & quantum Parisiensis bibliorum sub nomine suo vulgatorum editione offensus fuerit, ex *Genebrardi* praefatione in Origenem enarrat. In *Iohannis Fero* opera multos errores haereticorum dolo irreperisse, gratis dicit. *Thomae Cajetani* tractatum de potestate Papae & concilii ab Academia Parisiensis & ecclesia Gallicana non probatum refert, & quam infeliciter novam Veteris Testamenti versionem Hebraeae linguae rudis tentaverit, recenset, approbans Melchioris Cani iudicium, qui Cajetanum novis quibusdam Scripturae expositionibus aliorum, quae dixerat, auctoritatem elevalle aut imminuisse scribit. Neque tamen in haereticorum numero ponendum censet, quod ab Alphonso a Castro & Prateolo inconsiderate factum arguit. Inter *Ambrosii Casbarini* opiniones immerito a quibusdam vellicari iudicat sententiam de externa ministri intentione ad efficaciam Sacramenti sufficientem, cum eandem sententiam, quam pendente concilio asseruit, ante concilium Tridentinum Magister sententiarum, Paludanus, Angelus de Clavaio & alii, item post concilium Alphonsus Salmeron cum pluribus aliis defenderint, & ex concilio Rothomagensi & Aquensi, quae 1581 & 1585 celebrata sunt, eam opinionem concilii Tridentini decretis non adversari constet, cum in istis conciliis prohibitum fuerit, ne baptizati a Calvinistis iterum sub conditione baptizarentur, qui mos in plerisque Neustriae & Provinciae locis inoleverat, quia nonnulli dubitabant de valore baptismi ab huiusmodi haereticis collati, quod non haberent in-

sentio-

*tionem baptizandi in remissionem peccatorum.* Hæc ex primo 13 & 16 seculi volumine notare placuit. Reliqua proximis mensibus reservamus.

**DE NECESSARIA SECESSIONE NO-  
stra ab Ecclesia Romana, & impossibili cum ea Syn-  
cretismo disputationes, auctore Francisco Turrettino, in Eccle-  
sia & Academia Genevensi Pastore & SS. Theolog. Professore.  
Accessit ejusdem disputationum Miscellanearum detas. E-  
ditio altera, aucta & recognita.**

Genevæ, apud Samuelem de Tournes, 1687, in 4.

**A**liquot jam elapsi sunt anni, cum disputationes de necessaria secessione Reformatorum ab Ecclesia Romana, & impossibili cū ea syncretismo publici juris fecit celeberrimus Autor, quæ postquã non sine insigni applausu exceptæ, & brevi omnia exemplaria distracta fuere, de illis denuo sub prælum mittendis cogitare cœpit, ut eorum desiderio fieret satis, qui istas avide requirebant. Ut autem eo cultiores prodirent, secundis curis illas non parum auxit, & iis additamentis locupletavit, quæ novitias adversariorum exceptiones & objectiones discutere, & veritatem sententiæ fortius asserere possunt. Ex ogdoade harum disputationum prima in formando statu controversiæ primum occupatur, eundemque, præmissis variis distinctionibus, ad hocce redigi terminos ostendit: *An licitum fuerit & necessarium Patribus Reformatorum superiori seculo segregare se secessione non politica & civili, quoad charitatem & ejus officia, sed sacra & ecclesiastica, quoad fidem ejusque professionem, non latente tantum & negativa, sed patente & positiva ab Ecclesia Romana, non qua Ecclesia simpliciter, vel qua Ecclesia Romana veteri & pura, sed qua Ecclesia Romana novitia, corrupta & impura, id est qua Pæpali & hæretica, quæ & ipsa secessionem primo fecit a Christo? Quæstione sic rite constituta ad ejus affirmationem propugnandam sese accingit, & cum ante observasset, tres primarias causas secessionis justæ ab Ecclesia quadam esse posse, scilicet hæresin in doctrina, idololatriam in cultu, tyrannidem in regimine, quoniam hæresis funda-*

fundamentum fidei evertit, idololatria puritatem cultus penitus corrumpit, & tyrannis verum Christi regnum destruit; capitales & fundamentales errores obtinere in Papatu, ut impossibile sit eos fovere & profiteri sine præsentissimo salutis discrimine, demonstrare aggreditur. In sequentibus tribus disputationibus, quæ de *Idololatria Romana* inscribuntur, Pontificiorum Ecclesiam idololatriæ ream duplici nomine peragit, tum respectu objecti, quia sanctis defunctis, Angelis, Pontifici, Sacramento Eucharistiæ, cruci & reliquiis religiosum cultum exhibeat: tum respectu modi, quia verum Deum sub imaginibus, in quibus ille semet coli noluerit, veneretur. In *disp. V.* tyrannidem durissimam & intolerandam in Papatu vigere probat, desumpto potissimo argumento a primatu Papæ, e quo tria præ cæteris pontificiæ tyrannidis capita exsurgant, nempe, quod in Imperatores & Reges potestatem sibi arroget; quod in animas & conscientias sibi jus competere credat; quod in corpora & facultates hominum sibi omnia licere putet. In *disp. VI.* occasione oraculi, quod *Apoc. XVIII. 4.* habetur, de *Babylone* agit, & ex illo quartum argumentum ad evincendam secessionis ab Ecclesia Romana necessitatem depromit. In cujus loci illustratione ostendit, per Babylonem nihil aliud, quam Romam Pontificiam intelligi: populum Dei, cui egressus ille injungitur, non ita dici ratione creationis, sed redemptionis; non respectu providentiæ, sed prædestinationis: secessionem ipsam corde pariter, atque ore & corpore instituendam: non statim nata ecclesia oraculum hoc locum habere debuisse, sed demum post revelatam Babylonem, neque statim initio tyrannidis *Babylonicæ*, sed postquam hæc diu durasset & casui proxima esset: egrediendum esse e Babylone, ad vitandam participationem peccatorum ejus atque poenarum. *Disp. VII.* de *Antichristo* tractat, notasque ejus in sacro codice obvias, ad tres præcipuas, scilicet locum seu sedem, tempus, ac personæ qualitates & actiones revocari posse statuit, easque in Pontificem Romanum quadrare, non solum demonstrare, sed & contra exceptiones Pontificiorum vindicare nititur. In *Disp. IIX.* argumenta, quibus Pontificii contra secessionem & pro syncretismo decertant, solvere aggreditur, eaque in duas classes dispescit, expendens primo illa, quibus secessionem Reformatorum injustam



& temerariam, atque adeo vere schismaticam fuisse, probare contendunt: secundo excutiens alia, quæ syncretismum ut justum & possibilem commendant.

His octo recensitis disputationibus Exercitationum Miscellanearum decas subjicitur, in quarum *prima* de *Libro Vitæ* enucleanda sibi sumit: (1) quid per Librum vitæ intelligatur, & quo sensu Deo tribuatur? (2) an quisquam ex eo deleri possit? (3) an & unde constare possit, nos in hoc libro esse scriptos? In *II* & *III* de *Autoritate Scripturæ Sacræ* contra Pontificios differit, ubi ante omnia operosus est, ut status controversiæ rite formetur, quem rejectis variis, quæ ab illo abluunt, eo redire ostendit: unde, sive propter quid, quove argumento præcipuo Spiritus Sanctus utatur, ad nobis probandam Scripturæ autoritatem, an testimonio Ecclesiæ, an vero ipsius Scripturæ, seu argumentis & criteriis ipsi in sitis? Dein posterius in hac quæstione confirmandum suscipit, ac in sententiæ suæ probatione progreditur (1) *κατὰ ἀποκρίσιν* ostendendo autoritatem Scripturæ non pendere ab Ecclesia. (2) *κατὰ ὁρίσιν* evincendo, totam fundari in Scriptura ipsa. Quibus probationibus objectiones Pontificiorum passim annectit, easdemque solide resolvit. In *Disp. IV*, quæ de *Bonarum Operum Necessitate* est conscripta, phrasin illam, *bona opera sunt necessaria ad salutem*, retineri posse, modo rite explicetur, nempe de necessitate præsentis non efficientiæ, mediæ non meriti, connexionis non causalitatis, non tantum adstruit, sed & ipse bona opera ad salutem tum necessitate præcepti, tum necessitate mediæ necessaria esse, defendere satagit. Deinde Antinomorum, qui B. O. necessitatem impugnant, argumenta resolvit, atque Pontificiis accusantibus Reformatos, quod una manu dent, altera auferre, eas nempe theses fovendo quæ necessitatem B. O. elevent ac evertant, respondet, & sigillatim Autorem *Tractatus Gallici*, qui novissime *Parisii in 4.* sub titulo: *Subversio doctrinæ moralis ab erroribus Calvinistarum circa justificationem*, in lucem est emissus, refellendum sibi sumit. In *Disp. V. Trium Cælestium Testium naturam, operationem & unitatem*, ex *I. Job. V, 7*, asserta prius hujus loci autoritate canonica explicat, & sub finem ex eodem oraculo varia ad mysterii Trinitatis confirmationem fluere argumenta declarat. In *Disp. VI.* eadē methodo de *tribus Testibus Terrestribus*

*sribus, Spiritu, Aqua & Sanguine ex I. Iob. V, 8. agit, & eosdem tum quoad naturam, tum quoad officium, tum quoad unitatem perlustrat; sub finem autem quibusdam scrupulis, qui ex diōtis oriri poterant, satisfacere studet: nempe cur Johannes præmittat aquam sanguini, si per aquam regeneratio, per sanguinem justificatio sit intelligenda, cum certum sit, justificationem præcedere sanctificationem? an ex eo, quod per sanguinem Sacra Coenæ intelligatur, sequatur præsentia realis & substantialis sanguinis Christi in Coena, ut inferunt nonnulli ex Lutheranis? an quia Spiritus dicitur testari in nobis, faveat hoc Euthūstastarum delirio, qui spiritum privatum jactant & ascenas ejus revelationes? *Disp. VII est de Baptismo nubis & maris ex I. Cor. X, 1. 2. in cujus enucleatione sistit (1) miraculum ipsum historice & in littera, e cap. XIII & XIV Exod. motis aliquot quæstionibus: an columna nubis & ignis una eademque fuerit, an diversæ? cur Deus columnam illam in populo Israelitico erexit? an recta Israelitæ transferint per mare rubrum, ex littore Ægypti usque in littus Arabicum illi oppositum, an vero via semicirculari in medio mari facta, ex Ægypti littore profecti in idem littus reversi fuerint? cur Deus, qui poterat Israelitas longe breviori via in Canaan per terram Philistæorum deducere, in qua nec montes superandi, nec mare transeundum erat, voluerit eos per viam deserti circumducere, longe asperiores & laboriosiores, in qua hærendum illis fuit per quadraginta annos. (2) *Mysterium sub historia & littera latens; ubi ostendit, Baptismum veterum in nube & mari sacramentum fuisse non Baptismi nostri, sed rei per Baptismum significatæ, & adducit analogiam, quæ Baptismo in nube & mari cum Baptismo nostro intercedit. In *Disp. IIX de Manna, ex I. Cor. X, 3. eandem, quam in antecedente, observat methodum, considerans illius, 1. historiam, ex cap. XVI Exod. cujus occasione quærit: cur Deus hac ratione prospicere voluerit populi necessitati? cur cibus iste Man dictus sit? an istud Manna fuerit naturale, an vero miraculosum? (2) *mysterium, quod panis ille coslo delapsus Christum verum panem vitæ adumbrarit, hujusque symbolum, tum quoad originem & causam, tum quoad naturam & proprietatem, tum quoad usum & effecta fuerit. Sub finem dissertationis tria posuimata, quorum primum pro manducatione*****

spirituali Christi adversus oralem & carnalem comestionem: alterum de identitate fœderis gratiæ, tam in V. quam in N. Testamento: tertium de cognitione Christi sub V. T. e textu eruere conatur. IX. Dissertatio de Petra Christo ex I. Cor. X, 4. itidem proponit 1. *historia enarrationem* ex Exod. XVII, & Num. XX. per quaestiones aliquot: quia bis mentio occurrit petræ percussæ a Mose, in locis allegatis, quærit, an eadem sit historia, an duæ? quænam fuerit petra illa, ex qua biberunt, & quare spiritualis dicatur, item cur vocetur sequens? quodnam Mosis & Aarons peccatum, propter quod exclusi sunt ab ingressu Canaan juxta Num. XX, 12? (2) *mysterii sub historia latentis expositionem*, ubi expendit primo vim locationis ac propositionem illam, *Petra erat Christus*, exponit per hanc, *Petra significabat Christum*, sive, Petra erat signum Christi, eaque occasione ostendere cupit eundem sensum, scilicet metaphoricum esse verborum sacramentalium vexatissimorum: *hoc est corpus meum*, cum propositiones istæ sibi sint quam simillimæ; ac ad pleniorum istius, ut ipse quidem sibi persuasum habet, veritatis illustrationem, adducit regulas varias, ex quibus sensus literalis a metaphorico, & metaphoricus a litterali possit discerni: deinde collationem inter Christum & petram instituit, ac in quibus intercedat similitudo, declarat. *In Diss. X. de Serpente Aeneo*, methodum in tribus antecedentibus exercitationibus observatam denuo tuetur, & præmissis aliquot quaestionibus, quæ ad illustrationem ipsius historiæ a Mose Num. XXI. descriptæ faciunt, mysterium sub ea latens reteggit. Quærit autem an serpentes, quos Deus ad plectendum populum Israeliticum misit, naturales fuerint, an miraculosi? cur Deus hanc poenam in ipsos immiserit? cur Moses serpentem æneum fecerit, cum materia a Deo non fuerit expressa, nec ei significata? Deinde quædam quæ ad eversionem & intuitum hujus serpentis spectant, adducit, atque sine ratione Pontificios ex isto serpente argumentum pro cultu imaginum petere demonstrat. Tandem sub serpente æneo Christum, ipso teste *Job. III, 14. 15.* adumbratum fuisse, adducta Christi cum serpente isto convenientia pariter & disconvenientia, exponit.

HUGO.

MENSIS AUGUSTI A. M DC LXXXVII 445  
HUGONIS GROTII DISSERTATIO DE  
*Cœna administratione, ubi Pastores non sunt; item,  
an semper communicandum per symbola? cum diverso-  
rum, Dion. Petavii, Cloppenburgii & Henr.*

*Dodwelli RESPONSIONIBUS.*

Londini, impensis B. Tooke, 1685, in 8.

**F**asciculus hic est quatuor Dissertationum a quatuor doctissimis viris, Grotio, Petavio, Cloppenburgio, Dodvello adornatarum, quibus præfixa præfatio ab eodem Dodvello procul dubio est concinnata. In hac momentum & historia illius controversiæ proponitur, quam primus a. 1628 moverit Rigaltius, opponente se tam acriter Albaspinæ, ut res Romam fuerit deferenda, ibique scriptis ab utroque epistolis apud Pontificem agitanda, donec mors Albaspinæ a. 1630 finem liti imposuerit. Postea Rigaltii causam suscepisse Grotium eo tempore, quo pacem ecclesiasticam meditabatur, cujus Dissertatio a. 1638 edita primum hoc in volumine locum occupat, quanquam addita habeat nonnulla, quæ ipse pro suis agnoscere non potuerit, & quæ vere sua essent, cum a Riveto impugnarentur, defendere noluerit. Grotio tamen subscripsisse Episcopium, respondisse Petavium a. 1639 singulari Dissertatione, quam a. 1640 sub Walonis Messalini nomine adgressus sit Claudius Salmasius. Dehinc Grotio sese opposuisse ex Reformatis Rivetum & Cloppenburgium, ex Pontificiis autem Georgium Ambianum in suis ad Tertullianum Annotationibus.

Hugo Grotius in *Dissertatione* sua, post descripta Tertulliani verba ex opere de Exhortatione castitatis, quæ occasionem dederunt controversiæ Rigaltii explicationem affert, qui dixerat, Tertullianum hoc velle, si Christianus cum familia sua in navi sit, & feratur in ea loca, in quibus nulli sint Christiani, nullus confessus ordinis, id est, *πρωτοδουξίον*, ipsum posse & offerre Deo, nempe symbola dominicæ passionis, cum solenni gratiarum actione, & tingere, id est baptizare, & sacerdotem esse sibi, quia in illis etiam paucis sit ecclesia &c. Ex adverso Albaspinæ, ut privilegium presbyteratus tueretur, quovis potius modo vocem *offerre* sumi volebat,

Kkk 3

quam

quam de eo, quod Paulus Apostolus dixit *εὐλογεῖν & εὐχαριστεῖν*, pro quo vulgus nunc dicit consecrare. Grotius ad defendendum Rigaltium adferit, verbum *offerre* hoc sensu solere sumi apud Tertullianum & Cyprianum, nec alio gaudere significato, ubi conjungitur cum tingere, id est, baptizare; idque non apud ecclesiasticos tantum scriptores, verum etiam in legibus. Tum vero vim totam argumenti, quo utitur Tertullianus, in eo consistere, ut dicat nihil esse tam magnificum, quod a presbytero fiat, ad quod non & laicus admitti debeat, ubi presbyterium non est. Id ut ostendat, profert quæ extra talem necessitatem laici non usurpabant, sed relinquebant solis presbyteris, ut baptizare & solemnibus uti verbis, per quæ fit Eucharistia. Addit Grotius similem locum alium Tertulliani ex libro de Corona militis, contenditque, hanc tempore Tertulliani communem apud Christianos opinionem moremque fuisse; & seriori ætate Frumentium laicum ad Æthiopas venientem, his quos ad Christum converterat, & paucis qui cum ipso erant, auctore fuisse, ut convenirent & sacra celebrarent; neminem autem ibi tunc episcopum vel presbyterum fuisse. Imo etiam foeminas, ubi non modo presbyterorum, sed & virorum copia esset nulla, communi hoc jure usas credidisse Martyrologii scriptorem, quando Petronellam, Petri apostoli filiam, dominicæ oblationis mysteria celebrasse dixit. Posthæc contra Albaspinæum probare nititur Grotius, non tantum presbyteris, sed etiam diaconis licuisse Eucharistiam consecrare, ex Concilio Laodicensi & Ancyrano, tum ex consuetudine Christianorum sancti Thomæ, quos institutorum veterum retinentissimos vocat, atque ex Synodo Arelateni prima. Quibus peractis, ex seriori ævo exempla conquirat de laicorum, ubi presbyteri non aderant, eucharistica inter se communionem, Synodi nempe Trullanæ, quæ Can. 58 tantum laicis id interdicit, præsentem diacono aut presbytero; senis laici anachoretæ, Bertrandi Guesclini, Agmonis filiorum, & aliorum, quorum mentio fit in antiquioribus fabulis, quas Romanas vocant. Subjungit denique Erasmi suffragium, & difficilem Tertulliani locum ex libro de velandis virginibus ita interpretatur, ut prohibeantur ibi mulieres tingere & offerre, ubi sacerdotes aut saltem viri præsto sunt; id vero iis permittatur, ubi virorum quoque Christianorum nulla est copia.

Altera

Altera pars Dissertationis Grotianæ, *An semper communicandum per symbola?* ex facto Chrysoſtomi & διακρωομένων nata est, quorum ille in schismate Antiocheno per triennium, hi manente post Synodum Chalcedonensem gravi per Ægyptum Orientemque diffidio, cum neutra litigantium parte communicarunt. Grotius primum quærit, an institutio Christi de cœna præceptum, præsertim universale, ac sine conditione, contineat? Quam in rem observat, institutionis ejus occasionem ex more sumtam Ebræorum, non minus ac baptismi & manuum impositionis. Hinc postquam consuetudinem Ebræorum festis diebus, quos bonos vocant, in cœna adhiberi solitam explicasset, arbitratur, illud Christi, τὸ ποιῆτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, non esse definitum imperium, sed intelligendum hoc, ὅταν ποιῆτε, quoties festas coenas habetis & more solito isto postcoenio eas clauditis. Proprie ergo Ebræos, quibus mos erat celebrandi talia postcoenia, Christus excitatos voluit, ut ad beneficiorum aliorum gratam commemorationem & suæ mortis memoriam adjungerent. Porro existimat, Paulum etiam ad gentes hunc ritum perduxisse, occasione alterius moris apud eas usitati, ut quoties quis sacrificasset, extorum pars ei redderetur, ad quam vocabat convivias. Hinc agapas Christianorum ortas, & Eucharistiæ sacramentum tempore victus sumendi consuetudinem. Addit, nec Paulum præceptum usquam vocare, sed institutum; nec quosvis invitare, sed eos qui bene se exploraverint &c. His suppositis subsumit Grotius: jam vero est ea que fuit semper, etiam sub lege illa rigida Mosis, symbolorum natura, ut facile ex causa probabili omitti se ferant. Quod postquam exemplis aliquot veteris testamenti probasset, subjicit tres causas justissimas, uti ait, intermittendæ communionis symbolicæ, quarum prima est, si qui præpositi sunt ecclesiis, aut expresse aut tacite professiones exigant quarundam assertionum, quibus alterius conscientia non adsentit. Secunda: si communio symbolica non modo usum, ad quem nata est, non habet, fovendæ ac testandæ communionis cum omnibus pie Christianis, verum insuper tendat ad testandam partis duntaxat aliqujus fœderationem, rejectionemque aliorum non minus pie ac Christiane viventium, & ad salutem necessaria, quæ non ita sint multa, credentium. Tertia: quod interdum abstinens aliquis a partium

partium communione, liberius solutiusque exercere potest Christianæ dilectionis officia. adversus dissidentes. Tandem respondet ad objectionem ex Joan. VI, 53. eumque locum de symbolica manducatione non esse interpretandum monstrat, idque non minus inconueniens esse ac eorum sententiam, qui conspicui baptismi necessitatem probare conentur ex loco Joannis altero ( cap. III. ) ubi de nova genitura agitur.

Accedamus nunc ad oppositam Dionysii Petavii *Diatribam de potestate consecrandi & sacrificandi sacerdotibus a Deo concessa: deque communione usurpanda.* Cujus cap. I. formatur status quæstionis; utrum quoties offerre apud veteres illos, quos Grotius adduxerat, legitur, actionem eam significet, quæ consecratio dicitur? Petavitus negativam amplectitur, variisque rationibus & veterum testimoniis vult persuadere, caussatus, duplicem esse actionem in novæ legis sacrificio, alteram oblationem sive προσφορὰν, alteram consecrationem. Illam laicis concedit, hanc denegat. Hinc cap. II. objectum Tertulliani locum exponit ex more veterum, qui panem consecratum vel statim absumebant, vel domum deferrebant. Cum igitur Christiani persecutionis metu in cryptis ac latebris delitescerent, putat interdum usu venisse, ut Christi corpus secum eo portarent, ac si nullus esset sacerdos, delectus aliquis e laicorum numero, illud ipsum offerret Deo, certis ad id precibus adhibitis, quas in synagogis audire consueverant, atque in omnes distribueret. Ideoque definit, Tertullianum non prorsus omni sacerdotali potestate ac functione laicos instruxisse, neque credidisse, posse illos consecrare, sed offerre tantum: quod quia soli fere, ac publice, & ordinario usu sacerdotes faciebant; ideo laicos, qui idem interdum & in necessitate agerent, sacertotes eum dixisse, non præcisa & exacta ratione, sed similitudine quadam, & declamatoria hyperbole. Posthæc ad evertenda Grotii argumenta sese convertit, & ad primum ex verbis Christi, *hoc facite &c.* ad omnes fideles, etiam laicos, pertinentibus, desumptum respondet, ea non eodem modo de laicis & sacerdotibus accipienda. Ex altero Tertulliani loco de Corona militis, negat sequi, quod vult Grotius, sed hoc solum; ejus, quod confuse ac minus expresse Christus mandaverat, Traditionem interpretem fuisse, quæ nos docuit, neminem consecrare

crare posse Christi corpus, nisi sacerdotes; vel Tertullianum non de consecratione loqui, sed de sumptione. Cap. III reliquas Grotii rationes excussurus, in Frumentii historia eum sæpe lapsum esse vult, & negotiatores, Frumentii comites, aliquos secum presbyteros advexisse contendit. Tum neque feminas, neque inferiores sacerdote clericos unquam consecrasse sustinet, & canonem Nicænum, Laodicenum, aliosque a Grotio objectos diluit. Cap. IV & V alteram Grotianæ disputationis partem examinat, ita ut priori non licere cuiquam ab Ecclesiæ Catholicæ seu Romanæ communionem discedere dicitur, quæ neminem latere possit, suisque notis facile cognoscatur; causas autem intermittendæ communionis a Grotio allegatas nullas esse convincat: posteriori autem locum Joan. VI 53. de orali manducatione accipiens adversus Grotium urgeat, & ex altero Joan. III 5. tantam baptismi necessitatem pro communi Pontificiorum hypothese colligat, ut sine eo parvuli in æternum pereant.

Joannes Cloppenburgius in *Disputatione selecta* alteram Diatribæ Grotianæ partem adgressus, concedit quidem num. 4, Christum nullos ritus novos imperasse, qui inauditi vel inusitati essent Judæis: indoctum tamen vel impium censet, absq; novorum externorum rituum institutione nolle agnoscere novam in ritibus antiquis novi sacramenti & sigilli divinam institutionem, & cum institutione conjunctum mandatum & præceptum de sacramenti & sigilli usu. Hinc num. 6. Socinianorû sententiam de baptismo Grotium sequi notat, aliiq; ejus erroribus de baptismo Joannis & Christi refutatis, ad Coenam Dominicâ pergit, & num. 12 seqq. hypothesein Grotii de postcœniis Judaicis & ethnicorum extis refellit. Deniq; nam. 20 usq; ad finem, præcipue Grotii opinioni evertendæ observat, nunquam absque sacramentis visibilibus seu sigillis annexis, institutam fuisse & impetratam a Deo religionem, in quacunque vel fœderis operum, vel fœderis gratiæ veteri aut nova visibili œconomia; idque prolatis exemplis demonstrare nititur.

Henricus Dodwellus in *Dissertatione de jure Laicorum Sacerdotali*, Cap. I propositis adversariorum ex loco Tertulliani argumentis concedit, non de sacerdotio aliquo improprie sic dicto intelligendum esse Tertullianum, sed de externo Ecclesiæ sacerdo-



tio; tinctionemque & oblationem esse sacerdotii proprie facti officia sacerdotalia. Hinc & Albaspinzi, & Petavii, & aliter anonymi interpretationes rejicit, & ostendit, qua ratione sacerdotes Novi Testamenti *Mediatores* possint appellari. *Cap. II* contendit, Tertullianum non loqui de facto aliquo laicorum sacerdotali, quod hactenus ab utraque litigantium parte fuerat concessum, sed tantum de jure laicorum disputare, & probandum id suscipere, hancque propriam ejus sententiam esse, non Ecclesie. Quæ ut adstruat, cum alia ex Tertulliano argumenta conquisit, tum singula loci controversi de Exhortatione castitatis verba expendit, nec alterum ejus locum ex libro de Corona Militis a Grotio objectum, vel exemplum e Basilio de Patricia Casaria a Petavio allegatum, contrarium evincere sustinet, variaque admiscet de Ecclesie nomine ab Hellenistis, non a Græcis gentilibus, sumto, ut proinde non solos plebejorum conventus designarit, quod tamen Independentes velint; de sacerdotio legitimo Ecclesie essentiali, & similia altiori indagine digna. *Cap. III* statuit, laicorum factum sacerdotale si aliquod fuisset ætate Tertulliani, nihil tamen illud ad causam hodiernorum schismaticorum facere. Hinc monet, multa fuisse in primævæ atque Apostolicæ ecclesie moribus, quæ tamen nec ab ipsis probarentur Apostolis; multa etiam fuisse ab Apostolis probata, quæ tamen non fuissent, nisi positæ ecclesie Apostolicæ iisdem circumstantiis, omnino probanda. In utroque genere peccare Novatores, dum ab ecclesie Apostolicæ exemplo res novas in ecclesie hodiernæ statu molientes arguantur. Prioris generis putat, quod in ecclesia Apostolica prophetabant omnes, quibus donum fuerat prophetiæ concessum, etiam mulieres; quod Apostoli tulerint quidem, non tamen probarint. Ad posterioꝝ genus referenda existimat omnia, quæ donis extraordinariis nitebantur illorum temporum propriis. Certum vero esse addit, in eo ecclesiam Apostolicam non esse nobis pro norma statuendam, quod ipsum pendebat a donis illis extraordinariis, quippe quæ jamdiu in desuetudinem abierint. Fatur itaque, in ecclesia Apostolica fuisse laicos, qui tamen munera sacerdotalia exequerentur. Sic baptizasse Ananiam Act. IX, & Paulum 1. Cor. XIII, 16 mentionem facere *ἑνολογίας τῷ πνεύματι*, quæ non alia, quam sacramentalis *ἑνχαριστία* fuerit. Sed hoc jus sacer-

Sacerdotale laicis commune ortum inde habuisse, quod extraordinario Spiritus Sancti afflatu gubernaretur illius seculi ecclesia, quam in rem observat, primos Christianos in unum cum Judæis corpus politicum coaluisse, dum se uni Judæorum regimini iisdemque legibus obnoxios profiterentur. Apud Judæos autem ordinarie solis sacerdotibus licuisse docere & sacrificare, extraordinarie autem Prophetis utrumque concessum fuisse. Hinc concludit, Christum & Apostolos in synagogis docuisse non ordinario jure, sed extraordinario, quia pro Prophetis haberentur: patique modo primævos Christianos, sub prophetiæ nomine, tam publicum sibi illud docendi munus vindicasse, quam & reliqua Christianismi munera sacerdotalia. Ita factum, ut & publicis templi sacrificiis uterentur, & publicis synagogæ officiis; & tamen privata haberent sectæ suæ sacra, & propria sibi sacramenta, sine ullo unitatis aut concordiæ publicæ (cum Judæis) dispendio: quemadmodum tres Judæorum sectæ, Pharisei, Sadducei, & Esseni, non minus invicem, quam a Christianismo diversissimæ erant, quibus tamen omnibus & templum patebat & synagogæ. Sic omnia Ecclesiæ munera publica a Prophetis administrata fuisse, probabile putat, dum unum Christiani corpus cum Judæis constituerent: nullumque fuisse locum regimini Ecclesiastico, saltem in sacris synaxibus; nullum ei, quæ ἀναγκαστικῶς coercere possit, disciplinæ. Qui enim se synagogæ membra profitebantur, eosdem se synagogæ jurisdictioni obnoxios profiteri debuisse. Id postquam Ecclesiæ Corinthiæ exemplo probasset, addit, propter odium Judæorum & persecutiones, Christianos ab eorum consortio sese subduxisse, primamque secessionem factam A. XLV, quæ describitur Act. XIII, v. 2 & 51. fueritque prima ad gentes e professo convertendas expeditio. Hanc revelationem intellexisse Apollonium, quando apud Eusebium Apostolos ex Domini ordinatione XII annos post ejus adscensionem Hierosolymis mansisse refert: primamque adeo illorum ad gentes discessionem factam A. XLVII, paullo post synodum Hierosolymitanam, in qua primum vulgata sit nova hæc de gentiliū conversione revelatio. Inde novam confurgere epocham, qua Christiani proprios ordinariosque ecclesiarum rectores constituerint, primo quidem in provincia Pisidiæ A. XLVI,

tum successive in reliquis provinciis, pro Judæorum ibi malignitate aut æquanimitate; Paulumque consuevisse in secunda ad confirmandas Ecclesias, ut Corinthiacam & Philippensem, discessione rectores instituere. Ecclesie autem Hierosolymitanæ singulare fuisse exemplum, quam metropolitanam omnes aliæ ecclesie agnoverint, tributumque ei annum penderint, de quo interpretatur loca Pauli de eleemosynis Hierosolymam mittendis; ad eundem plane modum, quo aliæ Judæorum Hellenistarum synagogæ subiectæ fuerint Hierosolymitanæ. Præterea in ipsa regiminis forma, quæ quidem obtinebat apud Christianos Hierosolymitanos, profectum fuisse, ut ab ea Ecclesie aliæ necessario penderent. In ea quippe Apostoli supremum tenebant locum, in aliis Prophetæ, qui Apostolis subiecti erant. Eodem spectare putat, quod, quamdiu superessent e familia Domini nostri, qui sedem illam supplerent, non alii deligerentur Episcopi Hierosolymitani. Fuisse enim locum illum, pro more sacerdotii Judaici, hæreditarium, adeoque jurisdictionem Christi in omnes orbis ecclesias illius ex asse hæredibus concessam. Hinc Jacobum fratrem Domini primum Hierosolymorum Episcopum Collegiique Apostolici præsidem fuisse, non Petrum; quod ex Concilio Hierosolymitano probat, ubi habemus primo loco aliorum magnam acquisitionem, tum S. Petri primi Apostoli, tandem S. Jacobi collegii universi præsidis, qui sententiam suam exponat majore, quam alii, auctoritate, *ἐγὼ λέγω*, inquit, finemque universæ disceptationi imponat. Hanc autem successionem a Domino hæreditariam ad Trajanum usque durasse, quo imperante passus est Simeon Cleopas, extinctaque cum eo familia Davidica a. 116. Non possumus, quin hoc loco, tanquam in propria sede, inseramus corollarium, quod ex hac sua hypothesi adversus Romanenses nectit Dodvellus in præfatione num. II. *Tantum nempe abesse, ut traduxerit S. Petrus primatum aliquem ad sedis suæ posteros hæredes, ut ne quidem ipse primatum istiusmodi in Ecclesia Catholica unquam habuerit, quem potuerit ad posteros transmittere. Nec enim collegii Apostolici potestatem habuisse primum Apostolum, sed collegii universi præsidem, cui ipse etiam debebat obsequium primarius Apostolus.* Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus, locum Hermæ producit Dodvellus, ex quo constat

constet, pulsos jam ætate Herma A. D. XCV. e secundo ab Aposto-  
 lis loco Prophetas, eosque ordini sacerdotali universo fuisse subje-  
 ctos, indeque disquirat, quibus tandem gradibus facta sit ecclesia-  
 rum a synagogis discessio, rectorumque adeo ecclesiasticorum constitu-  
 tio. Ex his tandem concludit, Ecclesias earumque rectores in jura sy-  
 nagogarum & templi successisse, ita ut haberent jurisdictionem & po-  
 testatem excommunicandi, & sacrificium eucharistiæ offerrent, &  
 similia. Inde colligit, Prophetarum etiam munera sacerdotalia  
 ordinariis Ecclesiarum rectoribus fuisse obnoxia: quod postquam  
 ex Clemente Romano firmasset, & Tertulliani locum aptasset, subji-  
 cit, de his Prophetis laicis recte procedere Tertulliani argumenta-  
 tionem, non de aliis laicis non-prophetis; & e jure laicorum prophe-  
 tico deducta esse eorundem suffragia in conciliis Ecclesiasticis.  
 Neutrum tamen hodiernis schismaticis favere, quoniam donum  
 prophetiæ extraordinarium jam diu desierit. Denique serie chro-  
 nologica regiminis ecclesiastici ordinariæ ab anno æræ vulgaris  
 XXXIII, (quo Christus ascendit,) usque ad A. CXVI, (quo desit jus  
 Ecclesiæ Hierosolymitanæ in familia Domini hæreditarium,) lon-  
 gissimo capiti tertio finem imponit. *Cap. IV* ad historiam Fru-  
 mentii a Grotio objectam responder, Rufinum, primarium hujus  
 historiae auctorem, nullius meminisse officii sacerdotalis, sed dun-  
 taxat orationis; eodemque modo & Socratem & Sozomenum in-  
 tellexisse. Quod vero Theodoretus *Λειτουργίας* vocem adhibet,  
 putidus metaphorarum affectator audit; sed Dodvellus præterea  
 proluxe de *Λειτουργίας* voce agit, & quanquam eam plerumque *ἱερῶν*  
*κτλ* esse agnoscit, propria tamen significatione *servitium* denotare  
 docet, adeoque a veteribus usurpari de singulis ordinis sacri officiis,  
 & rursus promiscue de omnibus; usumque antiquissimum fuisse in  
 hymnis illis, quibus Numen sacrificaturi celebrabant: neque hoc  
 mirum esse, præsertim si hymnos latissime intelligamus pro omni  
 genere carminum sacrorum, ut psalmos pariter odasque comple-  
 ctuntur, ac hymnos proprie sic dictos. Hinc observat, in preci-  
 bus Christianorum publicis nullas fuisse profanas tam sub Prophetis,  
 quam sub ordinariis rectoribus; & antiquissimas formas Liturgi-  
 cas omnes esse cantatitias, & e psalmis hymnisque desumptas, qui a  
 laicis etiam in ipsa ecclesia cantari solebant. Theodoretum autem

intellexisse psalmodiam, quæ ab illis etiam mercatoribus Indisque Exumitis sine sacerdotibus confici potuerit. Nec ob stare, quod dicantur more Romano illas *λευκεγίας* celebrasse: nam Romanis etiam moribus idem permissum fuisse, & Romanum ritum idem esse, quod Christianum. In omnibus Ecclesiæ cœtibus locum non habuisse eucharistiam, sed duntaxat in synaxibus proprie sic dictis, quæ diebus tantum dominicis haberentur. Porro pro Romano more recte colligi, nullam fuisse Eucharistiam, ubi adessent Catechumeni, qui tamen propriam sibi missam habebant; quam hoc etiam loco intelligi verisimillimum putat, quoniam ad convertendos Indos hæc officia instituta fuerint. Addit etiam alias cum Romano more collationes, quas apud ipsum Auctorem videre licet. *Cap. V* fabulam de Petronillæ sacerdotio refellit, ita, ut martyrologii nullam esse fidem censeat de Apostolicis temporibus, neque in primævâ Ecclesia virginum mentionem factam fuisse. Et postquam fraudem in historia Theclæ commissam ex Tertulliano notasset, & diversas scriptorum de Domitilla relationes conciliaasset, fabulam de Petronilla plane detegit, eamque Manichæorum apocryphis debere natales suos censet. Imo etiamsi ea concedatur, Grotio tamen nihil patrocinari, quum celebrantis nulla prorsus mentio fiat in recentioribus Martyrologiis, in vetusto autem Bedæ celebrantis Presbyteri nomen Nicomedes legatur; nec alienum esse, quod tam ab accipientibus, quam a consecrantibus Eucharistia dicatur celebrari. *Cap. VI.* Philippum Diaconum baptizasse dicit, antequam constituerentur Ecclesiæ rectores ordinarii: & si baptizare licuisset Diaconis, temporibus illis, quibus proprios sibi rectores, regimenque proprium habuit Ecclesia, non tamen inde jus laicorum sacerdotale sequi, quia & Diaconi sacerdotibus fuerint accensiti, & baptismus aquæ externus ministerii sacerdotalis proprium fuerit officium; Baptismum vero Spiritus supremi sacerdotii proprium Philippus intactum reliquerit. *Cap. VII* ad canonem Laodicenum XXV a Grotio obiectum respondet, eum de officiis Ecclesiæ publicis agere, in quibus adessent ecclesiastici subdiaconis superiores, veteremque instaurare disciplinam a subdiaconis spectatam, qui diaconorum officium sibi vendicabant. In verbis vero Canonis vel legendum *ποτήριον εὐλογίας*, vel si legatur *εὐλογεῖν*, de ministerio potius Diaconorum, quod

quod ii in *Evangelio* obibant, intelligenda, quam de ipsa eulogia; vel de priori consecratione in prothesi secundum recentioris Ecclesie Græcæ mores accipienda. Denique *cap. IIX* ad reliquas Grotii objectiones ex Concilio Ancyrano & Arelatensi de Christianis S. Thomæ & Anachoreta apud Moschum pro virili respondet.

*HISTOIRE DES REVOLUTIONS ARRIVÉES dans l'Europe en matiere de Religion,*  
*par Mr. Varillas, i. e.*

Ant. Varillatii Historia Revolutionum, quæ in Europa occasione religionis acciderunt.

Tom. III.

Parisiis, apud Claud. Barbin, 1687, in 4.

**P**rimum & secundum operis hujus tomum enarravimus in Actis anni proxime præteriti, mense Octobri p. 506. & seqq. Nec est ut repetamus aut mutemus, quæ de scopo Autoris aliaque tunc monuimus; neque enim ipse ex proposito suo quidquam mutavit. Continentur Tomo hoc III libris V gesta annorum decem, anni nempe 1536 & sequentium, usque ad mensem Februar. 1547. Dedicavit vero Auctor & hunc tomum, ut & *quartum*, qui a nobis mense sequenti referetur, Regi Christianissimo. Hujus factum in vicies centenis hominum (ut computat) millibus ad Romana facta reductis mirifice extollit, & gestis Mariæ Anglicæ (quæ comparationis aut alia ex causa adducit) in restituendis iisdem per regnum suum sacris, non una præfert ratione. Inter illas est, quod non, ut ista, externis uti auxiliis necesse habuerit, sed potentia famæque suæ magnitudine tantum opus perfecit; abundans adeo viribus, ut vicino etiam Principi, Sabaudia scilicet Duci, adjutor esse poterit, idem adversus subditos exequendi, non obstante locorum fere inaccessibilium difficultate, in quibus pene per quingentos annos receptum habuerit hæresis. Plus etiam ait præstitisse Regem, dum inaudito exemplo obsequium apud tantum hominum numerum, validissimo licet religionis præjudicio oecupatorum, parvo solum chartæ & serræ modulo utens invenerit; quam abavum ejus matremum

ternum Philippum II Hispaniarum Regem, qui palatio suo fere inclusus, magnam veteris novique orbis partem literis sua manu plerumque scriptis rexit, tanto nempe facilius, quia obedientes habebat magistratus & exercitus. In admonitione, quam præmisit, ut lectoris attentionem excitaret, speciatim indicas, quæ in his Tomis memorabiliora, quam in prioribus duobus promittit. Sed quædam ex præmio illo, ne bis idem dicamus, notabuntur, cum ad narrationem rerum ordo nos ducet. Laudatorem invenit autor *Cœquelinum* Cancellarium Academiæ Paris. Doctorem Sorbonicum, qui eum in approbatione tomo huic præfixa, omnibus suæ nationis historicis præfert, infinitam illi librorum editorum & MS. lectionem, judicium exquisitum, memoriam prodigiosam, candorem etiam & elegantiam maximam tribuit. Sed ad ipsa quinque librorum Tomi hujus contenta progredimur.

*Librum primum*, sed in ordine totius operis *undecimum*, exorditur Autor a narratione fugæ Calvinii ex Italia, & receptu Genevæ invento; inde occasionem sumit de rebus Genevensium disseverendi, statimque pro instituto suo inquit, & ut putat, deprehendit veram receptæ hæreseos causam, nempe ut a potestate Ducum Sabaudia & Episcoporum urbis sese liberarent. Id quo jure fecerint, allegatis, quæ ex Sabaudia, ad Cardinales *Richelium* & *Mazarinum* missa fuisse tradit, documentis disputat p. 26. & seqq. ita ut *Sponii*, cujus Historia Genevensis notissima est, assertis adversetur. In præmio ubi laborem hunc suum circa res Genevensium commendat, alium scriptorem *Guichenonium* taxat, ut Sabaudia partibus nimis addictum, & quod *Paradinum* & *Camperium*, qui ante illum de rebus Sabaudicis commentati sunt, exseripserit, neutro allegato. Sumit hic ansam, ut plagii etiam reum faciat *Hilarionem* quendam *Costam*, monachum ex iis qui *Minimi* dicuntur, in elogio *Mariae Medicæ* Galliarum Reginarum, ex quodam *San Germano Morgueso*, ut ait, descripto. Persequitur inde & suo tractat more gesta *Farelli* & *Calvini* aliorumque Genevensis reformationis ministrorum, narratque, ut Calvinus Geneva ejectus Argentoratum venerit, nec tacet patrocinium Gallicum Genevensibus contra Sabaudos præstitum; explicat etiam causam dissidii & belli inter Galliarum Regem & Sabaudia Ducem. Res Germanicas hujus anni 1536 imprimis

MENSIS AUGUSTI A. MDCCLXXXVII. 377

primis quæ ad tractatum inter Lutherum & Bucerum de concordia in articulo de S. Cæna pertinent, & pleraque alia, in hoc & sequentibus libris relata, quo minus prolixius recensamus, multa obstant; illud maxime, quod absque animadversione omnia transmittersse religioni nobis fuisset, meritas vero censuras expedire alium requirat laborem. Itaque veluti per indicem summa tantum capita rerum indicabimus, aliquando tamen ubi in factis nobis cognitis manifeste erratur, (ut in Tomi I & II relatione fecimus) annotationem brevem & modestam addituri. Orthographiæ in vocabulis peregrinis diligentius cautum esse in his Tomis apparet; sunt tamen quæ emendationem poscunt, sed talia exteris facile condonari possunt. Ex annis 1537 & 1538 refertur libro hoc reluctatio Ducis Mantvani, qui conciliura in urbe sua haberi volebat, & occasio inde sumitur ad res Anglicas narrandas. Exponuntur quædam de *Reginaldi Poli* genere, studio & fortuna; de turbis ob religionem in Anglia enatis, utque Henricus VIII Rex tam in Romano-Catholicos quam Reformatos sævierit. Aperitur consilium Pauli III de reconciliatione Regis, cui nuptias Margaritæ Francisci I Gallie Regis filie destinabat, & ut hujus negotii causa Polo Cardinalitiam purpuram & legationem in Galliam contulerit. Franciscus Rex laudatur, quod Henrico Polum, ut rebellem, sibi dedi postulanti, non fuerit obsecutus. Poli inde fugam & reditum in Italiam, matrisque ejus supplicium, in Anglia inflictum refert, quod factioni quæ Regis cum sede Romana conciliationi studebat, nomen dedisset, & filio literas Romam scripsisset. Refutat Calvinum, quod Regis factum defendat, & Polum a Pontifice cum exercitu in Galliam destinatum esse scribat. Transit inde ad Lutheri certamen cum *Job. Agricola*: sed nimium huic tribuit, quasi sine eo nihil magni Lutherus gesserit.

Liber XII gesta annis 1539, 1540 & 1541 continet, aut conjuras & divinationes de consiliis, tum Caroli Imp. tum Protestantium. Sed Autor multa aliter quam Sleidanus ex Actis publicis narrat, non adductis rationibus, sed hujus fidem destruere vult, addita in fine libri pro auctoritate censura his verbis: *consilium Sleidanum historiam corrumpere, sed illius nec licentiam nec errores imitari decet.* Non parvam libri hujus partem facit relatio literarum

M m m

Latina-



ternum Philippum II Hispaniarum Regem, qui palatio suo fere inclusus, magnam veteris novique orbis partem literis sua manu plerumque scriptis rexit, tanto nempe facilius, quia obedientes habebat magistratus & exercitus. In admonitione, quam præmisit, ut lectoris attentionem excitaret, speciatim indicat, quæ in his Tomis memorabiliora, quam in prioribus duobus promittit. Sed quædam ex proœmio illo, ne bis idem dicamus, notabuntur, cum ad narrationem rerum ordo nos ducet. Laudatorem invenit autor *Cœquelinum* Cancellarium Academiæ Paris. Doctorem Sorbonicum, qui eum in approbatione tomo huic præfixa, omnibus suæ nationis historicis præfert, infinitam illi librorum editorum & MS. lectionem, judicium exquisitum, memoriæ prodigiosam, candorem etiam & elegantiam maximam tribuit. Sed ad ipsa quinque librorum Tomi hujus contenta progredimur.

*Librum primum*, sed in ordine totius operis *undecimum*, exorditur Autor a narratione fugæ Calvinii ex Italia, & receptu Genevæ invento; inde occasionem sumit de rebus Genevensium disseverendi, statimque pro instituto suo inquirat, & ut putat, deprehendit veram receptæ hæreseos causam, nempe ut a potestate Ducum Sabaudia & Episcoporum urbis sese liberarent. Id quo jure fecerint, allegatis, quæ ex Sabaudia ad Cardinales *Richelium* & *Mazarinum* missa fuisse tradit, documentis disputat p. 26. & seqq. ita ut *Spemii*, cujus Historia Genevensis notissima est, assertis adversetur. In proœmio ubi laborem hunc suum circa res Genevensium commendat, alium scriptorem *Guichenonium* taxat, ut Sabaudia partibus nimis addictum, & quod *Paradinum* & *Camperium*, qui ante illum de rebus Sabaudicis commentati sunt, exscripserit, neutro allegato. Sumit hic causam, ut plagii etiam reum faciat *Hilarionem* quendam *Costam*, monachum ex iis qui *Minimi* dicuntur, in elogio *Mariae Medicæ* Gallia Regina, ex quodam *San Germano Morgueso*, ut ait, descripto. Persequitur inde & suo tractat more gesta *Farelli* & *Calvini* aliorumque Genevensis reformationis ministrorum, narratque, ut Calvinus Geneva ejectus Argentoratum venerit, nec tacet patrocinium Gallicum Genevensibus contra Sabaudos præstitum; explicat etiam causam dissidii & belli inter Gallia Regem & Sabaudia Ducem. Res Germanicas hujus anni 1536 imprimis

MENSIS AUGUSTI A. MDCCLXXXVII. 277

primis quæ ad tractatum inter Lutherum & Bucerum de concordia in articulo de S. Cena pertinent, & pleraque alia, in hoc & sequentibus libris relata, quo minus prolixius recenseamus, multa obstant; illud maxime, quod absque animadversione omnia transmittere religioni nobis fuisset, meritas vero censuras expedire alium requirat laborem. Itaque veluti per indicem summa tantum capita rerum indicabimus, aliquando tamen ubi in factis nobis cognitis manifeste erratur, (ut in Tomi I & II relatione fecimus) annotationem brevem & modestam addituri. Orthographiæ in vocabulis peregrinis diligentius cautum esse in his Tomis apparet; sunt tamen quæ emendationem poscunt, sed talia exteris facile condonari possunt. Ex annis 1537 & 1538 refertur libro hoc reluctatio Ducis Mantuani, qui conciliura in urbe sua haberi volebat, & occasio inde sumitur ad res Anglicas narrandas. Exponuntur quædam de *Reginaldi Poli* genere, studio & fortuna; de turbis ob religionem in Anglia enatis, utque Henricus VIII Rex tam in Romano-Catholicos quam Reformatos saevierit. Aperitur consilium Pauli III de reconciliatione Regis, cui nuptias Margaritæ Francisci I Galliarum Regis filię destinabat, & ut hujus negotii causa Polo Cardinalitiam purpuram & legationem in Galliam contulerit. Franciscus Rex laudatur, quod Henrico Polum, ut rebellem, sibi dedi postulanti, non fuerit obsecutus. Poli inde fugam & reditum in Italiam, matrisque ejus supplicium, in Anglia inflictum refert, quod factioni quæ Regis cum sede Romana conciliationi studebat, nomen dedisset, & filio literas Romam scripississet. Refutat Calvinum, quod Regis factum defendat, & Polum a Pontifice cum exercitu in Galliam destinatum esse scribat. Transit inde ad Lutheri certamen cum *Job. Agricola*: sed nimium huic tribuit, quasi sine eo nihil magni Lutherus gesserit.

Liber XII gesta annis 1539, 1540 & 1541 continet, aut conjecturas & divinationes de consiliis, tum Caroli Imp. tum Protestantium. Sed Autor multa aliter quam Sleidanus ex Actis publicis narrat, non adductis rationibus, sed hujus fidem destruere vult, addita in fine libri pro auctoritate censura his verbis: *consilium Sleidanum historiam corrumpere, sed illius nec licentiam nec errores imitari debet.* Non parvam libri hujus partem facit relatio literarum

M m m

Latina-

Latinarum earumque versio Gallica, quas Lutherus & Melancthon, tum Bucerus & quinque alii ex Hassia, ut videtur, Theologi, ad Philippum Hassiæ Landgravium die Mercurii post Nicolai festum A. 1539 dedisse referuntur, per quas ejus propositum de superinducenda legitimæ uxori, Georgii Saxoniz Ducis filiz, *Margaretha Saks* approbaverint. Ingentem hinc dicam Luthero scribit Autor, ut & in præloquio fecerat; Thuani vero modestius de Principe & Theologis, quos de illo negotio consultaverat, judicium, suggillat. Verum festucam hanc dissimulare tam facile fuisset, quam ad trabes longe maximas sive in Pontificum dispensationibus, sive in Principum moribus connivere. Eidem dictorum stabilit testimonio *Serenissimi Landgravi Rheinfelsensis*, Philippi pronepotis, cujus zelo, ut scribit, pro religione Catholica heroico debeatur, impetratum ex Archivo Hassiaco *Ziegenbayanfi* literarum illarum, & pactorum nuptialium cum *Margaretha* exemplum, quod itidem producit, datum die 4. Martii A. 1540. Dein p. 92 tradit, quod in quibusdam provinciis & civitatibus Germaniz reformatio secundum numerum alterutram religionem profitentium inita fuerit. *Computatis enim ait civium capitibus, ubi inventi sunt plures Lutherani quam Catholici, abolitum penitus fuit exercitium veteris religionis, & coacti sunt Catholici ad Lutheranismum.* Hanc mutationis modum haud immerito (ut facit) pro perverso haberet, si usurpatus is unquam fuisset; sed nullum exemplum in Germania, quod sciamus, adduci potest. Deceptus itaque est vel vitio aliorum scriptorum, vel sua conjectura, quod & accidisse ei existimamus, cum de morte Georgii Saxoniz Ducis, & quæ eam sunt secuta p. 107 & seqq. commentatur. Contumeliosum utique est, cum p. 114 scribit, Deum ob rationes incomprehensibiles permisisse, ut *Saxones qui ultimi ex Germanis fidem Catholicam receperint, primi amiserint.* Addit epicurism, & persuadere lectoribus vult, quod omnes qui impedimento fuerint, quo minus ex Georgii testamento (quod perfectissimum fuisse adversus actorum fidem statuit) Catholicus princeps ad successionem perveniret, Nemesein divinam sine experti. *Henricum (ait p. 114) Georgii fratrem, cum vix adeptus esset hereditatem, mors sustulit. Mauritium in bello contra amicum inimicum casus est. Lutherus non nisi quadriennium supervixit, obiit-*  
que &

quæ ex commotione, cum in ditione, quæ Georgii fuerat, concionaretur, ubi religio firmitus quam alibi retinebatur. Federati Smalcaldici (quos autumat armis Henrico in stabiliendo Lutheranismò succurrille) in prælio succubuerunt, quod non nisi novam hominum mortem Catholicis conficitis. Catholici ipsi ex Imperii proceribus, qui testamentum Georgii neglexerunt, a Mauritio multis annis toti Germania insulsanti non levi passè sunt. Ferdinandus Rex Rom. qui ex Bohemia impedire Henricum potuisset, & suas provincias heresi repleri vidit, & Hungariam Turcis in prædara cedere &c. Quomodo ista consistant, facile deprehendent, qui veram rerum notitiam habent. Henricus (ut paucis monere liceat) tertio post Georgium anno obiit, sexaginta octo annos natus, & dudum senecta ac morbis debilis, Lutherus anno ætatis sexagesimo tertio Islebiæ decessit, quæ urbs a multis annis in partibus erat, nec dici potest in Georgii ditione fuisse, etsi clientelæ sit Saxonicæ. Quæ vero argumentandi ratione Mauritiū post annos XIV cæsi fata, & quæ Ferdinando Imperatori acciderunt, a Georgii successione dependere judicantur, ex eadem contrarium plane concludi potest ab iis, qui *Serenissimam* Henrici posteritatem, non Georgii tantum provinciis, nec quicquam obstantem in officioso illo testamento, sed aliis plurimis, & ipso Electoratu Saxonico potiri vident. Smalcaldicorū cladem absq; ullo miraculo, & ipsorum culpa contigisse, in præloquio ipse recipit probaturum se esse. Quæ denique de *Philippo* Landgravio p. 117 & seqq. subjunguntur, partim supra relata, & foeda alia taceri potuissent, sive casuum respectu, quos quotidie observare licet, sive veneratione Principis, cujus trineptis est Imperatrix Augusta, & si ad hanc in Gallia non respicitur, Regii Fratris uxor. Ex Angliæ rebus recensentur hoc libro *Thome Cromwelli* ad ecclesiasticorum negotiorum supremam procuracionem exaltatio & ejusdem casus: tum infelix Regis cum Clivensis Ducis filia conjugium & alia.

Libro XIII in actis anni 1542, clades a Turcis in Hungaria acceptæ Protestantibus & ipsi Carolo V imputantur: tentata narratur iterum absque successu Henrici VIII reconciliatio cum Pontifice, & quintæ ejus uxoris supplicium: Hermanni Colonienfis Archiepiscopi, Comitis de *Wida*, (*Oade* perperam scribitur p. 203) Lutheranismus; certamina Lutheri cum Zvinglianis, in quorum nar-

ratione odiosis Hospiniani relationibus Autor utitur. Non cepimus quæ p. 210 Lutheranae Ecclesiae ministris imputat, & correctæ in Helvetiorum gratiam esse dicit, quod verba institutionis S. Coenæ toties pronunciaverint, quoties singuli communicantium accederent. Id enim factum esse, probari nequit; at singulos pia formula alloquebatur minister sacramentum porrigens, hujusq; salutarem fructum illis apprecabatur, quod etiam hodie constanter retinetur. Prolixus est hoc libro Autor in narratione rerum Danicæ & Suevicæ, quanquam multa ad alios annos pertineant. Quæ vero in his ab historiis utriusq; regni discrepent, non fugiet eos, qui examen instituent. Interim multum commendat in præfatione Acta legationis, quam primam omnium ex Gallia in regna septentrionalia missam esse refert, cum Franciscus I *Christophorum Richerium* cubiculi famulum, humili loco in Senonibus natum, sed qui peregrinationibus variis experientiam linguarum & gentium sibi paraverat, eo amandasset. Sed prius Gustavus Suevicæ Rex secretarium quendam suum ad Franciscum misisse narratur, cujus nomen ait expressum in Actis non esse, addita ratione, quod Sueci eo tempore familiae cognominibus non uterentur; miraturque quod primus Gustavi Secretarius tantum se subscripserit *Petri filium*. Sed de more illo, & quam male ignobilitatem ex eo aliquando deducant, alibi dictum est. Secreta vero Gustavi quæ secretarius ille, quisquis fuerit, Richerio detexerit, producantur p. 280 & seqq. moneturque in nulla historia nec edita nec MS. ea inveniri. Tale est quod Gustavus Gallicam classem ad littora Suevicæ mitti desideraverit, qua territi Suevicæ proceres regnum electivum, quod in Gustavum contulerant, hæreditarium facerent. Quæ vero Richerius in utroque regno tractaverit, fuse exponuntur. Inter illa maxime memorabile, quod Franciscus Danicæ regi societatem belli contra Henricum Angliæ regem proposuerit, ea spe & conditione, ut Angliam inter se dividerent: sed impeditam hanc gloriam Christiano fuisse per invidiam Nobilitatis Danicæ. Magna etiam hic secreta aperiantur: *Richerius* enim uxore ex gynecæo Danico ducta, in tantam a rege familiaritatem admissus fuisse perhibetur, ut ei detegeret & Caroli V, & Principum Germanorum Smalcaldicæ societatis desideria, a quibus in contraria studia impellabatur, hisne  
opem

opem ferret, aut quod ipsi fatius videbatur, eos mutuis cladibus confusi otiosus ipse spectator sineret. Vaferrima sunt, quæ hic enarrat Autor, & ad sequiorum temporum ingenium proxime accedentia, aut callidiora. Finis secretæ consultationis refertur, quod Franciscus Daniæ Regi autor fuerit, ut a bello quidam abstineret, sed vel pecunia (ut ipse facturus esset) vel apparatu bellico & comœatu clam iuvaret Smalcaldicos.

Libri XIV qui anni 1545 historiam continere debet, dimidia pars continuatione rerum Suecicarum occupatur, allatis plurimis, quæ alibi vix reperiantur, de Gustavi regis (cujus historiam extra Sueciam a nemine fere scriptam esse, in præloquio queritur) actis in reformanda religione, aut pro suæ dominationis stabilimento, & de interiori vita ejus. Ad res Germaniæ inde regressus, Lutheri scripta acerba, & ut ait, obscæna in Pontificem breviter perstringit, dein Caroli V consilia de fallendis & opprimendis Smalcaldicis aperit & perscrutatur, nec alia causa motum illum dicit, quam quod his florentibus, Gallos subjugari, & monarchiam universalem extrahi posse desperaret; ex Germania vero subsidia potentie suæ Regem Galliarum semper attracturum esse putaret. Referuntur acta comitiarum & colloquiorum de religione, invito Pontifice Cæsareis artibus concessorum; dein Cæsaris industria in tractanda causa Colonienſi, ut nec Pontifex, nec Protestantes queri multum possent; item Francisci regis calliditas, qui Henricum Brunsvicensem clam pecunia juverit, ut ditiones a Smalcaldicis ablatas recuperaret: offensus enim ab his erat, quod de Janiena Cabrariensium & Merindolensium acris exoptulassent, nec vires eorum nimium volebat excrecere. Pax inter Imperatorem & Franciscum paucis indicatur, quæ hoc anno fere ex improvviso conclusa est Crespiaci; ejusque negotiationem Maria Anglica per Polum Cardinalem meditabatur, sed hunc ex relatione legati Gallici Noallii, eo animi statu post adversa quæ illi acciderant, fuisse in procæmio notatur, ut ad res gerendas fere ineptus videretur. Laudat historiam vitæ Poli, a Ludovico Baccarello Archiepiscopo Ragusino conscriptam. Tacere hic non possumus, Varillasium in narratione rerum, quæ foederatorum auspiciis a Philippo Hassiæ Landgravio adversus Henricum Brunsvicensem hoc anno gesta sunt, a Sleidani verissima relatione discedentem, non

pauca errasse. *Mauritio* sane Saxoniz Duci, postea Electori, tribuit, quæ is edito publice scripto d. 5 April. 1546 mascule refutavit, narratisque omnibus quæ acciderant, & productis testimoniis calumnias contra se sparsas in autores acriter retorfit. Scripti ejus meminit *Sleidanus* Lib. XVI: extat integrum apud *Horstederum* Lib. IV de bell. Germ. Cap. LII. Scribit autem inter alia *Mauritius*: *quicumque dicit aut cantat, scribit & spargit, quod non egerimus in negotio isto, qua Principem bonam & honestum, eoque quo nos loco matum decens, sed quod dolo versati sumus in tractanda pace cum Henrico, quod consiliiarii nostri in genua provoluti Henricum ad deditio-nem permoverint, quod Henricum filiumque ejus nostra fide tutos ac-cedere jufferimus, eorumque capturam hoc modo procuraverimus, aut aliud quid non honestum sed fraudulentum, is malitiose illa omnia fingit, contra veritatem & honestatem, non ut decet virumobilem, honestum & veracem.* Hæc sibi dicta putet, addit *Horstederus* (cui sane, *Johannis Friderici* Electoris pronepotum consiliiario, nulla causa fuit *Mauritii* absque veritatis fundamento defendendi) *Natalis Comes*, historicus Italus, (quem forsasse secutus est noster) & quicumque illos rumores impudentissime confectos dispergunt. Fallitur etiam manifeste Autor, cum *Henricum* narrat post pugnam, in qua copias fere omnes perdidit, in locum suæ ditionis valde munitum se recepisse, & inde persuasione *Mauritii* dolose eductum & hostibus traditum fuisse: neque enim in loco munito, sed in acie stetit *Henricus*, cum *Foderatorum* copiaz ad *Calfeldam* vicum fossam limitaneam (*die Landwehr*) perrupissent. Despondit autem ferus antea, & condiciones honestas, quas *Mauritius* proposuerat, inconsulto rejiciens, subito animum, *divinitus*, ut *Lutherus* judicavit, *territus*, & *Mauritii* colloquium plus una vice expetens; ita cum evadere, ut *Mauritius* testatur, haud difficulter posset, sua sponte *Land-gravio* id postulanti sese dedit. Exercitum vero ejus non pugnam, sed fugam spectantem moderatio principum *foderatorum* servavit. Nam accepta fide, quod intra tres menses adversus *foderatos* non essent militaturi, direptis signis solutisque catervis dimissi sunt. Lapsus in hac historia evitasset Autor, si maluisset *Sleidanum* nota & actis probata referentem, quam nescio quos imperitos aut malevolos legere & sequi. Hæc in honorem Principis *maximi*, cujus virtuti & felicitati immensas gratias & perpetuam venerationem

nerationem tota, qua Evangelica est, Germania, imprimis Saxonia, speciatim vero Academia nostra debet, candide monentibus non succensit Autor. Eodem enim candore modestiam ejus laudamus, cujus exempla hoc ipso libro exhibet. Recte sane p. 368 *Fridericus Staphylis* desertoris & calumniatoris deterrimi fidem aspernatur, de exorcismo quem Lutherus tentaverit, proterve mentientis. Mortem Lutheri p. 376 sic narrat, ut fœdas non referat fabulas, & contrarias de ea relationes in medio relinquere videatur: neque enim licuisse ei putamus, quamvis tutissime id facere potuisset, ut præferret, quas viri probatæ fidei, qui morienti adstiterunt, publico testimonio confirmarunt. *Alfonso Diazis* scelus in fratrem, merita prosequitur censura p. 377. cum actionem nec horribiliorem, nec majoris scandali, in toto orbe Christiano, tam catholico quam protestanti, fieri potuisse ingenuè agnoscit.

Libro XV ( qui res anni 1546 & partim sequentis refert ) ab initio, pergit Autor in relatione decretorum concilii Tridentini, de quibus sub finem præcedentis libri quædam exposuerat, in quibus multa Theologi reprehendent, animadversionem admittentia. Magnam Francisco Galliarum Regi generositatis gloriam tribuit, ut jam in præloquio fecerat, dum illum Carolo bellum Smalcaldicum molienti de securitate a Turcis prospexisse, & pro illo per *Johannem Montlucium* Valentiarum episcopum, Legatum suum, quinque annorum inducias Constantinopoli procurasse dicit, contra manifestam regni sui utilitatem. Quapropter Montlucium felicissimum alias regionum negotiorum administrum, a culpa non absolvit; incubuisse enim ei putat, ut Regi noxia mandanti meliora suggereret. Damnum autem Galliarum ita demonstrat, quod Carolus nunquam cessaverit Franciscum laceffere, quodcumque pacem cum Turcis habuerit: dein quod in confesso esset, Galliam adversus Caroli potentiam conservari præteritis cum illo bellis non potuisse, nisi Franciscus magnas militum copias in Lutheranorum ditrone conscribere potuisset. Quam vere ista asserantur, jam non disquirimus, sicut nec de plurimis aliis, quæ hoc libro de initio & progressu belli Smalcaldici, ut & de Mauritii Saxoniarum Ducis consiliis vel referuntur, vel conjiciuntur aut judicantur. Omittimus etiam apertos errores in nominibus hominum & locorum, typographi fortasse culpa crebro commissos, tum  
in belli



in belli historia, tum alibi. Nam & in relatione de Hermannij Coloniensis Archiepiscopi abdicatione p. 454 successor ejus perperam vocatur Adolphus Schuzenburgius, pro *Schauenburgio*, & notissimi Comites *Manderscheidus* & *Nuenarius* equestri ordini accensentur, & prior *Mandereſche* dicitur. Essent quæ in narratione de *Alberto Brandeburgico* & de clade ejus *Rochlitiana*, nec non de vidua *Johannis* Saxoniz ducis *Elisabetta* Hassiaca correctionem poscerent: sed ut sæpe monuimus, aliorum id curæ reservari præstat.

**MATTHIÆ ZIMMERMANNI SS. THEOL. Doct. Past. & Superint. Misenenſis Florilegium Philologico-Historicum aliquot myriadam titulorum, cum optimis auctoribus, qui de quavis materia scripserunt, adhibita re numeraria & gemmata, cum diatriba de eruditione eleganti comparanda. Pars I.**

Dresdæ, apud Mich. Güntherum, 1687, in 4.

**C**UM multi bibliothecas egregie instructas ad pompam & ostentationem habeant, nec libros in studium, sed, ut Seneca loquitur, in spectaculum & cultum parietum comparent; *venerandus Præsul, Autor libri jam nominati doctissimus*, Asinium Pollionem Romæ imitatus, bibliothecam multis libris insignem dicendo, ingenia hominum, ut cum Plinio majore loquamur, publicam rem facere consultum duxit. Nam evoluisse se libros, & in usum aliorum instruxisse bibliothecam, variis jam ante industria eruditæ monumentis publicatis comprobavit: ut sunt *Dissertatio* varia eruditione referta de *Tertulliani loco*, fiunt, non nascuntur Christiani: *Amanitates Historia Ecclesiastica: Analectamenstrua varia eruditionis: Liber de Presbyteris veteris Ecclesie: Historia Eutychiæ &c.* Jam laudem diligentia hac in studiorum parte insumta adauxit; quando amore rei litterariæ juvanda ductus, *Florilegium* hocce *Philologico-Historicum* composuit. Quo varios eosque non ubivis obvios codices non tantum indicat, sed & argumenta illorum, in gratiam *πολυμυθίας* studiosorum excerpit. In præmissa libro huic *diatriba de Eruditione eleganti comparanda*, de re litteraria & *πολυμυθία* in universum disserit varia, quæ ad historiam litteratam maxime faciunt. In *Florilegio* laudato est varietas rerum singularium, quas ordine alphabeti servato digessit, indicatis auctoribus, qui de illis ex instituto egerunt. Perdixit hunc laborem ad litteram F, vocem *Fusturarius*. Itaque rogandus erit Vir amplissimus, ut pertexere hunc variarum materiarum indicem pergat, & luci exponat publicæ.



N. IX. 465  
ACTA  
ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ*

*Calendis Septembris Anni MDC LXXXVII.*

---

*L' ANTIQUITE DES TEMS RETA-  
blie & defenduë contre les Juifs & les nou-  
veaux Chronologiftes. i. e.*

ANTIQUITAS TEMPORUM RESTITUTA  
& defenfa contra Judæos ac recentiores  
Chronologos.

Parifiis, apud Viduam Edmundi Martini, Joannem  
Boudotium, & Stephanum Martinum, 1687, in 4.

**D**Um celeberrimus Kilonienfium Theologus, *Matthias Was-  
muthus*, in Annalibus Cœli ac Temporum, (quorum Scia-  
graphiam ad acta superioris anni pag. 34—48. retulimus,) edendis occupatur, librumq; admiranda plane pollicitem avide eruditus orbis expectat; recentiffimum e Galliis affertur opus chronologicum, cujus authorem effe doctiffimum ordinis Bernhardini Priorem, *P. Paulum Pezronium*, accepimus. Diffentit is ab omnibus, qui in temporum rationibus conficiendis majorem rationem habent Ebræi codicis, quam verfionis Septuagintavialis, quos inter, fi quis alius, *Wasmuthus* certe, familiam noftra ætate ducere videtur. Cumq; *Pezronius* modestam *συζητησιον* a fecus fentientib; expectet, non dubitamus, quæ in hoc opere Gallico tradita funt, & a *Wasmutho*, & ab aliis, diligenti studio examinatu iri. Nos pro more nofiro institutum Auctoris ac fententiam, omiffa omni cenfura, recensetimus, & paulo quidem prolixius, tum quod liber adhuc in

N n n

pauco-

paucorum manibus versetur, tum in eorum gratiam, qui Gallicæ linguæ periti non sunt.

Observevat *Pezronius*, constantissimam veteris Christianæ ecclesiæ traditionem esse, annos minimum quinquies mille quingentos ab orbe condito ad Christum natum effluxisse. Egre igitur (c. I.) fert, quod *Josephus Scaliger*, cum sequacibus, Bibliorum Ebræorum calculum quindecim seculis breviorē, calculo illi e septuagintavirali versione deprompto præferre ausus fuerit. Huic igitur post *Cæs. Baronium*, *Job. Morinum* & *Isaacum Vossium* patrocinaturus, in antecessum (c. II.) monet, ex controversia illa maximum momentum veritati religionis Christianæ accedere. Sane *Justinum M. Tatianum*, *Tertullianum* a legis Mosaicæ antiquitate, novitateque religionis Græcæ ac Romanæ, palmarium fere argumentum in disputationibus, quas cum Gentilibus habuere, petiisse. Sed & Judæos verioris chronologiæ beneficio erroris ac fraudum convinci posse; quapropter dirissima imprecentur temporum periodos computantibus, ipsisque Biblicis codicibus manus inferre jum dudum ausi sint, ne tempus adventui Messiæ destinatum jamjam elapsum esse, fateri illos oporteret.

Hoc ut probet, tritissimis *Hieronymi* aliorumque vestigiis insidens, (c. III.) objicit Judæis, quod *Josue XV. 60.* undecim urbium & præprimis *Bethlehem Ephrata* nomina laterculo urbium tribus Judæ eraserint, ne constaret, Bethlehemo natum Jesum Nazarenum ex tribu Judæ fuisse; quod *Psal. XXII, 17.* Carui in *Chari* mutarint, ne propheta de transfossis manibus pedibusque Jesu locutus videretur; quod *Deut. XXVII, 26.* *væ omnis homo & in omnibus*, deleverint, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quæ scripta sunt. Nova est, quam addit, suspicio de loco *Gen. XVII, 14.* ubi in Samaritano Pentateucho itemque versione LXXvirali legitur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit* octavo die, exterminabitur, &c. Putat igitur, Judæos octavi diei mentionem e sacro suo codice sustulisse, ne exterminii rei videantur liberi serius circumcisi. Quod si enim octavus dies nubilosus sit eurove perfleret, nulli verentur circumcisionem in sereniorē diē differre. Susannæ historiam ex Hebræis bibliis expunctam fuisse, Origeni assentitur, eo quod Theodotion versione suæ ad Hebræa sane biblia adornatæ illam inseruerit. Provocat ad  
totius

totius Antiquitatis Christianæ consensum, quæ communiter Judæos Bibliorum fraudulenter corruptorum postulavit; nec non ad illud Talmudicum; *Bonum est, ut evellatur litera de lege, & ut sanctificetur nomen Domini.*

His suppositis, (c. IV) suspicatur, Judæos, Tito Vespasiano Imperatore, urbe ac templo excisis, æræ duarum priorum ætatum mundi, quæ a mundo condito ad vocationem Abrahami e patria pertingunt, quindecim suffuratos esse secula, eo fine, ut negare liceret, sextum millennium jamjam venisse, quo venturum Messiam, vetustissima inter eos traditio fuerit. Sane Hispanienses Judæi A. C. 686 magna cum animi confidentia sextum millennium nondum adventuræ, Christianis objecerunt, quapropter *Ervigus Rex Julianum Toletanum Archiepiscopum* conscribere jussit libros tres contra Judæos, hoc titulo insignes: *Demonstratio sexta ætatis contra Judæos.* *Abulpharajum* etiam in historia Dynastiarum conjecisse, Judæos, & quidem ob hanc ipsam de adventu Messie controversiam, tantam injuriam sacratissimis Bibliis intulisse. Aliam rationem *Georgius Syncellus*, Chronogr. p. 84 subodoratus est. *Solum, (inquit,) spatium filiorum procreationem precedens apud Judæorum codices contractius ac brevius multo detegam. Moveor autem, ut judicem, ne forsitan hoc fuerit facinus Judæorum, qui ut pravocium scripturarum licentiam nonnulla auctoritate munirent, ausi sunt annos contrahere & ante susceptam prolem pauciores facere.*

Achæc quidem Judæorum fidem sublestant reddunt Pezronio. Contra vero, uti (cap. præced. III) Versioni septuagintavirali fidem ac auctoritatem summam conciliare dixerat, quod Christus & Apostoli ea sola usi, quod universi sex priorum seculorum Patres eam successoribus ut authenticam, imo *Ἰσχυροῦς* regulam fidei ac mortum commendarint, quod denique non alia apud Judæos in usu fuerit, antequam novam Aquila Ponticus A. X. Æl. Hadriani concinnasset, idque pessima, si nostro fides, fide: Ita (cap. V) notat, omnes omnino scriptores, qui quicquam rerum Judaicarum ante urbis sanctæ excidium literis consignarint, proxime a septuagintavirali, longius abesse a modernorum Judæorum calculo. Pertinet huc e Gentilibus *Demetrius* ille *Jubiacus Philereus*, quem nec *Ptolomæo Philadelpho*, nec *Ptolomæo IV Philopatori*, sed *Ptolomæo VI*

*Philometori* οὐρανὸν esse supponit Autor, & alibi probaturum se pollicetur. Is igitur a Clemente Alexandrino L. I. Stromatum allegatus, ab orbe condito ad annum quartum Philometoris, quopus suum *de Regibus Judæa* conscripsit, annos numeravit 5494. Hisce addantur anni 177, qui ab A. IV Philometoris ad Ætæ Christianæ initium effluerunt. Summa erit: 5671. Demetrio confensisse notat *Philonem* seniore, Clementi Alex. & Josepho laudatum. Utrique tertium jungit *Eupolemum*, quem Judas Maccabæus Romam ablegavit, quique a. circiter V Demetrii Soteris & a. XII Ptolomæi Physconis *de Regibus Judæa* scripsit. Is ab O. C. computavit annos 5149. Adde a. 158, qui ab eo tempore ad Christi nativitatem elapsi sunt. Habebis annos 5307. Videtur enim pauciores justo ab Exodo ad templi foundationem annos computasse, (quod & postea Eusebius fecit,) de annis autem Patriarcharum amice cum LXX Interpretibus conspirasse. Ultimus gentitium est *Alexander Polybistor*, cujus fragmenta ab interitu vindicavit Eusebius l. IX. Præp. Evang. c. 4. Numeravit is ab Adamo usque ad Jacobi migrationem in Ægyptum a. 3624, a diluvio autem annos 1360. Inter Judæos οὐρανὸν εἰναι *Fl. Josephus*. Hic l. I. *Ant. Jud. c. 4.* diluvium juxta Mosens corpisse ait A. M. 2256. Nec quoad annos diluvio & Abrahami nativitati interjectos a LXX senibus dissentit. Quamvis enim *Cainos* Arphaxadi filius, qui & apud LXX & *Luc. III, 25, 26.* & in fragmentis *Alex. Polybistoris* memoratur, apud Josephum non compareat, fraude tamen librariorum inde erasum fuisse Autor opinatur, eo quod in codicibus correctioribus a diluvio ad Abrahami nativitatem summa colligatur annorum 1192, quemadmodum Demetrius quoque a diluvio usque ad Abrahami vocationem numeravit a. 1250, qui calculi fallent, nisi Cainanis anni succenturientur. *Pentateuchus* Hebræo-Samaritanus, ad exemplum Judaici Pentateuchi, Patribus antediluvianis annos 949 subtraxit; quoad postdiluvianos exacte ei cum *Wis. 6* convenit. Suspiciatur igitur *Pezronius*, & quoad antediluvianos illum iisdem consensisse, antequam forsan manum criticam passus fuerit. Quin & posteriores Judæos sui oblitos tradidisse animadvertit in *Targum Hieros. & Breschith Rabba*, quod Adam inde ab Abelis. morte, totis annis 130, ab opere conjugali vacavit. Atqui supposuisse

no eos, Abelem centesimo fere ætatis anno occisum esse. Sequeretur ergo, Sethum non ante annum Adami 330 natum esse. *Testimoniis Veterum adjuvantur rationes.* Prima est hæc: Dispersio gentium contigit sub nativitate Phalegi, utpote cui inde nomen. At Phaleg juxta Judaicam Biblia natus est a. circiter 100 post diluvium, & 2245 ante initium æræ Christianæ. Jam supponit Chronologus noster, (quod inferius e. XII. XIII. XIV. probare sataget,) Imperia Chaldæorum, Ægyptiorum, Chinesium annis circiter ter mille ante Christum natum coepisse. Sequeretur ergo, imperia illa sex septemve seculis diluvio antiquiora esse, quod absurdum. Juxta LXX autem, sex septemve seculis diluvio, & seculo uno *γλατ/σούγυψος* recentiora erunt. 2.) *Γλατ/σούγυψος* juxta Genesin Judaicam incidere in annum a diluvio centesimum. At quis crederet, (inquit Noster,) tres Noë filios tantillo temporis spatio tam copiosam procreasse sobolem, unde tot regnis incolarum sat suppleret; cum viri LXXII (Jacobus, cum filiis & nepotibus) spatio 25 annorum, quibus Ægyptum incoluere, non ultra sexcenta virorum millia genuerint, quamvis singulari Numinis benedictione gauderent? 3.) Ex calculo Judæorum consequitur, Noachum vidisse generationes decem, Semum generationes duodecim. Id videtur *Pezronio* absurdum, cum nec ex antediluvianis quisquam ultra quatuor aut quinque generationes viderit. 4.) Si Noachus ad Abrahami, Semus ad Jacobi tempora vitam produxissent, non passi fuissent, ut Babylonica turris extrueretur, ut Assur Semigena a Nimrodo Chamigena terra sua expelleretur, ut denique pater, avus ac proavus Abrahami idola colerent. His omnino testimoniis ac rationibus novus hic temporum Restitutor probasse se putat, Græcorum interpretum, non Ebræorum, (ut hodie quidem se habent,) Bibliorum calculum fundamentum esse debere Chronologiæ suæ veteris sacræ ac profanæ.

Tempora ab O. C. usque ad excidium Urbis S. elapsa in sex Ætates mundi distinguit, explicatq; duas priores c. VI, tertiam c. VII, quartam c. VIII & IX, quintam c. X, sextam denique c. XI. Prima Ætas a condito orbe ad cataclysmum annos complectitur 1156. Quamvis enim apud LXX Haméchus annos 188 natus fuisse dicatur,

Μην 3

cum

cum Noam gigneret, rectius tamen in Josepho Ebræoq; textu anno<sup>s</sup> 182 haberi, post Isaacum Vossium contendit Autor. *Adam* ergo genuit Sethum a. *Æt.* 230, *Serbus* genuit a. 205, *Enos* a. 190, *Cainan* a. 170, *Mabaleel* a. 165, *Jared* a. 162, *Enoch* a. 165, *Mathusale* a. 187, *Lamech* genuit a. 182, *Noe* ingruente diluvio natus erat annos 600. Numeris his in summam collectis habes annos 2256.

*Ætas secunda* a diluvio usq; ad ingressum Abrahami in terram Canaan pertingit. Prænotat heic Pezronius, *Tharam* natum esse non a. 79 aut 179 Nachoris, (uti hodie apud LXX legitur,) sed anno 129, prout in Josepho & Ebræo textu habetur. Monet porro, Abrahamum fuisse natum minimum Tharæ filium, natum a. Tharæ 130, idque constare ex Gen. XI, 32. collato cum Gen. XII, 4. & Act. VII, 4. h. m. Thara moritur Carrhis a. 205. Eodem statim anno Abrahamus fil. Carrhis egredi jubetur, cum a. 75 natus esset. Subtractis 75 ab a. 205, remanent 130. En ergo *Ætatis II.* calculum: *Sem* genuit a. 2. post diluvium, *Arphaxad* genuit a. *æt.* 135, *Cainan* genuit a. 130, *Sala* a. 130, *Heber* a. 134, *Phaleg* a. 130, *Rebu* a. 132, *Sarug* a. 130, *Nachor* a. 129, *Thare* genuit Abramum a. 130, *Abram* in Canaan ingressus annorum 75 erat. Numerorum horum summa: a. 1257. Adde annos *Æt.* primæ 2256. Habebis annos M. 3513 usque ad ingressum Abrami in Canaan, cum Ebræa biblia non ultra 2083 habeant.

*Ætas III.*, ab ingressu Abrahæ in Canaan ad egressum Israelis ex *Ægypto*, constat a. 430, juxta *Gal. III, 17* & *Exod. XII, 40*, secundum LXX & pentateuchum Ebræo-Samaritanum. Nam secundum Pentateuchum Judaicum tot anni solum tempus habitationis Israelitarum in *Ægypto* exhaurirent; cum tamen Josephus A. J. I. II. c. V. ab ingressu Abrahæ in Canaan annos 430, a transmigratione Jacobi in *Ægyptum* annos 215 dicat effluxisse. Idem patet ex hoc calculo, qui fragmento Alexandri Polyhistoris potissimum nititur, cujus copiam Euseb. I. IX Præpar. Evang. c. IV fecit: *Abraham* gignit Isaacum, anno post ingressum in Canaan 25, *Isaac* gignit gemellos a. *ætatis* 60. *Jacob* gignit Levi a. 87. *Levi* gignit Caatha a. 60. *Caath* gignit Amram a. 40. *Amram* gignit Mosen a. 78. *Moses* erat, exeunte Israele ex *Ægypto*, annorum 80. Summa numerorum horum est 430. Addatur ea summæ præcedanz 3513. Sicque *ætatis III* finis erit A. M. 3943.

.*Ætas*

Etas IV ab exodo ad foundationem templi Salomonici, ad-  
 eoque ab A. M. 3943 ad A. M. 4816 progreditur, constatque a. 873,  
 qui numerus ex regimine Judicum, servitutibus & anarchiis con-  
 stat. *Josua* a. regiminis XXVII fato esse functum credit Auctor  
 post Clem. Alexandrinum, Jul. Africanum, Euseb. Lact. August.  
 Syncellum, Chron. Alexandrinum, &c. Illum enim, cum Canaanem  
 exploraret, 43 annorum circiter fuisse, probabile videtur, eo quod  
 socius ejus Caleb eodem tempore quadragenarius fuerit, *Deut. XLV*  
*22, 31.* Addantur anni 40, quibus post explorationem in deserto  
 usque ad Moysi mortem iterandum fuit. Habebis a. 83. Hos detrahe  
 ab a. 110, quot Josue vixit, *Jos. XXIV, 29.* Remanebunt anni regi-  
 minis 27. Mortem Josue non statim excepit prima servitus, sed  
 anni 30 juxta *Africanum*, aut potius 50 juxta *S. Maximum* in Com-  
 puto, elapsi sunt inde ab obitu Josue, antequam Caleb omnesque  
 seniores diem suum obiissent. Surrexit dehinc alia generatio, quæ  
 penitus oblita operum Domini, non brevi temporis intervallo pec-  
 cavit, (*Jud. II, 9. 10.*) donec iram Numinis provocaret, & penas  
 daret sub tyrannide Chusan Risathaim. Excitavit vertente tem-  
 pore Deus unum alterumque judicem; sed plerumque intercessit  
 anarchia aliqua, & subsequens servitus, cumque anni anarchiarum  
 (si ultimam excipias,) nusquam annotentur, conjecturis utendum  
 fuit, ut hic emergeret calculus: *Moses moritur anno post egressum*  
*ex Aegypto 40, Josua moritur a. regiminis 27, Caleb & Seniores post Jo-*  
*sua fata superstites sunt annis circiter 50.* Anarchia I post senio-  
 rum obitum, a. circ. 35. Servitus I sub rege Mesopotamiae, ann. 8.  
*Othoniel judex I. ann. 40.* Anarchia II a. forte 33. Servitus II sub  
*Moabitis a. 18. Abod judex II. a. 80.* Anarchia III a. 37. Servitus III  
*sub Jabin, a. 20. Debora & Baraa, judices III a. 40.* Anarchia IV a. 18.  
*Servitus IV sub Medianis, a. 7. Gedeon judex IV a. 40. Abimelech*  
*judex V a. 3. Thola judex VI a. 23. Jair judex VII a. 22.* Anarchia  
 V a. 30. Servitus V sub Philistæis & Ammonitis. a. 18. *Jephra judex*  
*III a. 6. Abeson judex IX a. 7. Abialon judex X a. 10. Abdon ju-*  
*dex XI a. 8.* Anarchia VI a. forte 50. Servitus VI sub Philistæis  
 a. 40. *Samson judex XII a. 20. Heli judex XIII a. 40.* Anarchia  
 aut Servitus VII sub Philistæis. a. 22. *Samuel judex XIV judicat*  
*antequam Saul Rex crearetur, annis 20. Saul regnat a. 20. David*  
*mortuo*



*mortuo Saulo regnat a. 40. Salomon incipit adificare templum anno regni 4. Numeri hi universi assurgunt in summam annorum 873, quos *Ætati suæ quartæ* Pezronius vindicat. Ne vero Authori controversia moveatur de ducentis annis, quos ex liberrima conjectura inter Anarchias sex priores dispartitur, fundamentum conjecturæ suæ petit ex pervetusta Judæorum traditione: *Duo annorum millia Lex*, ab ipso *Philone Alexandrino* (apud *Eusebium* l. VIII de Pr. Ev. c. II) & *Josepho* (præf. in Libb. Antiqu. item l. XX Ant. c. ult. & l. I contra Apionem,) confirmata. Ille enim *legem ultra duo millia annorum circiter intemeratam servatam esse*; hic *Mosen ante bis mille annos natum, Pontificumque successiones per duo annorum millia continuatas fuisse*, tradit. Consentiant *Manetho, Ptolemaeus Mendefius, Apion Alexandrinus, Hellenicus, Philoborus, Castor, Thallus, Alexander Polybistor*, quique horum vestigia præstant, *Clemens, J. Africanus, Tatianus, Justinus M. Theoph. Antiochenus, Tertullianus*, alii. Hi enim universi *Mosæ* cœtaneum tradunt fuisse *Inachi & Amosis*, quorum ille *Argivum*, hic *Ægyptiacum* regnum annis circiter 1940 ante *Messæ* adventum tenebat. *Inachum* enim (*Tatiano* teste,) exceperunt decem generationes, quarum ultimam constituit *Danaus*, qui a fratre *Sethosi* vel *Sesostri* profugus, *Argos* venerat, & ab *Argivis* in *Stheneli* decimi Regis defuncti locum surrogatur, a. 72, postquam *Cecrops* *Athenis* imperare cœpisset, uti ex *Marmoribus Arundellianis* liquet. Hunc *Danaum* novem alii secuti sunt, usque ad expugnationem *Trojæ*. Numerat autem *Noster**

Ab <i>Inacho</i> ad <i>Danaum</i> <i>Ægyptium</i>	annos	427,
A <i>Danao</i> ad <i>Trojæ</i> excidium	a.	302
A <i>Trojæ</i> excidio ad <i>Olympiadem primam</i> vulgarem, qua <i>Choroebus</i> vicit, (accurate distinguendam ab <i>Olympiade</i> illa prima, quam <i>Ipbiri</i> vocant,) numerat annos non CCCCLIX, cum <i>Eusebio</i> & <i>Eratosthene</i> , sed juxta <i>marmora Arundelliana</i>	a.	433
Ab <i>Olymp. I. vulgari</i> ad <i>Æram Christi</i>	a.	776,
Ab <i>Æra Christi</i> ad excidium <i>Hieros.</i>	a.	70,
	S. a.	2007.
		Tolle

Tolle hinc annos septem, quos ab auspiciis regni Inachi usque ad egressum Israelitarum elapsos esse, post exactissimum examen reperisse se opinatur Pezronius. Remanebunt sane *anni bis mille*, quibus *lex substitit*. Idem liquere videtur ex *Dynastiis Ægyptiorum*, de quibus cap. XIII ex professo agitur. Hoc loco autem supponitur, *Themosis* vel *Amosis* Mosis cœtaneum, cujus pater vel antecessor *Abispragmuthosis* maris Erythraei aquis submersus fuerat, incepisse sub ipsum Israelitarum ex Ægypto egressum *Dynastiam XVII*, quæ substitit a. 393. Secutam esse *Dynastiam XIX*, quam Sethosis vel Sefostris Danaï Argivi regis frater auspiciatus est, quæque substitit a. 234. *Vigesimam Dynastiam* complecti annos 178. *Vigesimam primam* a. 130; *Vigesimam secundam* a. 120; *Vigesimam tertiam* a. 89. *Vigesimam quartam* unum habuisse regem Bocchorim, qui regnavit a. 44, & a Sabbacone Rege Æthiopiæ victus vivusque exustus est. Effluxere inde ad æram Christi anni 742, ab æra Christi autem ad excidium Hierosolymæ a. 70. Numeri hi in summam collecti conficiunt a. 2000, quibus *substitisse legem*, probandum erat. Cum igitur fundatio Salomonæ templi ab æra Christi annis distet 1057, ab excidio ultimi templi annis 1127, sequitur, quod inter fundationem templi & exodum intercesserint anni 873. Nam subtractis 1127 a 2000, remanent 873. Item subtractis 1057 a 1930, (quot scilicet anni remanent, si annos 70 æræ Christianæ a duplici illo millennio detrahas,) remanent a. 873. Atqui anni illi *Ætatis IV* mundi 873 non transacti sunt omnes sub *Judicibus*, aut sub *Tyrannis*. Ergo durantibus *Anarchiis* corruptissimis, quæ ut totidem servitutes immitteret, Deum aegerunt. Equidem *III Regum VI*, 1. ab egressu Israelitarum ad ædificationem templi numerantur non nisi 480 anni. Sed illius rationem hanc reddit Pezronius, quod autor sacer studio in hoc computo neglexerit *anarchias & servitates*, ut & *9 posteriores Saulis annos*, inter injurias erga Deum & quosvis bonos commissas transactos. Moris enim fuisse Orientalibus, annos infelices censu cæterorum annorum exturbare, ne contagio quasi suo cæteros inficerent; quemadmodum Salomon a. 40 regnasse dicatur *3. Reg. XI*, 42, cum revera a. 80 imperarit, quorum dimidiam partem bene, alteram pessime collocaverit. Anni ergo illi 480 complectuntur annos 40 in deserto sub Mose, 27 sub Josue, 359 sub

quatuordecim iudicibus, II sub Saule, 40 sub Davide, 3 sub Salomone exactos, qui cōficiunt a. 480. Sic Act. XIII, 20, *annis quasi 450* iudices usque ad Samuelem Israeli datos, Paulus autor est, intelligitque omne illud tempus, quod inde a morte Josiaz usque ad Samuelem [exclusive] sub iudicibus partim, partim sub tyrannis, transactum fuit, annos nempe *judicium tredecim* 339, & annos *servitutum sex priorum* III, neglectis anarchiis. Quo pacto hæc locorumbiga non obstat, quo minus ætati mundi IV annos 873 vindicare possimus.

Ætas V a fundatione templi Salomonæi, facta A. M. 4816, usque ad templi conflagrationem, quæ A. M. 5287 contigit, porrigitur, annos complexa 470, menses 6, dies 10. Vulgo annos 430 templum stetit perhibetur, eo quod Salomonem 40 tantum annis imperasse, ex 3. Reg. XI, 42. & 2 Par. IX, 30. hæcenus creditum fuerit. At Pezronius *Josepho* assentitur, qui L VIII A. J. c. 3. *Salomon*, inquit, *jam admodum senex moritur, cum regnasset a. 80, vixissetque a. 94.* Et I. X. A. J. c. II, ac I. VII B. J. c. 10. *constituisse ait templum, annis, ex quo fundatum erat, 470. m. 6. d. 10.* Inter *Josephi* ὁμοψήφους e veteribus *Demetrium Phaleræum, Theodoretum, Procopium Gazaem, & Petrum Comestorem*, ex recentioribus neminem novit. Urget, quæ III Reg. II, 12. apud LXX legisse se refert: *Σαλωμων ἐκάλεισεν Ἰπὶ τῷ Ἰσθμῷ Δαβὶδ πατρός αὐτοῦ ὡς ἐτῶν δαΐδου.* Ita sane legitur in editione *Aldina*, quæ Venetiis a. 1518 prodit; cum contra ista [ὡς ἐτῶν δαΐδου] in Bibliis *Antverpiensibus* Christophori Plantini opera a. 1569 excusis, itemque in editione *Vaticana*, inque Polyglottorum *Londinensium* textu plane sublata deprehendantur, & in editione *Roberti Stephani*, ad quam etiam *Wechelianæ* hæredes A. 1579 Francofurtensium adornarunt, parenthesis includantur, adjecto hoc scholio: *Al. abest hoc, ut ab Hebræo, & est a traditione Judeorum.* Studio omittimus editiones minoris autoritatis, itemque Biblia *Hebræa, Chaldaea, Syriaca, Arabica, Vulgata Latina*, quæ numerum annorum Salomonis universa reticent. Quod ea fini notamus, ne lector hunc locum in editionibus frustra quærat, & ut eo melius judicare possit, utrum nobis satis constet, Salomonem sub auspiciis imperii *duodecennem* fuisse. *Pezronius* id tamen supponit. Atqui Roboam moriente

riente Salomone excefferat annos quadraginta, 3. Reg. XIV, 21. Uade, (si plures quādraginta annis Salomonem regnasse neges,) fequetur, Salomonem *puerum ac tenellum* 1. Par. XXIX (al. XXX.) v. 1. anno jam decimo aut undecimo, & quidem, quod notandum, ex *alienigena* Naama Ammonitide (3. Reg. XIV, 31.) genuisse filium; cum ante fenestrem, aut saltem ante matrimonium cum Pharaonis filia, ab alienigenarum amore sibi temperasse (ob 3. Reg. XI, 14.) videatur. Dicendum ergo, Salomoni duodecenni regnum a patre destinatum, biennio post per patris obitum traditum esse; sequentes annos 40 pie transactos, dignosque adeo habitos, qui 3. Reg. XI, 42. & 2. Par. IX, 30. memorarentur. Reliquos 40 annos inter idolorum cultus alienigenarumque amplexus periisse, dignosque adeo ab Autore sacro habitos, quos æterna oblivione sepeliret. Subindicari tamen 3. Reg. XI, 25. per *dies* illos, quibus Salomon *Adadum & Razorem* inimicos nactus est, insidiasq; struxit vitæ *Jeroboami*, sed fuga elapsi ad *Sefac* aut *Sefonchim*, qui *cæsis principibus Tanitarum* Salomoni affinitate junctis, regnum invaserat, ac *Dynastiam XXII* auspiciatus fuerat, adeoque facile se adduci passus est, ut *Jeroboamo* Salomonis hosti faveret, & postea contra Salomonis filium arma moveret, 3. Reg. XIV, 25. Regnum igitur Judaicum a templi fundatione substitit annis 470. Regnum vero Israeliticum a 260. Dignissimus videtur esse Regum Judæ ac Israel synchronismus, quem eruditi lectoris judicio exponamus. Innumera Scripturæ *varno Phari* tollet, si verus sit, de quo nostrum non licet iudicium interponere. (Quæ Reges Judæ attinent, *currente*, quæ Israelis reges spectant, *rotundo* caractere exscribi curavimus, ne forsitan invicem confundantur.) A. M. 4816 *Salomo templi fundamenta jactit.* A. 4893 *Salomo moritur, cujus imperium partim Roboamo, partim Joroboamo cedit. Regnat ille annos 17, hic annos 24.* A. 4910 *Abia succedit Roboamo, regnatque a. 6.* A. 4916 *Afa Abia succedit moriturque anno regni 41 ineunte.* A. 4917 *Nadab Joroboamo succedit, obitque anno regni 2 ineunte.* A. 4918 *Baasa Nadabum regno exiit, eoque potitur a. fere 24.* A. 4940 *Ela Baasæ fil. regnat a. l. cum patre, & a. l. post patris obitum, qui in A. 4941 incidit.* A. 4942 *Zambri Elam trucidat, trucidaturque post regimen septem dierum ab Amri, cui cum Thebni bella intestina intercedunt annis 4.* A. 4946 *obit Thebni, totoque adeo regno potitur*

potitur Amri, qui A. 4954 moritur a. r. 12. A. 4953 Achab a Patre in regni consortium adsciscitur, anno sequenti solus regnare incipit; regnavit autem annos 22. A. 4957 Josaphat Affa patris successor regnum obtinet usque ad annum 25 inuivtem. A. 4973 Ochoziam filium Achab collegam imperii constituit, a. 17. Josaphati. Idem axioma confert in alterum filium Joram A. M. 4974. a. 18. Josaphati. Ochozias post patris fata cum fratre Joram a. 2. imperat, A. 4977 Joram solus imperat, annis 12. A. 4981 Joram Rex Juda Josaphati patris successor regnat a. 8. in completos. Hujus filius Ochozias a. 4988 regnum adeptus, uno solum anno imperat. A. 4989 Arbalia tyrannidem 6 annorum aufpicatur; Jehu item, Joram R. Israel trucidato, regno potitus, imperat a. 28. A. 4995 Joas, Arbalia occisa, rex eligitur, r. a. 40 in completos. A. 5015 Joachaz regnat a. 2. cum patre Jehu, & a. 15. post illius obitum. Moritur a. 5032. Succedit ei filius Joas, regnatque super Israel a. 16. A. 5034. Joas R. Juda moritur, successorem habens Amaziam filium, qui a. 29. imperat. A. 5048 Jerobeam H R. Isr. Joaz F. aufpicatur regimeti annorum 41. A. 5063 Amazias occiditur. Sequitur inter regnum a. 1. A. 5064 Amazia succedit Ozias seu Azarias filius, regnatque a. 52. A. 5089 Anarchia 12. annorum post obitum Jeroboami R. Israel. Hujus filius Zaeharias a. demum 5101 patri succedit, a. 38. Ozia, sed post regimem semestre A. 5102 a. Sellum occiditur, cujus tamen regnum non nisi menstruum est. Occiditur enim A. 5103 a Manahem, qui 10. annis dominatur. Succedit ei filius Phaceias A. M. 9113, Ozia 50, regnatque a. 2. Trucidatur A. 5115. a Phacee, qui a. 20. regnum obtinet. A. 5116 Joatham, mortuo Ozia patre, solus per a. 16 imperare incipit, anno vero 5132 regni collegam facit filium Achazam, qui moritur anno regiminis sui 16. in eunte. A. 5135 Phacee ab Osea occiditur, anno 20. Joatham. Sequitur Anarchia 9. annorum. Hac elapsa, A. nempe 5144, Oseas regicida thronum occupat, a. 12. Achazi, regnatque a. 9. A. 5147 Achaz patri succedit Ezechias, regnaturus annos 29. A. 5153 Regnum Israelis a Salmanassare delocur, cum substitisset annos 260. m. 7. d. 10. A. 5176 Manasses Ezechie succedit, regnatque a. 55. Hinc A. 5238 Amnon succedit, sed biennio post trucidatus, regnum transmittit in filium Josiam, qui ab A. 5233 orditur imperium 31 annorum. A. 5264 Joachaz

**MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 477**

*achaz seu Sellum, fil. Josia secundogenitus a populo praefertur primogenito Eljachimo. Sed post regnum trimestre a Pharaone Nechao regno & libertate exiit, surrogato in ejus locum fratre primogenito Joachim aut Eljachim, qui ab A. 5265 regnum 11 annis obtinet. Succedit ei A. 5276 Jechonias seu Joachin filius, sed post regnum trimestre Babelen captivus abducitur a Nabuchodonosore, qui in illius locum sufficit Sedeciam aut Mattaniam, tertium Josia filium. Hic a. ii. imperat. Anno enim 5287 Regnum Juda a Nabuchodonosore destruitur, templumque confagrat, ex quo a. 470. m. 6. d. 10. sub-stitisset.*

*Ætas denique sexta ab excidio templi primi usque ad æra Christianæ initium, sive ab A. M. 5287, usque ad A. 5873, deducta, constat 586 annis, quibus Monarchæ Babyloniorum, Medorum, Persarum, Syro - Macedonum atque Romanorum usque ad Octav. Augustum imperarunt. In tabula Ætati huic adjecta, (quales & ætatibus cæteris autor adjecerat,) synchronismus Monarcharum horum cum Judæorum Pontificibus, duobus Asmonæis, & Regibus dilucide monstratur. Quæ apponere negleximus, cum dato termino a quo ætatis hujus, & peripetis annis cujusvis Monarchæ, Pontificis, Ducis, ac Regis ex Josepho gentilibusque historicis, cui- libet, etiamsi hunc tractatum non viderit, cuivis Monarchæ &c. annum mundi ex hypothese autosis nostri assignare, non adeo diffi- cile futurum sit.*

*Restant capita libri hujus quinque, quibus antiquitatibus Chæ- daicis, Egyptiacis, ac Chimensibus faciem accendere Autor nititur. Sed de iis in Actis Octobris latius agetur. Nunc ad aliis argumenti libros pergendum nobis est.*

**LETTRES DU PERE MALEBRANCHE**  
*touchant celles de Mr. Arnauld,*

id est:

**Epistolæ P. Malebranchii adversus eas, quas D. Ar-**  
**naldus edidit.**

**Roterodami, apud Rognerum Leers, 1687, in 16.**

Ooo 3

Respon-

**R**espondet hic libellus *Libro I Reflexionum D. Anton. Arnaldi*, cujus contenta mense Majo p. 236 in Actis nostris hoc anno retulimus. Visum tamen est Autori ad priora capita IV libri Arnaldini generali solum protestatione sibi prospicere, & ad sua scripta provocare, ex quibus manifeste constare existimat, errores, qui nunquam sibi in mentem venerint, per calumniam sibi imputari; unde satius putarit suæ fidere conscientiæ, quam cum adversario ulterius digladiari, qui verborum strepitu & aliena a scopo congerens, non nisi nebulas veritati offundere nitatur, & effugia querere, cum constrictum se argumentis esse deprehendat. Ex reliquis tantum refutanda nunc sumit, quæ ad vexatam quæstionem *de gratia efficaci*, quæ Molinæ & Jansenii discipulos per tot annos inter se commisit, pertinent, eaque quinque capitibus sive epistolis complectitur. In prima de gratia & libero arbitrio ea disserit, quæ concilii Tridentini canoni IV sess. VI congruere arbitretur; cui contradicere tradit Arnaldum, pertinaci Janseniani dogmatis de *gratia invincibili* propugnatione. Interim tam importunum eum esse ait, ut concilio assentes sub Molinistarum nomine pro Pelagianis traducat, nullum gratiæ auxilium admitteus, quam quod a voluntate humana sive libero arbitrio nullo prorsus modo dependeat. Contra Malebranchius postquam vocabula *gratia & efficacia*, ex suis exposuisset hypothesibus, ita statuit, *Gratiam*, de qua queritur, & de qua in Concil. Trid. d. l. deciditur, esse gratiam Christi Salvatoris actualem, quæ eatenus efficax sit, ut mentem qua in genere ad bonum, sive verum sive apparatus, necessario propendet, moveat & impellat ad verum & singulare bonum, dum ejus cognitionem dat, infuso intellectui lumine, & dum boni sensum seu perceptionem anima sive voluntati impertitur, ita tamen ut voluntas hominis tam consentiendi quam dissentendi facultatem habeat, & se non solum a coactione, sed & a necessitate assentiendi, libera & exempta sit. Censet enim destrui liberum arbitrium omnemque merendi aut demerendi facultatem, & sic in Concilii Tridentini canonem impingi, si ex Arnaldi sententia invincibilitas gratiæ admittatur, nec voluntati humanæ libertas assensus & dissensus afferatur. Interim etsi libertatem illam suspendendi, dandi denegandique assensum, homini vindicet, multis tamen & magnificis verbis salutem & omne

& omne hominum meritum acceptum fert Servatoris nostri Jesu Christi gratiæ, & Pelagianismum omnibus modis detestatur. Monet autem §. 30, Pelagium ejusque sectatores non disputasse de modo & operatione gratiæ, de qua hodie in partes itur, sed negasse, quod Christi gratia necessaria & gratuita sit; ideoque Augustinum ex illo controversiæ statu, in quo cum Pelagio versabatur, non vero ex scholarum posteriorum hypothesibus interpretandum esse: quod cum neglexerint & Calvinus & Jansenius, suisque præjudiciis repleti, Patris illius scripta legerint, in erroneam eos præsumptionem incidisse, & falso jactare, ac si cum suis dogmatibus Augustinus consentiret. Hoc pluribus exequitur, & statum controversiæ perverti, atque Augustino odiosissimam opinionem affingi conqueritur, qui tamen centies dixerit, *consentire vel dissentire propria voluntatis esse*, & cum aliter loqui videatur, id solum contra Pelagium asserat, *quod sine Christo nihil bene velimus aut agamus*; de modo autem, quo in voluntatem nostram agit gratia, nihil definiverit nec invincibilitatē illam affirmaverit, quam ejus autoritate adversarii defendi posse putent. Gratiam Creatoris, quam Pelagius solam recipiebat, *auxilium esse ait, sine quo non*, sed gratiam Salvatoris, quæ animam contra concupiscentiam mover, esse *auxilium quo*, ab Augustino contra Pelagium vindicatum, sed absque invincibilitate Janseniana aut Calviniana. Imo ipsum illud donum perseverantiæ, quod invincibile vocat Augustinus, ita ab eo describi, ut non impediat, quominus etiam multa auxilia gratiæ vincibilia & frustranea sint, quia iusti quoque & electi sæpe in crimen incidant, ex quo aliquando tarde & paulo ante mortem resurgant. Itaque nec perseverantiam per se invincibilem esse, sed dici potius posse, *fideles in potestate habere perseverantiam*. Citat Augustini dictum: *deserunt & deseruntur*. item: *non deseris, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*. Id Prosperum egregie ait interpretatum esse, dum scribit: *illi non ex eo necessitatem percundi habuerunt, quia prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præcisi sunt*. Denique magnam illam difficultatem, cur Deus non omnes peccatores eo modo iisque circumstantiis ad pœnitentiam vocet, ut convertantur, Augustinum non esse persequutum, sed optasse, ut id ab aliis fieret, eo tamen modo, ut *caveatur precipitium*,  
Pelagii



Pelagii nempe, qui electionem ex meritis fieri docebat; interim agnovisse, quod electionem fecerit Deus, *secundum secretissimam, eandemque, potentissimam, beneficentissimam & sapientissimam voluntatem*, & hoc ipsum se in Tractatu de Natura & Gratia pro scopo habere, testatur Malebranchius, eoque lectorem ablegat.

Epistola II imputationi Adversarii respondet, ac si ex Lutheri, quam vocat, & Pelagii hæresi, in articulo de gratia & libero arbitrio, tertiam aliquam conflasset. Proponit & dissolvit plurima ab Arnaldo sibi objecta, quæ singulatim persequi & recensere non possumus. Multum tamen dolet de æquivoca & parum fida suæ sententiæ relatione aut interpretatione, & in eo persistit, a nostro consensu dependere, an bono motui a gratia inspirato assentiri velimus; & ab hoc assensu libero meritum hominis estimari debere, Luthero vero contrariam assignat sententiam, quasi docuerit, motum illum invincibilem esse, nec ab homine stare, num consentire an dissentire ab eo velit. Mirum ergo esse ait, quod Arnaldus, eum idem statuatur, ab hæresi tamen (quæ Luthero imputata fuerit) immunis esse velit, evasionem in eo querens, quod dicat, invincibilitatem gratiæ nec libertati nec merito hominis adversari. Se vero ita docere, efficacem quidem & invincibilem esse gratiam, dum non stat a nobis, ut sensum & delectationem ejus percipiamus; aut quo minus per eam moveamur, sed non esse invincibilem respectu nostri consensu, sed quod hic a nobis dependeat; eoque applicat decretum Tridentinum d. L. adversus eos, qui liberum arbitrium a Deo motum & excitatum negant posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam & mere passive se habere. Distingui enim statuit *canone illo effectum immediatum & necessarium gratiæ, quo voluntas moveretur & impellitur; & effectum voluntatis, motui consensum libere præstantis, quem recusare possit. Primus effectus, ait, Deo a patribus Tridentinis tribuitur, excitanti aut vocanti: secundus homini cooperanti*; idque non invincibiliter & necessario ad assensum compulso, quod Lutherus hæretice statuisse contendit. Eo igitur redit tota disputatio & pugna, sive in rebus sive vocabulis, ut Malebranchius motum gratiæ, quo anima urgetur, invincibile esse fateatur, quatenus ille motus non pendet ab homine; neget autem invincibilem, quoad acceptationem seu consensum hominis: *Nihil meremur (ait) nisi*

nisi per gratiam impulsus, neque tamen mereamur, nisi quatenus obvia  
 quasi immo & assentimur motui illi invincibili: item p. 117 & p. 123. me-  
 rita nostra sunt dona Dei, quia per gratiam nobis vires dat, ut merea-  
 mur per consensum nostrum ad bonum, at consensus hic a nobis depen-  
 det, alias merita non essent nostra merita. Allegat Can. 32. Sess. VI  
 Conc. Trid. & inter alia ex Augustino de Spir. & lit. c. 33. hæc verba:  
*his ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (ne-  
 que enim credere potest, quod libet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel  
 vocatio cui credat) profecto & ipsum velle credere Deus operatur in ho-  
 mine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem  
 vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est. Quæ res  
 non solum non infirmat, quod dictum est, quid enim habes quod non  
 accepisti? verum etiam confirmat. Accipere quippe & habere anima  
 non potest dona de quibus audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid ha-  
 beat & quid accipiat, Dei est: accipere autem & habere utique acci-  
 pientis & habentis est. Hoc uno testimonio novitatem opinionis  
 & mixturam Lutheranismi & Pelagianismi ab Arnaldo sibi expro-  
 bratam amoliri se posse arbitratur; se enim ait cum Augustino as-  
 serere, Deum esse, qui faciat nos velle credere, licet a nostra voluntate  
 pendeat, motui illi seu vocationi Dei assentiri. Deum autorem esse  
 omnis boni motus seu delectationis per gratiam; per hunc fieri, ut  
 consentiamus & coopereremur, & sic mereamur, quia nos non in-  
 vincibiliter impellat ad consensum & cooperationem, sed indiffe-  
 rentiam & suspensionem consensus non auferat; fore enim alias,  
 ut libertatem destrueret, quæ necessitatem excludit. Pontifices &  
 concilia decrevisse dicit, quod Deus per bonos motus in nobis effi-  
 ciat velle & perficere; scilicet contra Pelagianos, qui necessitatem  
 gratiæ J. C. negabant, non vero decidisse, quod agat in nobis gra-  
 tia invincibili, respectu voluntatis nostræ consentientis: contra-  
 rium definiti Sess. Trid. VI. c. 13, dum velle & perficere Deum statu-  
 it operari, nisi ipsi (in quibus operatur Deus) illi defuerint. Tho-  
 mam denique in testimonium vocat, qui hæreticos pronuntiat sta-  
 tuentes, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad eligendum,  
 licet non dicant, quod cogatur.*

Epistola III ulterius persequitur momentum controversiæ, an  
 quodlibet auxilium ætuali gratiæ J. C. tale sit, ut non dependeat a vo-

luntate hominis, neque huic liceat suspendere consensum suum, sed illum invincibiliter præbet: de hoc solo disputandum esse notat, non vero de gratia aut de prædestinatione necessaria & gratuita, de qua tot verba frustra faciat Arnaldus. Intrepide autem asserit Malebranchius, per Concilium d. l. damnatam esse Arnaldi sententiam; damnari enim, qui dicunt, dissentire non posse hominem, si velit, & alio loco pronuntiare, homines abjicere posse gratiam, si velint. De scientia media, cujus Arnaldus meminerat, ita mentem explicat Autor, ut eam ex sensu Semipelagianorum rejiciat, qui eam (ut ait) invenerunt, ut merita pure humana defenderent, & in homine ponerent causam electionis, sed (scribit p. 146) si Molina, quem non legi, ita sentit, quod Deus cognitione illa, quam habet, de liberis voluntatis humana in variis circumstantiis determinationibus, utatur ad decretorum suorum stabilimentum & executionem, non puro hæc sententia omnipotentia ejus derogari, sed ejus operationem ita describi, ut cum infinita ejus sapientia conveniat, & sic applaudo Molina & omnibus qui idem statuunt. Cum vero Arnaldus magna cum vehementia imputatam sibi sententiam rejiciat, quasi irresistibilitatem gratia statuat, & decreto concilii contra eos, qui dicunt hominem non posse dissentire, contradicat, provocetque ad libros suos adversus Mallesum, Malebranchius p. 147 & seqq. censuram suam defendit, quia non sufficiat aliquando cum concilio loqui, sed requiratur, ut id semper fiat, & ut a propositionibus contradicentibus concilio abstinenceatur: talem autem esse contendit, cum Arnaldus scribat, gratiam ita dari, ut nobis non sit liberum, ea bene vel male pro arbitrio uti; hoc enim in effectu idem esse, ac si dicatur, esse invincibilem, sive dissentire illi hominem non posse, etsi velit. Notat tamen, esse Theologos in Romana Ecclesia (nominat Baronium Gallum, & Alvarum Jesuitas) qui tolerentur, nec concilii decreto contravenire putentur, cum inter gratiam efficacem & sufficientem distinguunt, illamque statuunt esse invincibilem, eo nempe actu & momento, quo voluntas mota consensum præbet; improbat autem assertum illud, & per concilium damnatum esse judicat, si ita intelligatur, ut consensus necessario sequatur gratiam, nec corrigi putat errorem, etsi liber dicatur a coactione, & sic voluntarius. Thomistarum etiam placita in medio relinquit, nec cum Arnaldi dogmate

gmate confundi vult: refert autem illa ex *Gonsalo & Gonet*, qui Thomistas veteres & novos in hoc convenire dicunt, ut pro libertate habeant *indifferentiam* quam vocant *intrinsecam*, non *impedissam*, & *facultatem proximam*, qua quis possit oppositum ejus facere quod facit. Interim sepositis terminis illis obscurioribus & æquivocis, clarum ab Arnaldo responsum postulat, an cum Concilio credat, hominem posse gratiam rejicere; & si id affirmare evitandi anathematis causa teneatur, explicare jubet, quomodo cum illa affirmatione, & cum definitione concilii, conciliaturus sit invincibilitatem gratiæ: hoc enim, quicquid jactet Arnaldus, fieri posse præcise negat, & Janſenii errores ex hoc præſupposito gratiæ invincibilis ortos esse monstrat, detectos etiam a Thomistis in Hispania, antequam quinque ejus propositiones condemnarentur: testem citat *Michalem de Elizalde*. Provocat itaque adversarium, ut respondeat *Porcio & aliis*, qui eum hærescos ex hoc capite postularunt.

Epistola IV quæ ultima est, fortiter urget locum Arnaldi ex libro contra *Malletum* Vol. II pag. 3, quem ut fieri potuit, latine reddimus: *quæritur, an merita sanctorum, quibus Deus regnum celorum pro premio dat, effectus sint talis gratia, qua bene aut male utuntur, prout illis placet; aut an sint dona Dei, quia sancti ea non habent, nisi in quantum Deus illos eos habere vult per efficaciam gratia sua? Si merita sunt effectus gratia, qualis illa primo loco describitur, non sunt pura dona Dei, sed fatendum esset, prædestinationem dependere ex prævisione meritum. Sed nemo est præter Pelagianos, qui hoc cogitet. Articulus vero fidei nostra est, quod omnia merita nostra sint dona Dei. In his aut æquivoca, aut falsa contendit contineri, & dogma de gratia invincibili Ecclesiæ obtrudi, quod illa nunquam admiserit, nec contrasentientes condemnaverit, licet gratiæ auxilium necessarium & prædestinationem gratuitam esse, contra Pelagianos semper statuerit: itaque frustra provocare scribit Arnaldum ad Bellarminum & Amelotum; quætionem enim esse solummodo de gratia invincibili, quam illi non asserant. Prolixe id ex eorum dictis & ex Thomistis ostendit, qui libertatem arbitrii adversus illud gratiæ invincibilis commentum defendant, omnesque uno ore adseverent, in potestate hominis esse, ut gratiam qua datur habeat efficacem. Citat inter alios *Medina* veteris (ut ait) & docti Thomista effatum:*

*Nemo efficaciter salvatur, nisi utatur auxilio sufficienti, sed hoc non est demonstrare insufficientiam auxilii, sed nostram culpam, qui illud amplecti notumus, & Cumelem dicentem: in hominis potestate est, habere auxilium efficace.* Ex Bellarmino vero & aliis id quoque monet, et si catholicæ fidei sit, prædestinationem gratuitam statuere, eos tamen Pelagianismi non dammarî, ut Arnaldus audeat, qui electione, quam a prædestinatione distinguunt, factam esse putant *previſis meritis*. Cætera hujus epistolæ pertinent fere ad retundendos verborum aculeos, quibus peti se ab adversario sensit autor: sed horum relatione, ut alibi professi sumus, neque nos ipsos, neque lectores onerabimus. Insigne *Capuccinûs*, ob pietatem & simplicitatem doctrinæ & morum, elogium tribuitur §. 32. occasione cujusdam patris *Josephi*, cujus commentarios in Augustinum non pridem editos *Mahebranchius* allegaverat, & ab Arnaldo suggillatos defendi a se aliquatenus debere existimavit. His ad primum *Reflexionum librum*, aliosque ante illos ab Arnaldo editos, in hac quæstione replicatis, quieturum se impostertum profitetur Autor, cum nihil nisi inutiles repetitiones ab Adversario expectare se dicat; si tamen edi aliquid deprehensus sit, quod responsum mereatur, veritatis sibi majorem quam quietis suæ curam fore pollicetur, ita quidem ut paratus sit, errorem, si convincatur, agnoscere, aut demonstrare, quod adversarius in errore versetur.

Monere hic quædam possemus de imputata (nullo quidem, ut existimamus, jure) Lutheri hæresi, & ut aliorum dogmata cum Lutheranis autor confundat; sed cum ex libris, quos Symbolicos vocamus, & Theologorum nostratium, veterum & recentiorum scriptis, abunde constet, quæ sit Ecclesiæ nostræ de operatione gratiæ sententia, eo illos remittimus, quibus informatione opus est. Videatur *Form. Concord.* & inter innumeros *Martinus Chemnitzius in Examine Conc. Tr. loc. de lib. arbitr.* ubi phrasin Lutheri, quod homo se habeat *mere passive*, explicat. *Leonhardus Hurter.* in locis Theol. *D. Scherzer.* System. Loc. VII. in erroribus ad §. IX. & novissime summe Reverendus *D. Spenerus*, in opere laudatissimo contra Brevingium, cap. VI. Summa est: *reflere posse homines, non solum naturali repugnantia, quod semper faciunt ante gratiam, sed & malitiosa obfirmatione & reſeſſione ipsius gratiæ, ideoque sua culpa perire.* Eatenus ergo Concilii Tridentini decretum

de-rectum non ferit, ut Malebranchius putat, Lutherum & no-  
 ftras Ecclesias, quæ non negant resistere hominem posse excitanti &  
 vocanti Deo; non admittunt tamen hæc sensum decreti, qui eo trahi  
 potest, & a plerisque trahitur, ut assentiendi vires humane volunta-  
 ti ex sua natura, non ex prævenientis gratiæ operatione tribuant, &  
 sub præparationum & dispositionum vocabulo veterem errorem de  
 merito congrui (licet ab rudi hac voce sibi hodie plerique temperent)  
 etiamnam fovere non cessent; ut vel ex hoc ipso Malebranchii tracta-  
 tu colligere possimus.

*PYXIS MAGNETICA VARIATIONI  
 declinationis baud obnoxia, noviter inventa Parisiis  
 ab Academia Regiæ Scientiarum.*

Translatæ ex Novell. Reip. Literar. Mens. Maj. 1687;  
 pag. 509. seqq.

**A**cademiæ hujus Socii, quorum continua in scientiis occupatio  
 pro scopo præcipuo habet utilitatem, quæ ex istis hauriri va-  
 leat pro commoditate vitæ atque commercii, cum observassent,  
 polum quorundam magnetum, elapsis compluribus annis locum  
 suum mutavisse, secundum progressum ab oriente in occidentem  
 declinationis acus magneticæ; mox solliciti fuerunt de mediis, ob-  
 servationem hanc publico utilem reddendi; eaque sic ipsis inven-  
 tionem suppeditavit novæ cujusdam pyxidis nauticæ, super qua si  
 punctum correspondens polo mundi in loco, ubi quis est, semel cum  
 omni debita accurate notatum fuerit, idem manere queat in-  
 variabile ad quamlibet loci mutationem. En qua ratione con-  
 struatur. Est parvus annulus ferreus circumferentiæ æquilibris,  
 cujus centro, mediantibus tribus radiis cupreis, insigitur pileolus  
 conicus ejusdem metalli; qualem acus magneticæ alias habere so-  
 lent. Ita autumant fore, ut polus magneticus, factus in hoc an-  
 nulo per contactum magnetis cujusdam, excurrat per ejus circumfe-  
 rentiam, novaque ibi loca sibi deligat ad eandem normam, qua de-  
 clinatio variari inter transportandum ob diversum terrarum situm.  
 Speculatio hæc sane perquam ingeniosa est; non desuere tamen,

qui difficultates in ea nonnullas detexerunt ex parte principiorum physicomum, ut apparet ex his, quæ jam sequuntur; quibus per ræspõsionem suam, cum operæ pretium sit, satisfacere haut omittet doctissima hæc Societas.

*Difficultates circa novam isthanc pyxidem nauticam, proposita a per Dominum Du Val, Architectura militari præfectum Regium.* Supponamus, novellam hanc rosam nauticam magnete imbui posse, hoc est, recipere duos polos magneticos, per quos intret ac exeat materia illa, quæ virtutem magneticam efficit: at verosimile videtur, facilius atque expeditius fore materiæ huic magneticæ, cursum suum continuare per easdem vias, quas applicatio magnetis ipsi aperuisset in annulo ferreo, quam novos sibi meatus formare ad quamvis mutationem declinationis; consequenter futurum, ut materia illa circumageret rosam nauticam super suo cardine sic, ut hæc illi semper obverteret idem punctum loco poli, secundum directionem ordinariam acus magneticæ, atque ita a linea meridiana averteret punctum annuli in loco quidem, ubi notatum foret, correspondens polo mundi, at declinans in aliis ob dictam rationem.

Altera difficultas majoris, ut videtur, ponderis est, quod materia magnetica, dum multo facilius ei est influere in poros ferri, quam aeris, semet ibi, quantum usquam fieri potest, continet, quia aeris resistentia eandem istuc repellit ipsaque rursus intrat, si pote, haud reversura. At vero evidens est per figuram annuli ac spheræ, quod cum eo subintravit materia, sese ibi concentratura sit, dum aer semet opponit æqualiter circumcirca ejus egressui; quodque facile sit, ut ibi viam sibi aperiat ad absolvendam intus suam circulationem absque obstaculo, ac sic, ut exinde egredi non opus sit. Verum quidem est quod si circumferentiæ hujus annuli applicetur frustulum ferri prominulum, hoc ipsum materiæ magneticæ exitum præbiturum sit, per quem tamen illuc redire nequeat, dum fieri non potest, ut ipsa iter suum recta relegat, si meatus, quos pertransiit, figuram suam haud mutant per alium magnetis attactum; verum enim vero talis annulus hoc pacto nil aliud foret, quam acus magnetica diversæ saltem ab ordinariis figuræ. His consequenter videtur pyxis hæc nautica nova aut nullum omnino, aut non diversum ab antiquis effectum habitura.

D. Job.

MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 497  
D. JOH. CHRISTOPHORI HEROLDTS,  
*Potentissimi Electoris Brandenburgici Consiliaris  
Ducatus Magdeburgensis, Tractatus Novus de Jure Rati-  
ficationis sive Ratificationis.*

Lipsiæ, apud Hæredes Friderici Lankisii, 1687, in 4.

**C**OMmemoravimus in Actis *mensis Julii, anni proxime elapsi*, Nobilissimi hujus Autoris Consilia Decisiva nostrarum haut indiga laudum; eecce nunc alium nobis rursus, nec minus nitidum partum edit ejusdem industria, tractatum nempe de Jure Ratificationis. Sparsa hactenus fere jacuit in Juris interpretum commentariis ac scriptis utilissima hæc & in foro quotidie occurrens materia; nec dum extitit, quantum quidem constat, qui eam methodice collectam justo quodam ac systematico opere exponeret. Cum itaque de Republica literaria optime mereri censeatur, qui quasi in tabula exhibet, quicquid hic illie veluti in abscondito & per minus ab aliis præstitum fuit; non dubitavit Noster, inter gravissimas nempe, quibus obruitur, occupationes, complures nihilominus eruditus lucubrationibus horas impendere solitus, laborẽ hunc in se suscipere, diffusum licet & multũ otii ob necessariam tot tantorumque voluminum evolutionem sibi exposcentem. Delibaverat quidem jam antehac materiam hanc in Dissertatione ante hos 35. annos Jenæ habita; sed cum ista & mole, utpote paucis pagellis constans, & methodo a præsentis scripto nãniopere distet, non abs re hoc ipsum Tractatus Novi titulo insignire potuit. Ordinem in eo talem servavit, ut præmissis generalioribus thema suum, secundum tria juris objecta, in certas classes & quasi locos communes dispecceret; quemadmodum ex præmissa operi sciagraphia ad oculum patefcit, ubi videre est, quomodo materia hæc tantum non universis juris nostri capitibus semet ingerat. Certe nil facile illibatam relictum est, quod ullo factem intuitu hæc pertrahere potuit colligentis solertia. Singula vero præstantissimorum quorumvis scriptorum tam veterum, quam recentiorum, tam nostratium, quam exterorum testimoniis stabiliuntur; additis etiam subinde sententiis ac præjudiciis, cum a Scabinatu Hallensi assise dicasteriis, sum ab



rum ab ipso consultiſſimo Autore in Prætorio Hallenſi pronuntiat. *Bonum utique factum! quodque rationem habebunt omnes, ſuaque approbabit calculo, quotquot vel cathedra academica, vel forſam addixerunt operam, quod utriusque largiter & ſufficienter ſuggerat, qua in hoc argumento ſparſim veteres & recentiores docuerunt: quæ epicriſis eſt celeberrimi Ziegleri in epiſtola parænetica tractatui huic præfixa; cui & noſtrum adijcere calculum nulli dubitamus.*

**SACRUM DEI ORACULUM URIM ET  
Thummim, a variis D. Job. Spenceri Theologi Can-  
tabrigienſis excogitationibus liberum, autore Philippo Ri-  
boudealdo Cabilonenſi.**

Genevæ, apud Samuel. de Tournes, 1685, in 12.

**D.** Joh. Spencerus in Diſſertatione *de Urim & Thummim* in Deut. XXXIII, 8. quam edidit Cantabrigiæ 1670, in 8, deinde reviſam inſeruit libro tertio operis de Legibus Hebræorum Ritualibus, rejectis aliis opinionibus docuit, Urim & Thummim instrumenta fuiſſe ejusdem oraculi realiter diſcrepantia, & diſiſa, non ſolum nomine, verum etiam numero, figura, officio, uſu. Et quidem *Urim* putat fuiſſe iſſiſſimum *Theraphim*, h. e. ſimulacrum concavum, decore fabricatum ad humanam forſan ſimilitudinem, quale ſeculis antiquiſſimis frequenter in ſacris ædibus ſepoſitum, ſpiritus cujuſdam ſæpius impuri præſentia animatum, oracula fundere ſolebat. Tale jufſu DEI, volentis ritum veterem oracula petendi pene invariatum apud Iſraelitas conſervare, reconditum veſtaſſe Sacerdotem, intra concavas rationalis plicaturas, eoque *Theraphim* mediante, DEUM aut angelum illius vice & nomine, ad Pontificis interrogata reſpondiſſe, enimque quid ex uſu eſſet agere, quid non agere, quid præſens, quid futurum, voce formata docuiſſe.

Audiamus argumenta Spenceri pro hoc paradoxo, & quæ ad ea regerat Riboudealdus.

*Argumentum I:* Urim & Theraphim ſunt nomina ejusdem ſignificationis. Urim ſignificat ignes ſeu lumina; Theraphim  
vox

vox formata ex Seraphim, mutato  $\Psi$  in  $\Upsilon$  more Chaldæorum, arentes & inflammantes notat. *Responderur:* Theraphim vox & usus Trismegisti tempore jam obtinuit, cum Seraphim vox & significatio ignoraretur. Deinde accurate loquendo, voce Seraphim calidum quid & ardens, voce Urim quid illucescens designatur, Et cum Angelis nusquam in Sacra Scriptura nomen Urim tribuatur, DEUS oraculum suum Urim nominando, ad Angelos Seraphim dictos nequaquam respexit, sed solum ad effectum & officium oraculi, quod erat lucescere, arcana detegere, futura revelare; eo enim oraculo velut igne flammante & splendorem lætiores projiciente, voluntatem suam notam fecit DEUS. Verum si demus, DEI oraculum Urim dictum fuisse respectu ad Angelos Seraphim, quid fiet de Thumamim, quod ad Angelos illum habuisse respectum dici non potest. Quod si tandem supponamus rem nullo modo verosimilem, vocem Theraphim eandem esse cum Seraphim, & ejusdem prorsus significationis cum Urim, dicendum erit, Deum oraculum suum ab effectu & officio denominasse Urim, quia per illud veluti igne & luce occulta revelabantur; Diabolum, simulum DEI ob eandem rationem suum oraculum Theraphim dixisse; inde tamen non sequitur, oracula illa Urim & Theraphim eandem esse.

*Argumentum II;* Deus Israelitis oraculum Urim dedit ad formam & exemplum  $\tau\acute{o}\nu$  Theraphim, quibus utebantur gentes, ne scilicet ab illius sacris ad gentiliū ritus & cultum rediret gens illa. *Responderur:* Immo cum Deus plurimas leges Israelitis præscripserit a gentium moribus toto genere discrepantes, omniaque ea, in quibus vel odor aliquis idololatriæ subest, lege prohibuerit, ut dicit Majemonides, Urim mediante, Theraphim reddere noluit. Si enim  $\tau\acute{o}\nu$  Theraphim usum probaret ipse & commendaret, facile ad idololatriam gens Israelitica impellebatur, cernens a gentium moribus longe antiquioribus suum oraculum esse mutuo acceptum.

*Argumentum III:* Spiritus Sanctus eundem semper loquendi morem servat, cum de Theraphim, Cherubim, Urim & Thummim loquitur: de iis enim omnibus non præmonito lectore mentionem facit, ut de Cherubinis Gen. 3, 24. de Urim & Thummim Exod. 28, 30. de Theraphim Gen. 31, 14. Imo magnopere observandū, Scripturā nun-

quam ea describere. Inde colligitur (1) res illas sacra quædam esse instrumenta Israelitis notissima. (2) res illas in generali conceptu imaginis in usum religiosum sepositas convenire; unde est, quod nomina iis tributa in Scriptura Sacra earum munera potius, quam formas referant, ne scilicet Judæi audito frequenter imaginum nomine, in gentium errores & cultus ethnicos incaute prolaberentur. Cum igitur Cherubim & Theraphim simulacra fuerint, etiam Urim & Thummim in imaginum numerum referenda erunt. *Respondetur* 1. Seraphim, cum de iis primum in Scriptura Sacra mentio fit Esaia VI aliquo modo describuntur, Theraphim nullo modo. (2) *tab* Theraphim Moses nullam descriptionem dedit, quia nomen & res ab antiquo erant notissima; quæ eadem ratio est, cur Dagon, Camofch & alia idola in Scriptura Sacra nude nominentur. Urim & Thummim naturam & formam Deus nota esse noluit Judæis, ne inter ipsos futurorum scientia prurientes oraculum sibi ad exemplum illorum fabricarent, ac verisimile ipsum Deum fabricasse, quoniã nusquam legitur Moses fecisse, sed posuisse, Exod. XXVIII, 30, Levit. VIII, 8. ac absconditum in pectorali mansisse, donec interciderit. Cherubim, ubi primum nominabantur Gen. III, descriptionem dari non erat necesse, cum Adamus ea voce Angelos notari sine dubio nosset: descripsit autem Moses eosdem, cum fabricandi essent, Exod. XXV, 18. 19. 20.

*Argumentum IV: Hof. III, 4. per dies multos sedebunt filii Israel absque Rege & absque Principe, & absque sacrificio, & absque ara (vel statua) & absque Ephod & Theraphim. i. e. Urim. Respondetur:* sensus est, decem Tribus durante captivitate Babylonica, sive rota gens Judaica, a templi secundi atque urbis Hierosolymæ totali everfione, erunt absque Rege, (qualem sibi ipsi dari murmurantes petierant) absque Principe, (absque iudicibus & magistratibus, quos Moses Dei decreto præfecerat) & absque sacrificio (a Deo instituto) & absque statua (idololatriæ) & absque Ephod (tum absque vestimento proprie dicto Ephod, tum absque pectorali, religiosi vinculis Ephodi conjuncto, tum absque Urim & Thummim in pectorali positis) & Theraphim (i. e. imagunculis diabolicis, quibus privati futura explorabant, z. Reg. XXIII, 24. Summatim: nullum magistratum proprium habebunt, nullum exercitium religionis sive veræ sive idololatriæ publicum, nullum de occultis & futuris vel Deum vel Diabolum consiliarium.

*Argu-*

*Argumentum* V. Jud. XVII, 4. 5. facile refutatur dicendo, Micham cultum Dei veri & idolorum miscuisse.

Hæc de Urim. *Thummim* autem ex Spenceri conjectura fuit simulacrum prope Urim in pectorali latens, formatum ad exemplar imaginis, quam ex saphiro Ægyptios Sacerdotes de collo gestasse, cui nomen ἀλήθεια, veritas, commemorarunt Ælianus & Diodorus Siculus. *Respondetur*: a ratione alienum est, Deum, qui severissime idola & imagines in lege sua prohibuit, earum ministerio de futuris fari voluisse. Deinde cum ante Diodorum & Ælianium nulli alii Autores, qui exquisitè sacra Ægyptiorum descripserunt, ejus imaginis mentionem faciant, evidens est eum ritum non adeo antiquum esse, & forte seculo antiquiorem Diodoro. Nimirum post tempora Philadelphi receptus est apud Ægyptios, atque in eorum sacris admissus ad oraculi Dei aliqualem imitationem, cujus cognitionem quandam acquirere potuerunt, sive ex librorum sacrorum lectione, sive ex relatione. Et quia viderunt *Thummim* Judæorum a LXX Interpretibus ἀλήθειαν dici, ignorantes significationem vocis *Thummim*, voce illa Græca appellarunt simulacrum suum.

*Regerit* Spencerus: Vocem Hebræam מִיָּמִין LXX explicare apposite poterant per vocem τελειότης, tamen usurparunt vocem ἀλήθεια, quæ minus commode sensum vocis Hebrææ exprimit; scilicet voluerunt illi *Thummim* sui exemplaris nomen atque titulum retinere. *Resp.* LXX in translatione vocum Urim & *Thummim*, ad sensum potius quam verba respexisse, quia illæ res virtutem habuerunt δηλώσεως & ἀληθείας, manifestationis & veritatis.

Hæc cum Riboudealdus contra Spencerum disputasset, quid de Urim & *Thummim* sua sententia credendum sit, differit. Arbitratur autem verosimillimum, eadem unum tantum fuisse oraculum, duobus nominibus ab effectu & operatione indigitatum: Sacerdotem, dum oraculum consulere, Spiritu Sancto affectum & motum, consulenti responsa vocalia, certa & infallibilia dedisse: an vero quodam exteriori modo habuerit sacerdos responsa, quæ ipse facturum esset, prorsus esse incertum: desiisse, quoad formale, hoc est responsa dare, cum templo primo; quoad materiale ceu instrumentum, quod oraculo inserviebat, videri saltim per aliquod

quam ea describere. Inde colligitur (1) res illas sacra quaedam esse instrumenta Israelitis notissima. (2) res illas in generali conceptu imaginis in usum religiosum sepositas convenire; unde est, quod nomina iis tributa in Scriptura Sacra earum munera potius, quam formas referant, ne scilicet Judæi audito frequenter imaginum nomine, in gentium errores & cultus ethnicos incaute prolaberentur. Cum igitur Cherubim & Theraphim simulacra fuerint, etiam Urim & Thummim in imaginum numerum referenda erunt. *Respondetur* 1. Seraphim, cum de iis primum in Scriptura Sacra mentio fit Esaia VI aliquo modo describuntur, Theraphim nullo modo. (2) *Tab.* Theraphim Moses nullam descriptionem dedit, quia nomen & res ab antiquo erant notissima; quæ eadem ratio est, cur Dagon, Camosch & alia idola in Scriptura Sacra nude nominentur. Urim & Thummim naturam & formam Deus nota esse noluit Judæis, ne inter ipsos futurorum scientia prurientes oraculum sibi ad exemplum illorum fabricarent, ac verisimile ipsum Deum fabricasse, quoniã nusquam legitur Moses fecisse, sed posuisse, Exod. XXVIII, 30, Levit. VIII, 8, ac absconditum in pectorali mansisse, donec intercidit. Cherubim, ubi primum nominabantur Gen. III, descriptionem dari non erat necesse, cum Adamus ea voce Angelos notari sine dubio nosset: descripsit autem Moses eosdem, cum fabricandi essent, Exod. XXV, 18. 19. 20.

*Argumentum IV: Hof. III, 4. per dies multos sedebunt filii Israel absque Rege & absque Principe, & absque sacrificio, & absque ara (vel statua) & absque Ephod & Theraphim. i. e. Urim. Respondetur:* sensus est, decem Tribus durante captivitate Babylonica, sive tota gens Judaica, a templi secundi atque urbis Hierosolymæ totali everfione, erunt absque Rege, (qualem sibi ipsi dari murmurantes petierant) absque Principe, (absque iudicibus & magistratibus, quos Moses Dei decreto præfecerat) & absque sacrificio (a Deo instituto,) & absque statua (idololatræ) & absque Ephod (tum absque vestimento proprie dicto Ephod, tum absque pectorali, religiosi vinculis Ephodi conjuncto, tum absque Urim & Thummim in pectorali positis) & Theraphim (i. e. imagunculis diabolicis, quibus privati futura explorabant, 2. Reg. XXIII, 24. Summatim: nullum magistratum proprium habebunt, nullum exercitium religionis sive veræ sive idololatræ publicum, nullum de occultis & futuris vel Deum vel Diabolum consiliarium.


*Argu-*

*Argumentum V.* Jud. XVII, 4. 5. facile refutatur dicendo, Micham cultum Dei veri & idolorum miscuisse.

Hæc de Urim. *Thummim* autem ex Spenceri conjectura fuit simulacrum prope Urim in pectorali latens, formatum ad exemplar imaginis, quam ex saphiro Ægyptios Sacerdotes de collo gestasse, cui nomen ἀλήθεια, veritas, commemorarunt Ælianus & Diodorus Siculus. *Respondetur*: a ratione alienum est, Deum, qui severissime idola & imagines in lege sua prohibuit, earum ministerio de futuris fari voluisse. Deinde cum ante Diodorum & Ælianium nulli alii Autores, qui exquisitè sacra Ægyptiorum descripserunt, ejus imaginis mentionem faciant, evidens est eum ritum non adeo antiquum esse, & forte seculo antiquiorem Diodoro. Nimirum post tempora Philadelphi receptus est apud Ægyptios, atque in eorum sacris admittus ad oraculi Dei aliqualem imitationem, cujus cognitionem quandam acquirere potuerunt, sive ex librorum sacrorum lectione, sive ex relatione. Et quia viderunt *Thummim* Judæorum a LXX Interpretibus ἀλήθειαν dici, ignorantes significationem vocis *Thummim*, voce illa Græca appellarunt simulacrum suum.

*Regerit* Spencerus: Vocem Hebræam מִיָּמִים LXX explicare apposite poterant per vocem τελειότης, tamen usurparunt vocem ἀλήθεια, quæ minus commode sensum vocis Hebrææ exprimit; scilicet voluerunt illi *Thummim* sui exemplaris nomen atque titulum retinere. *Resp.* LXX in translatione vocum Urim & *Thummim*, ad sensum potius quam verba respexisse, quia illæ res virtutem habuerunt δηλώσεως & ἀληθείας, manifestationis & veritatis.

Hæc cum Riboudealdus contra Spencerum disputasset, quid de Urim & *Thummim* sua sententia credendum sit, differit. Arbitratur autem verosimillimum, eadem unum tantum fuisse oraculum, duobus nominibus ab effectu & operatione indigitatum: Sacerdotem, dum oraculum consulere, Spiritu Sancto affectum & motum, consulenti responsa vocalia, certa & infallibilia dedisse: an vero quodam exteriori modo habuerit sacerdos responsa, quæ ipse facturum esset, prorsus esse incertum: desiisse, quoad formale, hoc est responsa dare, cum templo primo; quoad materiale seu instrumentum, quod oraculo inserviebat, videri saltem per aliquod

tempus extitisse sub templo secundo; ei materiali intra pectoralis duplicationem nomen  fuisse inscriptum.

**HISTOIRE DES REVOLUTIONS ARRIVEES dans L' Europe en matiere de religion.**

Par Mr. Varillas. i. e.

Antonii Varillasii Historiæ Revolutionum in Europa, quæ occasione religionis acciderunt  
Tomus IV.

Parisius, apud Cl. Barbinum, 1687, in 4.

**I**N proœmio hujus tomî extollit Autor felicitatem Caroli V, in oppressione fœderis Smalœaldici, magnamque & multiplicem Fœderatis culpam rei male gestæ imputat, nec minus miratur conversionem fortunæ, quæ post annos sex in bello Passaviensi Carolum deseruit, & ut ait, omnium infelicissimum sui temporis Principem reddidit. Sequi se in narratione harum rerum profitetur *Comitem de la Rocca*, scriptorem Hispanum, eumque omnibus præfert, tum ut recentiorem, tum alias ob causas. Cur autem is *Zambeccari* potius, quam verum nomen libro suo præposuerit, non aliam causam habuisse existimat, quam quod in scriptorum classem referri, parum honorificum sibi duxerit. Reprehendit etiam, quod in libro A. 1635 edito, *Cardinalem Richelium* contumeliose tractaverit, parique inde mordacitate a *Job. Sirmondo*, Advocato Parisiensi, repressum memorat. Improbat, quod omiserit duo valde memorabilia, nempe belli indictionem, (*Manifestum* vocant) a Carolo V adversus Smalœaldicos publicatum, in quo videri voluit, non religionis, sed perduellionis puniendæ causa arma cepisse, & revocationem copiarum Pontificiarum cum damno Imperatoris a Paulo III factam. Transit inde ad mentionem *Petri Martyris Vermilii*, eumque putat in libro de S. cœna materiam hæreseos, quam vocat, *Sacramentarie* ita exhaustisse, ut pauca addere potuerint nuperi in Gallia scriptores ex Reformatis, *Claudius & Albertinus*; sed locos *Vermilii* communes, iis quos Melanchthon edidit, posthabendos censet. In-

set. Instituit comparationem Vermilii cum Salmasio, illumque dicit in scriptis quidem placidissimum, sed incommodis adeo moribus fuisse, ut omnibus exosus & fere insociabilis fuerit; hunc scriptis acerbissimum, humanissimæ fuisse conversationis. Ut vero Vermilium ob hæresin & morositatem ex omnibus fere regionibus Europæ, & ultimo ex Anglia merito pulsatum esse judicat; ita *Mariam* Reginam crudelitatis accusat, quod ultionem ultra mortem extendens, corpus uxoris ejus, quæ monialis fuerat, sepulchro exturbatum in loca fœda projici jussit. Postea *Sandovalii* historiam in examen vocans, multis eam nugis repletam esse fatetur, verum etiam excellentissima quædam continere existimat: ideo eam contra *La Mothe-Vayerii* crisin defendit. Veriora tamen omnia de bello isto Smalcaldico ex *Steidano* & *Hortledero* referre potuisset, qui non ex fama aut malevolis rumoribus, sed ex Actorum fide scripserunt. Perstringit *Jansenium* Episcopum Iprensē, quod in tractatu sub nomine *Alexandri Patricii Armachani* de justitia armorum Ludovici XIII edito, Henricum Regem Galliarum æternæ infamiae notam incurrisse scripserit, ob fœdus cum Mauritio Sax. Elect. initum. Excusat autem Regem tum per retorsionem, quod Carolus V & frater ejus Ferdinandus, octo integris annis cum eodem Mauritio fœdus habuerint, tum aliis rationibus. Ex Britannicis rebus in præloquio hoc attingit Pontificis sollicitudinem, de nuptiis Mariæ Anglicæ cum Philippo Caroli V filio, utque eas disturbare, & Polum Cardinalem Mariæ proponere voluerit. Laudat autem *Commendonii* subdelegati Pontificii consilium ex receptum, & singularem industriam, quod a mandatis recedens, in matrimonium cum Philippo ultro consenserit, obtentis tamen pro utilitate Pontificis conditionibus. In fine significat, historiam Ludovici XII a se compositam jam sub prælo esse, ut & responsum ad Burneti animadversiones in Tomum I & II, de quibus in Actis mensis Februarii hujus anni egimus.

His præmissis Varillasius *Libro XVI*, qui primus est hujus Tomi IV, seriè prosequens operis sui, narrat gesta A. 1547, inter quæ primum locum tenet, quam in præloquio (quemadmodum diximus) ut valde memorabilem commendaverat, revocatum copiatum Pontificis. Hanc Imperatoris lubricæ fidei, pacta cum Paulo



III non servantis, & hujus zelo & calliditati tribuit. At *Pallavicinus* Cardinalis in *Histor. Concil. Trid. Part. I, Lib. VIII. c. 16* a Paulo ista plane removet, uniusque Hadriani, historici Itali, ut ait, jejuni & Pontificiis partibus iniqui fide niti monet. Refert deinde Autor, ut Franciscus I Rex Galliz Protestantium afflictas opes submissa pecunia restabilire voluerit; nec diffitetur utilitati id datum, & Austriacæ potentiz metui, contra nuperam inter Imperatorem & Galliz regem pacem. Turnonii vero Cardinalis odio in hæreticos factum esse indicat, quo minus major argenti vis a Rege per Petrum Strozam foederatis destinata, ad eos pervenerit. In relatione de Electoris *Job. Friderici* expeditionibus, & in descriptione pugnaz ad Mulbergam, sunt quæ correctionem poscunt, tum in rebus, tum locorum & hominum nomenclatura. *Tumshirnius* copiarum Electoralium dux, *Temserus* vocatur. Nomina locorum (p. 17.) *Alsдорff, Olniz, Lecniz, Skeneberg, Roche, Semoval, Haldrin, Gotenberg, Planme, Riembac, Gaudesfin*, depravata sunt omnia, & quædam tam enormiter, ut dignosci ne a nobis quidem possint, quibus regio hæc nota esse debet. Taceo quod munita & expugnata memoret, quæ nullam vim sustinere poterant. Quod vero incredibile Autori videtur, Electorem ipso pugnaz die, quæ erat *Dominica*, & cœpto jam prælio, concioni audiendæ vacasse, id Viri fide dignissimi, qui præsentibus erant, literis mandarunt: conjecturis itaq, quas subjungit, locus esse in re manifesta non debuisset. Sincerus est, quod p. 49 narrat, Principem illum, cum a Cæsare in castris ad Wittenbergam se spoliari omnibus, nulla emissa querela passus esset, ad fervorem rediisse, cum a sententia circa fidem discedere juberetur. Mortem enim (ut scribit) malle se pati professus est, & ad eam tam serio & fortiter se præparavit, ut Imperator cedere ipsi, quam postulatis insistere maluerit; addit duram in hunc censuram, quod dum captivo pepercit, satis clare indicaverit, se non pro fide Catholica pugnasse, certe ejus causa non vicisse. Judicat inde hoc ipso momento Cæsarem desuisse felicem esse. Exemplum hoc esse potest humani ingenii, quod prout præjudiciis occupatum est, ex una eademque re contraria prorsus elicit. Quam enim infelicitatem Carolo Varillasius ob omissam Pontificiz majestatis severiorem defensionem tribuit; eandem Protestantes ex contempta aut neglecta

glecta Evangelica veritate, quam agnovisse visus est, ominati illi sunt. Reliqua pars libri occupatur relatione de comitibus Angustæ Vindel. indictis, & de cæde Farnesii Parmæ Ducis, Cæsaris vel præscitu vel approbatione patrata, qua offensus pater Ducis Pontifex & Cæsari iratus fuit, & consilium subigendi junctis viribus Protestantes evanuit. Quæ in fine de morte & testamento Henrici VIII Angliæ Regis, & de Eduardo VI filio ejusque tutoribus, tum Seimerio prorege, & Thoma Crammero Archiep. Cantuariensi recensentur, differentiarum inter Varillasii & Burneti historias catalogum augere possunt.

*Libro XVII* ex gestis anni 1547 & quibusdam anni sequentis, primam locum habent res Anglicæ: de *Eduardi* Regis pueri educatione, de *Thoma Crammeri* Lutheranismò & nuptiis, de introductione *Zwinglianismi* in regnum, vocatisque ex Germania *Bucero* & duobus Italis, *Vermilio*, de quo supra dictum est, & *Ochino*, quorum utrumque a *Valdesio* quodam Hispano Neapoli hæresi imbutos fuisse Autor tradit. Dubitat an *Ochinus* fundator *Capuccinorum* fuerit, quanquam id scripsisse dicat *Ant. Mar. Gratianum* Ameliæ Episcopum, sed non negat, magnam invidiam peperisse Capuccinis Ochini apostasiam, ut parum abfuerit, quin Pontifex ordinem totum suppresserit. Progreditur inde ad res Germaniæ, & decretum illud Augustanum A. 1548 refert, quod homine *Interim* satis celebre est, turbasque inde enatas, & divisiones inter Lutheranos, tum captivi Electoris constantiam in eo recusando commemorat. Profitemur hic ignotum nobis esse doctorem, quem pag. 117 *Pacium* vocat (*Le Docteur Pace*) eumque cum cæteris Theologis nostræ hujus Academiæ alteram Lutheranismi sectam, *repidorum* nempe, constituisse dicit: primam enim *politicorum*, tertiam *rigidorum* facit. Redit iterum ad Britannica, cassusque *Seimeriorum fratrum* & alia persequitur. Postea tentatam Calvinii cum Tigurinis de S. cœna conventionem narrat. Finit librum mentione *Andrea Osiandri* (quem tamen perperam *Bavarum* facit) Norimberga pulsi, ejusque novi circa justificationem dogmatis, & *Staphyli*, quem ex disputatione cum isto permotum fuisse dicit, ut Lutheranismum desereret.

*Libro XVIII* historiam annorum 1549, 1550, 1551, 1552 tractat.

Sub

Sub initium in scenam fittit *Theodorum Bezam*, eumque iis depingit coloribus, ut plenam fidem adversariis Viri, nullam iis tribuisse appareat, qui ab infandis imputationibus & olim & nuper liberare illum voluerunt. Post hoc veluti comicum præludium, in orchestram producit principes Austriacos, Carolum V & Ferdinandum fratres, & utriusque sororem Mariam Hungariæ Reginam, Philippum unicum Caroli, & Maximilianum Ferdinandi primogenitum filium Bohemiæ regem. Hic explicandis reconditissimis aularum artibus operam navat. Itaque Maximiliani iter Hispanicum, matrimonium cum filia Caroli, & delatum ei vicarium Hispaniarum regimen, non alium finem habuisse dicit, quam ut Philippus ad Imperii Romani successionem, delusus Ferdinando & filio, proheretur. Philippi inde mores & consilia taxat, quibus odia multorum incurrerit, & Mariæ astum & versutiam in tentando Ferdinando ad abdicandum imperium exponit. Deducit ex his restabimentum potentæ Protestantium, quia Ferdinandus, ejusque filius ex Hispania celeriter revocatus, Mauritium Electorem Saxoniz sibi adjunxerint, ejusque ope Caroli Imperatoris machinationes subverterint. Accessisse his tradit Electores, *Palatinum* & *Brandenburgicum*, ita ut dum hi in comitiis non comparent, & dilationes quarunt, frustratum fuerit Caroli consilium de Philippo ad Imperium promovendo, sicut & alterum, cum a Ferdinando postularer, ut Philippo vicariam potestatem Imperii nomine in Italia & Belgio concederet; nam etiam hoc reculasse Ferdinandum, quia metueret, ne sub hoc titulo, quidquid in illis locis juris Imperialis restat, Hispanicæ accresceret Monarchiæ. His arcanis, per quæ divisionis semina inter utramque lineam Austriacam, usque ad transactionem A. 1617 jacta esse notat, fidem procurat, allegando alicubi (p. 170) generatim in margine *memorialia* (*dans les memoires*,) & catastrophæ dramatis hanc repræsentat, quod Carolus, cum decreti sui *interimistici* executionem neque a Catholicis, neque a Protestantibus, multo minus ab his ut concilio Tridentino absolute se submitterent, impetrare posset, perspectaque fratris & filii ejus mente, & eorum cum Protestantibus amicitia, non solum a consilio evehendi ad Imperatorium fastigium filii sui destiterit, sed & postea ex his ipsis causis Imperio semetipsum abdicaverit, peniten-

pœnitentiam scilicet acturus, ob non reductos, ut facere potuisset, ad Romanam Ecclesiam hæreticos Germanos. Sequitur narratio de rebus Italicis; de bello inter Imperatorem Pontifici junctum, & Galliarum Regem in causa Parmensi; maxime vero de progressu concilii Tridentini in condendis decretis, & de Legatis Protestantium quorundam A. 1551 Tridentum missis, eorumque postulatis. Subjungit inde res Hungariæ, & Cardinalis *Martinus* historiam & eandem, ut & Georgii Blandratæ medici Itali artes in disseminando per Transylvaniam dogmate, quod postea cum Socinianismo confusum fuit.

*Lib. XI* ex historia annorum 1552 & 1553, *Mauritii* Electoris Saxoniarum gesta & mors referuntur; fœdus imprimis cum Henrico II Gall. R. & cœptum inde cum Carolo V bellum, cujus successum omnes norunt. Non dissimulat Autor, paradoxum videri, quod Rex Galliarum, qui in regno suo Lutheranos ferro & igne persequabatur, eandem in Germania pecunia & milite juverit, sed id a regis ministris excusatum fuisse dicit exemplo Caroli, qui antea cum Angliæ Rege, jam schismatico, fœdus adversus Gallos iniverit. Cæterumque Autor in relatione de fœdere & bello illo judicat, maxime ubi Mauritium Saxoniarum Electorem summæ accusat perfidiam, quod a Gallico fœdere discesserit, aliaque ejusmodi, talia sunt, quæ proprietate erga memoriam optimi Principis, (ut in relatione Tomi III professi sumus,) absque dolore non legimus, examinanda tamen & vindicanda alius temporis & laboris esse censemus. Hic saltem pauca notabimus, quæ indicio sunt, quod alienam potius fidem aut conjecturas suas, quam Acta authentica sequatur in historia hac Autor. Repugnat enim illis quod p. 242 scribit, transactionem Passaviensem tam prolixam esse, ut voluminis modum implere possit, & Protestantes in omnibus quæ postea secutæ sint disceptationibus, in hac pacificatione præsidium quæsisisse. Sane de religionis negotio pactum tunc aliquid est, sed stylo brevissimo, ad comitia indicenda dilata explicatione; & jus autonomiæ circa sacra, quod Protestantes obrinuerunt, non solum pacificatione illa, sed vel maxime decreto comitiorum Augustanorum A. 1555 nititur, quod etiam primario allegari a Protestantibus solet, quoties opus est. Qui vero id decretum, sive, quem vocant, recessum Augustanum

num cum Passaviensis conventionis formula in rebus ad religionem spectantibus conferret, quintuplo longius & operosius reperiet, nec verbis solum, sed & rebus, maxime in eo, quod Passavii, (ur diximus) pleraque ad comitia, imo ad colloquia & concilia differabantur, sed Augustæ latius & accuratius tractata & definita sunt omnia, & cum anteriores transactiones non nisi inducias ad tempus, aut ad concilii decisiones concederent, publice tunc primam pactum & cautum fuit, ut etsi per colloquia aut concilia, concordia in religione iniri non possit, æterna tamen libertas & pax religionis in Germania servaretur. Ejusdem negligentia indicium est, quod d. pag. 245 primum transactionis articulum memorat, ut Joh. Fridericus, olim Elector, & tunc captivus, liberaretur. De hoc enim profus nihil Passavii actum est. Imo ipse *Fridericus* dimissus ab Imperatore, in conventu ordinum provincie sue Salfeldia m. octob. A. 1551 habito & alias publice professus est, se libertatem suam post Deum soli Imperatori debere, neque vel *Linzii* vel *Passavii*, in tractatione illa pacis, unicum verbum de sua liberatione factum, aut transactioni insertum esse. Vid. *Hortlederus Lib. III de causa belli Germ.* cap 87, & lib. V, c. 14, qui omnia ex actis descripta retulit. Transit postea Autor ad res Polonicas, & matrimonium Sigismundi Augusti Regis cum *Barbara Radzivilia* referendum, non sine magna hujus ignominia: ita ulcisci in hac voluit, quod, ut scribit, ejus favori debeatur Lutheranismi in illo regno publica permissio. Inde ad Germanica regressus, *Albertum* Marchionem Brandenburgicum Bayrutensem impietatis ob eundem Lutheranismum, & quod Gallica stipendia deseruerit, vehementer accusat, sed nec Principibus Saxonis parcit. Parum vero perite Joh. Friderico pudendam & plebejam paupertatem tribuit, qui ex Wittenbergenſi capitulatione, & successione in fratris Joh. Ernesti hæreditatem, jam illo tempore plus quam viginti præfecturas, tot ad minimum familiarum millibus habitatas possidebat, ut etsi non ad pristinum splendorem, non indignam tamen genere & loco suo aulam & cultum haberet, nec sumatibus ad fundandam novam Academiam Jenensem, aliasque magnificas erogationes careret. Finitur liber in narratione de Turcarum in Hungaria successibus, quorum causam milicium Germanorum licentia

contæ adscribit, ex bellis civilibus, sive, quæ omnem semper cul-  
pam illi sustinet, Lutheranismò, adsumtæ; & hunc dolet post Mau-  
ritii mortem a Catholicis extinctum non fuisse, sive quod Impera-  
tor se ad pacem Passaviensem servandam obligatum existimasset,  
sive quod bellorum pertæsus fuisset, vel novum Gallorum in Ger-  
maniam reditum metuisset.

*Librum XX* totum fere rebus Anglicis A. 1553 destinavit Au-  
tor, in quibus, ut in margine notat, *Sanderum & Ribadeneiram*  
sequitur, aut ad acta & memorialia provocat. Multus etiam est  
in rimandis & expendendis consiliis politicis. Refert mortem  
Eduardi VI, & *Dudleii Northumbrii* infelices conatus pro nuru sua  
*Jobanna Graja* ad regnum evehenda; licet a Gallie Rege promo-  
tos. Dein *Mariæ Reginæ* zelum pro religione pontificia (disua-  
dente licet Carolo Imperatore) absq; mora restituenda; conjuratio-  
nem ad impediendum ejus cum Philippo Caroli filio matrimonium,  
frustra & cum autorum exitio initam. Medium libri implent gesta  
*Calvini & Genevensium*. Ante omnia proponit Autor politiam  
ecclesiasticam seu *consistorialem* a Calvino ordinatam, ad demo-  
cratiæ stabilimentum, p. 330 & seq. eoque sine id se facere dicit, ut  
ostendat, quo spiritu Calvinus egerit, & quo magistro bis mille &  
plures *Reformatorum* in Gallia coctus usi sint; tum ut imperandi libi-  
do, rigor crudelis, & maledicentia ejus agnoscat: tria enim hæc  
vitia illi veluti propria assignat. Narrat & mutationes in ritibus  
contra Helvetiorum exemplum ab illo tentatas; subjungit ejus  
collisiones cum Magistratu Genevensi, intentatum illi iterum exi-  
lium, & mox decretam revocationem, tum iracundiam & asperita-  
tem ejus in cives & collegas, dein gesta contra *Antitrinitarios, Blan-*  
*dratam, Val. Gentilem & Michaellem Servetum*, cujus supplicium  
Calvino omnino imputandum esse statuit, quanquam excusare eum  
*Drelincurtius* & alii voluerint; extare enim epistolam quandam  
ejus non editam, qua id aperte probetur. Revocasse illum etiam  
publice notat sententiam suam de non puniendis hæreticis, e-  
tractatu, quo contrarium asseruerit. Inter hæc & alia probra, ali-  
quam etiam laudem dispensat, cum centum scutatorum salario,  
quamquam lautius offerretur, contentum fuisse, omnibusque  
donis & sordibus abstinuisse, & tam frugaliter vixisse tradit, (p. 335)

ut etsi nihil in patrimonio aut aliunde haberet, deprehensum tamen postmortem illius fuerit, eum duorum annorum stipendium comparasse, ut esset, quō subitis casibus prospiceret, nec alienos loculos sollicitandi causam haberet. De *Bolsica* acerrimo Calvinī adversario notat, Carmelitam fuisse, & causam acerbi inter illum & Calvinum odii affert. De *Serveti* libro, in quo primum A. 1531 blasphemia contra SS. Trinitatem publicata fuit, memorat: quam secundum autorem *Bibliotheca Unitaria* multoties impressus fuerit, ante annos tamen quadraginta, centum scutatorum pretio venditum esse; unde apparet, pessima, & præsertim vetita, in maximo sæpe pretio haberi.

**Natur und Gnade/ oder der Unterscheid der Werke/ so auß natürlichen Kräften und auß den Gnaden- Wirkungen des Heiligen Geistes herkommen/ und also eines außserlich-erbarn/ und wahrhaftig-Christlichen gottseligen Lebens/ nach der Regel Göttlichen Worts einfältig aber gründlich untersucht**

VON

• **Philipp Jacob Spener/D.**

id est:

**D. Philippi Jacobi Speneri, de Natura & Gratia, sive de discrimine operum, quæ ex viribus naturæ, & quæ ex gratiosa Spiritus Sancti efficacia fiunt, aut quomodo differat vita externa honesta, a vere pia & Christiana, Disquisitio ad regulas verbi divini simpliciter, sed solide instituta.**

• **Francofurti ad Moen. A. 1687, in 12.**

**E**T si parciores esse multis ex causis soleamus in enarrandis, quæ nostra lingua conscribuntur, religioni tamen nobis fuit, hujus libri recentionem Actis nostris subtrahere. Dignissimum enim locum poscit, tum ob venerationem, quæ Autori summe Reverendo publice

publice privatimque debetur, tum ob materiae raro ab aliis tractatae singulari utilitatem, denique ob insignem praefationem, quae ad *ordinem Ecclesiasticum Electoratus Saxonici* praemissa est. De hac, & de *praeloquio ad lectorem* prius dicemus; sic enim ordo poscit, & inde occasio & forma scripti innotescet. Refert autem vir nostra laude major, ut in piis illis colloquiis sive collegiis, quae domi suae *Francofurti* instituerat, quaesitum aliquando fuerit, *quomodo conscientia explorari possit, ad discrimen inter opera: natura & gratia observandum, & inde characterem regenerationis nostrae inveniendum?* cum vero aliquoties de hoc differuisset, & tandem pro more compendiose repetiisset, quae dicta fuerint, Theologiae quendam studiosum pium & doctum, *Nicolaum Becmannum Hoffatum*, domesticum suum, illa calamo excepisse, & Auctori reliquisse. Desiderantibus postea amicis hujus diatribes *de natura & gratia operibus* editionem, noluisse se quidem deesse, sed moram incidisse, ex interveniente mutatione, per quam *Francofurto* in Saxoniam abeundum sibi fuerit. Sub finem tamen anni praeteriti reviso iterum *Becmanni MS.* omnia denuo sub incudem se revocasse, & plurima supplevisse, ita quidem ut populari simplicitate, & ex sola fere Scriptura sacra materiam tractaret, aliorum auctorum allegatione (quamvis Anglorum quorundam libri in rubrica praerferrent, quae huc pertinere visa essent) omissa; tum ob temporis penuriam, tum quod in praesens satius esse & Deo magis placitum putaret, ut sua absque alieni laboris mixtura proponeret; admisisse tamen se priorum aliquorum amicis monita. Haec & alia ex praefatione ad lectorem intelliguntur. In praemissa vero ad *Evangelicos Electoratus Saxonici Superintendentes, Adjunctos, Pastores, & Diaconos* compellatione seu alloquio, breviter & modeste commemorat, quemadmodum anno superiori ad manus *Concionatoris Aulici primarii, Confessionarii Electoralis, & Consilarii Ecclesiastici* in supremo Consistorio, per divinam, (de qua certus sit,) vocationem pervenerit. Eo vero loco jam positum nihil sibi antiquius aut optabilius esse testatur, quam ut cum ejusdem ministerii Evangelici confortibus sinceræ charitatis nexu in unitate Spiritus conjunctus, opus Domini promovere possit. Conveniens autem illi scopo, tum pietati suae & candori Theologico se duxisse, ut quoniam cum singulis



familiariter converſandi facultas & occasio vix ſperari poſſet, ipſe vero plerisque parum notus eſſet, univerſali quadam & publica mentis ſuæ ſignificatione omnibus ſeſe inſinuaret. Id fieri poſſe, exiſtimaviſſe ſe per occasionem editionis hujus tractatus, cui colloquium & parneſin commode poſſet præſigere. Exorditur poſthæc a profeſſione orthodoxiæ ſuæ, tot annorum miniſterio in concionibus Francofurti præſtito editisque libris, ut confidit, ita probatæ, ut citra calumniam in dubium vocari nequeat. Subjungit enixam conſtationem de officio ſuo diligentiffime præſtando, tum in doctrina, tum in moribus; & amicas admonitiones, ſi quid in uno aut altero deſiderari a ſe poſſe videatur, admiſſurum ſe, (ut alias quoque fecerit,) imo inter maxima beneficia reputaturam & habiturum eſſe pollicetur. Viciffim omnibus, quæ pro viribus honeſte præſtare poſſit, humaniffime offert; illorum benevolentiam & ſinceram ad perpetua pietatis officia & exercitia conſenſum ſtipulatur, adeoque ad foedus quoddam ad ſerviendum fideliter communi omnium Deo eos invitatur. Exhortationes addit graviffimas, ſed ea modeſtia, ut ſibi ipſi eadem dicta velit; eo ſine, ut omnes, quos Deus miniſterio Eccleſiæ ſuæ præfecit, tales ſe præſentent, quo re ipſa appareat, ſe eos eſſe, quos Deus ſancta vocatione ex corrupto mundo ſegregaverit, qui doctrinæ puritate & vitæ innocentia ingruenti pravitati obluſtentur & labentia ſuſtineant. Poſcere hoc muneris ad animarum curam commiſſi gravitatem, doctrinæ, in his provinciis per ſingularem Dei gratiam conſervatæ ſanctimoniæ, pœnæ tantum theſaurum negligentibus aut male adminiſtrantibus deſtinatæ rigorem, adverſariorum odia & molimina. Commendat ſpecialim concionum accuratam meditationem & elaborationem, indefeſſam Sacræ Scripturæ tractationem, quæ aliis ſtudiis omnino præferri debeat, moderationem in officio elenchtico, & ut nemo putet efficacius Deum operari *in ſpiritu grandi & montes ſubvertenti, quam in tenuis aure ſibilo*, 1. Reg. XIX, II. 12. id eſt, in proponendis Dei beneficiis per Chriſtum exhibitis, & emolliendis ad tenerum Dei amorem & pietatis ſtadium mentibus. In controverſis pro concione aliquando tractandis laborem, qui ad cavendos, quorum periculum metuitur, errores, neceſſarius & utilis ſit, non improbat, optat vero, ut capita doctrinæ primaria de Chriſto,

Christo, de justificatione, de sanctificatione & renovatione, ex dilucidis Scripturæ sacre testimoniis creberrime inculcentur, & Pauli exemplum ac monitum 1. Cor. I, 17, & II, 14. ante oculos sit. Hoc se vehementer permorum esse dicit, ut humanæ eloquentiæ ornamentis simplicissimas ex verbo Dei, (quod vere verticordium & divinæ in mentes efficaciam est,) propositiones prætulerit. Catechetica informatio quam necessaria sit, & ecclesiasticis Electoratus constitutionibus injuncta, evidens esse ait, summaque cura tractandam suadet. Optat etiam, ut salutari modo, remotis obstaculis, in usum reduci possit singularis pastorum cum cœtus sui hominibus conversatio, itidem ad Pauli exemplum Act. XX, 31. Ostendit, quantopere Ecclesie ministris incumbat, ut vitæ & morum honestissimis exemplis per se & familias suas, commisso gregi præeant, quantoque cum scandalo & periculo id negligatur. Fraternali correctionis & mutue admonitionis necessitatem proponit, rejectis blandis vitiorum dissimulationibus, & tolerantia enormium excessuum, amulationibus etiam & rixandi pruritu. Sed fusius hæc & alia, summam pietatem spirantia & humanissime insinuata, deduci hic non possunt, digna utique, quæ cum studio & sapius legantur, & pro viribus præsententur. Jam paucis de ipso tractatu agemus.

Ratione tituli ita se explicat Autor pientissimus, quod eo sensu illum non intelligat, quo D. Augustinus, cum de viribus naturæ & gratiæ contra Pelagianos disputaret: sed *per naturam* intelligere se dicit vires hominum, quales post lapsum supersunt, tum in corpore ejusque membris, tum in anima ejusque facultatibus & affectibus, ita ut etsi aliquid capiant aut agant, id omne tamen defectibus & peccatis corruptum sit, nec Deo justo & sancto placere possit; *per gratiam* vero non omnia, quæ a Deo sunt, sed sepositis jam beneficiis creationis, illa solum, quæ per operationem Spiritus Sancti exercentur, cum nos regenerat, renovat, sanctificat, novasque vires dat & in regeneratione producit, quæ ab origine sua, quia ex gratia proveniunt, gratiæ quoque nomen fortiuntur. Si igitur quaeratur de opere aliquo, an ex gratia, an ex natura profectum sit, id quaeri, *an solum ex hominis viribus naturalibus, an ex sanctificante efficacia Spiritus Sancti productum sit*; qui nos ad id impulerit, & per no-

per novas vires in regeneratione nobis collatas operatus id in nobis fuerit. Notat, porro, se naturæ & gratiæ operationem non tam absolute & nude inter se opponere, ut cum gratia nihil proveniat ex natura; aut quasi hæc instar stipitis immota jaceat, (quod dogma ab Ecclesiis nostris longe dicit abesse;) constare enim quod Scriptura nos ad cooperandū exhortetur, ut ita opera illa sint Dei in nobis & per nos operantis, nec vires & qualitates naturæ penitus excludantur. Explicat id dictis & exemplo Pauli, & collatis dictis Rom. XV, 18. 2. Cor. X, 10. & ex diversitate styli sacrorum scriptorū, quorum ingenii & dictionis naturam non sustulit operatio Spiritus, sed sanctificavit & ad scopum aptavit, servata & applicata aliquorū vi ignea & vehementi, aliorum lenitudine, aliorum aliis dotibus. *Quæstionem itaque sic concipiendam, an sola natura hoc vel illud opus producat, an gratiam in ea & per eam simul operetur? vel, natura ne, an gratia veluti principium & prima causa operis sit, quæ impulsum illi dederit, & viribus naturæ postmodum usa sit? Differre etiam, an hæc quæstio de homine toto, ut regenitus vel non regenitus est, an de particulari ejus actione quadam instituat. Ethī enim regeniti in universum ex gratia & in ea operentur, quasdam tamen eorum actiones accurate consideratas, pro operibus gratiæ hujus haberi non posse, non naturales solum vegetativæ & sensitivæ facultatis, sed & morales; unde exemplo Pauli regeniti Rom. VII, 15. 16. peccata & infirmitates in piis reliqua esse, & e contrario Balaami exemplo constare, quod irregeniti etiam aliquando ex affulgenti quodam gratiæ radio aliquid operentur. His præmissis, characteres operum gratiæ *generales* proponit a §. 6. ad 18, *speciales* a §. 19 ad 86, commendat tamen §. 87. circumspectionem in exploratione diligenter adhibendam, & cavendam securitatem; speciatim ut conjungi debeat characterum consideratio, neque tamen necesse sit, ut omnes simul concurrant, nec a carentia sensus ad carentiam rei argumentandum esse, & quod in piis mentibus desideria profectus, & querelæ de peccatis & infirmitatibus sensus loco haberi debeant. Ostendit, quomodo cum afflictis & infirmis procedendum sit, & ex diverso, ut elationi & jactantiæ virium resisti debeat, utque preces necessariæ sint, §. 96 & seqq. Subjungit monitum de humilitate sive exinanitione sui, ad exemplum Christi Phil. II, 6. piis incumbenti*

benti, quam inter characteres speciales gratiosæ operationis §. 62. & seqq. explicaverat, addita hic admonitione, qua ratione per eam aut prætextu ejus, usus donorum a Deo concessorum supprimi non debeat. Sequuntur additamenta quædam, nempe: I. *Puncta explorationis conscientia* pro] superioribus Reipubl.] ordinibus Politico & Ecclesiastico, eadem nempe, quæ in libello A. 1685 de usu & abusu querelarum de Christianismi corruptione ediderat, & quæ Vir illustris Dn. *V. L. Seckendorffius* operi suo de Christianismo eodem anno publicato subjungi fecit. Ea approbatione ad iterandam articulorum illorum editionem animatum se fuisse, in præfatione fatetur. II. *Excerpta ex ordinatione provinciali Mauritiæ, & ex articulis generalibus, itemque ex ordinatione Ecclesiastica & Scholastica Augusti, Ducum & Electorum Saxoniz, de studio sacrarum literarum* diligenter tractando. III. Loca quædam *ex Taulero*, item ex libello qui *Theologia Germanica* dicitur, & ex *Kempiso*, quæ in præloquio indicaverat, ad materiam de natura & gratia pertinentia.

**MEMORIE DE' VIAGGI PER L' EURO:  
pa Christiana &c. i. e.**

**Historia itinerum per Europam Christianam, ad  
varios occasione muneris sui perscripta a Joh. Bapti-  
sta Pacichelli. Pars I. & II.**

Neapoli, apud Jacobum Raillard, 1685, in rz.

**A**Utor hic, cum Roma in Germaniam sub schemate Auditoris Legationis Pontificiæ ad Rhenum mitteretur, occasionem nactus universam prope Europam, qua Christiana est, perlustravit, peregrinationisq; suæ historiam variis amicis intra Italiam fere habitantibus, transmisit. Ex epistolis hæc opus præsens enatum est, ob varietatem rerum, quas exhibet, curiosorum industria haud indignum, in cujus argumentum pauca ex tanta copia decerpta subjicere visum est. Ab initio ergo operis iter per Italiam atque Rhætos in Helvetiam ipsamque Germaniam susceptum enarrat, ita tamen, ut variis subinde digressionibus non jucunditate minus,

SSf

quam

quam utilitate se commendantibus, a via deflectat. Exempli loco sufficiat accurata Reipublicæ Lucensis & Genuensis descriptio, quam occasione itineris sui exhibet. Inde Epistola IV de statu ecclesiastico & politico Diœcesios Coloniensis, V de officio Auditoris Generalis Legationis ad Rhenum prolixè agit. Præsertim vero attentionem curiosorum meretur Epistola VI de potestate amplissima Nuncii Pontificii ad Rhenum, & honorum solennibus, quæ Magnatibus ipsum invisentibus exhiberi debent, concepta. Ubi præsertim notandum, quod Electori Coloniensi Coloniam venienti primæ visitationis honorem a Nuncio Pontificio deferendum agnoscat, quamvis eundem alios Principes infra Electorum fastigium constitutos postulare non posse, existimet; nisi quod cum capitibus familiarum illustrium benignius agendum censeat. Habetur etiam in opere hoc integra Epistola de Protestantium Theologis, quos alios plane se reperisse scribit, ac quidem illis, qui intra suburbana fere civitatis Romanæ desident, persuasum sit; quippe & integritate vitæ, & proximi sublevandi Christianæque charitatis studio facile cum Pontificiis certantes, & varia insuper doctrina exultos. Epistola XIV bina Epigrammata in Trajectum ad Mosam & Gallis expugnatum exhibet. XV vero de finibus jurisdictionis legationis Pontificiæ ad Rhenum agit, subiecto catalogo illorum, qui hæcenus isto munere perfuncti sunt. Epistola XVI statum Societatis Regiæ Anglicanæ delineat, & XVIII Renati Francisci Slusii laudes pleno ore decantat. Epistola XXIF refert, cum de salvo conductu a Batavis, Legatis Pontificiis concedendo, in Conventu generali Ordinum Fœderatorum ageretur, illos ne titulos a Pontifice affectari solitos largiendo, religioni quam profitentur, præjudicium afferrent, non nisi Serenitatis Pontificiæ titulum eidem deferre voluisse. Epistola XXVI rem refert memoratu non minus jucundam quam dignam. Cum enim a Batavis, ut noster refert, Beuningii suavis nummus cusus esset, quo Gideon Soli, quem Gallici Regis symbolum esse, notissimum est, quietem imperans exhibebatur, & contra Galli alio numismate injuriam ulci essent, quot sol nubibus ingruentibus offuscatus conspiciebatur, sed adjecta epigraphe: *evexi, sed discutiam*; postea cum initia belli Batavici fecius cecidissent, quidam in Batavorum numisma hoc epigrammate lusit:

Inve-

Invenere fidem Beuningi oracula, nam Sol

Est visus celeres detinuisse rotas.

Cum Gallus rapuit tot paucis castra diebus,

Majores solito credo fuisse dies.

Atque hæc quidem ex I hujus Operis Tomo excerptisse sufficiat.

Tomo II varia itinera per diversas Europæ partes suscepta Autor enarrat. Et Epistola quidem XXXVI Lutetiz & prætoriorum adjacentium splendorem prolixè exponit, simulque indicem thesauri Regii, qui in Dionysii fano asservatur, exhibet. In sequentibus Angliam cum Scotia & Hybernia delineat. Epistola vero XL, quæ de Hispaniæ & Lusitaniz rebus concepta est, eo majorem applausum meretur, quod & de Magnatibus Hispaniæ illorumque redditibus, accurate disserat; & complura alibi haud facile obvia de Aula Hispanica expromat, v. g. cum de accurata ratione, qua Regibus Hispaniæ tempora distributa sunt, agit; ubi refert, septem horas, nec amplius Regi ad somnum concedi, duas horas ad prandendum & coenandum, horam cum dimidio, qua Regina colloqui liceat &c. Ut adeo non immerito Philippus II felicem illum prædicaverit, qui modico annuo censu instructus intra privatam se sortem contineret, nec laboribus & molestiis, quibus ipse subjaceret, esset obnoxius. Reliqua fere Tomi hujus II Germaniam nostram concernunt; nam & de Episcopatibus Westfalicis agit, hacque occasione refert, Christophorum Bernardum Monasteriensem quondam Episcopum, episcopatum hunc seculari conditione induere & ad agnatum suum transferre voluisse. Et deinde de Electoribus, Moguntino, Trevirensi, Brandenburgico & Palatino, Landgraviis quoque Hassiæ, atque compluribus Ecclesiasticis Imperii nostri Principibus agit. Imo Germanorum mores peculiari epistola delineare conatur. Quamvis utrum quæ ibi habentur, omnibus se approbatura sint, merito dubitare liceat, & non defuturi esse videantur, qui festinato nimis de universa Germania judicasse eum existiment, cujus partem tantum perlustraverit. Præterea dissimulare non possumus, librum, sicut diversitate rerum jucundissimum, ita non penitus ab erroribus esse immunem. Ut enim quæ ad alias gentes spectant, prætereamus, & de rebus saltem Germanicis quædam notemus, manifestus sane Autoris est error, quod Carolo Coroli Ludovici Electoris Palatini filio Ducis Zellenis sororem nupsisse

tradat, cum certum sit, uxorem ex Regia Danorum gente illi obtigisse. Nec minus falsum est, quod Carolum Ludovicum Electorem Palatinum duas habuisse filias tradit, quarum altera Duci Aurelianensi, altera Duci Anguianensi in matrimonium elocata sit. Nam hunc quod attinet, equidem ex Palatina familia is conjugem elegit, verum non Caroli Ludovici, sed fratris ejusdem Eduardi illa filia fuit. Pag. 426 memorat, Mantuæ Carperanorum monstrari inusitatae magnitudinis ocream, Sabaudia Duci a Carolo V capto ereptam. Sed probabile certe est, eandem esse, quam Johanni Friderico Saxoniae Electori in pugna ad Mulbergam capto, detractam & ad aulam quoque Gallicam, ridiculo Hispanicae ostentationis exemplo transmissam, refert Thuan. L. 3. histor. Pag. 767 tradit pontem, quo Rhenus Moguntiae sternitur, a Carolo V ædificatum fuisse, cum tamen ad Carolum M. referendum hoc esse, historicorum fides evincat. Et hæc quidem ex pluribus huc conjecisse liceat, non, quod non venia dignum existimemus hominem externum, si in aliarum gentium historia lapsus alicubi fuerit, sed quo Lectores his exemplis moniti eo facilius sibi a talibus caverent.

## DAVIDIS ABERCROMBII OPUSCULA *Medica hætenus edita.*


Londini, impensis Samuelis Smith, A. 1687, in 12.

Quatuor tractatus hic habes L. B. *primum* de luis venereæ; absque salivatione mercuriali curatione; *secundum* de modo curandi bubones venereos & tutiore salivationis methodo; *tertium* de varietate & variatione pulsus; *quartum* de dignoscendis medicis plantarum & corporum quorumcunque virtutibus ex solo sapore. Quandoquidem vero A. 1685. mense Januario p. 25 prioris scripti, & A. 1686 mense Aprili p. 215, 216 tertii & quarti contenta recensuimus, hac vice secundi in ordine, utpote nunc primum editi, solum damus. Exhibet igitur ipsum post definitionem bubonis ejusque causam, brevem methodum medendi; postmodum perstringit, qui venæ sectionem pro cura rejiciunt; in bubone enim candicante admodum proficuum esse illam juxta ac cathartica exhibita, refert. Differit deinde, quomodo & quibus cautelis emollientia,

attra-







attractantia & digerentia externe cum fructu sint adhibenda. Hæc de bubonum cura. De tutiore salivationis methodo, primo inquirat, quænam ex subjectis lue venerea infectis apta sint ad sustinendam salivationem, rejectisque phthificis, & humidioris ac frigidioris temperamenti, solum calidioris ac ficcioris constitutionis disposita docet. Quæ deinde de modo salivationem excitandi annectit, nova non sunt; mercurii namque dulcis ope omnium optime negotium hocce peragi posse tradit. Reliqua quæ sequuntur, symptomatum puta supervenientium medendi rationem, aliorumque Medicorum salivationem promovendi modos, omittimus, cum angustia Dissertationis hujus, quam unica tantum pagella capit, prolixitatem majorem haud exigat. Unicum tamen de ultimo in ordine scripto adhuc adjicere placet, antequam dimittamus Lectorem: scilicet Cl. Autorem in ejus præfatione aliquoties pro novis anteaquæ non cognitis habere, quæ de saporum natura inibi differit; sed incidentes in Joh. Baptistæ Montani Medicinæ universæ Partem III. p. 731, 732, exacte concordantem animadvertimus sententiam, quam tamen Abercrombium in vetusto & ante seculi spatium jam jam divulgato libro, nec legisse, nec suspicatum esse, facile admittimus.

*HISTORICA SUPPUTATIO VENTORUM  
statorum ac Motionum, quæ intra ac prope Tropicos  
in mari observantur, unacum tentata eorundem astro-  
logia physica, per E. Halley.*

Translata e Transact. Phil. Anglic. M Septemb. 1686.  
num. 183. pag. 153. seqq.

TAB. VI.

**R**elatio exacta de Ventis statis atque periodicis, quos in diversis Oceani tractibus observare licet, pars est naturalis historię non minus desiderata & utilis, quam obtentu difficilis, cujusque phænomena explicare arduum. Haud ignoro, diversos jam scriptores materiam hanc pertentasse: ac tametsi *Varenius Lib. 1. cap. 21. Geogr. Gener.* optimam *peregrinantium* informationem secutus, rei huic operam navasse videatur, non tamen ejus computationes

pro accuratis agnosci poterunt ab his, qui easdem attentius consideratas inter se invicem conferre voluerint; ac nonnullæ ex illis evidentissima falsitate nituntur; quas proinde, quam optime potero, corrigere annitat, postquam occasio mihi obtigit conversandi cum nautis per omnes *India* partes versatis, ac multo satis tempore intra Tropicos commoratis, ubi & ipse propria habui experimenta. Eorum vero, quæ collegi, summa brevissime jam sequitur.

Oceanus universalis aptissime dividi in tres partes potest; nempe 1. Mare *Atlanticum & Æthiopicum*, 2. Oceanum *Indicum*, 3. Mare magnum *Australe* seu oceanum *Pacificum*; ac tametsi omnia hæc maria versus *Austrum* communicent invicem, nihilominus quantum ad præsens propositum de Ventis statis, satis separata sunt per interpositos ingentes *terra* tractus: dum eorum primum jacet inter *Africam & Americam*; secundum inter *Africam & insulas Indicas* ac *Hollandiam Novam*; ultimum denique inter *Philippinas, Chinam, Japoniam & Hollandiam novam* ab *occidentali & America* littus ab *orientali* parte. Hanc itaque naturalem marium divisionem sequentes, dispescemus historiam nostram in tres partes, eodem ordine servato. I. In Mari *Atlantico & Æthiopico* intra Tropicos, generalis ventus est *Orientalis* per totum annum absque ulla notabili variatione, nisi quod paucis inde gradibus deflectere soleat versus septentrionem aut austrum, secundum diversum loci situm. Observationes circa deflexiones hæc factæ sunt sequentes. (1) Quod prope oram *Africa*, quamprimum quis insulas *Canarias* præterit, certo sibi spondere potest flatum sat validum Euro-borealem (*N.O.*) circa 28 gr. latitudinis *borealis*; qui ipse raro orientem versus ascendit usque ad *Cæciam* (*O.N.O.*) aut transgreditur *Aquilonem* (*N.N.O.*) Ventus hic isto tractu progredientes versus meridiem comitatur, ad latitudinem usque *borealem* 10 gr. ac 100 circiter milliarium distantiam a littore *Guinea*; ubi usque ad 4 gr. latitudinis *septentrionalis* incidunt in malacias & procellas (*Tornados*) de quibus inferius plura. (2) Quod hi, qui ad insulas *Caribes* tendunt, experiuntur, dum *America* lateri appropinquant, ventum prædictum Euro-borealem, (*N.O.*) semper magis magisque *Orientalem* fieri, sic ut quandoque spiret ipse subsolanus (*O.*) quandoque Hypeurus (*O.z.S.*) plerumque vero ab *oriens* versus *septentrionem* deflectat uno

uno aut duobus gradibus, ac raro plus. Similiter observatum est, horum ventorum vim gradatim decrescere, quo magis navigando occidentem versus proceditur. (3) Quod limites ventorum statorum ac variabilium in hoc Oceano latius excurrant ad littus Americanum quam Africanum: cum enim ventus iste certus non offendatur, donec superata sit latitudo 28 gr. ab hoc latere: e diverso in latere Americano communiter tenet ad 30, 31, aut 32 gr. latitudinis; id quod pari modo obtinet a parte æquatoris meridionali: nam circa Caput bona Spei limites ventorum statorum 3 aut 4 gradibus propius abfunt a Linea æquinoctiali, quam ad littus Brasilia. (4) Quod a Latitudine 4. graduum septentrionali ad prædictos usque limites e meridionali æquatoris latere venti generaliter ac perpetuo spirant inter meridiem & orientem, & communissime inter Euronotum (S. O.) & Subsolanum (O.) observata ubique hac regula, ut a latere Africano meridionales; a Brasiliano orientales fere esse solent, sic ut tantum non ex ipso oriente æquinoctiali flantes, exigam, quam habent, deflexionem semper austrum versus committant. In hac Oceani parte fors mihi obtigit integrum annum transigendi ob tale negotium, quod necessitatem mihi imposuit aeris vicissitudines plus quam vulgari sollicitudine observandi; ac expertus sum, constanter ibi ventum circiter Euronotum (S. O.) spirare; plagam tamen frequentissimam esse Meseuri, (S. O. z. O.) Cum ad orientem magis deflectebat, plerumque validus erat flatus, ac tempestas obscura, nubila & quandoque pluvia: quando vero ad meridiem vergere incipiebat, communiter serenus aer erat & lenis aura malaciz proxima; quod tamen rarius. Ast nunquam vidi ventum ultra meridiem versus occidentis, aut ultra orientem versus septentrionis plagam excurrere. (5) Quod anni temporum diversitas aliquantillum operari soleat in ventis hisce statis. Etenim quando sol multum ultra æquatorem versus septentrionem recessit, tum Euronoti (S. O.) speciatim in freto hujus oceani (siquidem ita vocare licet) inter Brasiliam & Guinea littora, variant uno alterove puncto austrum versus deflectentes; atque Euro-boreales venti (N. O.) orientales nonnihil evadunt; at e diverso cum sol tropico capricorni appropinquat, Euronoti (S. O.) magis orientales sunt, & Euroboreæ (N. O.) ab hoc Linea latere plus ad plagam septem-

*septentrionalem* sese vertunt. (6) Quod, uti vix datur regula generalis, quæ non aliquam admittat exceptionem, sic & in hoc oceano extat maris tractus, in quo Austri (S.) & Zephyronoti (S.W.) perpetuo regnant: nimirum juxta universam *Guinea* oram, ad plus quam 500 leucas continuas, a *Sierra Leona* usque ad insulam *S. Thome*; nam ventus status Euronoti (S.O.) superato *æquatore* cum littori *Guinea* appropinquat intra 80 aut 100 leucas inclinatur versus littus ac vertitur in Lenconotum (S.S.O.) & gradatim, quo propius acceditur, gyrat se ad plagam Austri, (S.) Libonoti, (S.S.W.) ac proxime terram Zephyronoti (S.W.) & quandoque Aphrici (W.S.W.) quæ quidem variatio facilius in Mappa hic subnexa perspicitur, quam verbis exprimi potest. Atque hi sunt venti, quos in hac ora observare datur, cum *Æolus* fidem servat; ast frequentes ibi sunt malaciæ, violenti subitque flatus, quos *Tornados* nuncupant, ab omnibus pyxidibus nauticæ plagis ingruentes, & quandoque infalubres ac nebulosi venti *orientales*, quos incolæ *Hermitas* vocitant, qui sæpius circa has orbis partes navigantibus infesti sunt. (7) Quod a latere æquatoris boreali inter 4 & 10 gr. latitudinis ac intra Meridianos *Capitis Viridis* & *orientaliorum* ejusdem cognominis *insularum*, tractus maris occurrit, de quo inconveniens foret dicere, ullum ibi ventum *statum* aut etiam variabilem regnare; quandoquidem ad perpetuam malaciam damnatus videtur, quam horrida conitrua & fulgura comitantur, ac pluviz tam frequentes, ut nautæ nostrates eam maris partem abinde nominent *Imbres*, (*the Rains*.) Ventuli istic spirantes non nisi flatus quidam incerti sunt & subito nati, perquam exigui ambitus ac parum durantes; sic ut quandoque singulis horis alius atque alius flet ventus, in malaciam desinens, antequam alius succedat; adeo ut ex pluribus navigiis, quorum unum in alterius conspectu agitur, quandoque singula singulos & ex separatis plagis venientes ventos habere cernantur. Ope debiliū horum flatuū (*Brizes*) navibus necesse est meliorem viæ partem *meridiem* versus capere per prædictos 6. gradus, intra quos ob venti defectū nonnullæ menses integros detentæ feruntur. E tribus his ultimis observationibus ratio reddi potest unius alteriusque accidentis, quæ in navigatione *Indica orientali* & *Guineensi* notari digna occurrunt. Unum est, cur non obstante exigua ma-

gua maris inter *Guineam* & *Brafiliam* latitudine, 500 circiter leucas in arctissima sui parte habente, nihilominus naves *Austrum* versus profecturæ quandoque, speciatim mense *Julio* & *Augusto*, magnam in eo transmittendo difficultatem offendant. Accidit hoc ob flatu Euronoti (*S. O.*) qui circa hanc anni tempestatem communiter semet extendunt aliquot gradibus ultra consuetos limites 4 graduum latitudinis *borealis*, ac insuper adeo *meridionales* evadunt, ut quandoque ex ipsa *austri* plaga spirent, quandoque ex uno aut altero punctorum *austri* collateralium versus *occasum*; non aliud itaque superest remedium, quam ut obliquatis velis ventum adversum captent, atque ita si ab uno latere tendunt versus *Aphrici* plagam (*W. S. W.*) ventum quidem semper magis magisque orientalem nanciscuntur, at periculum est, ut hoc pacto prætervehantur littus *Brafilia*, aut ad minimum brevia, quibus hæc ora infestatur. Ast vero si ex altera parte cursum dirigant ad plagam *Vulturni*, (*O. S. O.*) incidunt in viciniam littoris *Guinea*, unde recedere non datur, nisi orientem versus excurrant ad insulam usque *S. Thoma*; quæ constans praxis est omnium navium *Guineanarum*, quæque sat miram videri posset non considerata annotatione *sexta* superius data, quæ hujus rei rationem ostendit. Namque cum e regione hujus litoris sunt, ventus ibi generaliter flat *Zephyronotus* (*S. W.*) ac *Aphricus*, (*W. S. W.*) quo quidem uti nequeunt ad procedendum versus *septentrionem*, dum terra obstat; & ex altero latere eundem scopo suo propius adhibere non possunt, quam ut tendant ad plagam *Leuconoti* (*S. S. O.*) aut *Austri*; (*S.*) sic instituto cursu a litore quidem discedunt, verum dum id faciunt, ventos magis atque magis adversos nanciscuntur; ita ut, cum prope litus versantes ad *Austri* plagam velificare possent, dein cum longius aliquanto ab eo distant, melius viam flectere haud valeant, quam ad plagam *Euronoti* (*S. O.*) & postmodum *Vulturni* (*O. S. O.*) quibus cursibus communiter quærent insulam *S. Thoma* & *Caput Lopez*, ubi dum offendunt ventos *austro* collaterales versus orientem, horum favore utuntur ad occidentem procurrentes in latitudinem *australem* 3 aut 4 graduum, ubi dein *Euronoti* (*S. O.*) spirant perpetui. Porro intuitu horum generalium ventorum omnes illi, qui *India occidentalis* commercium frequentant, ipsamque etiam *Virginiam* petentes, ita

optime cursum suum institui existimant, si quam citissime possunt, austrum versus viam capiant, eo quod sic certo sibi polliceri valent flatum secundum ac validum, qui eos occidentem versus propellat; & ex eadem ratione hi, qui ex America in patriam renavigant, quam ocyssime pertingere allaborant ad latitudinam 30 graduum, ubi nempe primum incipiunt offendere ventos *variabiles*; quamvis frequentiores venti in parte *septentrionali* Oceani *Atlantici* spirare soleant e plagis inter *austrum* & *occidentem* interjectis. Quod autem attinet ad furiosas istas procellas, quas *Hurricanes* appellant, *Caribum* insulis quasi proprias, utpote quas mense *Augusto*, aut non multum ante vel post eundem, impetu tam horribili affligunt, ex non adeo proprie hujus loci sunt, cum ob brevem ipsarum durationem & ambitum, tum etiam quia anniversariae haud sunt, dum aliqui anni plures earum experiuntur, & quandoque per diversos annos junctim sumtos nullae omnino ibi sentiuntur. Aetamen earum violentia tam conceptu difficilis est, ac phaenomena alia tantum stupenda, ut bene mereantur separatim considerari. Caterum quicquid hic dictum est, intelligendum de Ventis *maritimis* in aliqua a tellure distantia; in littoribus etenim & prope eadem flatus terrestres ac marini (*Land and Sea Brises*) tantum non ubivis sentiuntur: ac varietas, quae contingit in horum periodis, vi ac directione, a diverso situ montium, vallium ac sylvarum, ut & varia soli textura, magis minusve apta ad retinendum & reflectendum calorem ac exhalandos condensandosve vapores, tanta est, ut infiniti laboris res futura foret, horum percensionem suscipere.

II. In Oceano *Indico* Venti sunt partim generales, ut in mari *Aethiopico*; partim periodici, id est, qui dimidio anno ex una spirant plaga, & altero dimidio prope ex punctis oppositis; atque haec quidem puncta & mutationum tempora pro diversis oceani hujus partibus & ipsa diversa sunt, ac limites quorumlibet maris tractuum, eidem mutationi seu *motu* subjectorum perquam sane determinatu difficiles; nihilominus industria, quam adhibui pronanciscenda exacta informatione, & cura huic rei impensa magna ex parte difficultatem hanc superarunt, & persuasus sum, ea quae jam sequuntur particularia talia esse, in quibus acquiesci valeat. (1)  
 Quod intra decimum gradum & trigesimum latitudinis *Australis*  
 inter

MENSIS SEPTEMB. A. MDC LXXXVII. 515

inter *Madagascar & Hollandiam Novam* ventus status ac generalis, circiter Meseurus (*S. O. z. O.*) flare deprehenditur per totum annum, omni intuitu ac proposito ad eundem modum, quo in pari latitudine occurrit in oceano *Aethiopico*, prout in precedenti *annotatione 4.* descriptum est. (2) Quod praedicti Euronoti flatus (*S. O.*) semet extendunt usque ad secundum ab *Aequatore* gradum durantibus mensibus Junio, Julio, Augusto, &c. usque ad Novembrem, quo tempore intra *australem* latitudinem 3 ac 10 graduum, prope *meridianum* nempe extremitatis borealis insulae *Madagascar*, ac intra 2 ac 12 gradus ejusdem latitudinis *australis* prope *Sumatram* ac *Javam*, venti contrarii e plaga Zephyro-boreae (*N. W.*) aut certe inter *Septentrionem & Occidentem* intercepti ingruunt ac dimidio anno spirant, videlicet a Decembris initio usque ad Majum: & haec quidem *Motio* observatur, quousque *Molucca* insulae pertingunt, de quibus mox plura. (3) Quod a *tertio* gradu latitudinis *Australis Septentrionem* versus, per totum mare *Arabicum* aut *Indicum* ac sinum *Bengalensem*, a *Sumatra* ad usque litus *Africa*, alia regnat *Motio*, spirans ab Octobri quidem ad Aprilem e punctis Euroboreae (*N. O.*) at reliquo semestri ab Aprili ad Octobrem e plagis oppositis Zephyronoti (*S. W.*) ac Africi, (*W. S. W.*) idque majori cum impetu ac caelo nubilo & pluvioso; cum e diverso Euroboreae (*N. O.*) flatus sereniores esse soleant; pariter notandum, quod venti, nec vigoris nec plagae intuitu, tam constantes sint in Sinu *Bengalensi*, quam in Mari *Indico*, ubi certus ac fixus flatus vix unquam deficit. Notatu quoque dignum est, quod Zephyronoti (*S. W.*) in hisce maris regionibus communiter *australes* sunt e latere *Africa*, & *Occidentales* ex *Indico* latere. (4) Quod velut appendix modo dictae *Motionis*, tractus maris extat ab *australi* aequatoris latere, iisdem ventorum mutationibus obnoxius; nimirum prope oram *Africa* inter ipsam & insulam *Madagascar* seu *S. Laurentii*, & abhinc versus *septentrionem* ad aequatorem usque; ubi ab Aprili ad Octobrem fortiter spirat constans Libonotus, (*S. S. W.*) qui, si ulterius *Septentrionem* versus procedatur, continuo magis magisque ad *occidentis* plagam declinat, sic ut tandem coincidat cum Africi (*W. S. W.*) flatibus antea memoratis, quos hisce anni mensibus certo diximus offendi e boreali aequatoris latere: quinam vero venti his in maris



tractibus reliquo semestri spirant, ab Octobri ad Aprilem, nondum satis ad votum comperire potui, eo quod nautæ nostrates ex *India* reduces semper viam capiunt extra *Madagascaris* limites, atque sic hujus rei exiguam habent notitiam; id saltem mihi relatum fuit, ventos circa hanc regionem plerumque ex orientis vicinia oriundos esse, ac æque frequentes ad septentrionem, quam ad meridiem a vera subsolani (O.) plaga deflectere. (5) Quod a latere boreali æquatoris a *Sumatra & Malacca* orientem versus, ac secundum litora *Camboja & China*, Motiones spirant ex Septentrione & Meridie, hoc est, quod Euroboreæ isti (N.O.) multum ad Septentrionem, ac Zephyronoti (S.W.) valde ad meridiem inclinant: quæ constitutio a latere orientali ad *Philippinas* insulas, a septentrionali vero ad *Japan* usque se extendit. Et Motio quidem Borealis hoc in maris tractu ingruit mensè Octobri aut Novembri; Australis vero Majo, durans per integros menses ætivos. Notandum hic est, puncta *Compassus*, e quibus ventus in his mundi partibus spirat, non esse adeo fixa, ut in modo descriptis: etenim australis motio frequenter transit unum alterumve punctum ab austro versus orientalem angulum; ac borealis tantundem ab arctica plaga versus occidentem; cui rei occasionem dare videtur ingens illa terræ quantitas hæc maribus interspersa. (6) Quod intra eosdem meridianos, at e latere australi æquatoris, in eo nempe tractu, qui inter *Sumatram & Javam* ab occidente, & *Novam Guineam* ab oriente jacet, eisdem observantur Motiones, borealis atque australis; cum hæc tamen differentia, quod borealis motionis inclinatio vergit ad Zephyroboream, (N.W.) australis vero versus Euronotum (S.O.) Attamen plagæ venti hic non magis constantes sunt, quam in præcedentibus, nempe variationi 5 aut 6 punctorum obnoxia; præterea tempora mutationis horum ventorum non eadem sunt, ac in mari *Chinensi*, sed mensè aut sex hebdomadis circiter seriora. (7) Quod venti hi contrarii non uno omnes imperu vices mutant, sed quibusdam in locis mutationis tempus instare judicatur e prævia malaciæ, in aliis præcedunt variabiles venti, ac speciatim notari meretur, quod finis Motionis Occidentalis ad littus *Coromandel*, ut & duo ultimi menses Motionis australis in mari *Chinensi* turbidis tempestatibus admodum subjacere soleant. Violentia harum procellarum tanta est, ut participare

quid

quid videantur de natura *Hurricanarum*, *Indiæ Occidentali* familiarium, redduntque navigationem horum tractuum valde intutam circa hoc anni tempus. Nostrates nauæ tempestates has consueto sermone vocare solent *Receptum seu Discessum Motionum* (*The breaking up of the Monsoons*.) Ob enarratas itaque horum Ventorum vicissitudines, omnes illi qui in istis maribus navigant, necesse habent tempora observare itineri suo consona; quod si faciant, non possunt non vento uti secundo & profectioe expedita; at si forte moras nectendo tempus suum elabi patiantur, donec contraria semet ingerat *Motio*, uti frequenter accidit, tum coguntur spem resignare perficiendi itineris propositi, & aut ad portum reverti, unde exierant, aut alioquin interim divertere, ad terendum ibi tempus, donec Venti redeant ipsis propitii.

III. Tertius Oceanus sub nomine *Maris Pacifici* ventens, quæque ambitu reliquos ambos adæquat, (complectens videlicet ab ora *Americæ occidentali*, ad *Philippinas* usque insulas, non minus 150 gradibus longitudinis) is est, qui minime omnium nostræ aut vicinis nationibus est cognitus: navigatio enim quæ ibidem fit, ab *Hispaniâ* perficitur, quæ quotannis a litore *Nova Hispaniæ* ad *Manillas* proficiscuntur, id quæ non nisi uno ac trito tramite; ut adeo hic nomita specialia afferre valeam, ut in prioribus duobus. Id quod Auctores *Hispanici* narrant de ventis in hoc itinere obviis, quodque confirmatus per antiquas relationes *Draki* & *Candisbi*, & recentius per *Schoonenam*, (qui totam maris hujus amplitudinem transfretavit sub latitudine australi 15 aut 16 graduum;) in eo consistit, quod magna deprehenditur convenientia inter ventos hujus maris, eosque qui in *Atlantico* & *Æthiopico* regnant; hoc est, quod a latere septentrionali æquatoris ventus prædominans est inter Subsolanum (*O.*) & Euroboræ (*N.O.*) plagam: a parte meridionali vero constans & continuus flatus spirat intermedius inter subsolanum (*O.*) & Euronotum, (*S.O.*) idque ex utroque lineæ æquinoctialis latere tam constanter, ut vix unquam necesse habeant velis attendere; æ tam valide, ut non facile ultra 10 septimanas insumant in transmittendo vasto hoc Oceano, quod facit circiter 132 millia per diem. Perhibetur præterea, procellas ac tempestates nunquam

quam in hisce partibus innotuisse: ut adeo hic locorum optima & annuum velificatio sit, dum haut unquam aut vento sufficienti & secundo destituuntur, aut a nimio metuere opus habent. Quare obrem haud defuere, qui iter ad *Japoniam* & *Chinam* æque breve fore putarunt per *fretum Magellanicum*, quam superato *Capite Bona Spei*. Limites ventorum horum generalium maximam partem iidem sunt, ut in *Mari Atlantico*, nimirum latitudo 30 gr. ab utroque latere; etenim Hispani domum repetentes e *Manillis* insulis, semper utuntur favore *Motionis australis*, ibi per menses æstivos spirantis, excurrentes *septentrionem* versus ad dictam usque latitudinem, quam alte *Japonia* sita est, qua superata demum inveniant ventos variabiles ad cursum suum *orientem* versus dirigendum. Ac *Schootenus* aliique qui circumvenerunt per *fretum Magellanicum*, repperunt limites venti ibi regnantis *Euronoti* (S. O.) fere circa parem latitudinem versus *Austri* regionem. Alia insuper analogia inter oceani *hujus* & *Æthiopici* ventos in eo apparet, quod hæc ad oram *Peruvia* semper multum *Austri* plagæ accedunt, perinde ac deprehenduntur facere prope littus *Angolæ*.

Et hæc tenus quidem de eo, quod in facto consistit, in quo si informatio quam nactus sum, non omni ex parte accurata est, certe id neutiquam contingit ex defectu debitæ inquisitionis, utpote quam institui apud eos, quos hoc in negotio aptissimos judicavi ad memet instruendum. Sane pro egregio favore ducam, si quis nauclerus aliusve naturam Ventorum in ulla e prædictis mundi partibus probe callens, suas super hac re observationes mecum communicare dignabitur; quo ex in ea, quæ hic collegi, aut confirmari, aut emendari, aut per additionem circumstantiarum quarundam ad rem facientium amplificari valeant. Non unius aut paucorum, sed plurimorum Observatorum opus est, in unum congerere experientiam necessariam ad componendam perfectam & completam horum Ventorum historiam. Quicquid sit, non valde dubito, quin in principalibus quibusdam Notabilibus forte errarim aut aliqua omiserim, ne de levioribus particulis dicam, quæ meam facile notitiam effugere potuerunt. Quo autem Lectoris captum juvarem in hac tantæ difficultatis materia,

TAB. VIII. necessarium putavi, schema adjungere uno obtutu exhibens omnes illos

illos varios tractus atque cursus horum Ventorum; cujus adminiculo fortean res melius intelligi poterit, ac per qualemcunque descriptionem verbalem. Limites diversorum horum tractuum ubivis designantur per lineas punctatas, tam in *Atlantico & Æthiopico*, ubi confinia constituunt inter ventos statos & variabiles, quam in *Indico* Oceano, ubi ambitum ostendunt diversarum *Motionum*. Non commodius cursus ventorum in mappa delineari posse judicavi, quam ducendo certas lineolarum series eadem directione, qua navis progredieretur ventum semper in puppi habens; ita quidem, ut acuta cujusvis lineolæ extremitas eam horizontis plagam indiget, unde ventus continue provenit; & ubi *Motiones* sunt, ibi lineolarum ordines alternatim decurrant retrorsum & antorsum, qua ex causa ibidem confertiores comparent, quam alibi. Quantum ad Mare magnum *Australe*, cum latissimi sit ambitus, & exigua in ejus ventis varietas deprehendatur, ingens autem analogia occurrat inter ipsos & maris *Atlantici* ac *Æthiopici* ventos, prætereaque maxima ejus pars omnino nobis incognita sit, hæc existimavi necessarium, ut ejus totius delineatione mappa in majorem longitudinem excreceret.

In præmissa jam historia diversa continentur problemata consideratione acutissimorum nostrorum physicorum perquam digna, tam ob effectus sui stabilitatem, quam ambitus immensitatem, dum prope dimidiam Globi superficiem concernunt. Horum problematum præcipua sunt: 1. Quare venti isti perpetuo ex oriente veniant, in *Atlantico & Æthiopico* æque ac *Pacífico* Oceano, intra 30 graduum latitudinem tam borealem quam australem. 2. Cur dicti venti se latius non extendant cum aliqua constantia, quam ad eam 30 graduum latitudinem. 3. Cur perpetuus Zephyronotus (*S.W.*) spiraret ad & prope litora *Guinea*. 4. Quamobrem in parte septentrionali Oceani *Indici*, venti qui uno semestri conspirant cum illis, qui in reliquis duobus Oceanis vigent, vices mutant per alterum semestre spacium & ex oppositis stare punctis soleant, cum tamen meridionalis hujus oceani portio regulam generalem sequatur, ventum perpetuum habens circiter Euronotum. (*S.O.*) 5. Cur in generalibus hisce ventis statis ubivis obtineat, ut eorum declinatio ab *Oriente* plagæ latere quidem æquatoris boreali ad boream,

at &c

at ex *australi* ad austrum vergat. 6. Cur in mari *Chinensitanta* fiat inclinatio ab *oriente* versus *septentrionem* & major, quam ullibi alias: alia insuper complura, quæ præponi facilius quam decidi valerent. Ast ne videar aliis difficultates ad solvendum dare, quas ipse dignas non habuissim, quibus otium meum & industriam impenderem, en hic fructum seduli conatus pro indaganda vera ratione dictorum phænomenorum impensi; qua in re utut singulorum particularium causas reddere haud potero, spero tamen meditationes huic negotio infumtas, non omnino in cassum factas reputatum iri a curiosis inquisitionum physicarum.

Ventus propriissime definitur, quod sit flumen seu currens aeris, ac ubi tale flumen perpetuum est & fixum in cursu suo, necesse est, ut procedat a causa quadam permanente & continua. Quamobrem nonnulli eo inclinarent, ut respicere hic juberent ad diurnam telluris super *axe* suo *rotationem*, mediante qua, dum globus *orientem* versus circumvolvitur, laxæ ac fluidæ particulæ aeræ ob extremam, qua constant levitatem, pone relinquuntur, sic ut hæ respectu habito ad terræ superficiem, *occidentem* versus moveantur, siantque adeo constans ventus *orientalis*. Videtur opinio hæc confirmari ex eo, quod venti hi saltem circa lineam æquinoctialem offendentur in istis parallelis latitudinis, in quibus diurna motio est velocissima; & ipse facile ei accederem, nisi continuæ malaciæ in mari *Atlantico* prope *Æquatore*m, venti ex *occidente* spirantes prope oram *Guinea*, ac *Motiones* periodicæ occidentales sub æquatore in mari *Indico*, hypothesin hanc sufficere nequaquam posse, arguerent. Præterea aer, dum ex principio gravitatis ad terram premitur, acquireret eundem velocitatis gradum, quo terræ superficies movetur, tam respectu rotationis diurnæ, quam annuæ circa solem, quæ fere tricies celerior est.

Superest ergo, ut substituamus aliam causam, habilem ad producendum ejusmodi effectum perennem, non tamen obnoxiam iisdem objectionibus, sed congruam notis proprietatibus aeris & aquæ, ut & legibus motionis corporum fluidorum. Talismodi est, ut quidem ego opinor, actio radiorum solis in aerem & aquam, dum hic quotidie maria pertransit; consideratis insimul natura soli, & situ terrarum adjacentium. Dico itaque *primo*, quod secundum  
leges

MENSIS SEPTEMB. A. MDC LXXXVII. 522

leges *Statica*, aer minus rarefactus aut per calorem expansus, & consequenter gravior, motionem habere debeat versus eas ejusdem elementi partes, quæ magis sint rarefactæ & minus ponderosæ, ad illas in *æquilibrium* reducendas; ac *secundo*, quod, dum præsentia Solis continuo *occidentem* versus commigrat, pars ea, ad quam aer tendere habeat, ob causam rarefactionis ab intensissimo calore *meridiano* productæ, una cum ipso versus *occidentem* feratur, & consequenter totum corpus aeris inferioris istuc tendat. Sic generalis ventus *orientalis* formatur, qui postquam impressus est toti aeri in vasto oceano, partes aliæ alias impellunt, atque sic motum servant usque ad proximum Solis reditum, mediante quo iterum restauratur, quantum de motione illa deperditum fuerat, atque hoc pacto flatus ex *orientis* plaga perpetuatur. Ab eodem principio sequitur, quod ventus hic orientalis a *boreali æquatoris* latere *septentrionem* versus, ab *australi* versus *austrum* deflectere debeat a vera *orientis* plaga; etenim prope *æquatorem* aer multo magis rarefit, quam ad majorem ab eo distantiam, eo quod Sol ibi bis in anno verticalis sit, & nunquam ultra  $23\frac{1}{2}$  gradus recedit, in qua distantia calor, dum est velut sinus anguli incidentiæ, parum abest ab eo, qui a radio perpendiculari producitur. Ast e diverso sub *tropicis*, tametsi Sol diu verticalis maneat, nihilominus tantundem temporis totis 47 gradibus inde abest, quæ hyemis quædam est species, qua durante aer adeo frigescit, ut æstatis fervor eum calefacere nequeat ad eundem gradum cum illo, qui sub æquatore est. Aer proinde versus *septentrionem* & *meridiem* dum minus rarefit, quam is qui in medio est; sequitur, cum utrinque tendere ad æquatoris regionem debere. Hæc ipsa aeris motio, conjuncta cum priori illo vento orientali, quadrat ad omnia phænomena venti statim & generalis, qui siquidem tota globi superficies e mari constaret, dubio procul spiraret circa universum orbem, eodem modo ac sentitur in Mari *Atlantico* & *Æthiopico*. Verum cum tantæ telluris portiones interponantur, & continuitatem unius alteriusque oceani dirimant, respicere simul oportet ad naturam soli ac positionem altorum montium, quas quidem duas causas potiores esse judico diversarum in ventis variationum a data generali regula. Etenim si regio quædam Soli propinqua, plano, arenoso ac depresso fundo

U u u

constet,

constet, qualia deserta *Lybia* loca communiter esse feruntur, fervor productus a reflexione radiorum solarium eorumque in arenis retentione, concepi vix potest nisi ab iis, qui eundem persensere; quo ipso dum aer excessive rarefit, necesse est, ut frigidior ille ac densior aer eorsum ruat ad restaurandum *aequilibrium*: quam ipsam ego causam reor, cur prope *Guinea* litus ventus semper terram versus spiraret, ex *occidente* flans, cum ex *oriente* deberet; videlicet sufficiens ratio credere nos jubet, partes *Africa* mediterraneas prodigiosum in modum fervidas esse, quandoquidem septentrionales ejus limites tanta caloris intemperie laborant, ut antiquis occasionem dederint credendi, omnia quae ultra *tropicum* jacerent, ob æstus excessum inhabitabilia esse. Ex eadem porro causa accidit, ut continuæ adeo malaciæ sentiantur, in ea oceani parte, quam *Imbres* dicunt (*the Rains*) descriptam superius in *annot. 7.* ad mare *Atlanticum*: hic enim tractus, dum in medio situs est inter ventos *occidentales* oram *Guineæ* afflantes, & ventos *status orientales* a latere ejus occidentali spirantes, aeris inclinatio hic ad utramque partem in-differens est, & sic in *aequilibrio* stat inter hanc & illam; ac dum pondus incumbentis *atmosphæræ* per continuos ventos contrarios *ab hinc* emanantes diminuitur, inde fit, ut aer copiosos, quos recipit, vapores non sustineat, sed in frequentes adeo pluvias decidere patiatur.

Quemadmodum vero aer frigidus ac densus, ob rationem majoris gravitatis, premendo urget calidum ac rarefactum; viceversa demonstrari potest, hunc posteriorem velut continuo flumine sursum tendere debere, quam primum rarefactus est, factoque sic ascensu semet dispergere ad præservandum *æquilibrium*: hoc est, per fluxionem contrariam oportet, ut aer superior motu suo discedat ab illis ipsis partibus, ubi summus viget calor. Sic per quandam circulationis speciem ventus *status euroboræalis* (*N.O.*) in regione inferiori a *Zephyronoto* (*S.W.*) excipietur in superiori, & *Euronotum* (*S.O.*) sequetur in parte superiori *Zephyroboreas*. (*N.W.*) Quod vero hoc plusquam mere coniectura sit, evincere videtur momentanea fere venti mutatio ad plagam oppositam, quæ frequenter admodum observatur, cum limites ventorum *statorum* quis transgreditur. Attamen id, quod præ aliis confirmat hanc hypothesin, est  
phæno-

phænomenon *Motionum*, quod hoc pacto facile solvitur, cum alioqui ægre explicari valeat.

Supposita proinde tali circulatione, ut supra descripta est, considerandum, quod a Septentrione Oceani *Indici*, omni ex parte terra prætenditur, intra consuetos limites latitudinis 30 graduum, nempe *Arabia, Persia, India, &c.* qui tractus ob eandem rationem ac mediterraneæ *Africa* partes, intolerabilem sentiunt æstum, quando Sol in hemisphærio *boreali* versatur, dum prope verticalis eis imminet; at nihilominus satis temperati sunt, cum sol versus alterum *tropicum* recedit; idque ob seriem montium in distantia quadam circa interiora illius terræ sitorum, quos per hyemem sæpe nivibus obtectos referunt, super quos transeuntem aerem multum sane refrigerari oportet. Inde est, quod aer secundum generalem regulam veniens ex Euroboreæ (*N.O.*) plaga in mari *Indico*, quandoque calidior, quandoque frigidior est quam ille, qui mediante illa circulatione remeat e plaga *Zephyronoti* (*S.W.*) ac per consequens flumen aeris inferioris seu ventus aliquando est ab *Euroborea*, aliquando a *Zephyronoto*. Quod autem aliud nihil causæ hic subsit, evidens est ex temporibus, quibus venti hi flare exordiuntur: videlicet mense *Aprili*, cum sol incipit excalescere regiones has ad septentrionem sitas, motio *Zephyronoti* initium sumit, ac durante æstu spirat usque ad *Octobrem*; quo dum sol recessit, cunctis in septentrionalibus locis refrigerantibus, & calore in australi plaga augete, *Euroboream* subintrat & per totam hyemem viget, donec *Aprilis* redeat. Et ex eodem dubio procul principio est, quod a meridionali æquatoris latere, in aliqua parte oceani *Indici*, *Zephyroborea* (*N.W.*) succedunt *Euronotis*, (*S.O.*) cum sol tropico *capricorni* appropinquat. Fateri nihilominus cogor, in hoc ultimo difficultatem occurrere ægre explicabilem; quæ est, cur usquam hæc *motionum* vicissitudo magis in oceano *hoc* obtinere debeat, quam in *Æthiopico* sub eadem latitudine, ubi nil certius est quam *Euronotus* (*S.O.*) per totum annum spirans. Pari modo conceptu difficile est, quamobrem venti illius statim limites circa universum globum fixi sint circiter trigésimum gradum latitudinis, quodque tam raro fines hosce aut transgrediantur, aut non plene attingant: ut & quod maris *Indici* pars septentrionalis solummodo obnoxia sit

Uuu z

*Motio-*



*Motionibus* mutabilibus, cum in meridionali constans reperitur Euronotus. (S. O.) Hæc, inquam, particularia sunt ampliori consideratione dignissima, quæque sufficientem pro justo volumine materiam suppeditare possent, quod pensum iis præprimis commendandum foret, qui philosophicis aduerti contemplationibus otium haberent ad applicandas huic negotio enixas suas meditationes.

**D. T. ADDITAMENTUM AD METHO-**  
*dum quadrandi curvilineas figuras, aut earum impossibilitatem demonstrandi per finitam seriem,*


**C**um videam in Schediasmate Celeberrimi Viri G. G. L., Actorum præteriti anni mense Junio publicato, denuo mentionem injici Methodi meæ, Anno 1683 mense Octobri p. 433 expositæ, eaque occasione quædam notari, cum dictam Methodum, tum *Craigio* a me Martio mense Anno 1686 reposita, concernentia: visum est, uberioris declarationis dictorum meorum causa, sequentia subnectere.

I. Præter meritum Autor imputat mihi sententiam, *ex indefiniti tetragonismi impossibilitate, etiam cujusque definiti impossibilitatem sequi*: cui postquam in intimiora Matheseos penetrare contigit, nunquam addictus fui; reque mihi, antequam etiam exemplum ejus ullum mihi proponeretur, probe cognita, infinita similia exhibendi Methodum jam tum in promptu habui, cujus nonnulla quoque specimen anno 1682 ad Academiam scientiarum Gallicam transmissi. Nec opinionis hujus meæ ullum in Actis vestigium extare credo. Quod enim *quadraturam circuli* pronunciaui certo *perfici non posse, nisi ope curvæ ejus generis, quas Cartesius vocat mechanicas*; & post, *circuli quadraturam, prout Geometra desiderant, non dari*, subaddidi: neutiquam hoc ex illo tanquam unico & sufficienti medio, inferre volui, quin potius, *a perspicacioribus ingenis quadam, abo tempore a me diserte & pro rei exigentia sufficienter explicanda, hic desiderari posse* ingenue edixi. Ex quo, ad perfectam theorematis propo-

# MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII.

propositi demonstrationem, me ipsum aliud quidpiam adhuc requisivisse manifestum est. Hoc ipsum vero hactenus non explicui; quia absolutam impossibilitatis quadraturæ circuli demonstrationem, quam mihi in promptu esse professus sum, & adhuc profiteor, hucusque nondum exhibui: huic vero nihil deesse certus sum, solamque erroris in calculo supra modum prolixo veniam, a quolibet Analyseos perito, dummodo Methodo sua constet probitas, impetrabilem, indulgeri mihi postulo: qualis etiam si fortassis alicubi a me commissus esset, non ipsi methodo (per quam quidquid possibile aut impossibile certo certius determinari potest) vitium; sed circuli tantum possibilem quadraturam inferret: quæ si alius cujuscumque studio interea inventa fuisset, & ipsa non methodi, sed calculi mei fallaciam arguere potuisset.


II. Quando ibidem calculum suum, vel potius falsam meæ Methodi applicationem corrigi, instantiamque suam firmare nititur supposita in Fig. I curva BEGC,



ejusque natura (si BC seu DC = h; BF = x; EF = Z)  $4hhz - 8hxz + 4x^2z - 8h^2z + 16hhx - 8hxx + 4hx^2 - 4hx^3 + x^4 = 0$  recte quidem, ope Theorematis a me publicati, demonstrat, Quadratricem hujus curvæ, esse curvam aliquam ex mechanicis (quippe quæ facillime ex circuli quadratura derivari potest) hoc ipso tamen adver-

sus me nihil obtinet: qui nullibi statui, in curvis geometricis tale quid non posse fieri, quique infinita ejusmodi exempla, ut supra monui, dudum proferre potuissem. Memini equidem me in privatis ad Dominum L. literis (ad quas referenda sunt quæ Anno 1684 Actorum p. 586 habentur) pronunciasse: *si in curva geometrica indefinita quadratura non detur; nec posse dari specialem quadraturam;* & quia certis de causis sensum verborum horum explicatiorem dare tunc volebam, exemplum quadraturæ specialis in Cycloide a Dn. Hugenio detectæ, ut de mente mea constaret, adjunxisse; sed cum intelligam, ea secus atque volebam accepta fuisse, ne perversæ interpretationi ea porro locum dent, jam plenius me explico. Dico itaque:

que: si curvæ geometricæ indefinita quadratura non datur, non posse dari specialem, hoc est unicum saltem spatium, vel duorum, trium &c. quadraturam; sed si quacunque methodo unius spatii quadratura detegatur, non unicam hanc tantum possibilem dari, sed eo ipso infinita ejusdem curvæ spatia esse quadrabilia; at hoc in curvis mechanicis non posse fieri: ut, quia in cycloide, juxta dicta, detecta est specialis quadratura, non ideo dantur infinita ejus spatia quadrabilia; in *Fig. vero prima*, data spatii BEGL quadratura, quia curva BEG est geometrica, infinita alia ejusdem curvæ spatia sunt quadrabilia, prout attendenti manifestum evadit. Notanter autem dico infinita, non omnia; ne denuo sinistrae acceptioni ansa



relinquatur. Cui tanto melius cavendæ, sit, in *Fig. II*, Lunula Hippocratis BDFE, quæ, uti notum est, tota est quadrabilis; æqualis videlicet triangulo ABF, existentibus AG aut BG æqualibus radio semicirculi BDF. Hanc ergo ob causam in lunula hac non hujus solum spatii quadratura datur, sed infinitorum aliorum: ductis enim utlibet, ordinatim applicata

GD, & rectis AC, AD; triangulum ABC semper æquabitur spatio Lunulæ BDE; & triangulum ACF, spatio FDE: quorum demonstrationem, ob facilitatem suam lubens hic omitto; quanquam nesciam an ulli Theorema hoc animadversum fuerit, utcunque hæc lunula multorum mathematicorum ingenia exercuerit.

III. Quod si etiam in circulo specialis tantum alicujus spatii quadratura daretur, eo sensu atque Autor hic accipit, hoc est citra indefinitam generalem: & hanc, beneficio methodi cujusdam, qua omnia spatia particularia certo quadrare novi, determinare possem, modo animum eo applicare luberet. Instanti vero Eruditissimo Autori, ut spatii ab ipso propositi BEGC (*Fig. I*) quadraturam definiam; cum certum sit, licet ipse hæctenus modum non indicaverit, trilineum hoc esse quadrabile: respondeo, ductu Methodi hujus meæ non anxie a me spatium hoc inventum esse æquale triangulo DBC, seu dimidio quadrato lineæ BC.

IV Pro-

MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 527

IV. Problemata quorum præterito mense Martio pag. 176 memini, in censu eorum, quorum solutio difficilis sit, non habui; quia ejus esse facilitatis asserui, ut fere citra ullam analysin determinari possint: causas vero, ob quas eadem allegavi, ibidem diserte exposui.

*DE TRIPLICI ENTE CURSUS PHILOSOPHICUS in Tres Tomos Divisus. I. De Ente Logico, II. De Ente Physico, III. De Ente Metaphysico. Auctore P. Augustino Laurentio, Societatis Jesu Lusitano, olim in Collegio Ulyssiponensi Philosophia Professore, nunc Serenissima Magna Britannia Regina Concionatore.*

Leodici Eburonum, apud Guilielm. Henricum Streel,  
1687, in fol.

**T**itulus libri ipse nos labore de instituto Auctoris multa profertendi subleuat. Tractantur disciplinæ tres, Logica, Physica & Metaphysica, juxta Aristotelico-Scholastica principia, ingeniose & perspicue. Optabunt autem sine dubio ii, quibus speculationes recentiorum Philosophorum non contemnendæ, in iis philosophiæ partibus aliæ & adversæ veteribus innotuerunt, ab Autore & aliis ejus generis Philosophis, quibus ingenium, otium ac alia fere adminicula omnia ad excolendum & promovendum ulterius scientias suppetunt, recentiorum illas meditationes quasi nullæ essent, ita silentio præteritas non fuisse, sed examinatas, rejectas aut approbatas. Sic enim veteri philosophiæ major æstimatio accederet, si non solum congressum cum adversariis audere, sed & sustinere posse ejus Professores, constaret.

## LIBRI NOVI.

Het Leven van den Heere Michiel de Rûiter beschreeven door Gerard Brand, met schone kopere platen verciert. Amsterdam, 1687. fol.

Jacobi Alring, dum viveret, S. S. litterarum in Academia Groningana Professoris, Opera omnia. Amstelodami, 1687. Volumina 5 in fol.

Voyage de Suisse, d' Italie & de quelques endroits d' Allemagne & de France, fait és années 1685 & 1686, par M. Burnet. à Rotterdam, 1687. in 12.

Miscel-

Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemiarum Decadis I. Liber VII. Regalis, seu de Ducibus ac Regibus Bohemiarum, auctore Bohuslao Balbino S. L. *Praga*, 1687. fol.

Select Physical and Chyrurgical Observations, by VVilliam Salmon. *London* 1687. in 8.

Gisberti Cuperi Harpocrates, sive Explicatio imagunculæ argentæ perantiqum; quæ in figuram Harpocratis formata representat Solem. Ejusdem Monumenta antiqua inedita. *Trajelli ad Rhen.* 1687, in 4.

Catechisme du Diocese de Meaux, par le commendement de Mr. l' Ill. & Rev. Jacques Benigne Bossuet Evêque de Meaux &c. *Paris* 1687. in 12.

Tomus II Magisterii Naturæ & Artis, authore P. Francisco Tertio de Lanis S. l. *Brixia*, 1686, in fol.

Of the Sacraments in general, by Gabriel Toverfon. *London* 1686. in 8.

Of the Sacrament of Baptism, by Gabriel Toverfon. *London* 1687 in 8.

The Treasury of the Mathematicks, by John Taylor. *London* 1687. in 8.

Traité du choix & de la methode des Etudes, par Mr. Fleury. a Bruxelles 1687.

Aanleidinge tot het rechte verstand van den Tempel, die de Propheet Ezechiel gezien en beschreeven heeft. Door Campægum Vicinga. *Franker*, 1687.

Ad Nummum Furia Sabinia Tranquillina Ang. Imp. Gordiani tertii Uxoris Dissertatio, auctore Ottone Sperlingio. *Amstelod.* 1687 in 8.

Traité touchant l' origine des Dixmes & l' obligation de les payer. *Paris* 1687. in 12.

Antonii Borremanii Vesperæ Gorinchemenses, in quibus varia loca tam Scripturæ S. quam aliorum Auctorum explicantur, ritus prisca aliaque non ubivis obvia eruuntur. *Amstelod.* 1687, in 8.

† Memoires du Marquis de Beauvau, concernant ce qui s' est passé de plus memorable sous le regne de Charle IV Duc de Lorraine & de Bar. *A Cologne* 1687 in 12.

Deux Traitez de Morale: La Balance des Afflictions presentes avec la gloire a venir, & l' Aneantissement de l' homme devant Dieu, par P. Jurieu. *A la Haye* 1687.

Friderici Spanhemii selectarum de religione controversarum Elenchus Historico-Theologicus. *Lugd. Bat.* 1687. in 12.

La Grande Voix de Jugement & de Grace, ou les pieuses pensées de Philippe Jolin sur les quatre fins de l' homme, a Amsterdam, 1687. in 4.

De Jure, Justitia & annexis Tractatus quatuor Theologico Canonice expositi, auctore Florentio de Coq. *Bruxellis* 1687. in 4.

Histoire Metallique de la Republique de Hollande, par M. Bizot. *Paris* 1687. in fol.

Musenæ Italicæ, seu Collectio Veterum scriptorum ex Bibliothecis Italicis eruta a D. Joh. Mabillon & D. Mich. Germain. Tomus I. complectens eorundem iter Italicum Litterarum &c. *Paris*, 1687. in 4.

Confucius Sinarum Philosophus, sive scientia Sinenfis Latine exposita. *Paris*. 1687. in fol.

Voyage de Siam des Peres Jesuites, avec leurs Observations &c. *Amsterdam* 1687. in 12.

# ACTA ERUDITORUM

Publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anni M DC LXXXVII.

DE ANTIQVITÉ DES TEMS RETABLIE.

id est:

ANTIQUITAS TEMPORUM RESTITUTA  
& defenſa contra Judæos & recentiores Chro-  
nologos,

Parifis, apud J. Boudot &c. 1687. In 4,

**E**X Actis superioris menſis patuit, qua ratione antiquitatem or-  
bis ac ſigillatim Judaica gentis reſtituendam eſſe contendat  
Autor hujus libri anonymus, quem *Paulum Pezronium* eſſe, fide  
amicorum retulimus. Pergit iſc. XII. ad antiquitatem *Chal-  
dæo-Babyloniorum*. Cumque *Erranius*, (quem *Herennium Philo-  
nem Byblium* appellari mavult *G. J. Voſſius* L. II. de H. Gr. c. 10.) Ba-  
bylonem 1002. annis ante Semiramidis regnum conditam, author  
fuerit, id anno ab O. C. 2630, a diluvio 374, a morte Noachi 30  
factum fuiſſe, Pezronius colligit. Et haecenus quidem amice coha-  
bitaſſe putat homines, quamdiu nimirum *Sem* in vivis erat, illoſq; au-  
toritate ſua in officio continebat. At, (loquimur ex Pezronii men-  
te) cum iſa. æt. 600, mundi 2758. obiſſet, illorum concordia ſen-  
ſim expiravit, donec anno circiter 2867 *Nemrod* gentibus perſua-  
deret, ut *Babylonem* muris cingerent & turri augerent. Sed ſupe-  
rior vis conatibus hiſ obſtitit. Vicennio enim poſt, ſub Phalegi  
nativitatem, A. M. 2787, in univerſas orbis plagas diſperguntur.  
Tunc *Nemrod* Chami nepos, quem in Arabia ſedes quærere par-  
erat, *Aſſurem* Babylone expellit, ac Monarchiam *Babylonicam* or-  
ditur,

XXX



attractantia & digerentia externe cum fructu sint adhibenda. Hæc de bubonum cura. De tutiore salivationis methodo, primo inquirat, quænam ex subjectis lue venerea infectis apta sint ad sustinendam salivationem, rejectisque phthificis, & humidioris ac frigidioris temperamentis, solum calidioris ac ficcioris constitutionis disposita docet. Quæ deinde de modo salivationem excitandi annectit, nova non sunt; mereurii namque dulcis ope omnium optime negotium hocce peragi posse tradit. Reliqua quæ sequuntur, symptomatum puta supervenientium medendi rationem, aliorumque Medicorum salivationem promovendi modos, omittimus, cum angustia Dissertationis hujus, quam unica tantum pagella capit, prolixitatem majorem haud exigat. Unicum tamen de ultimo in ordine scripto adhuc adjicere placet, antequam dimittamus Lectorem: scilicet Cl. Autorem in ejus præfatione aliquoties pro novis anteaque non cognitis habere, quæ de saporum natura inibi disserit; sed incidentes in Joh. Baptistæ Montani Medicinæ universæ Partem III. p. 731, 732, exacte concordantem animadvertimus sententiam, quam tamen Abercrombium in vetusto & ante seculi spatium jam jam divulgato libro, nec legisse, nec suspicatum esse, facile admittimus.

*HISTORICA SUPPUTATIO VENTORUM  
statorum ac Motionum, quæ intra ac prope Tropicos  
in mari observantur, unacum tentata eorundem astro-  
logia physica, per E. Halley.*

Translata e Transact. Phil. Anglic. M Septemb. 1686.  
num. 183. pag. 153. seqq.

TAB. VI.

**R**elatio exacta de Ventis statis atque periodicis, quos in diversis Oceani tractibus observare licet, pars est naturalis historię non minus desiderata & utilis, quam obtentu difficilis, cujusque phænomena explicare arduum. Haud ignoro, diversos jam scriptores materiam hanc pertentasse: ac tametsi *Varenius Lib. 1. cap. 21. Geogr. Gener.* optimam peregrinantium informationem secutus, rei huic operam navasse videatur, non tamen ejus computationes



pro accuratis agnosci poterunt ab his, qui easdem attentius consideratas inter se invicem conferre voluerint; ac nonnullæ ex illis evidentissima falsitate nituntur; quas proinde, quam optime poterō, corrigere annitar, postquam occasio mihi obtigit conversandi cum nautis per omnes *India* partes versatis, ac multo satis tempore intra Tropicos commoratis, ubi & ipse propria habui experimenta. Eorum vero, quæ collegi, summa brevissime jam sequitur.

Oceanus universalis aptissime dividi in tres partes potest; nempe 1. Mare *Atlanticum* & *Æthiopicum*, 2. Oceanum *Indicum*, 3. Mare magnum *Australe* seu oceanum *Pacificum*; ac tametsi omnia hæc maria versus *Austrum* communicent invicem, nihilominus quantum ad præsens propositum de Ventis statis, fatis separata sunt per interpositos ingentes *terra* tractus: dum eorum primum jacet inter *Africam* & *Americam*; secundum inter *Africam* & *insulas Indicas* ac *Hollandiam Novam*; ultimum denique inter *Philippinas*, *Chinam*, *Japoniam* & *Hollandiam novam* ab *occidentali* & *America* littus ab *orientali* parte. Hanc itaque naturalem marium divisionem sequentes, dispescemus historiam nostram in tres partes, eodem ordine servato. I. In Mari *Atlantico* & *Æthiopico* intra Tropicos, generalis ventus est *Orientalis* per totum annum absque ulla notabili variatione, nisi quod paucis inde gradibus deflectere soleat versus septentrionem aut austrum, secundum diversum loci situm. Observationes circa deflexiones hæc factæ sunt sequentes. (1) Quod prope oram *Africa*, quamprimum quis insulas *Canarias* præterit, certo sibi spondere potest flatum sat validum Euro-borealem (*N.O.*) circa 28 gr. latitudinis *borealis*; qui ipse raro orientem versus ascendit usque ad Cæciam (*O.N.O.*) aut transgreditur Aquilonem (*N.N.O.*) Ventus hic isto tractu progredientes versus meridiem comitatur, ad latitudinem usque *borealem* 10 gr. ac 100 circiter milliarium distantiam a littore *Guinea*; ubi usque ad 4 gr. latitudinis *septentrionalis* incidunt in malacias & procellas (*Tornados*) de quibus inferius plura. (2) Quod hi, qui ad insulas *Caribes* tendunt, experiuntur, dum *America* lateri appropinquant, ventum prædictum Euro-borealem, (*N.O.*) semper magis magisque *Orientalem* fieri, sic ut quandoque spiret ipse subsolanus (*O.*) quandoque Hypeurus (*O.z.S.*) plerumque vero ab *oriente* versus *septentrionem* deflectat

uno

uno aut duobus gradibus, ac raro plus. Similiter observatum est, horum ventorum vim gradatim decrefcere, quo magis navigando occidentem versus proceditur. (3) Quod limites ventorum flatorum ac variabilium in hoc Oceano latius excurrant ad littus Americanum quam Africanum: cum enim ventus iste certus non offendatur, donec superata fit latitudo 28 gr. ab hoc latere: e diverso in latere Americano communiter tenet ad 30, 31, aut 32 gr. latitudinis; id quod pari modo obtinet a parte æquatoris meridionali: nam circa Caput bona spei limites ventorum flatorum 3 aut 4 gradibus propius abfunt a Linea æquinoctiali, quam ad littus Brasiliae. (4) Quod a Latitudine 4. gradum feptentrionali ad prædictos usque limites e meridionali æquatoris latere venti generaliter ac perpetuo spirant inter meridiem & orientem, & communiffime inter Euronotum (S. O.) & Subfolanum (O.) observata ubique hac regula, ut a latere Africano meridionales; a Brasiliano orientales fere esse folcant, fic ut tantum non ex ipfo oriente æquinoctiali flantes, exiguam, quam habent, deflexionem femper austrum versus committant. In hac Oceani parte fors mihi obtigit integrum annum transigendi ob tale negocium, quod necessitatem mihi imposuit aeris vicissitudines plus quam vulgari sollicitudine observandi; ac expertus sum, constanter ibi ventum circiter Euronotum (S. O.) spirare; plagam tamen frequentiffimam esse Meseuri, (S. O. z. O.) Cum ad orientem magis deflectebat, plerumque validus erat flatus, ac tempeftas obscura, nubila & quandoque pluvia: quando vero ad meridiem vergere incipiebat, communiter serenus aer erat & lenis aura malaciz proxima; quod tamen rarius. Ast nunquam vidi ventum ultra meridiem versus occidentis, aut ultra orientem versus feptentrionis plagam excurrere. (5) Quod anni temporum diverfitas aliquantillum operari soleat in ventis hisce flatis. Etenim quando sol multum ultra æquatorem versus feptentrionem recessit, tum Euronoti (S. O.) speciatim in freto hujus oceani (siquidem ita vocare licet) inter Brasilian & Guineæ littora, variant uno alterove puncto austrum versus deflectentes; atque Euro-boreales venti (N. O.) orientales nonnihil evadunt; at e diverso cum sol tropico capricorni appropinquat, Euronoti (S. O.) magis orientales fiunt, & Euroboreæ (N. O.) ab hoc Linea latere plus ad plagam feptem-

*septentrionalem* sese vertunt. (6) Quod, uti vix datur regula generalis, quæ non aliquam admittat exceptionem, sic & in hoc oceano extat maris tractus, in quo Austri (S.) & Zephyronoti (S.W.) perpetuo regnant: nimirum juxta universam *Guinea* oram, ad plus quam 500 leucas continuas, a *Sierra Leona* usque ad insulam *S. Thoma*; nam ventus status Euronoti (S.O.) superato *æquatore* cum littori *Guinea* appropinquat intra 80 aut 100 leucas inclinatur versus littus ac vertitur in *Lenconotum* (S.S.O.) & gradatim, quo propius acceditur, gyrat se ad plagam Austri, (S.) Libonoti, (S.S.W.) ac proxime terram Zephyronoti (S.W.) & quandoque Aphrici (W.S.W.) quæ quidem variatio facilius in Mappa hic subnexa perspicitur, quam verbis exprimi potest. Atque hi sunt venti, quos in hac ora observare datur, cum *Æolus* fidem servat; ast frequentes ibi sunt malaciæ, violenti subitique flatus, quos *Tornados* nuncupant, ab omnibus pyxidibus nauticæ plagis ingruentes, & quandoque insalubres ac nebulosi venti *orientales*, quos incolæ *Hermisæ* vocitant, qui sæpiuscule circa has orbis partes navigantibus infesti sunt. (7) Quod a latere *æquatoris boreali* inter 4 & 10 gr. latitudinis ac intra Meridianos *Capitis Viridis & orientali* ejusdem cognominis *insularum*, tractus maris occurrit, de quo inconveniens foret dicere, ullum ibi ventum *flatum* aut etiam variabilem regnare; quandoquidem ad perpetuam malaciam damnatus videtur, quam horrida tonitrua & fulgura comitantur, ac pluviz tam frequentes, ut nautæ nostrates eam maris partem abinde nominent *Imbres*, (*the Rains*.) Ventuli istic spirantes non nisi flatus quidam incerti sunt & subito nati, perquam exigui ambitus ac parum durantes; sic ut quandoque singulis horis alius atque alius fiet ventus, in malaciam desinens, antequam alius succedat; adeo ut ex pluribus navigiis, quorum unum in alterius conspectu agitur, quandoque singula singulos & ex separatis plagis venientes ventos habere cernantur. Ope debilium horum flatuum (*Brizes*) navibus necesse est meliorem viæ partem *meridiem* versus capere per prædictos 6. gradus, intra quos ob venti defectum nonnullæ menses integros detentæ feruntur. E tribus his ultimis observationibus ratio reddi potest unius alteriusque accidentis, quæ in navigatione *Indica orientali & Guineensi* notatu digna occurrunt. Unum est, cur non obstante exigua ma-

MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 53

gua maris inter *Guineam* & *Brafiliam* latitudine, 500 circiter leucas in arctissima sui parte habente, nihilominus naves *Austrum* versus profecturæ quandoque, speciatim mense *Julio* & *Augusto*, magnam in eo transmittendo difficultatem offendant. Accidit hoc ob flatus Euronoti (*S. O.*) qui circa hanc anni tempestatem communiter semet extendunt aliquot gradibus ultra consuetos limites 4 graduum latitudinis *borealis*, ac insuper adeo *meridionales* evadunt, ut quandoque ex ipsa *austri* plaga spirent, quandoque ex uno aut altero punctorum austri collateralium versus *occasum*; non aliud itaque superest remedium, quam ut obliquatis velis ventum adversum caprent, atque ita si ab uno latere tendunt versus Aphrici plagam (*W. S. W.*) ventum quidem semper magis magisque orientalem nanciscuntur, at periculum est, ut hoc pacto prætervehantur littus *Brafilia*, aut ad minimum brevia, quibus hæc ora infestatur. Ast vero si ex altera parte cursum dirigant ad plagam Vulturni, (*O. S. O.*) incidunt in viciniam littoris *Guinæ*, unde recedere non datur, nisi orientem versus excurrant ad insulam usque *S. Thome*; quæ constans praxis est omnium navium *Guineanarum*, quæque sat mira videri posset non considerata annotatione *sexta* superius data, quæ hujus rei rationem ostendit. Namque cuncta e regione hujus litoris sunt, ventus ibi generaliter flat Zephyronotus (*S. W.*) ac Aphricus, (*W. S. W.*) quo quidem uti nequeunt ad procedendum versus *septentrionem*, dum terra obstat; & ex altero latere eundem scopo suo propius adhibere non possunt, quam ut tendant ad plagam Leucototi (*S. S. O.*) aut *Austri*; (*S.*) sic instituto cursu a litore quidem discedunt, verum dum id faciunt, ventos magis atque magis adversos nanciscuntur; ita ut, cum prope litus versantes ad *Austri* plagam velificare possent, dein cum longius aliquanto ab eo distant, melius viam flectere haud valeant, quam ad plagam Euronoti (*S. O.*) & postmodum Vulturni (*O. S. O.*) quibus cursibus communiter quarunt insulam *S. Thome* & Caput *Lopez*, ubi dum offendant ventos *austro* collaterales versus *orientem*, horum favore utuntur ad occidentem procurrentes in latitudinem *australem* 3 aut 4 graduum, ubi dein Euronoti (*S. O.*) spirant perpetui. Porro intuitu horum generalium ventorum omnes illi, qui *India occidentalis* commercium frequentant, ipsamque etiam *Virginiam* petentes, ita

optime cursum suum institui existimant, si quam citissime possunt, *austrum* versus viam capiant, eo quod sic certo sibi polliceri valent flatum secundum ac validum, qui eos *occidentem* versus propellat; & ex eadem ratione hi, qui ex *America* in patriam renavigant, quam ocyssime pertingere allaborant ad latitudinem 30 graduum, ubi nempe primum incipiunt offendere ventos *variabiles*; quamvis frequentiores venti in parte *septentrionali* Oceani *Atlantici* spirare soleant e plagis inter *austrum* & *occidentem* interjectis. Quod autem attinet ad furiosas istas procellas, quas *Hurricanes* appellant, *Caribum* infulis quasi proprias, utpote quas mense *Augusto*, aut non multum ante vel post eundem, impetu tam horribili affligunt, ex non adeo proprie hujus loci sunt, cum ob brevem ipsarum durationem & ambitum, tum etiam quia anniversariæ haud sunt, dum aliqui anni plures earum experiuntur, & quandoque per diversos annos junctim sumtos nullæ omnino ibi sentiuntur. Attamen earum violentia tam conceptu difficilis est, ac phænomena alia tam stupenda, ut bene mereantur separatim considerari. Cæterum quicquid hic dictum est, intelligendum de Ventis *maritimis* in aliqua a tellure distantia; in littoribus etenim & prope eadem flatus terrestres ac marini (*Land and Sea Brizes*) tantum non ubivis sentiuntur: ac varietas, quæ contingit in horum periodis, vi ac directione, a diverso situ montium, vallium ac sylvarum, ut & varia soli textura, magis minusve apta ad retinendum & reflectendum calorem ac exhalandos condensandosve vapores, tanta est, ut infiniti laboris res futura foret, horum percensionem suscipere.

II. In Oceano *Indico* Venti sunt partim generales, ut in mari *Æthiopico*; partim periodici, id est, qui dimidio anno ex una spirant plaga, & altero dimidio prope ex punctis oppositis; atque hæc quidem puncta & mutationum tempora pro diversis oceanî hujus partibus & ipsa diversa sunt, ac limites quorumlibet maris tractuum, eidem mutationi seu *motioni* subjectorum perquam sane determinatu difficiles; nihilominus industria, quam adhibui pronanciscenda exacta informatione, & cura huic rei impensa magna ex parte difficultatem hanc superarunt, & persuasus sum, ea quæ jam sequuntur particularia talia esse, in quibus acquiesci valeat. (1)  
 Quod intra decimum gradum & trigésimum latitudinis *Australis*  
 inter

inter *Madagascar* & *Hollandiam Novam* ventus flatus ac generalis, circiter Meseurus (*S. O. z. O.*) flare deprehenditur per totum annum, omni intuitu ac proposito ad eundem modum, quo in pari latitudine occurrit in oceano *Aethiopico*, prout in præcedenti annotatione 4. descriptum est. (2) Quod prædicti Euronoti flatus (*S. O.*) semet extendunt usque ad secundum ab *Aequatore* gradum durantibus mensibus Junio, Julio, Augusto, &c. usque ad Novembrem, quo tempore intra *australem* latitudinem 3 ac 10 graduum, prope *meridianum* nempe extremitatis borealis insulæ *Madagascar*, ac intra 2 ac 12 gradus ejusdem latitudinis *australis* prope *Sumatram* ac *Javam*, venti contrarii e plaga Zephyro-boreæ (*N. W.*) aut certe inter *Septentrionem* & *Occidentem* intercepti ingruunt ac dimidio anno spirant, videlicet a Decembris initio usque ad Majum: & hæc quidem *Motio* observatur, quousque *Molucca* insulæ pertingunt, de quibus mox plura. (3) Quod a tertio gradu latitudinis *Australis* *Septentrionem* versus, per totum mare *Arabicum* aut *Indicum* ac sinum *Bengalensem*, a *Sumatra* ad usque litus *Africa*, alia regnat *Motio*, spirans ab Octobri quidem ad Aprilem e punctis Euroboræ (*N. O.*) at reliquo semestri ab Aprili ad Octobrem e plagis oppositis Zephyronoti (*S. W.*) ac Africi, (*W. S. W.*) idque majori cum impetu ac cælo nubilo & pluvioso; cum e diverso Euroboræ (*N. O.*) flatus sereniores esse soleant; pariter notandum, quod venti, nec vigoris nec plagæ intuitu, tam constantes sint in Sinu *Bengalensi*, quam in Mari *Indico*, ubi certus ac fixus flatus vix unquam deficit. Notatu quoque dignum est, quod Zephyronoti (*S. W.*) in hisce maris regionibus communiter *australes* sunt e latere *Africa*, & *Occidentales* ex *Indico* latere. (4) Quod velut appendix modo dictæ *Motionis*, tractus maris extat ab *australi* æquatoris latere, iisdem ventorum mutationibus obnoxius; nimirum prope oram *Africa* inter ipsam & insulam *Madagascar* seu *S. Laurentii*, & abhinc versus *septentrionem* ad æquatorem usque; ubi ab Aprili ad Octobrem fortiter spirat constans Libonotus, (*S. S. W.*) qui, si ulterius *Septentrionem* versus procedatur, continuo magis magisque ad *occidentis* plagam declinat, sic ut tandem coincidat cum Africi (*W. S. W.*) flatibus antea memoratis, quos hisce anni mensibus certo diximus offendi e boreali æquatoris latere: quinam vero venti his in maris

tractibus reliquo semestri spirant, ab Octobri ad Aprilem, nondum satis ad votum comperire potui, eo quod nautæ nostrates ex *India* reduces semper viam capiunt extra *Madagascariæ* limites, atque sic hujus rei exiguam habent notitiam; id saltem mihi relatum fuit, ventos circa hanc regionem plerumque ex *orientis* vicinia oriundos esse, ac æque frequenter ad *septentrionem*, quam ad *meridiem* a vera subsolani (O.) plaga deflectere. (5) Quod a latere *boreali* æquatoris a *Sumatra* & *Malacca* orientem versus, ac secundum litora *Cambojæ* & *China*, *Motiones* spirant ex *Septentrione* & *Meridie*, hoc est, quod Euroboreæ isti (N.O.) multum ad *Septentrionem*, ac Zephyronoti (S.W.) valde ad *meridiem* inclinant: quæ constitutio a latere *orientali* ad *Philippinas* insulas, a *septentrionalis* vero ad *Japan* usque se extendit. Et *Motio* quidem *Borealis* hoc in maris tractu ingruit mense Octobri aut Novembri; *Australis* vero Majo, durans per integros menses æstivos. Notandum hic est, puncta *Compassus*, e quibus ventus in his mundi partibus spirat, non esse adeo fixa, ut in modo descriptis: etenim *australis motio* frequenter transit unum alterumve punctum ab *austro* versus *orientalem* angulum; ac *borealis* tantundem ab *arctico* plaga versus *occidentem*; cui rei occasionem dare videtur ingens illa terræ quantitas hæc maribus interspersa. (6) Quod intra eosdem meridianos, at e latere *australi* æquatoris, in eo nempe tractu, qui inter *Sumatram* & *Javam* ab occidente, & *Novam Guineam* ab oriente jacet, eadem observantur *Motiones*, *borealis* atque *australis*; cum hac tamen differentia, quod *borealis motionis* inclinatio vergit ad Zephyroboream, (N.W.) *australis* vero versus Eurotonotum (S.O.) Attamen plagæ venti hic non magis constantes sunt, quam in præcedentibus, nempe variationi 5 aut 6 punctorum obnoxia; præterea tempora mutationis horum ventorum non eadem sunt, ac in mari *Chinensi*, sed mense aut sex hebdomadis circiter seriora. (7) Quod venti hi contrarii non uno omnes imperu vices mutant, sed quibusdam in locis mutationis tempus instare judicatur e prævia malacia, in aliis præcedunt variabiles venti, ac speciatim notari meretur, quod finis *Moscoris Occidentalis* ad littus *Coromandel*, ut & duo ultimi menses *Motionis australis* in mari *Chinensi* turbidis tempestatibus admodum subjacere soleant. Violentia harum procellarum tanta est, ut participare quid

quid videantur de natura *Hurricanarum*, *India Occidentali* familiarium, redduntque navigationem horum tractuum valde intutant circa hoc anni tempus. Nostrates nautæ tempestates has consueto termino vocare solent *Receptam seu Discessum Motionum* (*The breaking up of the Monsoons.*) Ob enarratas itaque horum Ventorum vicissitudines, omnes illi qui in istis maribus navigant, necesse habent tempora observare itineri suo consona; quod si faciant, non possunt non vento uti secundo & profectioe expedita; at si forte moras nectendo tempus suum elabi patiantur, donec contraria semet ingerat *Morbo*, uti frequenter accidit, tum coguntur spem resignare perficiendi itineris propositi, & aut ad portum reverti, unde exierant, aut alioquin interim divertere, ad terendum ibi tempus, donec Venti redeant ipsis propitii.

• III. Tertius Oceanus sub nomine *Maris Pacifici* veniens, quique ambitu reliquos ambos adæquat, (complectens videlicet ab ora *America* occidentali, ad *Philippinas* usque insulas, non minus 150 gradibus longitudinis) is est, qui minime omnium nostræ aut vicinis nationibus est cognitus: navigatio enim quæ ibidem fit, ab *Hispaniis* perficitur, qui quotannis a litore *Nova Hispania* ad *Manillas* proficiscuntur, id que non nisi uno ac trito tramite; ut adeo hic non ita specialia afferre valeam, ut in prioribus duobus. Id quod Auctores Hispanici narrant de ventis in hoc itinere obviis, quodque confirmatur per antiquas relationes *Draki* & *Candisbi*, & recentius per *Schootenam*, (qui totam maris hujus amplitudinem transfretavit sub latitudine australi 15 aut 16 graduum;) in eo consistit, quod magna deprehenditur convenientia inter ventos hujus maris, eosque qui in *Atlantica* & *Æthiopico* regnant; hoc est, quod a latere septentrionali æquatoris ventus prædominans est inter Subsolani (O.) & Euroboreæ (N.O.) plagam: a parte meridionali vero constans & continuus flatus spirat intermedius inter subsolanum (O.) & Euronotum, (S.O.) idque ex utroque lineæ æquinoctialis latere tam constanter, ut vix unquam necesse habeant velis attendere; ac tam valide, ut non facile ultra 10 septimanas insument in transmittendo vasto hoc Oceano, quod facit circiter 132 millia-ria per diem. Perhibetur præterea, procellas ac tempestates nun-



quam in hisce partibus innotuisse: ut adeo hic locorum optima & annuum velificatio sit, dum haut unquam aut vento sufficienti & secundo destituuntur, aut a nimio metuere opus habent. Quare obrem haud defuere, qui iter ad *Japoniam* & *Chinam* æque breve fore putarunt per *fretum Magellanicum*, quam superato *Capite Bona Spei*. Limites ventorum horum generalium maximam partem iidem sunt, ut in *Mari Atlantico*, nimirum latitudo 30 gr. ab utroque latere; eteaim Hispani domum repetentes e *Manillis* insulis, semper utuntur favore *Motionis australis*, ibi per menses æstivos spirantis, excurrentes *septentrionem* versus ad dictam usque latitudinem, quam alte *Japonia* sita est, qua superata demum inveniant ventos variabiles ad cursum suum *orientem* versus dirigendum. Ac *Schootenus* aliique qui circumverunt per *fretum Magellanicum*, repperunt limites venti ibi regnantis *Euronoti* (*S.O.*) fere circa parilem latitudinem versus *Austri* regionem. *Alia* insuper analogia inter oceani *hujus* & *Ethiopicum* ventos in eo apparet, quod hi ad oram *Peruvia* semper multum *Austri* plagæ accedunt, perinde ac deprehenduntur facere prope littus *Angole*.

Et hætenus quidem de eo, quod in facto consistit, in quo si informatio quam nactus sum, non omni ex parte accurata est, certe id neutiquam contingit ex defectu debitæ inquisitionis, utpote quam institui apud eos, quos hoc in negotio aptissimos judicavi ad memet instruendum. Sane pro egregio favore ducam, si quis nauclerus aliusve naturam Ventorum in ulla e prædictis mundi partibus probe callens, suas super hac re observationes mecum communicare dignabitur; quo ex in ea, quæ hic collegi, aut confirmari, aut emendari, aut per additionem circumstantiarum quarundam ad rem facientium amplificari valeant. Non unius aut paucorum, sed plurimorum Observatorum opus est, in unum congerere experientiam necessariam ad componendam perfectam & completam horum Ventorum historiam. Quicquid sit, non valde dubito, quin in principalibus quibusdam Notabilibus forte errarim aut aliqua omiserim, ne de levioribus particulis dicam, quæ meam facile notitiam effugere potuerunt. Quo autem Lectoris captum juvarem in hac tantæ difficultatis materia,

TAB. VIII. necessarium putavi, sçhema adjungere uno obtutu exhibens omnes illos

illos varios tractus atque cursus horum Ventorum; cujus adminiculo fortean res melius intelligi poterit, ac per qualemcunque descriptionem verbalem. Limites diversorum horum tractuum ubivis designantur per lineas punctatas, tam in *Atlantico & Ethiopico*, ubi confinia constituunt inter ventos statos & variabiles, quam in *Indico* Oceano, ubi ambitum ostendunt diversarum *Motionum*. Non commodius cursum ventorum in mappa delineari posse judicavi, quam ducendo certas lineolarum series eadem directione, qua navis progredereetur ventum semper in puppi habens; ita quidem, ut acuta cujusvis lineolæ extremitas eam horizontis plagam indigitet, unde ventus continue provenit; & ubi *Motiones* sunt, ibi lineolarum ordines alternatim decurrant retrorsum & antorsum, quæ ex causa ibidem confertiores comparent, quam alibi. Quantum ad Mare magnum *Australe*, cum latissimi sit ambitus, & exigua in ejus ventis varietas deprehendatur, ingens autem *analogia* occurrat inter ipsos & maris *Atlantici* ac *Ethiopici* ventos, prætereaque maxima ejus pars omnino nobis incognita sit, hæc existimavi necessarium, ut ejus totius delineatione mappa in majorem longitudinem excreferet.

In præmissa jam historia diversa continentur problemata consideratione acutissimorum nostrorum physicorum perquam digna, tam ob effectus sui stabilitatem, quam ambitus immensitatem, dum prope dimidiam Globi superficiem concernunt. Horum problematum præcipua sunt: 1. Quare venti isti perpetuo ex oriente veniant, in *Atlantico & Ethiopico* æque ac *Pacifico* Oceano, intra 30 graduum latitudinem tam *borealem* quam *australem*. 2. Cur dicti venti se latius non extendant cum aliqua constantia, quam ad eam 30 graduum latitudinem. 3. Cur perpetuus Zephyronotus (*S.W.*) spiraret ad & prope litora *Guinea*. 4. Quamobrem in parte *septentrionalis* Oceani *Indici*, venti qui uno semestri conspirant cum illis, qui in reliquis duobus Oceanis vigent, vices mutent per alterum semestre spacium & ex oppositis stare punctis soleant, cum tamen *meridionalis* hujus oceani portio regulam generalem sequatur, ventum perpetuum habens circiter Euronotum. (*S.O.*) 5. Cur in generalibus hisce ventis statis ubivis obtineat, ut eorum declinatio ab *Orientis* plagæ latere quidem æquatoris *boreali* ad boream,

at ex

at ex *austali* ad austrum vergat. 6. Cur in mari *Chinensi* tanta fiat inclinatio ab *oriente* versus *septentrionem* & major, quam ullibi alias: alia insuper complura, quæ præponi facilius quam decidi valerent. Ast ne videar aliis difficultates ad solvendum dare, quas ipse dignas non habuissim, quibus otium meum & industriam impenderem, en hic fructum seduli conatus pro indaganda vera ratione dictorum phænomenorum impensi; qua in re utut singulorum particularium causas reddere haud potero, spero tamen meditationes huic negotio insumas, non omnino in cassum factas reputatum iri a curiosis inquisitionum physicarum.

Ventus propriissime definitur, quod sit flumen seu currens aeris, ac ubi tale flumen perpetuum est & fixum in cursu suo, necesse est, ut procedat a causa quadam permanente & continua. Quamobrem nonnulli eo inclinaverunt, ut respicere hic juberent ad diurnam telluris super *axe* suo *rotationem*, mediante qua, dum globus *orientem* versus circumvolvitur, laxæ ac fluidæ particule aeræ ob extremam, qua constant levitatem, pone relinquuntur, sic ut hæ respectu habito ad terræ superficiem, *occidentem* versus moveantur, fiantque adeo constans ventus *orientalis*. Videtur opinio hæ confirmari ex eo, quod venti hi saltem circa lineam æquinoctialem offendentur in istis parallelis latitudinis, in quibus diurna motio est velocissima; & ipse facile ei accederem, nisi continuæ malaciæ in mari *Atlantico* prope *Æquatorem*, venti ex *occidente* spirantes prope oram *Guinea*, ac *Motiones* periodicæ occidentales sub æquatore in mari *Indico*, hypothefin hanc sufficere nequaquam posse, arguerent. Præterea aer, dum ex principio gravitatis ad terram premitur, acquireret eundem velocitatis gradum, quo terræ superficies moveretur, tam respectu rotationis diurnæ, quam annuæ circa solem, quæ fere tricies celerior est.

Supereft ergo, ut substituamus aliam causam, habilem ad producendum ejusmodi effectum perennem, non tamen obnoxiam iisdem objectionibus, sed congruam notis proprietatibus aeris & aquæ, ut & legibus motionis corporum fluidorum. Talismodi est, ut quidem ego opinor, actio radiorum solis in aerem & aquam, dum hic quotidie maria pertransit; consideratis insimul natura soli, & situ terrarum adjacentium. Dico itaque *primo*, quod *secundum* leges

leges *Statica*, aer minus rarefactus aut per calorem expansus, & consequenter gravior, motionem habere debeat versus eas ejusdem elementi partes, quæ magis sint rarefactæ & minus ponderosæ, ad illas in *aquilibrium* reducendas; ac *secundo*, quod, dum præsentia Solis continuo *occidentem* versus commigrat, pars ea, ad quam aer tendere habeat, ob causam rarefactionis ab intensissimo calore *meridiano* productæ, una cum ipso versus *occidentem* feratur, & consequenter totum corpus aeris inferioris istuc tendat. Sic generalis ventus *orientalis* formatur, qui postquam impressus est toti aeri in vasto oceano, partes aliæ alias impellunt, atque sic motum servant usque ad proximum Solis reditum, mediante quo iterum restauratur, quantum de motione illa deperditum fuerat, atque hoc pacto flatus ex *orientis* plaga perpetuatur. Ab eodem principio sequitur, quod ventus hic orientalis a *boreali* æquatoris latere *septentrionem* versus, ab *australi* versus *austrum* deflectere debeat a vera *orientis* plaga; etenim prope *aquatorem* aer multo magis rarefit, quam ad majorem ab eo distantiam, eo quod Sol ibi bis in anno verticalis sit, & nunquam ultra  $23\frac{1}{2}$  gradus recedit, in qua distantia calor, dum est velut sinus anguli incidentiæ, parum abest ab eo, qui a radio perpendiculari producitur. Ast e diverso sub *tropicis*, tametsi Sol diu verticalis maneat, nihilominus tantundem temporis totis 47 gradibus inde abest, quæ hyemis quædam est species, qua durante aer adeo frigescit, ut æstatis fervor eum calefacere nequeat ad eundem gradum cum illo, qui sub æquatore est. Aer proinde versus *septentrionem* & *meridiem* dum minus rarefit, quam is qui in medio est; sequitur, eum utrinque tendere ad æquatoris regionem debere. Hæc ipsa aeris motio, conjuncta cum priori illo vento orientali, quadrat ad omnia phænomena venti statim & generalis, qui siquidem tota globi superficies e mari constaret, dubio præcul spiraret circa universum orbem, eodem modo ac sentitur in Mari *Atlantico* & *Æthiopico*. Verum cum tantæ telluris portiones interponantur, & continuitatem unius alteriusque oceani dirimant, respicere simul oportet ad naturam soli ac positionem altorum montium, quas quidem duas causas potiores esse judico diversarum in ventis variationum a data generali regula. Etenim si regio quædam Soli propinqua, plano, arenoso ac depresso fundo

U u u

constet,

constet, qualia deserta *Lybia* loca communiter esse feruntur, fervor productus a reflexione radiorum solarium eorumque in arenis retentione, concipi vix potest nisi ab iis, qui eundem persensere; quo ipso dum aer excessive rarefit, necesse est, ut frigidior ille ac densior aer eorsum ruat ad restaurandum *æquilibrium*: quam ipsam ego causam reor, cur prope *Guinea* litus ventus semper terram versus spiraret, ex *occidente* flans, cum ex *oriente* deberet; videlicet sufficiens ratio credere nos jubet, partes *Africa* mediterraneas prodigiosum in modum fervidas esse, quandoquidem septentrionales ejus limites tanta caloris intemperie laborant, ut antiquis occasionem dederint credendi, omnia quæ ultra *tropicum* jacerent, ob æstus excessum inhabitabilia esse. Ex eadem porro causa accidit, ut continuæ adeo malaciæ sentiantur, in ea oceani parte, quam *Imbres* dicunt (*the Rains*) descriptam superius in *annot. 7. ad mare Atlanticum*: hic enim tractus, dum in medio situs est inter ventos *occidentales* oram *Guineæ* afflantes, & ventos *status orientales* a latere ejus occidentali spirantes, aeris inclinatio hic ad utramque partem indifferens est, & sic in *æquilibrio* stat inter hanc & illam; ac dum pondus incumbentis *atmosphæræ* per continuos ventos contrarios *ab hinc* emanantes diminuitur, inde fit, ut aer copiosos, quos recipit, vapores non sustineat, sed in frequentes adeo pluvias decidere patiatur.

Quemadmodum vero aer frigidus ac densus, ob rationem majoris gravitatis, premendo urget calidum ac rarefactum; viceversa demonstrari potest, hunc posteriorem velut continuo flumine sursum tendere debere, quam primum rarefactus est, factoque sic ascensu semet dispergere ad præservandum *æquilibrium*: hoc est, per fluxionem contrariam oportet, ut aer superior motu suo discedat ab illis ipsis partibus, ubi summus viget calor. Sic per quandam circulationis speciem ventus *status euroborealis* (*N. O.*) in regione inferiori a *Zephyronoto* (*S. W.*) excipietur in superiori, & *Euronotum* (*S. O.*) sequetur in parte superiori *Zephyroboreas*. (*N. W.*) Quod vero hoc plusquam mere conjectura sit, evincere videtur momentanea fere venti mutatio ad plagam oppositam, quæ frequenter admodum observatur, cum limites ventorum *statorum* quis transgreditur. Attamen id, quod præ aliis confirmat hanc hypothesein, est  
phæno-

phænomenon *Motionum*, quod hoc pacto facile solvitur, cum alioqui ægre explicari valeat.

Supposita proinde tali circulatione, ut supra descripta est, considerandum, quod a Septentrione Oceani *Indici*, omni ex parte terra prætenditur, intra consuetos limites latitudinis 30 graduum, nempe *Arabia, Persia, India, &c.* qui tractus ob eandem rationem ac mediterraneæ *Africa* partes, intolerabilem sentiunt æstum, quando Sol in hemisphærio *boreali* versatur, dum prope verticalis eis imminet; at nihilominus satis temperati sunt, cum sol versus *alterum tropicum* recedit; idque ob seriem montium in distantia quadam circa interiora illius terræ sitorum, quos per hyemen sæpe nivibus obrectos referunt, super quos transeuntem aerem multum sane refrigerari oportet. Inde est, quod aer secundum generalem regulam veniens ex Euroboreæ (*N. O.*) plaga in mari *Indico*, quandoque calidior, quandoque frigidior est quam ille, qui mediante illa circulatione remeat e plaga *Zephyronoti* (*S. W.*) ac per consequens flumen aëris inferioris seu ventus aliquando est ab *Euroborea*, aliquando a *Zephyronoto*. Quod autem aliud nihil causæ hic subfit, evidens est ex temporibus, quibus venti hi flare exordiantur; videlicet mense *Aprilis*, cum sol incipit excalescere regiones has ad *septentrionem* sitas, motio *Zephyronoti* initium sumit, ac durante æstuspirat usque ad *Octobrem*; quo dum sol recessit, cunctis in *septentrionalibus* locis refrigerantibus, & calore in *australi* plaga augescente, *Euroboreas* subintrat & per totam hyemem viget, donec *Aprilis* redeat. Et ex eodem dubio procul principio est, quod a *meridionali* æquatoris latere, in aliqua parte oceani *Indici*, *Zephyroborea* (*N. W.*) succedunt *Euronotis*, (*S. O.*) cum sol *tropico capricorni* appropinquat. Fateri nihilominus cogor, in hoc ultimo difficultatem occurrere ægre explicabilem; quæ est, cur usquam hæc *motionum* vicissitudo magis in oceano *hoc* obtinere debeat, quam in *Aethiopico* sub eadem latitudine, ubi nil certius est quam *Euronotus* (*S. O.*) per totum annum spirans. Pari modo conceptu difficile est, quamobrem venti illius statim *limites* circa universum globum fixi sint circiter trigessimum gradum latitudinis, quodque tam raro fines hosce aut transgrediantur, aut non plene attingant: ut & quod maris *Indici* pars *septentrionalis* solummodo obnoxia sit

*Motionibus* mutabilibus, cum in meridionali constans reperitur Euronotus. (S. O.) Hæc, inquam, particularia sunt ampliori consideratione dignissima, quæque sufficientem pro justo volumine materiam suppeditare possent, quod pensum iis præprimis commendandum foret, qui philosophicis aduerti contemplationibus otium haberent ad applicandas huic negotio enixas suas meditationes.

**D. T. ADDITAMENTUM AD METHO-**  
*dum quadrandi curvilineas figuras, aut earum impossibilitatem demonstrandi per finitam seriem.*


**C**um videam in Schediasmate Celeberrimi Viri G. G. L. Actorum præteriti anni mense Junio publicato, denuo mentionem injici Methodi meæ, Anno 1683 mense Octobri p. 433 expositæ, eaque occasione quædam notari, cum dictam Methodum, tum *Craigio* a me Martio mense Anno 1686 reposita, concernentia: visum est, uberioris declarationis dictorum meorum causa, sequentia subnectere.

I. Præter meritum Autor imputat mihi sententiam, ex *indefiniti tetragonismi impossibilitate, etiam cujusque definiti impossibilitatem sequi*: cui postquam in intimiora Matheseos penetrare contigit, nunquam addictus fui; reque mihi, antequam etiam exemplum ejus ullum mihi proponeretur, probe cognita, infinita similia exhibendi Methodū jam tum in promptu habui, cujus nonnulla quoque specimina anno 1682 ad Academiam scientiarum Gallicam transmisi. Nec opinionis hujus meæ ullum in Actis vestigium extare credo. Quod enim *quadraturam circuli* pronunciaui certo *perferi non posse, nisi ope curvæ ejus generis, quas Cartesius vocat mechanicas*; & post, *circuli quadraturam, prout Geometra desiderant, non dari*, subaddidi: neutiquam hoc ex illo tanquam unico & sufficienti medio, inferre volui, quin potius, a *perspicacioribus ingenio quadam, abo tempore a me diserte & pro rei exigentia sufficienter explicanda, hic desiderari posse* ingenue edixi. Ex quo, ad perfectam theorematum propo-

# MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 53

propositi demonstrationem, me ipsum aliud quidpiam adhuc requisivisse manifestum est. Hoc ipsum vero hactenus non explicui; quia absolutam impossibilitatis quadraturæ circuli demonstrationem, quam mihi in promptu esse professus sum, & adhuc profiteor, hucusque nondum exhibui: huic vero nihil deesse certus sum, solamque erroris in calculo supra modum prolixo veniam, a quolibet Analyseos perito, dummodo Methodo sua constet probitas, impetrabilem, indulgeri mihi postulo: qualis etiam si fortassis alicubi a me commissus esset, non ipsi methodo (per quam quidquid possibile aut impossibile certo certius determinari potest) vitium; sed circuli tantum possibilem quadraturam inferret: quæ si alius cuiuspiam studio interea inventa fuisset, & ipsa non methodi, sed calculi mei fallaciam arguere potuisset.

II. Quando ibidem calculum suum, vel potius falsam meæ Methodi applicationem corrigit, instantiamque suam firmare nititur supposita in Fig. I curva BEGC,




ejusque natura (si BC seu DC = h; BF = x; EF = Z)  $4hhzz - 8hxzz + 4xxzz - 8h^2z + 16hhxz - 8hxxz + 4hhxz - 4hx^2 + x^3 = 0$  recte quidem, ope Theorematis a me publicati, demonstrat, Quadratricem hujus curvæ, esse curvam aliquam ex mechanicis (quippe quæ facillime ex circuli quadratura derivari potest) hoc ipso tamen ad-

versus me nihil obtinet: qui nullibi statui, in curvis geometricis tale quid non posse fieri, quique infinita ejusmodi exempla, ut supra monui, dudum proferre potuisssem. Memini equidem me in privatis ad Dominum L. literis (ad quas referenda sunt quæ Anno 1684 Actorum p. 586 habentur) pronunciasse: *si in curva geometrica indefinita quadratura non detur; nec posse dari specialem quadraturam;* & quia certis de causis sensum verborum horum explicatiorem dare tunc volebam, exemplum quadraturæ specialis in Cycloide a Dn. Hugenio detectæ, ut de mente mea constaret, adjunxisse; sed cum intelligam, ea secus atque volebam accepta fuisse, ne perversæ interpretationi ea porro locum dent, jam plenius me explico. Dico ita-



que: si curvæ geometricæ indefinita quadratura non datur, non posse dari specialem, hoc est unicum saltem spatium, vel duorum, trium &c. quadraturam; sed si quacunque methodo unius spatii quadratura detegatur, non unicam hanc tantum possibilem dari, sed eo ipso infinita ejusdem curvæ spatia esse quadrabilia; at hoc in curvis mechanicis non posse fieri: ut, quia in cycloide, juxta dicta, detecta est specialis quadratura, non ideo dantur infinita ejus spatia quadrabilia; in *Fig. vero prima*, data spatii BEGL quadratura, quia curva BEG est geometrica, infinita alia ejusdem curvæ spatia sunt quadrabilia, prout attendenti manifestum evadit. Notanter autem dico infinita, non omnia; ne denuo sinistrae acceptioni ansa



relinquatur. Cui tanto melius cavendæ, sit, in *Fig.*, II, Lunula Hippocratis BDFE, quæ, uti notum est, tota est quadrabilis; æqualis videlicet triangulo ABF, existentibus AG aut BG æqualibus radio semicirculi BDF. Hanc ergo ob causam in lunula hac non hujus solum spatii quadratura datur, sed infinitorum aliorum: ductis enim utlibet, ordinatim applicata GD, & rectis AC, AD; triangulum ABC semper æquabitur spatio Lunulæ BDE; & triangulum ACF, spatio FDE: quorum demonstrationem, ob facilitatem suam lubens hic omitto; quanquam nesciam an ulli Theorema hoc animadversum fuerit, utcunque hæc lunula multorum mathematicorum ingenia exercuerit.

III. Quod si etiam in circulo specialis tantum alicujus spatii quadratura daretur, eo sensu atque Autor hic accipit, hoc est citra indefinitam generalem: & hanc, beneficio methodi cujusdam, qua omnia spatia particularia certo quadrare novi, determinare possem, modo animum eo applicare luberet. Instanti vero Eruditissimo Autori, ut spatii ab ipso propositi BEGC (*Fig. I.*) quadraturam definiam; cum certum sit, licet ipse hætenus modum non indicaverit, trilineum hoc esse quadrabile: respondeo, ductu Methodi hujus meæ non anxie a me spatium hoc inventum esse æquale triangulo DBC, seu dimidio quadrato lineæ BC.

IV Pro-

MENSIS SEPTEMB. A. M DC LXXXVII. 527

IV. Problemata quorum præterito mense Martio pag. 176 memini, in censu eorum, quorum solutio difficilis sit, non habui; quia ejus esse facilitatis asserui, ut fere citra ullam analysin determinari possint: causas vero, ob quas eadem allegavi, ibidem diserte exposui.

*DE TRIPLICI ENTE CURSUS PHILOSOPHICUS in Tres Tomos Divisus. I. De Ente Logico, II. De Ente Physico, III. De Ente Metaphysico. Auctore P. Augustino Laurentio, Societatis Jesu Lusitano, olim in Collegio Ulyssiponensi Philosophia Professore, nunc Serenissima Magna Britannia Regina Concionatore.*

Leodici Eburonum, apud Guilielm. Henricum Streef,  
1687, in fol.

**T**itulus libri ipse nos labore de instituto Auctoris multa profertendis subleuat. Tractantur disciplinæ tres, Logica, Physica & Metaphysica, juxta Aristotelico-Scholastica principia, ingeniose & perspicue. Optabunt autem sine dubio ii, quibus speculationes recentiorum Philosophorum non contemnendæ, in iis philosophiæ partibus aliæ & adversæ veteribus innotuerunt, ab Autore & aliis ejus generis Philosophis, quibus ingenium, otium ac alia fere adminicula omnia ad excolendum & promovendum ulterius scientias suppetunt, recentiorum illas meditationes quasi nullæ essent, ita silentio præteritas non fuisse, sed examinatas, rejectas aut approbatas. Sic enim veteri philosophiæ major æstimatio accederet, si non solum congressum cum adversariis audere, sed & sustinere posse ejus Professores, constaret.

### LIBRI NOVI.

Het Leven van den Heere Michiel de Rûiter beschreeven door Gerard Brand, met schone kopere platen verciert. Amsterdam, 1687. fol.

Jacobi Alting, dum viveret, S. S. litterarum in Academia Groningana Professoris, Opera omnia. Amstelodami, 1687. Volumina 5 in fol.

Voyage de Suisse, d' Italie & de quelques endroits d' Allemagne & de France, fait és années 1685 & 1686, par M. Burnet. a Rotterdam, 1687. in 12.

Miscel-

Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemiz Decadis I. Liber VII. Regalis, seu de Ducibus ac Regibus Bohemiz, auctore Bohuslao Balbino S. L. *Praga*, 1687. fol.

Select Physical and Chyrurgical Observations, by VVilliam Salmon. *London* 1687. in 8.

Gisberti Cuperi Harpocrates, sive Explicatio imagunculae argenteae peranti-que; quae in figuram Harpocratis formata representat Solem. Ejusdem Monumenta antiqua inedita. *Trajecti ad Rhem*, 1687, in 4.

Catechisme du Diocese de Meaux, par le commendement de Mr. l' Ill. & Rev. Jacques Benigne Bossuet Evêque de Meaux &c. *a Paris* 1687. in 12.

Tomus II Magisterii Naturæ & Artis, authore P. Francisco Tertio de Lanis S. I. *Brixia*, 1686, in fol.

Of the Sacraments in general, by Gabriel Toverfon. *London* 1686. in 8.

Of the Sacrament of Baptism, by Gabriel Toverfon. *London* 1687 in 8.

The Treasury of the Mathematicks, by John Taylor. *London* 1687. in 8.

Traité du choix & de la methode des Brudes, par Mr. Fleury. *a Bruxelles* 1687.

Aanleidinge tot het rechte verstand van den Tempel, die de Propheet Ezechiel gezien en beschreeven heeft. Door Campegum Vitringa. *Francker*, 1687.

Ad Nuptum Furiz Sabiniz Tranquillinz Aug. Imp. Gordiani tertii Uxoris Dissertatio, auctore Ottone Sperlingio. *Amstelod.* 1687 in 8.

Traité touchant l' origine des Dixmes & l' obligation de les payer. *a Paris* 1687. in 12.

Antonii Borremanfii Vesperæ Gorinchemenses, in quibus varia loca tam Scripturæ S. quam aliorum Auctorum explicantur, ritus prisici aliaque non ubivis obvia eruuntur. *Amstelod.* 1687, in 8.

† Memoires du Marquis de Beauvau, concernant ce qui s' est passé de plus memorable sous le regne de Charle IV Duc de Lorraine & de Bar. *A Cologne* 1687 in 12.

Deux Traitez de Morale: La Balance des Afflictions presentes avec la gloire a venir, & l' Aneantissement de l' homme devant Dieu, par P. Jurieu. *A La Haye* 1687.

Friderici Spanhemii selectarum de religione controversiarum Elenchus Historico-Theologicus. *Lejd. Bat.* 1687. in 12.

La Grande Voix de Jugement & de Grace, ou les pieuses pensées de Philippe Jolin sur les quatre fins de l' homme, *a Amsterdam*, 1687. in 4.

De Jure, Justitia & annexis Tractatus quatuor Theologico Canonice expositi, auctore Florentio de Coq. *Bruxellis* 1687. in 4.

Histoire Metallique de la Republique de Hollande, par M. Bizot. *A Paris* 1687. in fol.

Museum Italicum, seu Collectio Veterum scriptorum ex Bibliothecis Italicis eruta a D. Joh. Mabillon & D. Mich. Germain. Tomus I. complectens eorundem iter Italicum Litterarum &c. *Paris*, 1687. in 4.

Confucius Sinarum Philosophus, sive scientia Sinensis Latine exposita. *Pavif.* 1687. in fol.

Voyage de Siam des Peres Jesuites, avec leurs Observations &c. *Amsterdam* 1687. in 12.

# ACTA ERUDITORUM

Publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anni M DC LXXXVII.

DE ANTIQVITÉ DES TEMS RETABLIE

id est:

ANTIQUITAS TEMPORUM RESTITUTA  
& defenſa contra Judæos & recentiores Chro-  
nologos.

Parifis, apud J. Boudot &c. 1687. in 4,

**E**X Actis superioris mensis patuit, qua ratione antiquitatem or-  
bis ac ſigillatim Judaicæ gentis reſtituendam eſſe contendat  
Autor hujus libri anonymus, quem *Paulum Pezronium* eſſe, ſide  
amicorum retulimus. Pergit is c. XII. ad antiquitatem *Chal-  
dæo-Babyloniorum*. Cumque *Erranius*, (quem *Herennium Philo-  
nem Byblium* appellari mavult *G. J. Voffius* L. II. de H. Gr. c. 10.) Ba-  
bylonem 1002. annis ante Semiramidis regnum conditam, author  
fuerit, id anno ab O. C. 2630, a diluvio 374, a morte Noachi 30  
factum fuiſſe, Pezronius colligit. Et hæcenus quidem amice coha-  
bitaſſe putat homines, quamdiu nimirum *Sem* in vivis erat, illoſq; au-  
toritate ſua in officio continebat. At, (loquimur ex Pezronii men-  
te) cum iſa. æt. 600, mundi 2758. obiſſet, illorum concordia ſen-  
ſim expiravit, donec anno circiter 2867 *Nemrod* gentibus perſua-  
deret, ut *Babylonem* muris cingerent & turri augerent. Sed ſupe-  
rior vis conatibus his obſtitit. Vicennio enim poſt, ſub Phalegi  
nativitatem, A. M. 2787, in univerſas orbis plagas diſperguntur.  
Tunc *Nemrod* Chami nepos, quem in Arabia ſedes quærere par-  
erat, *Aſſurem* Babylone expellit, ac Monarchiam *Babylonicam* or-  
ditur,

XXX

ditur,

ditur. Assur versus superiorem Tigridis partem delatus, *Nineven* Assyriæ metropolin, Babylonis æmulam condit. Nemrod aut trecentis annis regnavit, aut, quod magis vero simile, post ejus fata anarchia fuit. Anno demum 3087. incipit epocha Regum septem Chaldæorum, & a. 3312. epocha Regum Arabum, qui Babylonis regnum Chaldæis ereptum sibi vindicarunt. Nomina & annos horum Regum post *Julium Africanum*, *Eusebium* & *Georgium Syncellum* memoriæ prodiderunt. Regnavit nempe e Chaldæis *Evechou* a. 6. m. 8. *Chomasbolus* a. 7. m. 6. *Porus* a. 35. *Nechubes* a. 43. *Abius* a. 48. *Omballus* a. 40. *Cbinzirus* a. 45. Summa: A. 225. Ex Arabibus *Mardocentes*, (qui idem est cum deastro Merodach, *Jer. L. 2.*) epocham alteram auspicatur regnatque a. 45. Sequitur *Anonymus*, qui regn. a. 40. Hinc *Sismordacus* regnat a. 28. Succedit *Nadius* aut *Nabius*, idem cum deastro Nabo, *Ef. XLVI. 1.* regnatque a. 37. Quintus est *Parannus*, qui a. 40. imperavit. *Nabonnadus* denique (qui aliis Nabonnidus,) post 25. regiminis annos, epocham, annos 215. complexam, terminat.

Tredecim hos monarchas chimæricos vulgo appellant, sed, si *Pezronium* audias, summa injuria. Audiamus ejus argumenta. *Arrianus* l. VII de gestis Alexandri, complura Regum veterum Assyriorum sepulchra, tempore Alexandri Magni Babylonicis paludibus & arundinetis sepulta jacuisse commemorat. Atqui ea non fuisse videntur Nabuchodonosoris majorumve ejus. Ille enim ante a. 240. solum obierat, operamque dubio procul dederat, ut suum majorumque suorum, (quorum vetustissimus Nabonassar ante sequiseculum duntaxat decesserat,) monumenta a situ & squalore repurgaret. Unde consequi videtur, monumenta illa fuisse illorum regum, qui inde a Nimrodo ad Belum usque regnum obtinuerunt. Rationem vero, cur reges, qui inde a *Belu* usque ad *Sardanapalum* Assyriorum imperio potiti sunt, ab *Arriano* intellectos non suspicatus fuerit *Pezronius*, hanc fuisse conjicimus, quod non *Babylon*, sed *Nineve* regia horum sedes fuerit, unde sepulchra Babylonicis paludibus tecta ad illos haud pertinuisse, verosimile videri ei potuit. 2.) *Diodorus Siculus* l. 2. c. 64. p. 90. Chaldææ regem a *Nino* R. *Nineves*, & *Arieo* Arabum Rege, conjunctis viribus victum fuisse refert. Pro *Nino* tamen *Belum* ejus patrem nominatum ma-  
luisse

luisset Pezronius, qui inde saltem hoc sequi putat, ante *Belum Ninumque* Chaldæam reges habuisse. Quod si tibi persuaderi patieris, facilius fane largieris, Chaldææ regem a Diodoro memoratum fuisse *Nabonnidum*.

Huic igitur *Nabonnido*, juxta *G. Syncellum* Chron. p. 90. 92, successerunt, *Assyriacumque* seu *Nineviticum* imperium *Chaldaico* seu *Babylonico* regno junctum tenuere *Assyrii Reges XLI*, annis integris 1460. Illorum primus *Belus*, *Ninus* alter, ultimus *Sardanapalus* fuit. Nec dissentit ab hoc Syncelli calculo *Diodorus Siculus* Hist. l. II. p. 115, dum Assyriacam Monarchiam a Nino usque ad Sardanapalum substituisse ait plus 1400. annis. Jam vero Sardanapalus periit, regnumque Medorum ortum est, sub Arbace Medo, & (juxta *Eusebium* Chron. p. 37. & 145, ut & *Syncellum* Chronogr. p. 185.) sub *Ariphrone* Phereclis filio, nono Atheniensium Archonte perpetuo, & hujus quidem anno IV, si Chronologo nostro fides, qui illum annum coincidere pronuntiat cum A. M. 4987, anno a dispersione populorum & regno Nemrødi 2200, a. ante Romam conditam 133, anno denique 886. ante initium *Æræ Christi* non confundendum cum *anno nativitatis Christi*, qui est A. M. 5868, cum *aræ Christi* vulgarem anno demum mundi 5873, h. e. a. 44. a primo Augusti consulatu, & A. V. C. 754. incipiendam esse, Pezronius c. XI. monuerit. Porro *Justinus* l. 1. Hist. c. 6. Medorum imperium substituisse testatur annis 350, ab Arbace usque ad Cyrum, qui A. M. 5337. Persicam Monarchiam condidit. Subtractis autem 350 a 5337, remanet A. 4987, quem natalem *Medici Regni* statuerat Pezronius. Huc item facit, quod *Vellejus Paterculus* l. I. c. 6. Assyriorum imperium defuisse dicit tempore *Lycurgi*. At hic Ariphronis coætaneus fuit. Ludis enim olympicis interfuit, quos *Ipbitus* Elide edidit A. M. 4989, centum & octo annis ante Olympiadem Græcorum vulgarem primam, qua Corœbus vicit, quæque in A. M. 5079. incidit.

Supposito igitur, Sardanapalum A. M. 4987. periisse, facile erit cuivis epochæ Regum Chaldæorum annum mundi assignare. Nam subtractis a 4987 annis 1460. regum XLI Assyriorum, initium epochæ hujus tertix incidet in A. M. 3527. Ab a. 3527. subtrahe annos Regum Arabum 215. Habebis A. M. 3312, quo epocha II. cœpit. Hinc porro subtrahe Epochæ primæ annos 225. Remanebit

nebit annus 3087, quo Evechous imperare cœpit. Quod sicut <sup>atque</sup> *Nemrodi* auspiciis a. 2787 turrim Babylonicam extractam fuisse, consequetur sane, Nemrodum aut terecentis annis imperasse aut post ejus mortem interregnum fuisse, aut (quod addimus,) regnasse quosdam, quorum memoria penitus intercidit; donec a. 3087. celebrior illa Chaldæorum epocha prima per *Evechoum* inciperet.

Hæc de veteri regno *Chaldeo-Assyriaco*. Nunc de regnis recentioribus, tum *Ninevitico-Assyriaco*, tum *Babylonico-Chaldeo*. Illud cœpit A. M. 5011, auspiciis *Nimi* cujusdam Junioris, quem *Sardanapalo* successisse, autor est *Castor*, citatus *Eusebio* Chron. Græc. p. 46. & *Syncello* Chronogr. p. 205. Hujus successores fuerunt cum aliis *Sacchoras* & *Tilgames* aut *Tilgath*, quorum nomina *Æliano* L. XII. H. Anim. c. 21. accepta referenda sunt. Secuti sunt *Pbul*, *Teglab-Pbalassar*, *Salmanassar*, *Sennacherib*, *Affaraddon* *Sennacheribi* filius, victor *Manassis* R. Judæ & *Regebeli* Regis Chaldæo-Babylonici, parens Regis illius, quem canon *Ptolomæi Saosdochimium*, liber *Judith Nabuchodanosorem* appellat. Ultimus fuit *Camiladan*, cui *Sarao* cognomen fuisse ex *Alexandro Polyhistoro* novimus. Hic victus a *Cysxare* Medorum rege & *Nabopollassere* re-belli, se cum regia igne lubens perdidit, a. 16. Josiæ, a. 3. a missione *Jeremiæ* prophetæ, a. ante *Æ. C.* 25, A. M. 5248. adeoque anno 237, ex quo novum hoc regnum *Ninevitico-Assyriacum* cœperat.

*Chaldeo-Babyloni* ii tulerunt jugum, quod *Arbaces* Medorum Rex, victo *Sardanapalo*, A. 4987. ipse imposuerat, donec *Nabonassar* Babylonis imperium Medis ereptum sibi assereret, eo tempore, quo *Artaus* sextus Medorum Rex bello contra *Cadusios* occupabatur, *Joatham* regnum Judæ moderante, die 26. Febr. A. 1. Olymp. IIX, anno V. C. 6, ante *Æ. C.* 747. A. M. 5126. Ab hoc enim celeberrimo temporis momento incipit *Æra Nabonassarii*. Conferatur *Censoriniu* de die natali c. 21. Substitit hoc regnum annos 67. sub X. Regibus indigenis, quorum primus *Nabonassar*, ultimus *Regebelus*, de quibus *Canonem Ptolomæi* consuluisse operæ pretium est. Anno quippe 5193 *Affaraddon* octavus *Ninevitarum* rex regnum hoc *Chaldeo-Babylonicum* armata manu imperio suo junxit. At A. M. 5248 *Cysxares* I. Medorum Rex, cum præditione *Nabopollass-*

*pollassaris* Satrapæ Chaldææ duobusque exercituum Ciniladanis, Nineven cepisset funditusque evertisset, in proditionis præmium *Nabopolassar* imperium *Babylonico-Chaldaum* concessit. Is regnavit a. 21. habuitque successorem filium *Nabuchodonosorem Magnum*, qui A. M. 5287 Hierosolymam expugnavit, regnavit autem annos 43. Successerunt *Evilmerodach* ejus filius a. 5312; *Neriglissar* Nabuchodonosoris gener a. 5314; *Laborsoarchod* Neriglissaris filius a. 5318. Regnavit hic 9. menses tantum, adeoque eodem anno *Baltassar* seu *Nabonmidus II* Evilmerodachi filius, summa rerum potitur. Anno denique 5335 *Cyaxares II* qui *Dan. V. 31.* Darius Medus appellatur, *Cyri* ducis suarum copiarum ope usus, expugnat *Babylonem*, huiusque regno finem imponit, ex quo inde a *Nimrodo* annos 2531, ab *Eveeboo* annos 2231, a *Mardocente* a. 2006, a *Belo* a. 1791, a *Nabonassare* annos 209, a *Nabopolassare* 87 annos substitisset. Biennio post, anno nempe 5337, *Cyaxares II.* moritur, *Cyrusque* regnum *Medicum* in *Monarchiam Medo-Perficam* convertit.

Capite sequenti XIII doctissimus Autor antiquitates *Ægyptiacas* majoribus adhuc tenebris horrentes illustrare satagit. Cumque *Chronicon* illud vetus *Ægyptiacum*, quod *Syncellus* creberrime laudat, quodque *Pezronius* ipso *Manethone Sebennya* antiquius esse credit, *Ægypti* reges in *Auritas* seu *Deos*, porro in *Mestras* seu *Semideos*, ac denique in *Ægyptios* seu *homines* distinguat, *Chronologus* noster *Deos* illos cum 33984 imperii sui annis, ceu mera ambitiosa gentis figmenta, merito explodit. De *Mestrais* vero ita sentit. Verosimile putat, unumquemque e tribus *Noæ* filiis, quarto minimum post diluvium seculo, illam orbis partem occupasse, ad quam per supremam patris voluntatem jus nactus fuerat, & sigillatim quidem *Chamum* aut ejus saltem filium *Mizraim*, (qui Græcis *Mestraim* vel *Mesraim* pronuntiatur,) in *Ægypto* sedem fixisse, unde ea terra *Chami* Pl. CIV. (Ebr. CV.) v. 23, & 27, item Pl. CV. (Ebr. CVI.) v. 22, nec non ⲙⲉⲥⲣⲏⲓⲙ Terra *Mesraim* passim in Bibliis vocetur. Hinc *Syncellum* *Chronogr.* p. 37. 38. 79. scribere: *Ex quo a Mesraim secundo Chami filio Ægyptus primum habitata est, ad hoc usque tempus, ab Hebrais, Syris & Arabibus καλεῖται ἡ χώρα Μεσραῖα, regio vocatur Mesrae.* Eadem de causa primos *Ægypti* incolas in Veteri *Chronico* *Mestras* appellari. Cumque ii ibidem



annis 217 rexisse (vel potius incoluisse) Ægyptum dicantur, antequam *Menes* dynastias Ægyptiorum ordiretur, id quod (juxta mox secuturam demonstrationem) contigit A. M. 2904, a diluvio 648: Hinc annos illos *Meftraorum* incepisse A. M. 2687, a diluvio 430, hocque anno *Meftraim* in Ægyptum primitus delatum fuisse, concludit Autor.

Sed missis obscurioribus illis *Semideis* seu *Meftrais*, ad Dynastias XXX *Hominum* seu Regum Ægyptiorum pergimus. *Herodoti*, *Manerbonis*, *Eratosthenis*, *Apollodori*, *Diodori Siculi*, *Josephi*, *Julii Africani*, *Eusebii* atque *Syncelli* suffragiis ἀναρτί πρῶτος constat, *Menem* omnium primum Ægypti Regem fuisse. Hujus ævum indagari posse credit Noster, si *Pbaraonem illam*, sub quo Israelitæ Ægypto egressi sunt, quique successit Regi sub auspicia egressus mari Erythraeo submerso, *Themofin* vel *Amofin* fuisse, veteribus *capite VIII.* citatis consentias. Exodus quippe (juxta cap. VII.) incidit in A. M. 3943. A *Mene* vero usque ad *Themofin* anni omnino 1039. effluxerunt. Nam post *Semideos*, quos vocant, in Ægypto inferiori seu Delta, *quindecim* primo generationes h. e. Reges fuerunt, juxta *Chronicon* illud pervetustum Ægyptiacum apud *Syncellum* p. 51. Nomina & annos horum regum ex *Eusebio* & *Syncello* ita excerptit *Pezronius*: *Menes* regnavit a. 62, *Curudes* a. 63, *Spanius* a. 36, duo anonymi a. 72, *Sefonchofis* a. 49, *Amenemes* a. 29, *Amofis* a. 32, *Acesephtres* a. 13, *Achorom* a. 9, *Amisfes* a. 4, *Chamoi* a. 12, *Amesifes* a. 65, *Anonymus* a. 14, *Use* a. 50. Summa generationum XV, anni 510. (Notandum, *Syncellum* XVII Reges recensere. Sed veteris *Chronici* major est autoritas. Unde *Aristarchum* nomen Græcum, & *Serapin* nomen deastris, ex laterculo Ægyptiorum seu *Hominum* eliminare *Pezronius* ausus est.) Generationes illas quindecim juxta idem *Chronicon* mox secuta est *Dynastia XVI*, quæ *Tanitarum* dicitur. Eam constituunt Reges VIII. *Ramesses* regnavit a. 29, *Ramesses-Menes* a. 15, *Thyfi-Mares* a. 34, *Ramesses-Seos* a. 23, *Ramesses-Menos* a. 19, *Ramesses-Bactis* a. 39, *Ramesses-Vaphris* a. 29, *Concharis* a. 5. Summa: *Tanita* regnarunt annos 190. Sic sane anno quinto *Concharis* compleitur anni septingenti, ut est apud *Syncellum* p. 103. Successit *Dynastia XVII* *Pastorum*, in qua regnarunt in eadem *Tanitarum* urbe *Salatis* annos 19, *Brow* a.



44, *Apachnas* a. 36, *Apophis* a. 61, *Tanias* a. 50, *Certos* a. 44, *Asfis* a. 49. Substitit ergo Dynastia XVII *annu 303*. Pastores dein armata manu Ægypto expulit *Alisphragmuthosis*. ( Sic enim *Pezronius* constanter vocat, quem *Syncelli* editio Parisiensis a *Jacobo Goar* curata, *Marshamus*, & quis non? *Misphragmuthosin* appellant. ) Hic Autori nostro Pharao ille esse putatur, qui mari rubro submersus est, Successorem enim habuit *Themofin* vel *Amofin*, quo regnante Israelitas exiisse, dictum est. Is igitur regnavit a. 36. Hinc sequens calculus emergit: Conficiant

<i>Generaciones illa XV a Mene incipientes</i>	a. 510.
<i>Dynastia XVI Tanitarum</i>	a. 190.
<i>Dynastia XVII Pastorum</i>	a. 303.
<i>Regimen Alisphragmuthosis, cui Themofis successit,</i>	a. 36.

*Summa annorum inde a Mene usque ad Themofin elapsorum* a. 1039. Hunc annum 1939. subtrahe ab anno exodi, qui est A. M. 3943. Remanebit A. M. 2904, qui est *annus a diluvio 648*, & a *Phalego nato 117*. Atque sic hoc ipso anno MENE M Dynastiarum Ægyptiacarum fundamenta jecisse, demonstrasse se putat Chronographus noster.

Ab hoc Mene usque ad *Nelanebum*, quem *Darius Ochus* A. M. 5523. regno exiit, a *Manethone* & *Jul. Africano* numerantur DYNASTIÆ XXX, quarum XVII priores maximam partem *collationales*, reliquas *consecutivas* statuit *Pezronius*. Verosimile putat, *Menem Thiniten* monarcham fuisse totius Ægypti, patremque *Athotis*, quem *Thebaidis* seu Ægypti superioris, *Curudis*, quem *Delta* seu Ægypti inferioris, & *Necherophis*, quem *Memphicos* regem fecerit. *Athotim* vita functum duobus filiis *Thebaidem* suam partiendam reliquisse, ea lege, ut superiorem partem, ( in qua *Theba* seu *Diospolis Magna*, ) *Athotes II*, inferiorem, ( in qua *Thinitarum* civitas eminebat, ) *Cencenes* obtineret. Sic & Ægyptum inferiorem vertentē tempore in plura regna disceptam, pluribus simul dynastis paruisse, *Heliopolitanis* puta, *Diospolitaniis*, *Heraclopolitanis*, *Tanitis*, *Xois*. Apponamus epitomen *Chronologia Ægyptiaca Pezroniana*, unde patebit, quænam dynastiæ coexistenterint. Quota vero quævis Dynastia *Manethoni* numeretur, ex numeris marginalibus patebit.

A. 2904,

- I. A. 2904 *Menes* Dynastiam *Tbinitarum* I. constituit, quæ an-  
nis substitit 253. A. 2964 *Ashotiu* ejus filius biennio ante mortem  
patris *Thebii* Rex constituitur, unde Reges Thebani XCI descen-  
dunt, qui regnarunt ultra 2225 annos, donec Sabbacon *Ethiopiæ*  
Rex Thebas expugnaret. A. 2966 *Menes* moritur a. regni 62.  
Succedit ei in regno tum *Tbinitico*, tum *Thebao* primogenitus Atho-  
tis, mortuus A. M. 3023, cum regnasset annos 59 *Thebiæ* & 57 in *Tbi-*  
*nitarum* civitate, relinquitque Regnum Thebarum *Ashoti* II, qui  
regnavit annos 32, Thiniticum vero *Cenceni*, cui ortum Principes  
*Tbinitarum* debent in duas dynastias distincti. Alter *Menis* filius  
*Curudes*, eodem anno 2966 *Ægypto* inferiori potitur, regiaque  
sedē *Heliopoli* constituta, regnat annos 63. Eodem denique anno
- III. *Necherophes*, aut *Menis* filius, aut regni invasor, *Memphiticam* Dy-  
nastiam I. condit, quæ annis 214. substitit. A. 3157 *Bochus* mortuo
- II. *Bienacbe*, *Meni* trinepotē, *Dynastiam* II, *Tbinitarum* annos 302
- IV. duraturam, orditur. A. 3180 *Memphitarum* *Dynastia* II. a *Sorē*
- XI. conditur, annisque 208. substitit. A. 3290 *Dynastia* *Diospolitano-*  
*rum* I. incipit substititque a. 59. Hi ortum suum referebant ad
- IX. *Curudem*, non minus ac *Heracleopolita*, quorum *Dynastiam* I. a. 3319
- X. *Achthoes* auspiciatus est. Desiit illa a. 3419, quo *Dynastia* eorun-  
*dem* II. incipit incerto authore; substitit hæc annos 185. A. 3349
- XII. *Dynastiam* *Diospolitano-*rum II. incipit *Sezonchoru*, Amme  ulti-  
mi *Dynastiæ* I. principis filius. Duravit ea annos 160. A.  Dy-
- VI. *nastia* *Memphitarum* III, *Othois* auspiciis, conditur & per annos
- XVI. 217. substitit. A. 3414 *Tanitarum* *Dynastia* I. a *Ramessē* conditur,  
substititque annos 190, *Heliopolitano* regno destructo. *Pammus*  
decimus nonus a *Mene* Thebarum rex A. 3459. evertit *Dynastias*
- V. *Tbinitarum*, cujus reliquæ anno sequenti in *Dynastiam* *Elephantino-*  
*rum* coalescunt, quam *Usercheres* cum octo successoribus annis 248.  
composuerunt. Idem *Pammus* *Memphitas* a. 3485. armis sub-  
actos *Thebao* suo regno jungit. Nec *Thebarum* jugum excutere  
ipsis licet ante annum 3605, quo obiit *Nitocris*, quæ annis 12. regnum  
*Thebao-Memphiticum* obtinuerat. Interea a. 3509. *Dynastia* *Dios-*
- XIII. *politano-*rum III. oritur, annosque 184. substitit, sub 60. regibus.
- XIV. A. 3603 *Dynastia* *Xoisarum* erigitur, ea fini, ut *Pastores* a terminis  
*Ægypti* inferioris, in quam crebro incursionem faciebant, arceren-

tur. Substitit illa a. 184. Anno 3604 Pastores Arabes aut Phœnicii, destructis Dynastiis Heracleopolitana & Tanitica prioribus, Dynastiam PASTORUM seu Tanitarum II. condunt. Regnant Pastores VII annis 303. A. 3605 Memphitica Dynastiam suam IV incipiunt, sub LXX. regulis, quorum quilibet uno die imperat. Annum sequentem Dynastia V Memphitica natalem habet, subsistit, que sub 5. regibus seculo integro. Dynastia IV Diospolitianorum ab anno 3693 usque ad annum 3943 subsistit. A. 3706 Apophis IV Pastorum rex, Memphicos regnum exscindit, cum a Necherophe annis retro 740. conditum fuisset. Eodem anno Joseph Potiphari venditur. A. 3708 Elephantinorum, & a. 3687 Xoitaram Dynastia finiuntur. A. 3798 Joseph, Apophis & Tanis Pharaonum prorex, obit. A. 3907 Tanitarum II, seu Pastorum dynastia ab Alisphragmathosis ultimo IV. dynastia Diospolitianae principe, Thebanorum auxiliis uso, evertitur. Mutant hac ratione Israelitae dominum, non servitutum, donec A. 3943 Alisphragmathosis post regnum annorum 36. aquis maris rubri mergeretur, ejusque filius Amosis Dynastiam V Diospolitianorum ordiretur, ac Israelitae Aegypto egressi, legem in deserto acciperent.

Eo tempore, quo Delta Memphisque imperio Amosis subeant, Thebis summa rerum potiebatur Amuthanteus, rex a Mene trigessimus octavus. Sunt vero Thebe eadem cum magna Diospoli; unde homonymia deceptum Marshannum Thebos cum Diospolitianis, qui in parva Diospoli regiam sedem habebant, confudisse, & Amosum Amuthanteo successorem dedisse, Pezronius notat, cum tamen Amuthanteum LIII alii successores exceperint, quorum nomina Apollodorus annotaverat.

Dynastia V. Diospolitiana annis 393 juxta Josephum l. i. contra Apionem & Tertullianum Apolog. c. 19. substitit. Quapropter Pezronius annos regum, qui alias 333 conficerent, apud Josephum emendat, tribuitque Acenichevi primo annos 33 juxta Julium Africanum, Rhasori annos 39 juxta Eusebium, & Ramosi annos 11.

Dynastiam Diospolitianorum sextam exorsus est A. M. 4336 Sesebosis, qui Græcis Sesostris. Atque hujus frater Danaus successit Sesebosis Argivorum regi, tribus seculis ante Ilii excidium. Unde graviter fert Pezronius, quod Marshannus, (cujus uti ingenium

XVII.  
VII.

XIX.  
XV.

XVIII.

XIX.

variāque lectionem merito veneratur, ita lapsus, quos putat, libere notat.) *Sesbosis* vel *Sesoftris* cum *Sesac*, aut *Sesomboside*, vel *Sezonchi* Roboami coætaneo confuderit, cum quatuor seculis *Sesoftris* *Sezonchi* antiquior sit, illeque *Dynastiam* XIX, seu VI *Diospolitanorum*, hic *XXII Bubastitarum* auspicatus fuerit.

XX.

XXI.

Cum vero *Diospolitanorum Dynastia* VI. annis 234 florisset, secuta est A. 4570 VII. seu ultima eorundem *Dynastia*, quæ reges 12, annos 178 complectitur. *Dynastia Tanitarum* III. in illius locum successit a. 4748 autore *Smende*, cujus successor *Pfusennes* I. est Pharaon Salomonis focer, 3. Reg. IX, 16. memoratus. *Pfusennes* II. eam finiit, quem A. M. 4878, anno Salomonis 66, *Bubastitzæ* imperio exuerunt. Inter *Bubastitas*, qui *Dynastiam* XXII. annis 120. constituerunt, primum locum obtinet *Sezonchis* seu *Sesac*, ex 3. Reg. XI, 40. XIV, 25. notissimus.

XXIII.

XXIV.

Anno demum 4998 jugum *Bubastitarum Tanita* excusserunt, & hinc *quarta* illorum *Dynastia* usque ad annum 5087 continuata fuit. At tunc sub *Gnephato* & *Bocchori Dynastia Saurum* cœpit, quæ finem habuit a. 5131, cum *Sabbacon* Æthiopum Arabumve Rex, capto & combusto *Bocchori*, everisq; *Thebis*, (quas *Nabum* c. III, 8. *No-Ammon*, h. e. habitationem *Jovis Hammonis*, vel *Διόπολις* appellat,) *Dynastiam Æthiopum* auspicatus est. Constat ea generationibus III, annis 44. *Sabbacon* anno regni 12 in Ægypti imperium *Sue* vel *Suecho*, qui 4. Reg. XVII, 4. *So* vel *Sua* audit, reliquit, in Æthiopiam reversus. Moritur *Suechus* a. regni 12. successorem natus *Taracam* filium, ad quem *Ezechias* nuncios misit, ut secum societatem belli contra *Senacheribum* iniret. Consentit *Taraca*, & contra *Senacheribum* arma movet, sed vincitur. Unde nil emolumenti ad Judæos ex Ægyptiorum auxiliis redundat, *Esai. XXX. XXXI.* Frustra dein *Pelusium*, & mox *Hierosolymanas* obsedit *Assyriorum* Rex. *Taraca* anno regni 20. obiit. Quo audito *Sabbacon* rediit & Ægypti imperium suscepit annis adhuc sex. Unde *Herodoto* 50. annis imperasse memoratur. Circa regiminis sui finem vidit *Nechaonem* I. Regem *Saurum*, obiitque a. 5181.

XXV.

Sed paulo ante alia duo regna in Ægypto exorta fuerat. Cum enim A. 5131 Æthiopes in Ægyptum excurrissent, imperitabat *Memphi* *Abyssis* quidam, sed advenis illis se imparem sentiens, in palu-

in palustria aufugiebat. At duodecennio post, cum Sabbacon *Ægypto* discessisset, postliminio ad thronum rediit. Mortuus tandem *Setbonem* Vulcani sacerdotem successorem habuit a. 516 circiter. Eodem tempore *Stephinales Dynastia Saitarum II.* fundamenta jacit, dum *Memphis* Anyfis, Sue *Tanis* tenerent. *Stephinate* Excipit a. 5166 *Nechepfos*, Taracæ & Sethonis coætanus. *Nechepson* sequitur *Nehao I.* a. 5172, sed a. 5180 a Sabbacone victus trucidatur. Sabbacone mortuo, totius *Delta* regnum, in tres hæctenus *Dynastias* discriptum, solus *Sethon* occupat. Moritur a. 5186. Post anarchiam 2. annorum, *XII Nomarcha* constituuntur. Hæc vero regiminis forma sublata est a. 5202, quo *Psammetichus*, qui post patris *Nehaonis I.* cædem in *Syriam* aufugerat, vertente autem tempore *Nomarcha Saitarum* evaserat, ab *Ionibus & Caribus* adjunctus *Collegas Ægypto* expellit, & ex *Nomarcha Monarcha totius Ægypti* fit. Et hoc quidem tempore *Dynastia XXIII* aut nata aut renata fuit. Successit a. 5257 illius filius *Nehao II.*, de quo vide 2. *Paral. XXXV. 4. Reg. XXIII, XXIV. Jerem. XLVI. &c.* Regnavit annos 16. Hujus filius *Psammi* vel *Psammutibis* r. a. 9. & successorem habuit *Apriem* vel *Vaphrem*, *Jer. XLIV, 30. Ezech. XXIX. 3. XXXI. &c.* memoratum. *Partamis*, aut, si mavis, *Amosis* eum regno & vita privavit. *Amoseos* filius *Psammenitus* vel *Psammiacherites* paria passus est a *Cambyse* a. 5348, unde *Perfarum Dynastia* incipit. Notissimi sunt hujus successores *Smerdes*, *Darius Hytaspis*, *Xerxes*, *Artaxerxes Longimanus*, *Xerxes II.* & *Sogdianus*, Longimani filii, *Darius* denique *Nosbus*, sub quo a. 5460 *Amyrtæus*, *Perfarum* jugo abjecto, *Saitarum tertiam Dynastiam* est exorsus, sed & post sexennium morte sua finiit. Sequitur a. 5466 *Dynastia* quatuor regum *Mendesiorum*, annorum 32. Ultima tandem *Dynastia Sebampsarum* auspiciis *Nehanebi I.* a. 5498, incipit, destruiturque a *Dario Osbo* Rege *Perfarum*, A. M. 5523, anno a *Menis* imperio 2619, a. 3 *Olymp. CVII, a. 19. ante Monarchiam Alexandri*, anno 350 ante *æram Christi*.

XXVI.

XXVII.

XXIIIX.

XXIX.

XXX.

Capite XIV *Chinensium* antiquitatem indagat Auctor, ducem ubique sequutus *Martinum Jesuitam*, qui *Historia Sinica* decade omnium, qui usque ad *Christi* nativitatem *Sinarum* imperium tenuerunt, vitas enarravit. Patet hinc, *Fobi* cum septem successoribus re-

bus regnasse annis 745, potro familiam *Hiaa* imperasse annis 441, familiam *Xanga* annis 644, familiam *Cbeva* a. 876, familiam *Cyna* annis 40, familiam *Hana* annis 460, familiam *Cyna* annis 155, familiam *Tanga* a. 209, familiam *Haytai* a. 305, familiam *Sunga* a. 355, familiam *Ivena* a. 90, familiam *Tatminga* a. 276. Consciunt numeri isti summam annorum 4596. Cumque *Zunchin* ultimus Taimingicæ familiæ princeps, mortem sibi intulerit A. C. 1644, subtracto hoc numero abs 4596, patebit Monarchiam Chinesem jam annis 2952 ante Christi æram, adeoque *anno mundi 2921* conditam esse.

Ex iis ergo, quæ tribus his capitibus de *Babyloniorum*, *Ægyptiorum*, *Chinensiumque* antiquitate disseruit, concludit Autor, aut LXXviralem Hebræo calculo præferendam esse, aut de universa Chronologia sacra atque profana conclamatum iri. Sed de hoc viderint alii. Nos heic nil monendum putamus, nisi quod nomina propria Chaldæorum, Ægyptiorum, Sinensium, eadem ratione exscripserimus, quæ Autori ista scribere placuit, quamvis *varias* eorundem, sæpe etiam probatioris forte, *lectiones* haudquaquam ignoraverimus.

Restant capita duo. Capite XV ratio redditur, cur universi pene priorum seculorum Patres, finem mundi propinquum esse sibi persuaserint, faverintque Chiliasmo: quia nimirum opinioni Judaicæ innutriti fuerint, mundum post sex millia annorum periturum, quemadmodum diebus sex creatus fuerit, unoque millenario post piis traditum iri regnum terrestræ Hierosolymitanum: Putarunt ergo Christiani universi, finem sex millium annorum jam suo ævo instare, quod non fecissent, si calculo Hebræorum Bibliorum consensissent. Clarissime sane *Origenes* dialogo contra Marcionitas: *itaque* inquit, *sexies millesimo anno descendit* (Servator) *postquam ille conditor hominum sinxerat*, *μετὰ τὴν πλάσασα τὸν ἄνθρωπον ἕξ αἰώνων ἑξακωχίλων ἔτι κατῆλθε*.

Capite denique XVI brevissime totius libri argumentum repetitur, adjectis tum conjectura, *R. Akibam* Aquilæ magistrum codicum Ebræorum numeros corrupisse, tum elogio LXX, interpretum. Calci totius operis subjicitur *Canon Chronologicus a creatione mundi usque ad æram Christi portectus*, ubi synchronismus Patriarcharum ac

*rum ac Judaeorum cum Assyriis, Aegyptiis, Chinenfibus, Mediis porro, Persis, Graecis ac Romanis ex hypothefibus Autoris clariffime monftratur, ac tum annus mundi, tum annus ante aetam Chrifti ex utroque latere cuilibet additur,*

## JUDICIA ERUDITORVM DE SYMBOLO

*Athanasiano; studiose collecta & inter se collata  
a Wilhelmo Ernesto Tenzelio:*

Francofarti & Lipsiae, apud Aug. Boetium, 1687, in 12.

Postquam in praefatione clarissimus Auctor dixerat de praestantia usque Symboli Athanasiani in prisca & recenti Ecclesia, ac ejusdem versiones Germanicas, tam manuscriptas in Bibliotheca Vindobonensi, Lipsiensi & Gothana residuas, quam impressas indicaverat; rationem instituti sui exponit; ut varias eruditorum opiniones de Symboli auctore exquirat; ultimumque judicium Lectori relinquat; tum in duas sectiones totam tractationem dividit, quarum altera argumenta externa, altera interna complectitur,

In priori sectione profert primum testimonia scriptorum quarti & quinti seculi, pro *γνησιότητι* symboli allegari solita, cum negantium responsionibus; nempe Hilarii Pictaviensis, Gregorii Nazianzeni, Damasi Papae, Gaudentii Brixienfis, Augustini, & Concilii Chalcedonensis; ubi simul de singulorum locorum & librorum veritate dispicit, quod etiam in sequentium seculorum auctoribus facit. Monet enim eos, qui Symbolum Athanasio tribuunt, novam quasi illius epocham auspiciari a concilio Toletano quarto, a quo primum in lucem prolatum sit. Qua sententia excussa, de confessione illius concilii, Psalterio Gregorii Magni, epistola Isidori Hispalensis, canone synodi Augustodunensis, synodi Herudfordiensis confessione, commentario in Boetium Bedae supposito, tanquam septimi seculi scriptoribus agit. Dehinc ad octavum & sequentia ante reformationem secula progressum faciens, praescriptione perpetua negantem partem uti observat adversus illarum aetatum homines, quippe in critica ecclesiastica non satis versatos.

Y y y 3

Quo



Quo præsupposito, suffragia Caroli Magni, Ahytonis Basileensis, Anonymi apud Sirmondum, Theodulfi Aurelianensis, Agobardi Lugdunensis, Friderici Ultrajectini, Ansharii Hamburgensis, Rathramni Corbeiensis, Aeneæ Parisiensis, Hincmari Rhemenfis, Otrfridi Weissenburgensis, Abbonis Floriacensis, Ratherii Leodicensis, Æthelstani Regis Anglorum, Gualdonis Corbeiensis, Brunonis Herbipolensis, Joannis Cyparissiotæ, Henrici Brunsvicensis, Joannis Belethi, Nicolai Hydruntini, Apocriphariorum Gregorii noni, Manuelis Calecæ, Guilielmi Durandi, Ludovici IX Galliarum Regis, Thomæ Aquinatis, Eugenii Papæ, Georgii Scholarii, ac Joannis Plusiadani summam colligit, singulorumque verba producit. Posthæ Pontificiorum, Lutheranorum, Reformato- rum, Arminianorum, Socinianorum & aliorum recentiorum sententiam suggerit, ac Baronii de communi ecclesiarum consensu adsertum examinat. Denique negantium argumentum inficiale subjungit, partim a silentio ipsius Athanasii, partim aliorum ejusdem vel sequentis seculi, petitum, ac Baronium cum Quenellio, Caballutio & Alexandro committit, ostenditque, ex veterum silentio fluctuationem agentium oriri, qua tempus locumque symboli ab Athanasio conscripti, diversimode assignant; tum ab Oudino, Vossio & aliis argumentum illud nimis extendi, dum ille Hincmarum, hic Apocripharios Gregorii IX. symboli sub Athanasii nomine primum meminisse volunt, additque Græcorum responsiones ad auctoritatem illius sibi a Latinis objectam.

In posteriori sectione tria tractat argumenta interna, a tempore, stylo & dogmatis desumi solita. Ad primum pertinet, quod Nestorii Eutychetisque, Athanasio utique recentiorum, errores Symbolo profligari volunt Carpzovius, Quenellius, & alii. Sed diversimode respondent Cornerus, ac Maimburgius. Ad alterum spectat, quod diversitatem styli allegant Vossius, Petavius, Quenellius, pluresque. Symbolum enim Latini, non Græci hominis est, Græcæque exemplaria plurimum variant. Cum autem controversum sit, an Latine sciverit Athanasius, auctor id variis argumentis adfirmat, & Cardinalis Bonæ observationem adjicit, qua Eusebius Vercellensis Athanasio in Symbolo sive componendo sive transferendo adjutor fuisse traditur. Deinde de Pelargi, Camera-rii aliq-

rii aliorumque argumento disputat, quo symbolum Athanasio abjudicant, propter diversum vocum ἁγίας & ὑπεράσπεως usum. Ad tertium facit, quod cæteri quidem omnes fatentur, symbolum Athanasii cum doctrina ejus apprime consentire, soli autem Socii Arriique ad seclæ diversitatem extrahere eonantur. Propterea Wolzogenii, Sandii & Cingalli, ( qui idem Sandius est ) adserta expendit, & Combessii ac Cabassutii objectiones diluit, quorum alter observat, dictum Christi: *Pater major me est*, in symbolo non eodem modo explicari, quo in Athanasii oratione II. adversus Arianos; alter vero omissionem vocis ἐμὸς πατήρ turget, cui Athanasius, utpote præcipuus ejus adsertor, in Symbolo fidei a se edito omnino locum dedisset. Denique varias de Symboli auctore illorum conjecturas explorat, qui Athanasio id abjudicant; alii Eusebium Vercellensem, alii Anastasium, alii Athanasium Spirenses, alii hominem Gallum vel Hispanum, alii Vigilium Tapsensem substituunt. Singulorum opiniones prolixè discutit Auctor, & in fine plures Diatribas pari methodo pertractatas promittit, si hæc non displicuisse eruditioribus animadverterit.

### ADMIRANDI ARCHIMEDIS SYRACUSANI

*Monumenta omnia Mathematica, ex traditione doctissimi viri, D. Francisci Maurolici.*

Patormi, apud D. Cyllenium Hesperium, 1685, fol.

**I**nter cætera *Francisci Maurolici*, Abbatis quondam Messanenensis clarissimi, *avéxδρα*, (quorum non pauca fuisse, cum ex ipsius *Maurolici Cosmographia & Opusculis*, citante *Ricciolo in Chronico Astronomorum, Alm. Tomo primo*, tum literis *P. Caroli de Balsamo, Soc. Jesu*, operi præsentis præmissis, cognoscere licet,) delituere hætenus & lucubrationes in Archimedis Syracusani opera, quæ Autor hic peculiari suo studio recensuit & illustravit. Devenierunt autem ex ante annos plus minus viginti in manus cujusdam *Laurentii Tomasi* Messanenensis, tum quidem aromatarii, sed literis deditissimi: qui sub auspiciis, partim etiam sumtu, Senatus patrii, studio vero *Jo. Alphonsi Borelli*, insignis mathematici, præcipue adjutus, editionem Operis

Operis anno 1670 adornare cœpit: postquam scilicet idem *Borellus* ex indultis sibi a Senatu Mamertino quibusdam aliis *Maurolici* scriptionibus, commentaria hujus in Apollonii Conica jam edidisset.

Procedebat interea editio, ut anno 1672 de novem tractatibus, (in tot enim *Maurolicus* Archimedeæ digesserat) sex priores typis extarent: cum malo operis & suo *Borellus*, invidia & calumniis inimicorum petitus, vitæ licet integer, Siculum vertere solum coactus est. Et hic quidem incertum, an suo ingenio, an ex commentationibus aliorum, septimum tractatum, (nam ex manuscripto *Maurolici* sex omnino priores *Tomasus* possidebat,) de numero arena Romæ supplevit; morte tamen præventus, postremos duos, quod facturus erat, perficere non potuit. Hæere interim impressi libri per turbas Siculas insequentium annorum eoque p̄nes *Tomasum*, donec Hispanis Messana rursus potitis, ipse sibi metuens, cum classe Gallica Sicilia excederet, siccoque regio, cum cætera profugorum suppellestile, & has schedas occupandas relinqueret. Hæ Panormum postea devertit, naufragio pleræque periere: quæ cladi superfuerunt exempla, unum alterumque, deinceps a D. *Cyllenio Hesperio* redempta sunt.

Ex his novam editionem Panormi ab anno 1680 molitus laudatus modo D. *Cyllenius*, cum supra omnem curam adhibitam de supplemento postremorum tractatum nihil quicquam indipisci posset, superstites sex typis denuo commisit; loco trium postremorum *arenarium*, & binos de *insidentibus humido* libros, juxta textum *Archimedi*, ex *Commandini* interpretatione, una cum exoticis illius tractatibus ex eodem *Commandino* & *Rivalto*, subjunxit,

Cæterum operi huic concinnando ansam cum primis dedisse commentatorem Archimedis non incelebrem, *Eutocium Ascalonitam*, *Maurolicus* in proœmio profitetur. Hujus enim, in libros de *circuli dimensione*, *sphæra & cylindro*, *equiponderantibus*, commentariis, cum multa, plus obscuritatis, quam aut jucunditatis aut utilitatis habentia, nec ad explicandum autorem conducentia, intermixta perspiceret *Autor* noster, conatus est faciliore rem via aggredi; & juvandi intellectus causa multa lemmata adjicere; multa ab *Archimede* omissa, tum ipsa principia, quæ difficultatis aliquid habere credi poterant, demonstrare. Hujus gratia Archimedeis tractatibus

tractatibus præparationem quandam præmittit, in qua præter principiorum demonstrationem, & duarum mediarum proportionalium inventionem, juxta veterum, *Heronis, Apollonii, Pappi, Diocli, Platonis, Erastosthenis, Menachmi, Archyta* placita tradit. Tractatum primum est de circuli dimensione, cujus 12 propositionibus tetragonismum *Hippocrati*, suumque duplicem subnectit: secundus de sphaera & cylindro, cujus propositiones 38 pleræq; aliæ ab *Archimedeis*: tertius de momentis aequalibus, quem in libros quatuor distribuit, 1 doctrinam gravium universalem; 2 centra gravitatis planorum; 3 parabolæ; 4 solidorum, argumentum ab *Archimede* omissum, explicantes. Quartus de quadratura parabolæ: quintus de spiritalibus: sextus de conoidibus & spheroidibus. In his excepto quarto & quinto, multa *Archimedi* ommissa, plura omissis reposita, ipsumque adeo demonstrandi nexum & ordinem *Maurolico* peculiarem Lector facile, ex collatione cum aliis *Archimedi* editoribus, comperiet. Liber vero octavus & nonus, qui in hac editio ne sunt de insidentibus humido, *Maurolico* futuri erant, prior quidem *περί ἰσοπεριμέτρων*, *Theoni Alexandrino*; posterior *περί κατοπτρῶν καυτηρῶν*, *Ptolemao* ab aliis verius ascripti, uti ex *Proæmio Autoris* constat.

TENTAMINA ARITHMETICO - POLITICA  
circa amplitudinem Civitatis Londinensis, facta a *Wilhelmo Pesty*, Equite ac Societatis Regiæ consorti.

Ex *Transact. Philos. Angl.* M. Septemb. & M. Decemb.  
1686. pag. 152. & 237. seq.

EDiderat ingeniosissimus Autor anno superiori Tractatum Gallicum, cui titulus: *Deux essais d'Arithmétique politique touchant les villes & hospitaux de Londres & de Paris, sive, Duo Specimina Arithmetica politica circa civitates & nosocomia Londinensium & Parisiensium, Londini apud Franc. Vaillant in 4.* cujus recensioem videre est in *Novell. Reipubl. Liter. M. Octob. 1686. pag. 114 seq.* Probare in eo præprimis intenderat, Londino inter eas, quæ nunc sunt, civitates jure prærogativam deberi, etiam præ *Lutetia* (utut hæc commu;

communiter tam ab indigenis, quam exteris pro urbium principe venditur) partim ob multitudinem populi, partim ob ædium numerum, partim ob opulentiam. Et *primum* quidem horum evincere voluerat ex utriusque civitatis catalogis emortalibus invicem comparatis, e quibus patere queat, æque numerosos esse Londini incolas, quam Lutetiæ & Rotomagi simul sumtarum. *Secundo* ædificiorum multitudinem Londini majorem esse ostendere conatus fuerat ex catastris census, qui de singulis caminis Londini penditur: ex his enim majorem multo ædium numerum perspicere, quam de Parisiensi urbe optimi ejus gentis scriptores tradere soleant. Denique *tertio* pro demonstranda majori Londinensium opulentia argumenta petierat, cum a præcellentia vigentis ibi negociationis; tum a processibus forensibus; tum etiam ex indicibus Libitinariis utriusque civitatis, e quibus nempe perspicere valeat,  $\frac{2}{3}$  partes populi Parisiensis pauperis adeo conditionis esse, ut malint in nosocomiis emori, quam domi suæ propriis sumptibus victitare; æc tertiam istorum incolarum partem ex miserissimo isto xenodochio quod *l' Hostel-Dieu* vocatur, quotannis fere efferri solere: cum e diverso Londinensium incolarum vix unus e quinquaginta soleat intra nosocomia vitam finire. Hæc, inquam, præcipua contenta fuere libri antehac a Nostro editi; qui cum non omni ex parte ad palatum nationis Gallicæ factus esset, uni alterique ex eruditis ejus gentis occasionem dedit, dicam Nostro impingendi: præ aliis vero *Clarissimus Auzutus*, prolixis literis Roma perscriptis ejusdem asserta convellere annisus est. Tametsi enim fallus fuerit, *Londinum* ejusque partes *Westmunster* & *Southwark* cum ædibus contiguas, ad æquare posse Lutetiam cum suburbiis suis: attamen pernegavit, domus in tabulis publicis Londinensibus consignatas tantam populi multitudinem continere, quantam Lutetia cum Rotomago junctim efficiat: quin potius causatus est, diversas in tabulis istis una comprehendi parochias, quæ Londinensi urbi haud contiguæ, sed notabili ab ea spatio distat, in istam computationem venire non deberent. His ergo objectionibus obviam iturus Noster, per pleniorum deductionem evincere posthæc satagit, se non tantum de copia incolarum Londinensium nihil ultra modum debitum asseruisse; sed potius iusto adhuc parcius de ea locutum esse, cum *Londinum*

numa

num non solum hac in parte Lutetia & Rotomago, sed plane Lutetia, Rotomago & Romae hodiernae simul sumtis paria facere queat. Utitur vero talibus computandi mediis, quae ab Auzuto ipso adhibita & allegata fuere; partim nempe petitis e catastris authenticis, partim e catalogis funeralibus. Quoad Parisiensem itaque civitatem ad *primum* supputandi modum largitur Auzoto, ibidem esse 23223 domos, in earum qualibet (excessu cum defectu compensato) degere 31 familias, ut sic emergant familiae 81280; quamlibet vero harum sex capitibus constare, adeoque universi populi numerum provenire 487680. Rursus juxta *alteram* computandi viam, eidem concedit, Lutetiae indices funerales unius anni mortuos continere 19887; ab eoque numero deduci patitur 3506, qui in nosocomio, quod *l'Hotel-Dieu* vocant, decesserint, quasi praeter necessitatem & ob solam aegrorum incommodam tractationem defunctos, ut sic remaneant 16381: sic supposito (non ex 25 hominibus, ut Auzoto placuerat, sed saltem) ex 30 unum quotannis regulariter decedere, adeoque priori illo numero 16381 per 30 multiplicato, emergit Parisiensium universorum summa 491430. Jam si inter primam illam & secundam hanc computandi viam, seu inter 487680 & 491430 medius numerus quaeratur, proveniunt 488055. Et hactenus quidem de Lutetia juxta ipsam Auzuti hypothesein. Jam populi etiam Londinensis summam eadem ratione indagat Noster: nimirum quoad *priorem* connumerandi methodum ad fidem tabularum censualium asserit, Londinum habere in universum domos 105315; supponit, decimam saltem harum partem binas alere familias, ita ut familiae per additionem partis decimae seu 10531 emergant 115846; denique his juxta suppositum capitum in qualibet familia numerum per 6 multiplicatis, prodit collectum totale 695076. Deinde secundum *posteriorem* computandi viam a catalogis sepulchralibus desumptam praesupponit Londini per annum mortuos esse fere numero 23212: hi si admodum supra dictum per 30 multiplicentur, prodeunt 696360 pro universi populi summa. Jam si rursus inter hos 696360 & priores illos 695076 media proportio eruatur, manebunt 695718. Quamvis itaque largiatur Auzoto, *Parisiu* degere per superius tradita homines 488055, *Rotomagi* juxta ejusdem postulatam 80000, *Roma* denique, prout

dem perhibuerat, 12 5000; tamen his tribus numeris in unum collectis prodeunt saltem 693055, quæ utut a Londinensibus illis 695718 subtrahantur, nihilominus remanent superflua 2663. Denique ad objectionem illam, ac si parochiæ quædam Londino non contiguæ in tabulis publicis præter rem admiscerentur, respondetur, tres modo tales parochias esse, quæ colorem aliqualem distantie præbere valeant, nempe *Islington, Newington & Hackney*; ac hæc olim quidem aliquantum ab urbe distitas, a 50 tamen abhinc annis ob multiplicatum interim novarum ædium numerum moli civitatis tam arcte junctas esse, ut regia autoritate adscribi meruerint catastris Londinensibus; neque jam majorem superesse ullibi distantiam, quam quæ permittat vocem clamantis ex una domo in altera vicina exaudiri. Ne tamen hac ex parte ullam elabendi rimam adversario indulgeat, permittit, ut tres istæ parochiæ a reliquo corpore subducantur, cum e catalogis funerariis manifestum sit, homines ibi degentes vix  $\frac{2}{52}$  Londinensium partem facere: parte vero quinquagesima secunda a summa illa 695718 subtracta, nihilominus numerum remanere, qui Parisiensium & Rotomagensium una sumtorum multitudinem transcendat integris 114284. Sub finem denique annectit diversas assertiones e supradictis pro parte elicitas: nimirum I. Londinum solum paria facere Lutetiæ, Rotomago & Romæ simul sumtis. II. Londinum, Bristolium & Dublinum æquare posse Lutetiam, Amstelodamum & Venetias. III. Londinensem civitatem solam collatam cum Amstelodamo, Venetiis & Rotomago se habere ut 7 ad 4. IV. Londinum cum Bristolio adæquare Gallie civitates quatuor quaslibet. V. Dublinum probabiliter haud cedere optimæ cuilibet civitati secundæ in quovis Regno aut statu inter Christianos. VI. Londinum, quantum quidem appareat, maximam in orbe civitatem, at manifesto maximum omnium emporium esse.

\* \* \*

Consulto nolumus in numeris ab Autore in ipso Transactionum textu positis quidquam immutare. Non possumus tamen non monere, computationem (incertum cujus culpa) non ubique accurate expressam fuisse; utut error talis sit, qui principali Autoris sco-

ris scopo omnino præjudicare nequeat. Nimirum e duabus summis populum Parisiensem emetientibus 487680 & 491430 numerus, medius elicitur non 488055, uti positum fuerat, sed 489555. His consequenter, ubi Lutetiæ, Rotomagi & Romæ incolæ in unum computantur, loco 693055 emergunt 694555; quæ si subtrahantur a medio Londinensium numero 695718, remanent non 2663, sed tantum 1163. Et rursus si a dicta Londinensium summa subducatur ob tres illas Parochias pars quinquagesima secunda, ac dein collectus numerus Parisiensium & Rotomagensium, quod reliquum manet, non est 114284, uti in textu extat, verum 112784. Unde evidens est, Autoris quidem intentioni hoc pacto nihil decedere; sed tantummodo minorem aliquanto numerum manere residuum.

**THEODORI MOHR, CIVIT. VVERNIGEROD.**

*Secretarii, tractatio synoptica de duobus  
Reis.*

Helmstadii, sumptibus Henrici Hessii, 1687, in 4.

**N**on est, cur multi sumus in adornanda præsentis tractatus recensione, cum docta quidem & proficua quamphurima, novè tamen nihil contineat, nisi forte methodum in eo concinnando adhibitam: certe ejus Autor præter congestionis & digestionis operam de eo nil sibimet arrogat. Nimirum ex optimis probatissimisque tam antiquorum quam recentium Jurisconsultorum scriptis, ea compilare ac in certum ordinem redigere satagit, quæ ad materiam hanc, difficiliorem sane & plurimis involutam tricis, spectare visa fuere. Labori occasionem dedit disputatio academica, ab autore ante hos 35 annos Jenæ de hoc ipso themate proposita utut imperfecte, cum in ea non nisi debendi reos attigerit, ac d, iis quidem non nisi primas duxerit lineas; eo quod operi tum temporis ad umbilicum perducendoparem semet haud crederet, cum in pensitanda hac obligatione correali plus difficultatis, quam sibi ab initio fuerat pollicitus, offendisset. Succedente dein tempore, stimulatus cupidine telam hanc suam absolvendi, ea annotare & in unum conferre cumulum allaboravit, quæ hac de re quotidiana



autorum lectio ipsi suggessit, (Ronchegalli præfertim, unius pro-  
 pmodum, qui de hac materia ex professo scripserit, quique adeo  
 in singulis fere paginis hic allegatus occurrit) unde tandem tracta-  
 tus hic enatus est, decem omnino capitibus constans, & ob ordi-  
 nem in eo disponendo servatum lectu nequaquam injucundus; ju-  
 cundior adhuc dubio procul futurus, nisi ob autoris absentiam ejus  
 textus undique nimio sphalmatum agmine misere scateret. Præ-  
 mittitur consultissimi Eichelii præfatio operis commendatoria, ubi  
 partim de methodi servatæ concinnitate, partim de scriptorum;  
 qui hanc juris nostri partem pertractarint, paucitate differt: in-  
 ter alia de Ronchegallo quoque fert judicium, eum quidem nec in-  
 docte, nec ineleganter de hoc themate scripsisse, nec materiæ huic  
 subtili enucleandæ & extricandæ imparem fuisse: ast nimis esse pro-  
 lixum & multa ἀλλότρια eo plane non spectantia admiscere, ordi-  
 nem quoque, aut propositum, aut congruum non undiquaque ser-  
 vare, nimium denique esse in congerendis plurimis authoritatibus  
 Doctorum, quibus omnem rem, more & olim & hodie usitato, con-  
 fici sibi persuaserit. Cæterum protestatur Autor, tractatum hunc,  
 velut privato tantum usui congestum, intra scrinia forte sepultum  
 quasi mansurum fuisse, nisi ejusdem editionem eliciissent partim  
 amicorum preces, partim malevolorum quorundam dicteria feren-  
 tium, autorem officio, quod jam per 34 annos sustinuit, ulterius  
 condigne administrando ob deficientes per ætatem vires parem am-  
 plius haud esse. Consultum proinde credidit ad Lectoris judici-  
 um hoc in negotio ope speciminis sic expositi provocare, exemplo  
 Sophoclis, de quo Tullius in Catoe majore sequentia refert: *Sophocles ad summam senectutem tragœdias fecit; qui propter studium  
 cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus  
 est, ut quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bo-  
 nis interdici solet, sic illum, quasi desipientem a re familiari remove-  
 rent judices: tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus ha-  
 bebat & proxime scripserat, Oedipum Coloneum recitasse judicibus,  
 quassisseque num illud carmen desipientis videretur; quo recitato sen-  
 sentiis judicum est liberatus.* Pari itaque modo æqui lectoris cal-  
 culo semet absolutum iri, perlustrato hoc libro, Noster sibi spon-  
 det.

*VOYAGE DE SVISSE, D' ITALIE, ET DE  
quelques endroits d' Allemagne & de France es années 1685  
& 1686, par M. Burnet D. en Tb.*

id est

**Gilberti Burneti, Doctoris Theologi iter in Helvetios & in Italiam, partesque quasdam Germaniæ & Galliæ, annis 1685 & 1686 susceptum, cum illustribus alicujus Viri annotationibus de Helvetiis & de Italia.**

**Roterodami, apud Abr. Acher. Editio Germanica  
prostat Lipsiæ apud Gleditschium, 1687, in 12.**

**N**Equè de Autore, neque de librorum hodieporicorum utilitate & jucunditate præfari nos hic multa opus est; illum enim nec fama latere patitur, & Acta nostra jam sæpius celebrarunt; hanc omnes agnoscunt. Constat tamen ex brevi hoc libello, Italico primum idiomate edito, post in Gallicum, & nunc etiam in Germanicum traducto, quantum intersit, quo sine, quo apparatu, quo judicio, qua industria itinera fiant, aut describantur. Aliter nempe alioque successu & emolumento peregrinantur juvenes, aliter viri, aliter docti, aliter indocti; aliter bene morati & graves, aliter leves & voluptuosi; aliter locupletes & honorati, aliter tenues & viles. Cum vero Autori clarissimo insignia adsint adminicula, quibus instructus iter istud, brevi licet tempore, cum egregio profectu expedire, & quæ in eo observavit, publicare potuerit, factum inde est, si quid judicamus, ut liber hic, quamvis exigux molis, inter æstimatissimos haud dubie sit futurus. Idem tamen materiæ egregiarum conferta multitudinè, compendiosam enarrationem difficilem reddit, dubiumque qui eam aggreditur relinquit, quid excerpere, quid omittere debeat, cum nihil non pulchrum & notatu dignum videatur. Incipit autem Autor relationem suam, quam in quinque epistolas divisit, ab itinere Gallico, quod Lutetia Lugdunum versus ingressus fuit, de quo præter summam egestatem in vicis & oppidis undique apparentem, parum annotavit. Lugdunum in-

ni inscriptionem ab aliis, ut notat, neglectam observavit (pag. 5.) in qua maritus Cœcalius Calistio de uxore sua Sutia Anthede queritur, quod dum *nimia* (ita latinitate jam corrupta scriptum est,) *pia esset*, i. e. nimium & superstitiose pia, *impia facta* sit: quod de Christianismo, qui illo tempore pro impietate & crimine erat, intelligendum esse censet. Gratianopoli *Vegetii* librum MS. invenit, ex quo lucem accipere putat locum de statura militum, qui in editis obscurus est, dum legitur: *Scio semper mensuram a Mario consule exactam*. Sed in MS. illo non invenitur *to a*, & pro Mario extat III, unde *aliquis Mario*, & ex C. consule efficere potuit, cum legere debuisset, mensuram III. C. i. e. *trium cubitorum exactam*. Ex *Genevensibus* rebus, præteritis ut semper facit, aut leviter tactis, quæ vulgata & aliis notata sunt, ut laude dignissimum celebrat & potentioribus civitatibus imitandum, quod in horreo publico semper annonæ duorum annorum conservetur, relicta tamen civibus libertate emendi ubicunque velint, solisque pistoribus & diversortis publicis assignata quadam portione, cum emolumento Reipubl. moderato, quod tamen intra aliquod tempus, ad magnam vim æris alieni dissolvendam suffecerit. Comparat inde Romanum institutum cum Genevensi isto. Romæ (ait) Pontifici omne frumentum provincie vendi debet. Pro modio quinque scutatos venditor accipit, sed lente; divenditur inde modius, Pontificis nomine, quinta sui parte minutus, & duplo pretio; sic fit, ut ærarium pro quinque solidis duodecim accipiat. Dein pistoribus singulis annis plus frumenti obtruditur, quam distrahere possint; quod autem residuum est, ærarium ab iis redimit primo illo quinque scutorum pretio. Explicatur hoc in annotationibus ab illustri (ut memorat) amico suppeditatis. Is enim p. 305. refert, Innocentio X Pontifici a fratris uxore (Olympiæ nomine satis famosa) inventum illud suggestum, & huc usque retentum a successoribus fuisse, magno fisci commodo, sed summa cum civium oppressione, & sine exemplo, cum plerique Principes & magistratus annonam plebi necessariam aut nullo aut levi tributo onerent. Hoc vero invento per annos triginta jam continuato, ita desolatam esse regionem Pontificiam scribit, ut magna agri pars, quia coli cum emolumento nequit, deserta jaceat. Sed Genevæ (ita narrat Burnetius) modico lucello

conten-

contentus est Magistratus. Cætera quæ apud Genevenfes laudabilia notat, sunt frugalitas publica, quæ ex stipendiorum tenuitate apparet; eruditorum multitudo, urbanitas civium, judiciorum publicorum rectitudo; leges optimæ, interque eas illa, quæ omnes fundi seu res soli, constituto licet inter emptorem & venditorem pretio, publicæ licitationi exponuntur, tum possessorum, tum creditorum commodo. Quæ de Reipublicæ forma, & de protectione, quam civitas ista a Bernatibus & Tigurinīs expectare debet, tum de periculo, in quo post acquisitum Galliæ (negligentibus Helvetiis) committatur Burgundiæ versantur, item de lacu Lemano ejusque piscatura, & alia plurima subjungit, omittimus. Tacendum tamen non est elogium, quo *Nicolaum Fatium Duillerium* extollit, quem annum licet non nisi vigesimum secundum agentem, primariis seculi nostri viris accenset, natumque esse arbitratur ad profereendam Philosophiam & Mathesin ultra omnes, quos unquam habuit, terminos. De Bernatium rebus prolixè tractat a p. 25. ad 86. Indicat potentiam Reipubl. quam plusquam tertiam Helvetiorum partem imperio suo complecti, & parœcias 450 habere refert. Multa laudat in regimine civili & ecclesiastico, id maxime, quod subditi non exhauriantur tributis, ideoque longe commodius majorique numero vivant, quam in florentissimis Galliæ & Italiæ regionibus. Unum fere reprehendit, quod præfecti oppidorum & pagorum, qui civitati subiecti sunt, ex multis colonorum, quæ illis pro salario cedunt, magnum lucrum capiant. Pensionum vero & fastionum mala, quæ in eligendis præfectis invaluerant, salutari lege nuper correctæ esse narrat. Civitatem ipsam parum munitam, securitatem suam quærere refert, tum in civium & colonorum numero & fortitudine, qui omnes arma tractant; tum, ut notum est, in vicinorum regum æmulatione in conservanda æqualiter Helveticæ gentis amicitia & societate. Monet tamen iterum aliquid de periculosa vicinia Gallici imperii in Burgundia. Insignem animadvertit differentiam in legibus circa sacra. Bernates enim & reliquas Helvetiorum civitates, quæ Reformatam religionem sequuntur, subditos, si qui ab illa discedunt, emigrare solum ex ditione sua jubent, sinuntque possessionibus suis vel frui, vel eas vendere, & pretium asportare. At sub Romano-Catholicis poena

capitis mutantibus religionem irrogatur. Hæc sævitia & olim & nuper discordiis & bellis inter civitates causam dedit; quæ tamen prudentia & moderatione procerum facile sopiuntur, concurrentibus ob securitatem Italiæ in conservanda pace & libertate Helvetica, ad quietam consilia etiam Pontificum Nuntius; suspensio nimirum zelo, quem alibi contra Protestantes ostentant. Occasione descriptionis templorum Bernensium, recenset historiam de Dominicanorum quorundam fraude, in fingenda apparitione B. M. Virginis, aliisque criminibus, propter quæ autores A. 1509 supplicio affecti fuerunt. Refert autem, se Acta authentica foliorum 130. minuto caractere scripta, diligenter legisse, & observasse, editiones typis vulgatas non satis accuratas & correctas esse. Nescimus tamen, an illam etiam intelligat, quam *Hottingerus* Part. V. Hist. Eccl. p. 334. & seqq. exhibet. Apud Rom. Cathol. *Friburgi in Uchelania* & alibi superstitionis summum gradum, & alia ejusmodi annotavit. *Tigurinorum* & politiam & ecclesiam, & largos in xenodochia erogatos sumtus valde commendat p. 95. & seqq. Ubi tamen conciones sacras quotidie haberi, & olim Missis quotidianis a Reformatoribus suffectas fuisse retulerat, consilium dat de abbreviandis illis concionibus; ita futurum esse ratus, ut populus frequentius accederet, & minori fastidio auscultaret. Addit rectius facturos concionatores, si primo instituto inhærentes, simplici expositioni Scripturæ operam darent; sic enim sensum ejus magis magisque (ait) allequentur, (quæ vera est scientia Ministri Evangelici,) laborem etiam minuent, quem longi & elaborati illi tanta cum molestia sermones requirunt, qui tamen ad populi profectum parum faciunt. In archivis Capituli Tigurini vidisse se testatur magnum numerum epistolarum Bullingeri, aliorumque egregiorum virorum. Subjungit quædam de dissidiis ob vestes sacerdotales, in Anglia inter Episcopales & Presbyterianos versantibus. Præteriri non debet relatio Autoris, p. 110. & seqq. de loco 1. Ep. Joh. V. 7: *tres sunt, qui testimonium perhibent in celo &c.* cuius causa Biblia MS. apud Helvetios & in Italia Auctor perferutatus est. Summa est: in Græcis. quæ vidit, non inveniri illum versiculum, neque in plerisque Latinis, licet 800 vel 900 annorum ætatem habeant; in aliqui-

aliquibus aliena manu adscriptum esse: reperiri autem in Genevensi codice, item in bibliotheca Veneta S. Marci & Florentina S. Laurentii, nec non in uno ex quatuor Argentoratensibus; transpositum in his omnibus esse post versiculum capituli octavum, eique connecti per voculam *sicut*. Miratur tamen etiam in illis ommissa esse, quibus Præfatio Hieronymi præfixa legitur, qua is hunc locum contra Arianos vindicat, & quod Erasmus istam præfationem editioni operum Hieronymi a se adornatæ non inseruerit, cum tamen illam in MS. Basileensi utique viderit, eademque in aliis plurimis reperiat. Obiter notat, in bibliotheca Vaticana antiquiores 400 annis codices Biblicos non haberi, excepto Græco, qui 1400 anni, sed ex conjecturis, tribuantur. Post digressionem hanc ad res Helveticas regressus, summis extollit laudibus benignitatem, quam Helvetii Reformati Gallis ob eandem religionem ex patria profugis exhibent. P. 120. memorat aliquid de dissensione inter Theologos Reformatos, circa quæstionem de universalitate meriti & gratiæ J. C. & alias, quas Autor speculativas vocat, quæ fundamentum religionis non tangant. Tigurini tamen & Bernates, postea & Genevenses, coegerunt omnes, qui ad ministerium ecclesiasticum vel scholasticum admitti cupiunt, subscribere formulæ cuidam, qua Amyraldi, Capelli, & sequacium sententia rejicitur. Improbat hoc ut curiosum in rebus parvi momenti, multoque magis, (etsi Theologos illarum urbium magni a se fieri dicat,) usurpationem juris, Deo solum competentis, cui dominium est in conscientias, & fatale esse Ecclesiæ existimat formularum talium inventum. Hæc *prima epistola* Tiguri Cal. Sept. 1685 data excerptimus.

In epistola II. haud vulgaris referuntur de *Grisonibus* sive Rhætis Alpini, & qui primas in illorum foedere tenet, *Curienf* Episcopo, itemque de libertate, qua in sacris & civilibus utuntur, ita tamen, ut singuli districtus uni tantum religioni addicti sint, sive Romanæ, sive reformatæ; qui enim ab alterutra desioiunt, patria excedere coguntur. Sequitur jucunda & accurata narratio de vallibus, quæ Grisonibus parent, *Telina, Clavenna & Barmia*, præsertim de motibus, qui in his religionis causa acciderunt, quibus Galliæ & Hispaniæ Reges & Pontifex Romanus impliciti fuerunt; item de

singulari istarum vallium amœnitate & fertilitate. Non æque felix situs esse dicit præfecturas Helveticas *Luganum* & alias adlacum Larium (Comensem hodie vel Majorem vocant) ex Mediolanensi Ducatu olim adquisitas; eas tamen frequentius, quam ulla Italiae regiones, ob regiminis in moderationem & libertatem populi coli tradit. At Insubriam provinciam, sive *Mediolanensem ducatum*, quanquam situs commoditate nulli cedat, tributorum tamen gravitate summe exhaustam & miserrimam esse narrat. Superbire interim urbem templis & monasteriis, eorumque magnificis magnique pretii vasis. Laudat & xenodochiorum & nosocomiorum structuras, opes & oconomiam, Bibliothecam *Ambrosianam* a Cardinali *Friderico Borromeo* collectam p. 121. notat numero quam selectu librorum potiore esse. Speciale aliquid observat de codicibus MS. Ambrosii, & de tractatu de *Sacramentis*. Novitatem Ritualis & Canonis Missatici inde colligit, quod Ritualia antiqua, & quæ Caroli M. ætatem multum præcedant, nullibi, ne in Vaticana quidem reperiantur; unde suspicari liceat, ad celandam mutationem suppressa fuisse. Antiquissimum Mediolanensis Bibliothecæ librum esse scribit, versionem Josephi a Ruffino conscriptam. Inserit aliquid, cujus oblitus fuerat in Genevensium rerum historia, de Valkieria virgine, quæ visu, cum infans esset, casu quodam fere prorsus orbata, doctissimam tamen multarumque artium experta sit, & quæ tactu literarum ex ligno formatarum scribere etiam didicerit. Hæc & alia exhibentur in epistola secunda, mense Octobri A. 1685 Mediolani data, quæ prima libelli pars finitur.

*Epistola III*, quæ prima est partis secundæ, Florentiæ data est Id. Novemb. 1685. Venetorum regionem ingressus Autor, melius aliis cultam atque habitatam observavit, sub mitiori scilicet imperio. Excipit tamen Patavium, quam urbem, amplissimam licet, vacuam fere habitatoribus esse refert, ob continuas incolarum factiones & inimicitias, qualibus etiam totam Venetorum ditionem affligi notat, quibus remedium aut non possit inveniri, aut non sit e re Veneti Senatus, ut inveniat. In S. Antonii ædícula versum notavit quem ut blasphemum taxat, in quo de sancto illo dicitur: *Exaudi, quos non audit & ipse Deus*. De urbe Veneta, præteritis, quæ trita sunt, rariora quædam commemorat. Bibliothecam, quam S. Mar-

ci vocant, non multum laudat, neque inter MS. Græca reperiri dicit, quæ quingentis annis vetustiora sint. Miratur quod de *Paulo Sarpio* tantæ celebritatis viro, parum in cœnobio Servitarum resciscere potuerit, & quoniam non dubitat, conservari in scriniis publicis collectanea ejus, optimum terminandæ inter illius & Palavicini libros de Concilio Tridentino differentiæ & litis remedium fore putat, si edantur, ex quibus Paulus sua desumpsit. Vid. p. 30. & seqq. ubi & per occasionem quædam de Græcorum hodiernorum religione & sublesta fide in testimoniis, ab *Arnaldo* adversus *Claudium* in quæstione de transubstantiatione productis, interferuntur. Singularia quædam annotat de forma Reipubl. de officio & conditione Ducis, item de Nobilibus, & speciatim de familiis, quæ vocantur ducales p. 38, quod nomen a factione ante annos ducentos originem habuisse refert, cum quædam noviter in nobilium ordinem receptæ, inter se conspirassent de nullo, quam qui ex illis ortus esset, in Ducem eligendo; quod & ad annum usque 1620 effectui dedisse perhibentur. Prælatorum Ecclesiasticorum inter Venetos titulum magnificum, potestatem exigam esse tradit, Sonatus imperio ubique prævalente. Pastores urbanos suffragiis parochianorum, non sine turpi prefatione & competitorum publica insectatione creari, & licentiam cleri in moribus non minorem, quam in populo esse notat, non exceptis plerisque monialium collegiis. Inquisitionis potentiam fractam esse, adjunctis Senatoribus, sine quibus nihil liceat decernere. Protestantes qui Venetiis commorantur, haud facile discerni ab aliis, quia Sacramentum ad ægrotos absque ceremoniis gestetur. Quæ alia liberrime commemorat, de defectibus Reipubl. & Patriciorum, legi possunt p. 51. & seqq. De ratione cooptandi in senatum familias novas, quæ honorem illum pretio redimunt, notabilia narrat p. 67. seqq. & ita septuaginta familias, plerasque sine meritorum allegatione aut probatione, quæ primo accurate exigebatur, evectas esse scribit. Non minus observatu digna sunt, quæ p. 68. & seqq. de judiciis in personas & causas nobilium, & de magna illa potestate inquisitorum in crimine Majestatis & similibus commentatur, quam ex sententia peritissimorum virorum præsidium publicæ gloriæ & securitatis esse statuit, licet aliter de ea judicent exteri. Venetorum finibus egressus Aucto-



*Ferrariam* venit, quam splendidam olim & cultissimam urbem, nunc miseram & pene desertam esse narrat, sicut pleraque ditionis Pontificiae loca, ob immanes exactiões fisci, quæ in cives & colonos exercentur. Hic etiam omnes divitias in templa & monasteria congeri memorat, ut olim ex superstitione, ita hodie ex ambitione & æmulatione, muliebri præsertim. Ex vastitate locorum etiam aerem, & circa Ferrariam, & in ora Campaniæ corrumpi existimat, eum non sint qui fossas purgent, & stagnantes fetentesque educant aquas. Bononiam, infeliciorem licet situ, præ cæteris Papalis imperii urbibus florere tamen dicit, quia libertatem quandam pactis retinuit. Biblia Hebræa, quæ ibi ostenduntur apud *Regulares S. Salvatoris* & Esræ manu scripta esse jactantur, vix decimam sacri Codicis V. T. partem constituere notat. Meridianum a Cassino, celebri viro, laminae æneæ in pavimento Ecclesiæ primariæ S. Petronii inscriptum, ut summe admirandum opus celebrat, nec minus miratur statuam Johannæ, quæ Papissa dicitur, in area prope templum inter alias Pontificum imagines positam, nec verisimile esse ait, quod Nicolaum IV representet, ut quidam opinantur. Florentiam describens p. 88. & seqq. structuram novæ ædis, quam Magnus Dux Hetruriæ molitur, admirabilem esse fatetur; displicet ei tamen indecens statuarum nuditas. In Bibliotheca S. Laurentii numerum manuscriptorum extollit, paucitatem vero impressorum selectu dicit compensari. Addit a Bibliothecario sibi dictum fuisse, inventam haut ita pridem esse celebrem illam Chryostomi Epistolam ad Cæsarium, in volumine quodam aliis rebus repleto, non vero in fine operum ejus, quamvis multa eorum exemplaria habeant: sed quæ situm licet volumen inveniri se præsentem non potuisse, & Virum quendam Clarissimum pro candore suo judicasse, errare hominem, Græcæ linguæ & Manuscriptorum imperitum. Cæterum eandem miseriam & mendicitatem, quam in *Insubribus* sive *Lombardia* observaverat, etiam in Hetruria deprehendisse se tradit; ibi ait propter S. Antonium, hic propter *animas in purgatorio stipem* posci. Eandem hujus desolationis & inopiæ causam affert, gravitatem nempe tributorum, neglectum commerciorum, & divitiarum in templis & monasteriis coacervationem. Probat hoc ex opposito oræ Ligusticæ sive Genuensis exemplo, quæ *sterilissima* licet

licit & maris incommotis exposita, populosissima est, & ita abundat pecunia, ut usura duorum pro centum erogetur.

*Epistola IV Roma d. 8. Decembr. 1685* exarata, iterum notat summam paupertatem Hetruriz & Latii, quæ florentissimæ olim provinciæ, nunc sub Pontificibus desolatæ jaceant, tum ob causas quas indicavit, tum ob transitorium illud Pontificum imperium, cujus defectus aperte indicat. Eos malumus p. 105. & seqq. in ipso libello, quam hic legi. Insigni autem elogio mactat Proregem Neapolitanum, *Marchionem Carpium*, filium celeberrimi ministri regii Ludovici de Haro. Illius industria & æquitate optime prospici afflictissimis provinciis istis refert. Inter alia egregium ejus consilium aperit, quo monetam corruptam, eodem quo erogata erat, pretio redimere constituerit. Plebis autem in regno Neapolitano pauperiem pene incredibilem memorat, ita ut coloni in provinciis situs felicissimi, tanto rigore exhauriantur, ut aliqui fame pereant, mercaturæ vero commoda ad externos devolvantur. Interim dimidiam reddituum & possessionum partem in quibusdam regionibus ad Ecclesiasticos translata esse ait, non mitius cum colonis agentes. In templis vero & xenodochiis Neapolitanis argenteorum vasorum tantum memorat numerum esse, ut pretium ad octo milliones scutorum assurgat. Privilegium etiam refert, quod collegia monastica habent, ut ædes contiguas ab utroque latere emere possint; quo pacto totam pene urbem acquirere liceret, cum in omnibus fere plateis monasteria sint. Facilius etiam habetur effectus concessionis, quia non majus pretium possessoribus solvi debet, quam quod proximus possessor dedit aut constituit. Græcæ linguæ studium reflorescere ait Neapoli, & *D. Josephi Valeræ* industriam promovendæ rei literariæ & illustrem commendat bibliothecam. Sed literatos hos, qui sodalitium quoddam constituerunt, a elero, ut plurimum indocto, pro atheis haberi scribit; nec concionatorum ineptias tacet. Molinæ (Molinzi vel Molinosii) sectam in urbe ad duo hominum millia excrevisse, fama ferri scribit. Istius viri dogma, & ut a Jesuitis vehementer improbetur, refert p. 126. Esse tamen dicit qui putent, non displicere autorem Pontifici; interim illum in carcere detineri. Describit postea p. 230. catacumbas Neapolitanas extra urbem, quarum a nullo scriptore mentio-

mentionem factam esse miratur, earumque occasione de cryptis Romanis commentatur, & explicat literas quasdam Græcas in iis observatas, I. C. X. Θ. quibus subscriptum est *νικα*; legendum autem esse putat [ C. illo pro sigmate posito, ] *Ἰησὺς Σωτῆρ Χριστὸς Θεὸς νικᾷ*: *Jesús Salvador Christus Deus (sive Christus Dei) vincit.* In eandem fere sententiam Illustris cujusdam Angli literas ad se datas adducit, p. 486. Occasionem inde sumit de cryptis illis, ex quibus corpora sanctorum eruta Pontifices dispensant, disputandi p. 176 & seqq. ubi rationes adducit, per quas statuit, paganorum tumbas illas esse, cum mos cremandi cadavera Romæ jam ante tempora Imp. Christianorum fere exolevisset; quod veterum & recentiorum testimonio confirmat. Quæ porro in littore Campaniæ olim florentissimo, nunc fere deserto, & de ipsa Roma, tum de templo S. Petri, de palatiis procerum, & de aliis structuris & ruderibus observavit, minime spernenda sunt, sed non possunt omnia referri. Bibliothecæ Vaticanæ cum laude meminit p. 170, & aliquid affert de controversia inter viros clarissimos, Schellstratenum & Maimburgium, de *actis concilii Constantiensis*; & de colloquio quod Autor hac de re cum Bibliothecario illo celeberrimo habuit p. 173. & seqq. Inter doctos Romæ honorifice commendat *Bellorium*, Jesuitam *Fabrum*, Abbatem *Nazarium*, ut & *Cardinalem Esbaum*, ejus eruditionem & humanitatem celebrat, utpote *Joh. Launoje* familiari & magistro usum, quo factum refert, ut Theologica scientia in Cardinalium collegio emineat. Judicia de institutis hodierni Pontificis, & testimonia de morum ejus probitate, & victus frugalitate leguntur p. 180. & seqq. De inopia, quo Roma premitur, iterum aliquid memorat; illi etiam orbitatis causam tribuit, & e diverso Helvetiorum *πολυπαιδίαν* prædicat, atque allato Genevensium exemplo confirmat. Sic fecunditatem matrimoniorum a victus commoditate promoveri, mendicitate putat impediri. De conversatione & urbanitate Romæ usitata, & ut nullus familiaritati & infuente amicitia locus ibi facile esse possit, videri potest p. 185. & seqq. ubi & *Christina Suecorum* reginæ magnum extat elogium. Grata etiam recordatione recollit Autor humanitatem, qua exceptum se Romæ fuisse prædicat a Jesuitis suæ quoque nationis, licet non ignaris, quæ Autor de Ecclesia & sede Romana satis libere scripsisset.

De se-

De sexu monialium duarum, ante biennium ex foemino in masculinum mutato, relatio extat p. 201, testimonio Hovvardi Cardinalis (cujus laus non omittitur) confirmata. Addit Autor hac occasione aliam historiam de puella Genevensi, quæ auditus usum, cum a nutrice surda lactaretur, perdidit, & aliquod loquelæ genus ex motu labiorum in aliis observato postea didicerit.

*Epistola quinta & ultima*, de Massilia splendido Galliarum emporio, aliisque in Provincia Narbonensi visu dignis quædam præfatus, paucis etiam verbis summam violentiam, quam Reformati in Gallia passi sunt, indicat, tantæ quidem majori, ut testatur, animi dolore, quia quicquid gestum est, principiis Romanæ Ecclesiæ & studio totius Cleri Gallici tribui debeat, & innumeris panegyricis ab omni autorum bonorum malorumque genere celebretur. Non negat, etiam ex illa parte moderatos quosdam viros inveniri, quibus ista non placeant, sed paucos esse, & qui contradicere non audent. Romæ quidem publicæ approbationis & lætitiæ signa non fuisse edita, sed factionis potius Hispanicæ, quam Pontificis, repugnantia: hunc enim probasse omnia, nec nisi duos Cardinales contra sensisse, Estræi Cardinalis testimonio asserit. Regi Christianissimo minus imputanda esse existimat, quæ acta sunt, quam ejus religioni: dolendum potius, quod hujus præjudicii a teneris occupatus, & ad exequenda illa inductus fuerit, quæ cum regulis religionis suæ congruere judicavit. Ex Gallia Genevæ reversus Autor, cum aliquem Anglorum numerum ibi reperiret, in domo quadam permissu Magistratus concionatus est, & Liturgiam ritu Anglicano celebravit. Placuisse id refert Genevensibus, hosque doluisse, quod ob res haud magni momenti, ad regimen externum & ceremonias pertinentes, inter Anglorum & Helvetiorum ecclesias dissidia foveantur; duos ex Ecclesiæ Genevensis ministris speciatim collaudat, *Turretinum & Trombinum*. Subjungit denuo quædam Helvetica, in reditu ex Italia observata. De picturis Holbenii & aliis, quæ Basileæ conspiciuntur, non imperite judicat, item de bibliotheca & de MS. & nummis. Sed graviora sunt, quæ de statu civitatis commendantur, & de stupendi operis munimento, quod Gallicis auspiciis & sumtu ingenti, Hunningæ prope Basileam extruitur, freno totius regionis. *Argentorati præsentem statum p. 238. & seqq.*

describit; Lutheranorum ceremonias non improbat, nisi quod tectō capite hymnos cani indecens esse dicit, & pro insolito habet, quod ad nomen Spiritus Sancti reverentiæ signa edantur, sicut ad Christi. Religionis promissam libertatem sic satis fervari refert, parumque ibi proficere enormem conversionum methodum. Secundo Rheno inde descendens Philippoburgum, Spiram & Palatinatum Heidelbergensem vidit, & paucis descripsit. Laudat instituta quædam Caroli Ludovici El. Palatini; inter alia simultaneum illud, quod Manhemii introduxit, religionum diversarum exercitium in æde Concordiæ dicata. Non minus celebrat, qui nunc regnat, Electorem Seren. eo etiam nomine, quod suæ licet religionis observantissimus, promissam tamen subditis libertatem sacrorum fideliter præstet; quod exemplo quodam notabili p. 256 confirmat. Amœnitatem regionis illius vehementer deprædicat; de Francofurto etiam non contemnenda memorans p. 258 & seqq. Dolet (p. 260.), quod Wormatiam & in ea urbe locum non viderit, in quo Lutherus tantum zelum ostenderit pro defendenda causa Dei, cujus, ut scribit, felicissimum instrumentum fuerit. De Moguntia agit p. 261 & seqq. & inde de tractu ad Rhenum usque ad Confluentes Mosellæ; de hac urbe agit p. 267, & de Bonna p. 268, inventoque ibi obsidionis tempore thesauro aureorum nummorum, ad Romanorum numismatum formam effictorum p. 269; de Colonia Agrippina, p. 271 & seqq. de Düsseldorfio aliisque p. 275 & seqq. Neomagum denique Geldriæ urbem, in qua mense Majo 1686 postremam hanc composuit epistolam, ob defensionem commendat, quam prima adversus Gallorum copias in nupero bello ausa fuit, qua tempus Batavis dedisse dicit, ut ex consternatione sese colligerent, & res suas in melius restituerent. Belgii descriptione supersedet, quam ex libro incomparabili *Templii Equitis Angli* petendam suadet. Egregium inde encomium *Ser. Auriaci Principis* subjungit, magno cum judicio, nec minori eloquentia, p. 279. & seqq. Ex additamentis, quæ in titulo libri indicantur, quædam jam tetigimus; reliqua ad res Helveticas & Italicas spectant, inter quæ memorabile est, quod de Pontificis hodierni inventis, ad minuendum æs alienum, a prædecessoribus (constitutis, quos vocant, Montibus) contractum legitur p. 308 & seqq.

CHR.

## CHRYSOSTOMI EPISTOLA AD CÆSARIUM

Monachum, cum tribus Epistolicis Dissertationibus Jacobi  
Basnage.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Francisci Halma,  
A. 1687, in 8.

**R**ecensuimus in Actis nostris mense Januario a. 1683, p. 25. de il-  
la Chrysoſtomi epiſtola ab Emerico Bigotio edita, ſed a Theo-  
logis Pariſienſibus ſuppreſſa, expoſtulationem anonymi. quem *P. Al-*  
*lixium* Paſtorem olim Charentonenſem, nunc Londini commoran-  
tem eſſe, Cl. *Petrus Balus* in epiſtola addita *Deckbero* de ſcriptis  
adeſpotis, pag. 401. docuit. Hanc ergo Chryſoſtomi epiſtolam  
nactus clariffimus Basnage, eo modo, quo a Bigotio & integra La-  
tine, & cum fragmentis Græcis publicata fuerat, in gratiam erudi-  
torum ſeorſim evulgavit, præfixis iis, quæ Bigotius in præfatione  
ſcripſerat, & Sorboniſtæ pariter ſuppreſſerant. In prima Diſſer-  
tatione Epistoſtica exponit, quomodo Bigotius Florentiæ, inter Do-  
minicanorum codices eam reperit, cenſores autem librorum,  
inter quos D. Faure iniqui conſilii auctor fuerit, quaternionis la-  
cunam relinquentes eraſerint. Subripuiſſe tamen amicos exem-  
plar Bigotianum, quod a doctiſſimo Eccleſiæ Anglicanæ Theologo  
(ut in præfatione ſcribit) in ſua adverſus Episcopum Meldenſem  
deſenſione editum, ſecum communicavit Burnet, quem tamen va-  
na ſpe lactaverit monachus quidam Florentinus, qui ſe epiſto-  
lam Chryſoſtomi integram Græco idiomate ſcriptam vidiffſe di-  
xerat. Dehinc Notas in hanc Epistoſtam a Stephano le Moyne pro-  
miſſas (ut in Actis noſtris mense Februario a. 1686 p. 73. comme-  
moravimus) præſtolatus, *hæreſeos Apollinaris*, cujus occasione ſcri-  
pſit Chryſoſtomus, *hiſtoriam* eadem epiſtola pertexit. In qua ori-  
ginem & cauſam hæreſeos vix ullam ſeſe offerre ait, & quæ So-  
zomenus & Theodoretus aliique allegant, falſa eſſe conatur oſten-  
dere, & veteres recentioresque hiſtoricos taxat, qui plerumque  
hæreſes auctorum vitiiſ potius, quam pondere rationum vileſcere  
volentes, vindictæ ſtudioſum, ambitionem, auri ſacram famam,  
omnium hæreſeon genitrices faciunt &c. Cecidiſſe igitur in hæreſin

Apollinarem putat sine motivis externis, qualia vulgo finguntur, sed arcano Dei judicio. Præcipuam ejus hæresin fuisse dicit, Christum corpus rationali anima destitutum induisse, quam prolixius tractat, cæteraque hæreseos capita ipsi tributa examinat. Deinde discipulos ejus recenset, inter quos agmen ducit Vitalis, Antiochenus Presbyter, a quo *Vitaliani* dicti sunt. Variæ etiam inter Apollinaritas sectæ fuerunt; siquidem Polemius docuit, commixtam cum corpore divinitatē, & substantiarum confusionem factam fuisse, unde *Polemianorum* nomen, quorum primipilus Timotheus Episcopus, toties a Patribus ipsisque Vitalianis exagitatus. Porro ex Apollinari ipsiusve discipulis nati dicuntur Antidicomarianitæ, Eutychiani, Monothelitæ & alii non pauci. Dehinc de refutatoribus Apollinaris agit, Athanasio nempe, Damaso, Ignatio in epistola ad Philadelphenses, (quam propterea *rethias* accusat,) Ephremo, Nazianzeno, Basilio, Chrysofotomo denique in hac ad Cæsarium epistola, quem tamen potius Polemii & Timothei assecclam, quam ipsum Apollinaris dogma petere, aliquot argumentis contendit. Subjicit denique, quæ ex Apollinarismo elici soleant a Pontificiis contra Protestantes, & ab his vicissim contra illos. Præcipue tamen de Eucharistiæ controversia agit, propter nobile Chrysofotomi in hac epistola adversus transubstantiationem testimonium, quod, postquam Chrysofotomum auctorem habere iterum probasset, & eos qui Joanni Vincessteriensi tribuerunt, refutasset, ex Reformatorum hypothese explicat, sed ea ratione, quæ orthodoxæ doctrinæ damnum nullum adfert.

In altera dissertatione epistolica tractat de *Synagmate doctrinae*, sub Athanasii nomine a viro clarissimo Andrea Arnoldo Christophori filio Parisiis edito. Primo exhibet epistolam suam ad Cl. Baylium ex Latina versione nostra, quam in Actis a. 1685 mense Novembris p. 511. dedimus, & doctissimus Vir adoptionis jure propriam sibi facit. Deinceps addit Arnoldi responsoriam, suamq; repliam. Nos quia illam epistolam dedimus, in gratiam Lectorum summam utriusq; inde nati opusculi recensere, operæ putamus pretium. Arnoldus in epistola ad Baylium existimat, auctorem esse eundem, qui scripsit contra D. Pearsonium in causa Ignatiana. Decem vero capitibus responsionem suam comprehendit. (1) statum contro-

ver-

verſæ eſſe dicit, utrum Syntagma S. Athanaſii Archiep. Alexandrini eſſe poſſit. (2) Titulum codicis Voſſiani tamdiu valere, donec alius oſtendatur, cum hæcenus nec Romæ, nec Florentiæ alia exempla MS. reperta ſint. (3) Quanquam *Quæſtiones & Reſponſiones* codicis regii ad Sæc. IX. pertineant, iſtud tamen ſeculum ſine exceptione, ignorantia non eſſe accuſandum; quo vixerint Joſephus Theſſalonicenſis, Theodorus Studita, Nicephorus CP. Methodius, Petrus Sieulus, Anaſtaſius Bibliothecarius, Photius, Simon Metaphraſtes. Deinde præfectum monaſterii diſerte ſcribere, ſe non omnia credere monachis, quomodo ergo citaret ſcriptum ſuppoſititium, vel citatum admitteret? (4) Se non audere dicere, neminem eorum meminiſſe Syntagmatis, cum tot tantaque veterum monumenta amiſerimus. Quod vero Athanaſius ipſe ejus non fecerit mentionem, mirum non eſſe, cum ipſe petierit, ne ſua edantur. (5) Ad objectionem de communitatibus monachorum reſpondet, ſibi ſufficere, quod Athanaſius in vita S. Antonii monaſteria enarrat, & Nazianzenus in laudatoria Athanaſii adducat *μοναδικὸς καὶ μυαδάς*, cum quibus conſuetudinem habuit Athanaſius. (6) Nihil eſſe locum Codicis Theodoſiani, quia Athanaſius in vita S. Antonii Alcetas vult eſſe *ἀκτῆμονας*. (7) Non bene ſe intelligere objectionem de decimis, atque cum Montacutio & Epifcopo Oxoniienſi exiſtimare, eas ad Eccleſiam pertinere. (8) Socratis locum ſibi non adverſari, qui non ſcribat, ſua demum ætate Alexandrinos ſex ſeptimanas jejunaſſe, ſed tantum diverſæ quadrageſimæ obſervandæ modos referat. (9) Conjugium clerico-rum non prohibuiſſe Athanaſium in Syntagmate, neque *ἀπὲρ χεῶναι γυναῖκος* id ſignificare, quam in rem Canonem 3. & 4. Conc. Carthag. laudat. (10) Non Athanaſium, ſed Cyprianum duos libros ad Quirinum ſcripiſſe. His allectus Baſnage, epistolam bene longam ad ipſum Arnoldum exaravit, & poſtquam Pearſonii adverſarium non ſe, ſed Matthæum Roquanum eſſe dixiſſet, & nonnulla de ſtatu controverſiæ adnotaſſet, nova quædam ſuppoſitionis argumenta profert. I. Genuina Athanaſii opera pauciſſima nobis ſuper-eſſe, etiamſi plurima tanto nomine decorata obtrudantur: cujus rei cauſam partim in Orthodoxos, propter Vandalicam perſequutionem, ut Vigilius Tapſenſis fecit, ſub Athanaſii nomine latitan-



tes; partim in Eutychianos, Nestorianos & Apollinaristas, Athanasio suorum opera supponentes; partim in monachos descriptores conjicit, quos non mirum sit, quædam opuscula Athanasio tribuisse, ut summam plerisque monachorum regulis vindicarent antiquitatem. Ac postremum hoc in Syntagmate usu venisse observat, adeoque nihil Athanasio inscribi debere, quin prius acumine critico discutiatur, etiamsi plurimi codices nomen Athanasii præferant, aut unicus duntaxat, quemadmodum in negotio Syntagmatis evenisse non diffiteatur Arnoldus. II. Quanquam fateatur, & aliquot exemplis probat, Athanasium non semper validissimis rationum momentis sibi reluctantem vel Arrianum vel Paganum oppugnare; monet tamen, illum æri pollere iudicio, accurataque scribendi methodo semper uti; sed in Syntagmate misceri cœlum terræ. III. Plurima legi in ipso Syntagmate, quæ personati Athanasii drama procul dubio prodant: quippe jurare vetat, jurantemque vult necari: quum tamen ipse Athanasius juret in Apologia ad Constantium. IV. Vetat jejunium solvere quadragesimale, quod tamen Athanasii tempore solvi potuisse Spiridionis exemplum probat apud Sozom. lib. 1. c. 11. V. In abluendis hospitum pedibus durissimus est Syntagmatis auctor; omnes sive monachos, sive laicos, mercaturam exercere vetat; quorum utrumque ab Athanasio alienum. Non vult etiam homines belluinas pelles induere, cum tamen Joannes Baptista in codicibus sacris laudetur. VI. Putat Arnoldus, Syntagmati cum tractatu de virginitate, qui operibus Athanasii inseritur, convenire. Hinc argumentatur Basnage: *aut est Athanasii tractatus de virginitate, aut non est; in quamcumque partem moveas pedem, Syntagma Athanasii non esse, jure concludam.* Ac primo quidem Erasmo pollicentæ premit, librumque illum ut spurium rejicit, ob plurimas nugæ Athanasio indignas. Deinde posito, auctorem esse Athanasium, facilius concludi putat, Syntagma illi inscribi non debere. Etiamsi enim stylus conveniat, præcepta tamen de mulierum consuetudine & jejuniis in utroque occurrentia sibi invicem repugnare. His observatis, epistolæ Arnoldi ad Baylium respondet, sustinetque, codices MSSos ita plerumque fuisse depravatos, ut genuina auctorum nomina semper referre non possint; & priusquam dictatorum proferatur judici-

adiciam, nulla aut saltem paucissima tituli habita ratione, tum operis materiam, tum scribendi methodum, tum stylum accurate perpendi debere. Seculum IX. inique sibi non vapulare contendit, ac de Nicephoro, Theodoro Studita, & Simeone Metaphraсте in specie agit. Silentium Patrum maxime valere docet, quod plurimi asceticæ vitæ laudatores exstiterint, qui magnum Athanasii nomen procul dubio allegassent, & si Arnoldi responsio valeret, perire argumentum negativum tantopere a Dallzo, Pearsonio, Lannojo defensum. Addit, se non negare, monachos Athanasii tempore reperiri; tales autem, quales in Syntagmate describuntur, tum exstuisse, inficiari, hoc est, qui religiosi obsequii causa carerent omni peculio, decimas solverent, quadragesimam observarent, uxoribus abstinerent. Singula prolixius exponit, & ut primum obtineat, cum legem codicis Theodosiani vindicat, tum vitam S. Antonii Athanasio tribui non posse, plurimis argumentis stipatus adfirmat. Quoad secundum monet, sententiam suam circa decimas Arnoldo non fuisse satis compertam, quæ tamen in Actis nostris accuratissime reddita fuerit. Sibi enim videri, Constantini temporibus decimas solvi non fuisse solitas. Unde sequitur, auctorem Syntagmatis, qui vult illas a monachis deberi, Athanasium non esse. Quod amplius inde confirmat, quia Constantinus annonam clericis tribui iusserit. Ad tertium pertinet, quod quadragesima tempore Athanasii non comprehenderit quadraginta dies, ut fit in Syntagmate. Cui probando multa congerit, & Socratis locum vindicat. Quartum denique de coelibatu Monachorum ex clarissimo Syntagmatis loco probat, aliumque non minus evidentem ex epistola Athanasii ad Dracontium objicit, quo is monachos liberos genuisse adfirmat. Denique se circa Quirinum errasse fatetur, & Arnoldi amicitiam expetit.

Tertia Dissertatio *Vindicias adversus Simonium* continet, quarum occasionem in præfatione ex *Methodorum Cleri Gallicani Examine* a se edito natam dicit, cui nonnulla adversus Simonium inseruerit, qui vel ipse vel ejus amicus, in præfatione novæ editionis *Historiæ Criticæ* quædam reposuerit. Propterea Basnage hanc scripsit epistolam, in qua recensenda breviores erimus, partim, quia in præcedentibus diutius hæsimus, partim quia hinc inde in  
Actis

Actis nostris pro & contra Simonium facientia produximus, nunc magis notabilia solum adnotaturi. Initio dolet, Simonium & Vofium, neglecta veritatis cura, se mutuo coavitiis insectantes; dolet, Bochartum a Simonio inter etymologistas deprimi, cui tamen ipse plurima debeat, ut prolatis aliquot exemplis fidem facit. Deinde præcipuam ejus opinionem de scribis Judæorum publicis, haud proletariis rationibus convellit, ostenditque, Simonium nihil aliud agere, quam ut Scripturam deprimat, traditionem evehat. Porro creationis ex nihilo sententiam sola traditione non niti, ex Mose & Paulo probat, suamque opinionem de multis Josephi a scriptoribus sacris tam crebro dissentientis erroribus vindicat, & Usserii dictum allegat, Josephum Historiam suam elucubrasse eadem ratione, qua Xaverius Evangelium edidit apud Persas. Deinceps confutare adgreditur Simonium, magnas circa varias lectiones difficultates inique creantem, difficultatem intelligendi Scripturas propter ignorantiam Ebraicæ linguæ objicientem, & Scripturam per Eisdram restitutam vel saltem in unum volumen compactam & a corruptelis vindicatam statuentem. Tandem a pag. 202. usque ad finem nonnulla disserit de Historia Critica fidei Orientalium, sub D. de Moni nomine a Simonio edita, quæ observatu maxime digna judicamus, præsertim, quoniam illud Simonii opusculum in Actis nostris A. 1684 mense Novembri p. 490 recensuimus. Res sic se habet. A plurimis annis Simonius id elucubraverat, & typographo excudendum commiserat, qui, ut facilius ederetur, scribis elegantiori manu describendum mandavit. Et cum ob difficillima apud Gallos his in rebus tempora sub prælo sudare non potuerit, codicem suum recepit Simonius, dum alter apud litteratum virum detinebatur. Tandem mutato titulo & nomine prædiit, quem Basnage cum MS. codice conferens multa omissa, multa immutata, multa etiam oblitterata deprehendit. Quædam de traditionibus, Sacramento Eucharistiæ, imaginibus, confirmatione, purgatorio, aliisque magni momenti rebus descripsit, ut Simonius, re comperita, quo casu, quove consilio id actum fuerit, nobis aperiat, quem incredibile sit, spe lucri cum Episcopis Gallicanis in gratiam redire volentem hæc immutasse.

GLAU.

**CLAVDII RUTILII NUMATIANI GALLI ITI-**  
*nerarium, integrè Simleri, Castalionis, Pisbæi, Sitzmanni, Barstii*  
*Grævi aliorumque Animadversionibus illustratum ex Museo*  
*Th. J. ab Almeloecen.*

Amstelædami, apud Joh. Wolters, 1687, in 12.

**C**laudius Rutilius Numatianus Gallus, cum ex urbe Roma, in qua amplissimis muneribus defunctus fuerat. in Galliam ad avitos lares reverteretur, imitaturus exemplum multorum veterum, ut Julii Cæsaris, qui Hispaniense; Trajani Imperatoris, qui Dacicum; Alexandri Severi Augusti, qui Persicum; Horatii poetæ, qui Brundusinum; Ovidii, qui Milesium; Firmiani, qui Africanum itinera scripserunt, libellos duos de reditu suo Roma in Galliam anno ab U. C. M CLXIX, sive secundum eruditorum aliquot calculum, anno Christi CCCCXVII, composuit. In quibus præter urbem Romam, *quam ita scite, ornate, elaborate, vere & prudenter, elegantissimo eruditissimoque encomio celebravit, ut nihil ab horum temporum scriptore elaboratius & ornatius fieri posse existimet Onuphrius Panvinius;* multa loca accurate & egregie describit, ac quædam cognitione non indigna, sive historiam sive elegantiam spectes, immiscet. Quamobrem & subinde eruditissimi Viri huic itinera-rio, capite licet atque cauda detruncato, quod dolendum! in lucem proferendo, emendando aut illustrando operam impenderunt suam. Quod cum observaret clarissimus vir Th. J. ab Almeloecen, sciretque inter varias editiones nonnullas celeberrimorum viro-rum commentariis esse adornatas, summum, ut ipsemet in præfatiuncula ad lectorem præmissa refert, quod potuit, adhibuit studium, ut tandem vel semel, quid esset præstitum perspiceret. cujus gaudii quum nunquam se videret, nisi illa Commentaria conjun-ctim essent edita, fore participem; subrepit edendorum horum omnium amor, qui quotidie ita eum urfit, ut quemvis pene super illo autore consuleret, quo desiderio demum suo posset fieri satis. Postquam itaque rarissimum & comparatu difficillimum Josephi Castalionis exemplar, apud virum celeberrimum J. G. Grævium, qui su-

qui suas animadversiones accuratissimas adjecit, offendisset, aliaque ab aliis amicis conjunctioribus obtinuisset, nova eaque nitidissima Itinerarii a Rutilio conscripti editione orbem literatum sibi devincire studuit. In qua præmissis ex Giraldo, Onuphrio Panvinio, Vossio & Barthio de Claudio Rutilio testimoniis atque elogiis, ejusdem duos libellos accurate recenset, deinde Jos. Simleri, Josephi Castalionis, P. Pithœi, Theodori Sitzmanni, Casparis Barthii & J. G. Grævii, omni eruditionis genere refertas animadversiones exhibet, & sua tandem observata cum tabula Geographica, iter a Rutilio confectum ob oculos ponente subjungit.

## ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΣ ΑΠΑΝΤΑ.

### LUCIANI SAMOSATENSIS OPERA GRÆCO-

*Latina, cum doctorum virorum Notis, ex recensione Job. Georgii Grævii. Tomis duobus.*

Amstelodami, apud Boomium aliosque, 1687. in 8.

**N**eminem ex Græcis Latinisque Scriptoribus in deprehendis coarguendisque hominum imposturis, ac insectandis vitiis, ingenio & eloquentia LUCIANUM superasse constat; ac quicquid vel nigri salis Momo, vel candidi Mercurio tribuitur, omne in eo uno copiosissime reperiri, in confesso est apud eruditos. Præter sane comœdiæ dicacitatem eum retulisse agnoscimus, verum citra petulantiam, festivoque lepore omnia hominum genera, mores & actiones perstrinxisse, dum nihil vel obiter attingit, quod non aliquo feriret scommate: præcipue Philosophis infestus, atque inter hos Pythagoricis potissimum ac Platonicis ob præstigias, Stoicis item propter intolerandum fastum; ut recte annotavit Erasmus in *epistola ad Christoph. Urservicum*, qua in ei latine redditum Luciani *Somnium* Londini 1504. dedicavit. Factum hinc, ut *maledici* nomine passim ferretur, *Arbei* etiam cognomen ipsi inderetur, quod patri libertate Deos gentilium & insanam horum multitudinem irriteret, qua Stoicorum supercilii & Philosophorum omnium *barbis illude-*

illudebat: dignus sane, qui ob ingenii festivitatem, mirificam elegantiam, & variæ doctrinæ copiam, eruditorum manibus assidue versetur. Hi igitur ne tam utili auctore careant, postquam editiones inde usque ab anno 1496 (quo primi Florentini typi eam procuderunt) disseminatæ disparuissent, doctissimi celeberrimique viri *Joannis Georgii Grævi*, bonis literis poliendis juvandisque assidue intenta cura providit, & nitidissimis typis chartisque ac forma commodissima recusum Lucianum Græcolatinum dedit. In exprimendo Græcæ auctoris textu, & jungenda ei Latina interpretatione typographi secuti sunt Salmuriensem anni 1619 editionem, a *Jobanne Benedicto* Medico & Græcarum literarum in isthac Academia Professore adornatum; qui priorum interpretum Thomæ Mori, Erasmi, Melanchthonis, Jac. Micylli, Gilb. Cognati, Vinc. Obsopœi, Boleri, Luscinii, Birekheimeri, & aliorum versiones, quas editiones, *Basileensis 1563 & Parisina 1615* exhibent) recognoverat, emendarat, & maximam earum partem ipse contexuerat; Græcum etiam contextum, ubi mendosa fuerat visa lectio, vel ex collatione variorum codicum, vel ex proprio ingenio, emendaverat. Sed quandoquidem ardua res est, fatente ipso Benedicto, eadem elegantia eademque festivitate, qua Græcæ legitur, auctorem hunc Latini dare; meliorem interpretationem Latinam, quam quæ hactenus extat, (Gallica enim *Ablancourti* sua laude ne utiquam privanda, nunc in examen non venit) culto huic Scriptori convenire censet Grævius, ac satis magnum patere hic campum Græca doctis industriam exercendi. In quo usque dum eorum aliquis decurrat, & omnibus numeris absolutam interpretationem Latinam concinet, hac interim, eleganti sane & polita, ac usui plane accommodata editione Græviana, insigni cum jucunditate & emolumento uti licebit: quippe quæ priores omnes quotquot conspeximus, *Florentinam* puta 1496, *Venetam Aldi* 1503, *Basileensem* priorem 1555, (quæ Græca saltem Luciani exhibent) tum *Basileensem* posteriorem 1563 cum Gilb. Cognati & Joh. Sambusi annotationibus, *Parisensem* Joh. Bourdelotii in fol. 1615, & *Salmuriensem* Joh. Benedicti in octav. 1619. longe superat, non formularum solum chartæque nitore, sed clarissimi Editoris studio, quo omnia quæ exornando Luciano conducere videbantur, undique sunt congesta. Cuius enim, prout animad-

versionibus vel notis illustratus est a viris doctis, loco adjectæ sunt pagellisque subjectæ *Gilb. Cognati, Theod. Marcini, Job. Bourdelotii, Boivinii, Jac. Palmerii, Aegidii Menagii, Franc. Guetti, Job. Th. ab Ameloveen, & Tan. Fabri* annotationes emendationesve; ipse autem celeberrimi *Edisori & Jac. Gronovii*, tum & *Tan. Fabri* in Timonem Notæ singulis tomis sunt annexæ; nisi quod integrum suum commentarium ad *Pseudosophistam* seu *Solacisam* paginis in contextu Auctoris *Tom. II. p. 729. & seqq.* substravit: quam rationem in *Lamberti* etiam *Barlei* notis ad Timonem *Tom. I. p. 51. & seqq.* & *Tan. Fabri* notis ad narrationem de morte Peregrini *Tom. II. p. 559. & seqq.* & *Jac. Tollii* notis ad libell. de non temere credendo calumniæ *Tom. II. p. 395 & seqq.* tenendam censuit Grævius: qui *Scholiasten* etiam *Græcum* antea nondum editum, a Cl. Isaaco Vossio, cui maxima Manuscriptorum hujusmodi copia suppetit, ex Anglia missum, adjiciendum putavit, cui emendate excudendo operam dedit *Job. Clericus*.

Hunc in modum adornata *Græviæna* editio, quandoquidem eum *Benedictina*, si Græcum auctoris contextum & interpretationem Latinam respicias, prorsus convenit & ad istius rationes composita est; hæc vero (passim indicante Grævio & Gronovio) ita comparata, ut tam in Græcis auctoris verbis plurima menda supersint, quam in Latina Interpretis versione non bene sibi omnia contentent, & prioribus versionibus vix saniora exhibeat, in quibus non adeo magna adhibita sit diligentia; optandum ut ii quibus hæc studia cordi sunt, quique linguæ Græcæ cognitione ac ingenio valent, & codicibus instructi sunt vetustioribus manu exaratis, huic Auctori venustissimo expoliendo manus admoveant. *Tanaquillum Fabrum* certe eo animo fuisse, & de universis Luciani operibus cum nova interpretatione edendis cogitasse, ipse in præfatiuncula libello *de morte Peregrini* 1653 Parisiis edito præfixa *p. 1.* indicat: unde etiam intelligimus, in Regia Bibliotheca Parisina jam eo tempore *tres Mss. Codd.* Luciani extitisse; quorum mentionem etiam fecerat Bourdelotius *Præfat. Notar.* qui in Memmiana quoque Bibliotheca *Mss. Codd.* Luciani extare subinnuit. Hos, & qui alibi latent alios, conferre, indeque genuinum LUCIANUM proferre, omnino ere & commodo literarum fuerit. *Multa sunt (ita claudit com-*

dit commentationem modo indicatam Faber p. 82. y in Græco corrupta, qua non quisvis videt; sed ad ea emendanda, doctorum hominum responsa, & codices manuscripti multum adjumenti adferent: diligens præterea veterum lectio, & assidua cum Luciano familiaritas. Et certe is est hic scriptor, qui venustiorum, quantum est hominum studio atque opera excolli debeat atque expoliri; quippe ipse venustissimus, judicii acerrimi, orationis purissima, doctrina elegantia, veri, si quinquam alius, diligentissimus investigator & saepe repertor.

**ÆGIDII MENAGII POEMATATA. BATAVA**  
editio.

Amstelædami, apud Henr. Wetstenium, 1687, in 12.

**I**nter ævi hujus poetas, qui ambiguam faciat *Ægidio Menagio* palmam, haud facile reperitur quisquam. Ac habet is præ cæteris hoc præcipuum ac plane singulare, quod & Latini Græcique carminis elegantia veteribus poetis proxime accedat, & Italici ac Gallie sermonis venustate vix ulli, etsi carminis pangendi arte præstabili, in utraque gente cedat. Quod ex *Poematatum* ejus libro intelligi potest, septies antehac excuso, hoc anno octava editione in Belgio iterum impresso. Præterquam vero quod postrema hæc editio priores cultu & elegantia æquat, iisdem est anteferenda, quod plura exhibet, ea nempe quæ intra hos septem annos a felicissimi Poetæ ingenio profluxere, suavissima carmina; ut proin prioribus auctiorem & emendatiorem hanc esse editionem, eamque solam ab ipso Menagio agnosci, libelli titulus haud immerito præ se ferat: nec ineglanter Jo. Commirius e Soc. Jesu vates cecinerit:

*Es novus & verus est docti liber iste Menagi,  
Quem cupida versas, Lector amice, manu.  
Res tituli que manent: sed si, quos addidit ipse,  
Respicias cultus, dixeris esse novum.*

**JUGEMENS DES SCAVANS SVR LES PRIN-**  
cipaux ouvrages des auteurs.

id est

Ccc c 3

Judi-



## Judicia Eruditorum de primariis scriptis Autorum.

Tomus IV, poetas complexus.

Parisiis, apud Antonium Dezallerium, 1686. 12. maj. Volumina quinque.

Judiciorum horum collectionem Cl. Viro *A. Baillet*, (quem *Ibuanus*, si viveret, *Balietum* vocaret,) *bibliotheca Lamoniense profecto*, orbem literarium debere, in superioris jamjam anni Actis p. 251. inuimus, cum de tribus prioribus operis pulcherrimi tomis verba faceremus. De quarto nunc nonnulla differenda erunt, qui de poetis agit, eadem fere methodo, qua præcedentes tomos contextos esse, citato loco diximus. *Quinque voluminibus* absolvitur. Horum *primum* (post *apologiam* pro Authoris instituto, celeberrimo *Menagio*, satyricoque cuidam anonymo oppositam,) præfixam habet præfationem prolixam de genio quorundam e modernis poetis. Nos missis iis, quæ privatas Baillet cum *Menagio* clarisque viris aliis hodiernum superstitibus intercedentes similitudines concernere videntur, ea excerpemus, quæ generatim Author monuit.

Queritur scilicet, hos qui Christo nomen dederunt, ab amoribus impudicis argumentum ornatumve carminis petere, adeo ut nec tragediæ ulli hodie honos suus constare putetur, nisi amoribus referta sit, quos ipsa veterum gentilium severitas cothurnis incedere, graviter tulisset. Vetat occentari sibi illud Catulli :

— *Castum esse decet pium poetam*

*Ipsum: versiculos nihil necesse est.*

Opponit Christi effata, quibus de quovis otioso verbo rationem reddendam olim prædixit, ac impura verba ex impuro corde oriri docuit, Matth. XV, 11. 18. 19. Negare equidem non ausus est Bailletus, non unum poetarum moribus castigatioribus, ac quidem stylo, usum esse. Refert imo hanc in rem exempla tum *Guiljelmi Sallustii Bartasii*, in quo ineptis verborum ampullis turgens scribendi genus non minus ac simplicitatem morum notavit *Ibuanus*; tum *Remygii Bellequei* (Belleau) qui etsi *Sammoribano* teste, sobrietatis studiosissimus esset, *Anacreontem* summo studio Gallice loqui docuit. Magis mirum videtur,  
Joban-

*Johannem Baptistam Mansum*, poetam Neapolitanum (mortuum 28. Dec. 645. ætatis 84.) inter flagra & horrenda poenitentiae exercitia, erotica sua meditari solitum fuisse. Quicquid tamen horum sit, difficulter se adduci patitur Bailletus, ut quemquam mentis affectus intemeratos servare posse credat, dum amantium affectus ore aut calamo exprimere satagit. Urget porre exempla *Bembæ Cardinalis*, *Muresii*, *Foppii*, *Schottenii de Azama*, *Ambr. Franci*, *Barthii*, *Gebhardi*, *Rob. Keuchenii*, *Lindenbergii*, *Zach. Lundii*, *Sigisfr. Jul. Mynsingeri*, *Rein. Neubusii*, *Gabr. Schneideri*, *Mich. Virdungii*, *J. Ang. Werdenbagenii*, qui carmina sua liberius scripta non nisi sub *JUVENILIUM* titulo edi voluere, forte, quod juventutem suam facilius eam veniam impetraturam sperarint, quam maturiori ætati multi negare potuissent. Commendat *Franciscum Petrarcbam*, *Petrum Aretinum*, *Joachimum Bellajum*, *Ronsardum*, *Muretium*, *Lopez de Vega*, *Ansalduum Ceba*, *Octavium Rinuccinum*, *Gabrielem Altilium*, *Johannem Maresum de sano Sorlini* (Desmarests de S. Sorlin) *Brebeufium*, aliosque, eo nomine, quod minimum ante mortem resipuerint, & sanctius argumentum, quam cui hactenus assueti fuerant, deceantandum quæsierint.

Invehitur hinc in illos, qui a veterum poetarum simplicitate recesserunt, poemataque sua exarantur figuris ararum, ovorum, globorum, cuborum, pyramidum, calicum, thronorum, pileorum, alarum, & quæ hujus generis alia sunt. Non ignorat tamen, quod & olim *Dofiodas Rhodius* aram ex versibus struxerit, & *Simmias* ovum posticum excluderit.

Graviter adhuc animadvertit in illos, qui allusionibus ad nomina propria delectantur. Illud argutiarum genus post *Barthianum* observat non ante in literarium orbem irrepsisse, quam ex quo cum *Claudiano* genuina poesis expirasset.

Detonat denique in poetas tantum non omnes, qui sibi quicquid libuerit licere putent, adeo ut ex virtuoso flagitiosum, ex flagitioso vicissim virtuosum effingant, prout cæci venalesve affectus aut calumniandi pruritus jusserint. Notat hæc tum *Marynardum*, tum *Nicolaum Boileau Despreaux*. Illum, quod tum in blanditiis, quibus *Richelii* viventis liberalitatem mereri nitebatur, tum in invectivis, quibus mortuo Cardinali ingratitude vitiaque alia expro-

exprobrarit, modum nesciverit: Hunc vero quod in Satyris *Petrarum Pelletarium* parafiti imagine deridendum propinarit, quem tamen non nifi domi fuæ cœnaffe prandiffeque conflet.

Hæc aliaque id genus præfatus, autores ipfos, de quibus agere voluit, aggreditur. Præmittit aliquot decadas illorum, qui de *Arte poetica* aliquid, feu prorfã, feu vorfa, commentati funt. Hos excipiunt ipfi *Poeta ultra fequimille. Mofen* iis honoris gratia ducem dedit Bailletus. Proxime iftum excipiunt *Græci*, Homerus, Hefiodus, Sibylla, Aleman, Archilochus, & quotquot ante illud tempus florere, quo univerfa tandem Græcia Romanum jugum fubiit.

Volumine *altero* habentur *Latini*, qui inde a bellis Punicis ufque ad feculum, quo *Danti* & *Petrarcha* auspiciis bonæ literæ re-floruerunt, inclaruere; admixtis *Græcis* nonnullis, qui fub Imperatoribus Romanis ac CPlitanis fcripferunt, quales funt Ezechiel Tragœdus, Oppianus, Babrius, aliique. Reliqua volumina *poetas* modernos enumerant, qui inde a *Danti Algeris* ætate ad no-ftra tempora, *Græca, Latina, Italica, Gallica, Hispanicæ* carmina condiderunt, cujuscunque gentis ipfi fuerint. Incipit igitur volumen *tertium* a *Dante*, anno 1321 vel 1325 mortuo. Nihilominus cum ad *Alanum Charterium*, anno 1458 denatum, Bailletus deveniffet, *Helimandum, Guiotum*, pluresque alios Gallicos poetas ipfo *Dante* vetuftiores, obiter commemorandos duxit. In volumine *quarto* primum locum fortitus eft *Torquatus Taffus*, in quinto *Paulus Scarronius*.

Inter recentiffimos Gallia vates, de quibus Bailletus egit, *Plejas* potiffimum *Parifienfis*, quam vocant, nostros in fe oculos merito convertit. Notiffima eft *Plejas* Poetarum *Romana*, quam & a patrono *Alexandro VII* Pontifice, *Alexandrinam* vocitarunt. Conftituebant eam *Auguftinus Favoriti*, *Apollonius Florens*, *Natalis Rondininus*, *Virginus Cafarinus*, Itali; *Ferdinandus de Furftenberg*, & *Job. Rugerus Torck* Germani; *Stephanus Gradus* denique *Ragusanus*. Difparuit ea penitus, ex quo ultimi illorum, *Favoritus* Innocentio XI a fteganographiis explicandis, & *Furftenbergii* Monafterienfium & Paderbornenfium epifcopus vita excefferunt. Horum obitus locum dedit novæ poetarum *Latinorum Plejadi*, quam conftituunt *Renatus Rapinus*, *Jobannes Commirtius*.

*rius, Carolus de La Ruë* Jesuitæ; *Job. Bapt. Santolius* (de Santeuil) canonicus regularis S. Victoris; *Agidius Menagius* abbas secularis; laici item bini, *Carolus Pererius* (du Perier) eques, & *Petrus Petitus* medicus. Bailletus author est, non paucos desiderasse, ut *Celeb. Petrus Daniel Huetius* inter Plejados astra locum occuparet, itemque hoc daret precibus Cl. *Job. Georgii Gravii*, ut poemata sua in unum volumen collecta publicæ luce frui pateretur. Dubitat autem vehementer, utrum alterutri horum votorum unquam sit satisfactorius *Huetius*, ex quo in sedem episcopalem *Suefionum* evedctus, sanctioribus distineatur occupationibus; etiamsi nihil scripserit, cujus eum pudere oporteat, si vel ipsum thronum Papalem conscendere ipsi contingeret. Inter poetas vernaculos nomen etiam profitentur historiographi illi duo regii, *Joannes Racine* & *Nicolaus Boileau Despreaux*, quorum ille inter Tragædos, hic inter Satyricos parem hodie non habere putatur. Memoratu digna videtur ratio, quam Potentissimo Galliarum Regi suavisse refert Noster, ut posteriori huic munus Historiographi sui crederet. Plus simplici vice nimirum audiverat, vereri suos, ne **LUDOVICUS MAGNUS** seræ posteritati *heros* quidam *fabulosus* videretur, eo quod veritas ab eo gestorum magnitudinem omnium, quæ in fabulis verisimilia habentur, longe transcendat. A Satyrico ergo illo potissimum historiam suam condi voluit, quod facilius fidem speraret inventurum scriptorem, qui dudum mordacissimis suis scriptis capitalem adulationis ac dissimulationis hostem sese probasset.

Properamus ad operis finem, quo Polyhistor noster brevissimis indicat tum nomina *Poetriarum* quarundam, (inter quas ætate, non meritis, postromæ sunt *Mademoiselle de Scudery*, *Aurelia Fedeli*, *Madame de Houillieres*, ac *Mademoiselle de La Vigne*,); tum paucissimos qui *Germanicam*, *Polonicam*, *Danicam*, *Suevicam*, *Belgicam*, *Anglicam* denique posin excoluere. Quod autem Poetas Anglos attinet, penuriam Bailleti facile compensabit *Gust. Winstanlaus*, de quo nunc pluribus agendum erit.

**THE LIVES OF THE MOST FAMOUS ENGLISH  
Poets, &c. i. e..**

Ddd d

Vitz

exprobrarit, modum nesciverit: Hunc vero quod in Satyris *Petrarum Pelleterium* parafiti imagine deridendum propinarit, quem tamen non nifi domi suæ cœnasse prandisseque constet.

Hæc aliaque id genus præfatus, autores ipsos, de quibus agere voluit, aggreditur. Præmittit aliquot decadas illorum, qui de *Arte poetica* aliquid, seu prorsâ, seu vorsa, commentati sunt. Hos excipiunt ipsi *Poeta ultra sesquimille. Mosen* iis honoris gratia ducem dedit Bailletus. Proxime istum excipiunt *Græci*, Homerus, Hesiodus, Sibylla, Alcman, Archilochus, & quotquot ante illud tempus florere, quo univêrsatandem Græcia Romanum jugum subiit.

Volumine *altero* habentur *Latini*, qui inde a bellis Punicis usque ad seculum, quo *Danti & Petrarca* auspiciis bonæ literæ re-floruerunt, inclaruere; admixtis *Græcis* nonnullis, qui sub Imperatoribus Romanis ac CPlitanis scripserunt, quales sunt Ezechiel Tragœdus, Oppianus, Babrius, aliique. Reliqua volumina *poetas* modernos enumerant, qui inde a *Danti Algerii* ætate ad nostra tempora, *Græca, Latina, Italica, Gallica, Hispanicave* carmina condiderunt, cujuscunque gentis ipsi fuerint. Incipit igitur volumen *tertium* a *Dante*, anno 1321 vel 1325 mortuo. Nihilominus cum ad *Alanum Charterium*, anno 1458 denatum, Bailletus devenisset, *Helimandum, Guiotum*, pluresque alios Gallicos poetas ipso Dante vetustiores, obiter commemorandos duxit. In volumine *quarto* primum locum sortitus est *Torquatus Tassus*, in quinto *Paulus Scarronius*.

Inter recentissimos Galliz vates, de quibus Bailletus egit, *Plejas* potissimum *Parisiensis*, quam vocant, nostros in se oculos merito convertit. Notissima est *Plejas* Poetarum *Romana*, quam & a patrono *Alexandro VII* Pontifice, *Alexandrinam* vocitarunt. Constituebant eam *Augustinus Favorii*, *Apollonius Florens*, *Natalis Rondininus*, *Virginus Casarinus*, Itali; *Ferdinandus de Furstenberg*, & *Job. Ratgerus Torck* Germani; *Stephanus Gradus* denique *Ragusanus*. Disparuit ea penitus, ex quo ultimi illorum, *Favorius* Innocentio XI a steganographiis explicandis, & *Furstenbergius* Monasteriensium & Paderbornensium episcopus vita excesserunt. Horum obitus locum dedit novæ poetarum *Latinorum Plejadi*, quam constituunt *Renasus Rapinus*, *Jobannes Commirius*.

*rius, Carolus de la Ruë* Jesuitæ; *Job. Bapt. Santolius* (de Santeuil) canonicus regularis S. Victoris; *Agidius Menagius* abbas secularis; laici item bini, *Carolus Pererius* (du Perier) eques, & *Petrus Petrus* medicus. Bailletus author est, non paucos desiderasse, ut *Celeb. Petrus Daniel Huetius* inter Plejados astra locum occuparet, itemque hoc daret precibus Cl. *Job. Georgii Gravii*, ut poemata sua in unum volumen collecta publica luce frui pateretur. Dubitat autem vehementer, utrum alterutri horum votorum unquam sit satisfactorius *Huetius*, ex quo in sedem episcopalem *Suesonum* evectus, sanctioribus distineatur occupationibus; etiamsi nihil scripserit, cujus eum pudere oporteat, si vel ipsum thronum Papalem conscendere ipsi contingeret. Inter poetas vernaculos nomen etiam profitentur historiographi illi duo regii, *Joannes Racine* & *Nicolaus Boileau Despreaux*, quorum ille inter Tragædos, hic inter Satyricos parem hodie non habere putatur. Memoratu digna videtur ratio, quam Potentissimo Galliarum Regi suavisse refert Noster, ut posteriori huic munus Historiographi sui crederet. Plus simplici vice nimirum audiverat, vereri suos, ne **LUDOVICUS MAGNUS** seræ posteritati *heros* quidam *fabulosus* videretur, eo quod veritas ab eo gestorum magnitudinem omnium, quæ in fabulis verisimilia habentur, longe transcendat. A Satyrico ergo illo potissimum historiam suam condi voluit, quod facilius fidem speraret inventurum scriptorem, qui dudum mordacissimis suis scriptis capitalem adulationis ac dissimulationis hostem sese probasset.

Properamus ad operis finem, quo Polyhistor noster brevissimis indicat tum nomina *Poerriarum* quarundam, (inter quas ætate, non meritis, postromæ sunt *Mademoiselle de Scudery*, *Aurelia Fedels*, *Madame de Houillieres*, ac *Mademoiselle de la Vigne*); tum paucissimos qui *Germanicam*, *Polonicam*, *Danicam*, *Suecicam*, *Belgicam*, *Anglicam* denique poesin excoluere. Quod autem Poetas Anglos attinet, penuriam Bailleti facile compensabit *Gust. Winstanlaus*, de quo nunc pluribus agendum erit.

**THE LIVES OF THE MOST FAMOUS ENGLISH  
Poets, &c. i. e.,**

Ddd d

Vitz

exprobrarit, modum nesciverit: Hunc vero quod in *Satyris Petrum Pelletarium* parafiti imagine deridendum propinarit, quem tamen non nifi domi fuæ cœnaffe prandiffeque confitet.

Hæc aliaque id genus præfatus, autores ipfos, de quibus agere voluit, aggreditur. Præmittit aliquot decadas illorum, qui de *Arte poetica* aliquid, feu prorfa, feu vorfa, commentati funt. Hos excipiunt ipfi *Poeta ultra fequimille. Mofen* iis honoris gratia ducem dedit Bailletus. Proxime iftum excipiunt *Græci*, Homerus, Hefiodus, Sibylla, Alcman, Archilochus, & quotquot ante illud tempus florere, quo univerfa tandem Græcia Romanum jugum fubiit.

Volumine *altero* habentur *Latini*, qui inde a bellis Punicis ufque ad feculum, quo *Dantiæ & Petrarca* auspiciis bonæ literæ re-floruerunt, inclaruere; admixtis *Græciæ* nonnullis, qui fub Imperatoribus Romanis ac CPlitanis fcripferunt, quales funt Ezechiel Tragædus, Oppianus, Babrias, aliique. Reliqua volumina *pœtas* modernos enumerant, qui inde a *Dantiæ Algeris* ætate ad no-ftra tempora, *Græca, Latina, Italica, Gallica, Hispanicæ* carmina condiderunt, cujuscunq; gentis ipfi fuerint. Incipit igitur volumen *tertium* a *Dante*, anno 1321 vel 1325 mortuo. Nihilominus cum ad *Alanum Charterium*, anno 1458 denatum, Bailletus deveniffet, *Helinandum, Guiotum*, pluresque alios Gallicos pœtas ipfo *Dante* vetuftiores, obiter commemorandos duxit. In volumine *quarto* primum locum fortitus eſt *Torquatus Taffus*, in quinto *Paulus Scarronius*.

Inter recentiffimos Gallia vates, de quibus Bailletus egit, *Plejas* potiffimum *Parifenfis*, quam vocant, noſtros in fe oculos merito convertit. Notiffima eſt *Plejas* Poetarum *Romana*, quam & a patrono *Alexandro VII* Pontifice, *Alexandrinam* vocitarunt. Conſtituebant eam *Auguſtinus Favoriti, Apollonius Florens, Natalis Rondininus, Virginius Caſarinus*, Itali; *Ferdinandus de Furfſtenberg, & Job. Rutgerus Torck* Germani; *Seephanus Gradus* denique *Raguſanus*. Diſparuit ea penitus, ex quo ultimi illorum, *Favoritus* Innocentio XI a ſteganographiis explicandis, & *Furfſtenbergius* Monafterienſium & Paderbornenſium epifcopus vita excefferunt. Horum obitus locum dedit novæ poetarum *Latinorum Plejadi*, quam conſtituunt *Renatus Rapinus, Johannes Commirius*.

*rinus, Carolus de la Ruë* Jesuitæ; *Job. Bapt. Santolius* (de Santeuil) canonicus regularis S. Victoris; *Figidius Menagius* abbas secularis; laici item bini, *Carolus Pererius* (du Perier) eques, & *Petrus Petitus* medicus. Bailletus author est, non paucos desiderasse, ut *Celeb. Petrus Daniel Huetius* inter Plejados astra locum occuparet, itemque hoc daret precibus *Cl. Job. Georgii Gravii*, ut poemata sua in unum volumen collecta publicæ luce frui pateretur. Dubitat autem vehementer, utrum alterutri horum votorum unquam sit satisfactorius *Huetius*, ex quo in sedem episcopalem *Sueffionum* evehctus, sanctioribus distineatur occupationibus; etiam si nihil scripserit, cujus eum pudere oporteat, si vel ipsum thronum Papalem conscendere ipsi contingeret. Inter poetas vernaculos nomen etiam profitentur historiographi illi duo regii, *Joannes Racine* & *Nicolaus Boileau Despreaux*, quorum ille inter Tragædos, hic inter Satyricos parem hodie non habere putatur. Memoratu digna videtur ratio, quam Potentissimo Galliarum Regi suasse refert Noster, ut posteriori huic munus Historiographi sui crederet. Plus simplici vice nimirum audiverat, vereri suos, ne **LUDOVICUS MAGNUS** seræ posteritati *heros* quidam *fabulosus* videretur, eo quod veritas ab eo gestorum magnitudinem omnium, quæ in fabulis verisimilia habentur, longe transcendat. A Satyrico ergo illo potissimum historiam suam condi voluit, quod facilius fidem speraret inventurum scriptorem, qui dudum mordacissimis suis scriptis capitalem adulationis ac dissimulationis hostem sese probasset.

Properamus ad operis finem, quo Polyhistor noster brevissimis indicat tum nomina *Poeriarum* quarundam, (inter quas ætate, non meritis, postromæ sunt *Mademoiselle de Scudery*, *Aurelia Fedeli*, *Madame de Houillieres*, ac *Mademoiselle de la Vigne*,); tum paucissimos qui *Germanicam*, *Polonicam*, *Danicam*, *Suevicam*, *Belgicam*, *Anglicam* denique poesin excolere. Quod autem Poetas Anglos attinet, penuriam Bailleti facile compensabit *Guil. Winstanlaw*, de quo nunc pluribus agendum erit.

**THE LIVES OF THE MOST FAMOUS ENGLISH  
Poets, &c. i. e.,**

Ddd d

Vitz



Vitæ celebriorum Poetarum Anglorum, five, Honor Parnassi, monstratus in Specimine brevi ex operibus scriptisque ducentorum fere, qui inde a Guilielmi Conquestoris tempore, usque ad modernum Britanniarum Monarcham JACOBUM II floruerunt, conscripto a Guilielmo Winstanley.

Londini, impensis Samuelis Manship, 1687, in 8.

**N**ON possumus non autoris literatissimi studium vehementer approbare, quo *civium suorum poeseos laude florentium vitas ac opera* recensuit. Neque vero satis esse putavit, singulorum *avum, patriam, gesta* memorabiliora, *morem, poematum* denique *titulos* succincte enarrasse. Quin ubivis interspergenda censuit *excerpta* quædam et potioribus Poetæ operibus, ut iis, quibus ipsa opera inspicere non licet, isthinc saltem de authoris ingenio judicare liceret.

Principem locum dedit *Roberto Glocestrensi & Richardo Exemise*, quorum uterque seculo XIII ineunte obiit. Sequuntur ejusdem seculi poetæ *Josephus Excestriensis* seu *Ischanus*, *Michael Blannpain*, *Matthæus Parisiensis*, *Alexander Nequam*, *Alexander Esselbiu*. Ex iis, qui seculo XIV vita functi sunt, *Robertus Bastoni*, *Henricus Bradshavv* ac *Havillanus* soli comparent. Excipiunt hos, ex XV seculo *Job. Gowerus*, *Galfridus Chaucerus*, *Jobannes Lydgate*, *Job. Hardingu*. Poetas seculi XVI & XVII universos enumerare tædiosum nimis esset; nisi universi pene Italis, Gallis, quin & nostratibus ne solo quidem nomine innotuissent. Memorantur igitur auctori nostro ex seculo XVI, *Robertus Fabianus*, *Job. Skeltonus*, *Guil. Lilius*, *Thomas Morus*, *Henn. Howard*, Comes *Surriz*, *Thomas Wiat*, *Christoph. Tye*, *Job. Lelandus*, *Thomas Churchyard*, *Job. Higgins*, *Abrahamus Fraunce*, *Guil. Warnerus*, *Thomas Tufferius*, *Thomas Scovv*, *Th. Lodge*, *Robertus Greenius*, *Thomas Nash*, *Philippus Sidnew*, *Fulco Grevil*, *Edmundus Spenserus*. Ex mortuis denique nostro seculo commemorandos *Winstanleus* putavit *Jobannem Herringtonum*, *Job. Heywoodum*, *Georgium Peil*, *Job. Lilius*, *Guil. Wagerum*, *Nic. Bertonum*, *Thomam Kid*, (in cujus vita contanei  
ejus

ejus *Thomas Watsonus, Th. Hudsonus, Job. Markhamus, Th. Achelly, Job. Weever, Ch. Meddletonus, Geo. Turbervilius, Henr. Constable ac Johannes Lane* laudantur, ] *Thomam porro Overbury, Michaelem Drayton, Josuam Sylvestrum, Samuelem Danielelem, Georg. Chapmanum, Robertum Baronium, Lud. Carlisle, Job. Ford, Ant. Brevver, Henr. Glapthornum, Job. Davu, Job. Donne, Richardum Corbet, Benj. Johnsonium, Fr. Beaumontium ejusque collegam Job. Fleischerum, Guil. Shakespeare, Christoph. Marlow, Baronum Holyday, Cyrrillam Turney, Th. Middleronum, Guil. Revvley, Thom. Decker, Job. Marstonum, Gasp. Main, Jac. Shirley, Phil. Masfingerum, Job. Websterum, Guil. Brown, Th. Randolphum, Job. Beaumontium, Philemonem Hollandum, Thomam Goffe, Th. Nabbes, Rich. Broome, Rob. Chamberlain, Guil. Samsonem ꝑ. Georg. Sandys, Job. Suckling, Guil. Habingtonum, Franc. Quarles, Phineam Fletcher, Georg. Herbertum, Rich. Crashaw, Guil. Carverigbeum, Astonum Cockam, Job. Davu, Th. Majum, Car. Alynium, Geo. Wisbers, Rob. Herricum, Job. Taylor, Th. Ravvlius, Th. Carew, Rich. Lovelace, Job. Kirckenhead, Rob. Wild, Abr. Covvley, Edm. Wallerum, Job. Denham, Guil. Davenantium, Geo. Whartonum, Robertum Hovvardum, Guilielmum Cavendish Novi Castri Ducem, præter cujus conjugem nullam novimus a Winstanlæo memoratam poetriam, Guil. Killeger, Job. Studley, Job. Tasbamum, Th. Jordanum, Hugonem Cromptonum, Edm. Prestvich, Paganum Piscatorem, Ed. Shirburnum, Job. Quarles, Job. Miltonum, Job. Ogilby, Rich. Fanshott, Rogerum Boyle, Comitum ab Orrery, Thomam Hobbesium Malmesburientem, Comitum quandam Rossensem, Thomam Flatmanum, Martinum Lucllinum, Edm. Fairfax, Henr. King Episc. Ciccstrensem, Th. Manley, Lud. Griffir, Job. Dauncy, Rich. Head, Job. Phibps, Job. Oldham. Agmen claudunt hodiernum superstites *Johannes irriden, Elkanah Settle, Geo. Etheridge, J. b. Wilsonus, Thomas hadvellu, Thomas Stanley, Edw. Philips, Thomas Sprat, Guil. Smith, Job. Lacey, Guil. Wicherly ac Rogerus L' EStrange.**

Cum vero longe plures huic catalogo inferi mereantur, illorum recensum. donec secunda vice libellus edatur, dilatata voluit auctor. Tuneque forsân *Fairbf:ill Teat*: Ecclesiasten Sudburiensem inter gentis suæ poetas referre. non pigrabitur. Ingeni-

osum illius opus, quod *Ter Tria* sive *Doctrinam* de tribus *Trinitatis* personis *Patre, Filio & Spiritu Sancto*, de præcipuis charismatibus, *fide, spe & caritate*, ut & de officiis Christiani præcipuis, *oratione, auditione & meditatione*, inscripsit, Nostratium quidam vernaculo carmine reddidit, ejusque propediem editionem molietur; quod Winstanlæo indicasse non abs re fuisse opinamur.

De cætero, ex hoc libello sequentia memoratu digniora excerptisse operæ erit pretium:

Abrahamus Fraunce *Hexametro* carmine Heliodori Æthiopica efferre conatus est. En versionis initium:

*As soon as sun-beams could once peep out fro the mountains*

*And by the dawn of day had somevbat lightned Olympus, &c.*

Quod genus carminis Græcorum Latinorumque æmulus *Philippus Sidney* omnium primus Anglicanis Musis familiare reddidit. Ex Italis, Hispanis, Gallis, Germanis, Batavis neminem novimus, qui in vernacula sua idem tentarit.

*Philemon Hollandus*, Med. D. & Pract. Coventriensis tantum non omnes autores classicos in vernaculam transtulit, unde quidam ita in eum lusit:

*Holland vvitsh his translations doth so fill us,*

*He vwill not let Suetonius be Tranquillus. i. e.*

*Hollandus obruit nos versionibus,*

*Nec esse Tranquillum sinit Suetonium.*

Unam alteramque harum versionum, (non obstante, ut *Noſter* ait, *gigantea earum mole*,) unico absolvit calamo, quem inter *καμηλεια* sua amicis ostentare solitus fuit. *Iohannem Morum Winstanlæus* inter poetas retulit ob *Utopiam* tanto cum ingenio effictam, ut *Budeus & Johannes Patudanus* veram orbis partem crediderint, optarintque adeo, ut eximiis nonnullis Theologis incolarum conversio injungeretur. Imo ex civibus suis fuisse autor refert pios quosdam ac eruditos theologos, qui semet ipsos itineri in *Utopiam* suscipiendo promptissime accingere nulli dubitarint. Non displicet denique anagramma, quo *WIAT* Autori nostro est *AWIT*, h. e. *ingeniosus*. Sufficiant hæc speciminis loco, ex hoc *Winstanlæi* specimine, quod ut propediem in justæ magnitudinis opus exercita, optamus,

RATIO-

**RATIONES PHILOSOPHICO-MEDICÆ, THEO-  
retico-Practica a Benj. Bræchwysio, Med. & Phil. D. &c. juxta  
Auctoris principia deductæ.**

Hagæ Comitum, apud Meynard. Uytverf; 1687, in 4.

**Q**uem primum Noviomagi A. 1672 sub titulo *Oecnomia corporis animalis, seu cogitationum succinctorum de mente, cognitionis & utriusque conjunctione, juxta methodum Philosophiæ Cartesianæ deductarum.* in lucem edidit libellum in octavo, in CXXI articulos divisum, clarissimus Auctor, dein in quarto A. 1683 Amstelodami recudi curavit. In hac editione secunda XXV priores articulos, animæ in primis essentiam & cognitionem tradentes, notis auxit, reliquos vero parum aut nihil mutatos, vel locupletatos subjunxit, prout in Actis nostris ejusdem anni mense Augusto notavimus. Nunc mutato titulo sequentes XXV articulos commentariis illustrat: illa enim, quæ in prioribus editionibus exposuit, summario loco ponit, fusius & prolixius explicata. Quippe jam ad corporis expositionem pergit, atque quæ in primis viis peraguntur, prioribus XXII capitibus considerat, phaenomenorum præcipuam ætiologiam a materiæ mundi subtilissimæ actione, juxta placita Philosophiæ Cartesianæ, derivans. Inde quid aer, cibus & potus, motus &c. in eo negotio præsentent, & quomodo pro diversitate sua massam sanguineam diversimode afficiant, recenset. Cum igitur & malorum inde emergentium descriptionem reliquis XXXI capitibus exhibeat, quorundam in primis viis maxime nidulantium morborum, e. gr. nausæ, vomitus, diarrhœæ, lienteriæ, dysentericæ &c. curationes, principiis suis innitentes, adjecit, reliquorum in futuris voluminibus enodationem pollicitus.

**MEMOIRES HISTORIQUES ET GEOGRAPHI-  
ques du Royaume de la Morée, Negrepon & des places mariti-  
mes jusques à Thessalonique, par P. M. Coronelli.**

id est:

Ddd d3

P. M.

P. M. Coronelli, Geographi Veneti, Commentarius  
Historicus & Geographicus de Morea, Negroponte, & locis  
maritimis usque Thessalonicam.

Amsterodami, apud Wolfgangum, Waesbergium, Boomium &  
van Someren, 1686. in 12.

**S**criptus est hic liber ab auctore lingua Italica, & ex ea traductus  
in Latinam, cujus & Germanica versio adornata extat. Con-  
tinet eruditam descriptionem Peloponnesi seu Moreæ, & Eubœæ sive  
Negroponti urbium, castrorum, portuum, incolarum, locorum  
etiam finitimorum, adjunctis nominibus antiquis, commemoratio-  
ne originis variarumque mutationum, & quicquid uspiam memora-  
bile reperitur aut accidit, usque ad annum 1685, cum figuris admo-  
dum scite ære expressis. Divisus est in duos tomos; quorum prior os-  
tendit, Moream esse chersonesum seu peninsulam undique mari  
circumdatam, nisi quod versus septentriones isthmo Corinthiaco  
tanquam angusto tramite Helladi sive Achajæ annexa sit; tum  
ejus nomina antiqua recenset, & originem nominis Mo-  
reæ, hinc figuram, situm, amplitudinem, divisionem vete-  
rem in octo, & novam in quatuor partes, nimirum *Clarentiam*,  
*Belvedere*, *Saccaniam* & *Izaconiam*, quæ prisca Laconica est,  
exhibet. Enarrantur porro promontoria, montes & sylvæ,  
insertis ubique breviter antiquis Poetarum fabulis, item mentione  
fanorum ibidem extractorum: sequuntur fluvii, fines, maria qui-  
bus alluitur, cum suis sinibus, (ubi exacta descriptio maris Ionii,  
fertilitas, deliciae, imperiorum varietas, & qua ratione a Despo-  
tis in Turcarum potestatem pervenerit. His accedit commemo-  
ratio de pristina amplitudine Venetorum imperii, tam in Pelopon-  
neso, quam per universam Græciam & regna adjacentia, ut cœ-  
perit, utque adoleverit, uti Bertholdo Estio, duce Veneti exerci-  
tus, exso defecerit, nunc autem anno æræ vulgaris M DC XXCV  
quasi revirescat.

Posteriore parte sigillatim exponuntur civitates & castella  
mari adsitæ, sinus, saxa, insulæ non modo propinquæ, sed & aliæ  
Jonii

Jonii. Initium fit ab *Isthmo Corinthiaco*, in quo notabilis ille *murus* a portu Lecheo usque ad Cenchreum, per totum Isthmum ab Imperatoribus Græcis exstructus, postea a Venetis centum triginta sex turribus munitus, tandem a Turcis haud diu post expugnatam Constantinopolin dirutus, describitur. Inde proceditur ad *Corinthum* & ejus ruinas, arcem Acrocorinthum, hinc ad *Patras* etiamnum mercatura nobiles, quibus adnectitur tabula vicinæ *Cephalonia*; pergitur *Cyllenen* sive *Clarentiam* vel *Cbiarenzam*, *Caminizam*, *Torneesium*, sive *Chelonaten*, *Pylam Messeniorum*, quam *Sephanus Coripbasum*, nunc *Zunchio* & *Navavino* vocant, *Methonem* sive *Modon*, *Coronem*, cujus obsidio atque insimul pugna memorabilis die 7. Augusti 1685. inter Venetos & Turcas commissa multis narratur; quibus annectitur descriptio vexilli summi exercitus Turcici & caudarum equinarum, quarum usum inde apud Barbaros ortum esse nosfer tradit, quod quum sub initia bellorum adversus Christianos sex millia Turcarum unò prælio capti & negligentius custoditi fuissent, hi occasionem victores cædendi nacti sint, & quum alia semet internoscendi signa non haberent, caudis equinis uti convenerint: ab eo felici successu istum caudarum usum in expeditionibus bellicis invaluisse. Pergit inde auctor ad descriptionem *Calamata*, quondam *Iberamne* dictæ, utque ea astu capta & postea diruta sit; deinde *Zarnata*, *Chelase*, *Passava* & Venetis armis nuper expugnata *Misibra* sive *Sparsa*, de qua multa memorabilia recensentur. Sequitur promontorium *Tanarium* sive *Matapan*, ubi castrum *Maina*, *Epidaurus* seu *Malvasia*, vino generoso nobile, *Nauplia* sive *Napoli di Romania*, ad sinum Argolicum sita, *Argos* Peloponnesiacum ad Inachum fluvium, cujus ruinæ a perquam paucis habitantibus nihil antiqui splendoris retinent. His finitur designatio Peloponnesi. Adjiciuntur autem vicina maria, insulæ, regiones. Jonio mari alluitur Peloponnesus versus occidentem, *Ægeo* ab oriente, inter quæ duo maria posteriores Geographi tertium, qua in meridiem protenditur península, inter *Aeritam* & *Maleam* promontoria, *Mare della Sapienza* nominant, ab insula *Methonæ* opposita, olim *Sphagia*, nunc *Sapienza* appellata. In Jonio mari sinus *Crisæus* seu *Corinthiacus*, nunc *Golfo di Lepanibo*, *Patrensis* nunc *di Patrasso*, *Cyllenius* nunc *di Cbiarenza*, *Chelonates* nunc *dell' Arcadia*,

*eadia*, Cyparissius nunc *Zonchio*. In mari della Sapienza, cujus pars est mare Creticum, sinus Messeniacus, qui & Coroneus & Asinius, nunc *golfo di Coron* sive *di Calamata*, & Laconicus nunc *di Colocbine* vel *Rampani*. In Ægeo Argolicus, nunc *golfo de Napoli*, & Saronicus vel Salamonijs, nunc *dell' Engia*, ab insula Engia olim Ægina.

Extra hos sinus Peloponneso vicinæ sunt complures insulæ, e quarum numero Geographus noster exhibet *Corsu*, priscis *Corcyram*, item *Seberiam*, *Cerauniam* & *Pheaciam* nuncupatam, inter maximas maris mediterranei censendam, cujus salubritas, amoenitas & fertilitas hortis Alcinoi locum dederunt. Dividitur in quatuor præfecturas, quas millia hominum plusquam quinquaginta incolere perhibentur. Hinc olim tam apud Græcos, vel Thucydide teste, quam Romanos, Corcyreensium potentia celebris fuit. Paruerunt quondam Regibus Neapolitanis, sed variarum ejus regni mutationum pertæsi, circiter ante trecentos sexaginta annos ultro se Venetis dederunt, a quibus in fidem recepti adhuc moderate habentur. Referuntur præterea multæ aliæ, in quibus potissimum *Ericusa* sive *Paxu*, *Echinades*, *Leucadia* nunc *Santa Maura*, *Cephalenia* olim *Samos*, in qua præter cætera notabile est castrum *Asso* vel *Nasso*, & portus *Argostoli*: huic proxima est *Teacbi*, quam & *Cephaleniam minorem* appellant, olim *Ithaca* Ulyssis regnum; *Zacynchos* nunc *Zante*, ejus descriptioni auctor inserit multa memoranda de jejuniis & ritibus ecclesiasticis monachorum Græcorum, hanc & adjacentes insulas colentium; *Strophades* vel *Serromphides*, nunc *Serivales*, duæ parvæ insulæ, habitationes monachorum, in fabulis ab Harpyis notæ; denique *Prodano* priscis *Prote* dicta. Insulæ maris della Sapienza numerantur tres, *Sphagia* vel *Sphaerria* nunc *Sapienza*, *Teganusa* vel *Cauriera* nunc *Gabreris*, item *Turscholla*, & *Venerico*. In Ægeo mari vel Archipelago occurrit prima *Cyberæa* nunc *Cerigo*, natale solum Veneris, ejus templum & imaginem auctor depingit: circumdant eam aliæ minores, parvi momenti: inter plures autem alias quæ recensentur, maxime notabiles sunt *Ægina* nunc *Engia*, *Culuri* olim *Salamis*, nunc quoque *Santa Bursia* dicta, Homero *Cranæ* vocata. Progreditur Italus noster inde in terram continentem, ubi describit *Megarum* cum egregiis ex antiqua historia repetitis narratiunculis; huic adnectit *illum* & Themai-

Themistocle triplicem constitutum portum Pyraeum Atheniensium, nunc *Port Lion* vel *Porto Leone*, deinde ipsas Athenas, lumen Graeciae, & Atticam secundum praesentem statum diligenter exponit. Isthinc trajicit in Euboeam insulam, quam prisca *Cbalcidem* quoque nominaverunt, nunc *Negroponie*, de qua multa memoratu digna refert, & inprimis fluxum & refluxum maris mutabilem in euripo Euboico. Hunc singulis mensibus duplicem esse ait, regularem alterum, a novilunio prioribus novem diebus usque ad lunam falcata, ac rursus a decima quarta luna usque ad vicesimam, denique tribus extremis mensis diebus, & hoc toto tempore Oceani fluxui similem ac velut imperio temporum obnoxium, adeoque bis de die stas vicibus affluentem inque sese quasi remeantem. Ast irregularem alterum die decimo, undecimo, duodecimo, tertio decimo, & rursus a vigesimo primo usque vicesimum sextum cujusvis mensis lunaris diem, quibus quasi discors duodecies, tredecies, imo quaterdecies quotidie aestus reciprocat, ita tamen ut ultra pedem unicum, raro ad duos, unda non intumescat, quum in nonnullis Oceani litoribus ad octoginta ulnas exaestuaret recedatque. Tum illud quoque singulare est in euripo, quod quum Oceani aquae refluxu quasi in altum se recipiant, in affluxu vero litoribus superfundantur, in euripo longe aliter haec fiant. Namque in eo ascensus vel exaestuatio undarum contingere dicitur fluctibus versus insulas Archipelagi, ubi mare liberum est, decurrentibus, descensus autem vel refluxus, quando fluctus versus Thessaliae superiora littora appellantur. Posthaec describitur castrum *Pagasa* vel *Volo* ad sinum Pelasgicum vel Jolciacum, porro *Thessalonica* nunc *Salonichi*, celeberrimum emporium, inde sinus *Crissaeus* vel *Corinthiacus*, nunc *golfo di Lepanto*, cum duobus castris ad ejus os sitis, Gallice *Dardanelles de Lepante* nuncupatis, ac ultimo ipsa *Naupactus* sive *Lepanto*.

Haec summa est libelli, qui uti jucundus cognitum, ita hoc tempore, dum victorica Venetorum arma partem maximam locorum, quae tam pulcre descripta sunt, peragrant & recuperant, insignem lectoribus afferet utilitatem.

**DE THELEVI CLUVERI E SOC. REG. ANGLIC.**

*Monitum ad Geometras.*

Ecc e

Exhiby



**E**Xhibuimus inter Acta anni superioris & quidem mense Julio generales quasdam notiones, de singulari Clarissimi hujus Autoris invento circa quadrandum circulum, recepimus præterea nos brevi daturus methodum, qua irrationales quantitatum distractiones evitari, (utpote quarum perdifficili connexionem mensura Cyclica ab omni ævo insuperabilis fuit habita) tum per novam quandam infinitorum similium seriem figuræ geometricæ determinari possint, quam promissi fidem citius quidem exsolvere potuissemus, nisi ipsi Autori publicationem harum novitatum parumper adhuc differre placuisset, ob certas rationes suo loco edisserendas: Ex eorum enim videtur esse numero, qui non tam aliis, quam sibi philosophantur, neque est quod dubitemus quin eo copiosius abstrusum ac permagnum scientiæ apparatus ad tanti problematis constructionem necessarium, publicæ luci impertiri velit. Primam quidem descriptionem, (uti tum temporis inuimus) incuria cujusdam mercatoris sufflaminatam, ac male nobis redditam, sed denuo ab Autore revisam ac succinctius expositam, statim ac schemata quædam huc spectantia æri fuerint incisa, in Actis nostris expositura sumus, hoc interea ad Geometras monito viam ad reliqua parantes. Certiores scilicet reddit Autor Cl. harum rerum curiosos, in dimetienda variorum spatiorum magnitudine Geometras hucusque omnes deceptos fuisse, ac vixdum unicam ex figuris curvilineis debito modo a quoquam comprehensam, nullum quoque centrum gravitatis vel magnitudinis in iis præcise exploratum, nullam curvæ rectificationem absolute inventam, omnesque motuum regulas ex curvarum indole deductas, lubricas, incertas atque innumeris objectionibus obnoxias esse. Exempli loco servire poterit notissima illa curva Tetragonalis, vulgo *Parabola* dicta, cujus quadraturam ab Archimede rite inventam jam per viginti secula tota Mathematicorum cohors credidit, Autori tamen nostro, eandem secundum sua principia pressius examinanti, constitit, Parabolam ad inscriptum sibi Triangulum non habere rationem quam 4 ad 3, sed ut  $\frac{4N_2 - 1}{3N_2}$ , supponendo N denotare numerum infinitorum similium, ex quibus parabola componitur, ita ut illa ratio  $\frac{4}{3}$  sit justo major. Archimedis enim & reliquorum Mathematicorum ratiocinia excedunt per  $\frac{1}{3N_2}$  errore quidem ob exiguitatem insensibili

sibili

sibili, atque in praxi mechanica plane contemnendo, qui tamen parabolam numeris absolutis haud exprimendam, sed inter figuras irrationales collocandam satis arguit. Sic spatium exterius circa parabolam ( in parallelogrammo eidem circumscripto ) ad interius habere rationem subduplam vulgo traditur, sed Autoris nostri indagine idem determinatur per  $\frac{2N_2 + 1}{2N_2 - 1}$ . Innumeras præterea alias curvas, Geometris ne quidem nomine vel specie cognitās, simili methodo dimensus est, inter quas vel primo loco occurrit curva Trigonalis, cujus spatium ad Triangulum inscriptum est ut  $\frac{4N-1}{3N}$ , ipso parabolico ut genesi sic forma rationis simplicius. Erroris fontem ut detegat, ostendit, omnes quadrandi vias vulgo usitatas, peccare contra primam homogeneorum legem, tum rerum elementa quantumvis exigua ac quantillæ magnitudinis assumantur, nisi legitima atque ex ipsius formæ indole petita fuerint, nunquam naturalem perfectionem attingere; vulgares itidem regulas, quibus progressionum geometricarum summa in infinitum protensa colligi solet, veritati minime congruere: duo enim supponi passim principia plane chimærica, neque ulla ratione a quoquam demonstrata, quorum 1. est dari ultimum quendam in hujusmodi seriebus infinitis terminum. 2. hunc ipsum ob continuo decreſcentem parvitatē tandem degenerare in quoddam Non-quantum sive Non-ens aut nihil, cum e contrario per κοινήν ἔργοιαν constat, ultimum terminum hic plane exulare, ac frustra nihilum quid fingi, ubi perpetua quantitatis subdivisio adest, ita ut passus illi in infinito multitudine quidem sint innumerabiles, lineis tamen sive numeris idealibus ex similitudine extractis reddantur comprehensibiles, quælibet enim linea infinitum progressionum numerum repræsentare potis est. In perquirenda porro magnitudine Corporum sive solidorum curvilineariorum Autor testatur tot fere errores in Mathematicorum libris inveniri, quot propositiones ad eorundem dimensionem adduci solent: ignorata enim superficierum exacta mensura per earundem rotationem circa axes, præcisionem geometricam haud perfici aut corrigi, cuius patet. In Circulo autem & iis figuris, quæ in & extra orbem decurrunt, quomodo per infinitam rationum compositionem, abstrusissimo quodam artificio infinitum terminari possit, Autor suo loco ostensurus est. In gratiam interim eorum, qui

numeros illostriquadratos, quorum nexu circuli dimensio procedit, frustra se quaesivisse conqueruntur, libet eosdem aliquosque hic deductos exponere, illic enim constabit quomodo summa primi & secundi efficiat quadratum, tertius autem subtractus a primo & secundo duos similiter relinquat quadratos. Sunt enim

1.	0.	0
2.	2.	1
16.	3.	2
2.	4.	3
15.	10.	6
20.	10.	4

& sic in infinitum.

Hortum namque complicatione spatium cyclicum veluti per partes in infinitam rationales compingitur, summam perpetuo similitudinem & positionis & diversionis observando: quamvis innumeris aliis modis eadem collectio obtineri possit. DIVINAM proinde SPATII SYNTHESIN atque ANALYSIN ab Autore magna industria pervestigatam, non immerito omnis Philosophiæ Naturalis clavem ipse statuit, quid enim sit Primum, quid Ultimum, quidnam Simplex vel Compositum, Totum vel Pars, Perfectum vel Deficiens, Simile vel Dissimile, Continuum vel Contiguum, Commensurabile vel ἀλογον, Par vel Impar, ac veluti summa rerum capita ac principia, immensis adhuc tenebris involuta, ex universalibus formarum conjugationibus methodo geometrica sibi potius indagandum esse credidit, quam frivolas atque inanēs illas distinctiunculas penes Metaphysicos passim occurrentes sectari; præsertim cum de Natura Infiniti non tam superstitiosa quam barbara subinde jactentur axiomata. Sed de his omnibus, in Actis mensium proximorum, Autoris mentem uberius declarabimus.

**D. MICHAELIS DE MOLINOS, SACERDOTIS**, *Manuductio spiritualis, una cum tractatu ejusdem de quotidiana communione, fideliter & stylo Mysticorum conformiter translata a M. Aug. Herm.*

*Franckio.*

Lipsiæ, sumptibus Reinhardi Wächtleri, 1687, in 12.

DECRE-

MENSIS OCTOB. A. MDC LXXXVII. 589  
DECRETVM INQUISITIONIS ROMANÆ  
contra Michaelē de Molinos.

Romæ & Florentiæ, apud hæredes Franc. Honufrīi,  
Superiorum permissu, 1687, in 8.

Cum sub auspiciis hujus anni *Manuductionis* Michaelis de Molinos mentionem fecissemus, non pauci Italicæ linguæ imperiti optarunt, ut latina civitate donaretur. Horum tandem votis satisfactum esse, nunc indicandum duximus. Quæ occasione illorum quoque desiderii aliquid dabimus, qui ut *Decreti* contra Michaelē de Molinos nuper publicati summa capita referremus, cupierunt; etiamsi vix inter ERUDITORUM ACTA fanatici illius *propositiones*, decreto insertæ, locum mereantur.

Scilicet feria V. die XXVIII. Aug. 1687, in *Generali Congregatione Sancta Romana & universalis Inquisitionis propositiones* sexaginta octo *Michaelis de Molinos, a quo,* (verba sunt ex decreto Papali excerpta,) *fuerant pro suis recognita, & de quibus propositionibus, tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis & creditis ipse convictus & respectivè confessus est, damnatæ sunt, tanquam hæreticæ, suspectæ, erroneæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, Christiana disciplina relaxativæ & everivæ & seditiosæ respectivè.* Idem decretum ipso factò tum omnibus dignitatibus & beneficiis privat, tum vinculo anathematis, a quo nullus Romano Pontifice inferior, excepto articulo mortis, absolvi valeat, innodat illos, qui imposterum aut similiter locuti fuerint, scripserint vel crediderint, aut *alia hominis opera* impresserint, legerint, apud se retinuerint & non extradiderint Inquisitoribus, qui ut comburantur, curare debent.

Propositionum illarum Italice conscriptarum summa huc redit: Anima, via interna inæssura, *nihil operando annihilare se debet, fierique instar corporis mortui, adeoque nec cogitare* de ulla re, sive DEO, sive salute æterna, sive peccatis, horumque poenis, nec *velle, nec agere, nec sentire* quicquam. Deus enim solus in nobis absque nobis agere vult; Huic relinquenda est omnis *cogitatio* de nobis. Ab hoc nihil *petendum*, quia petere est *velle*, ut

Deus non suam, sed nostram voluntatem exequatur. *Quamvis oræ preces recitentur, non tamen opus est, ut eæ ab anima suis meditationibus aut ratiocinationibus adjuventur. Nec fides requiritur, nisi obscura & generalis, non autem distinctam attributorum Dei & Trinitatis notitiam complexa. Non excitanda devotio nostra, quin semper permanendum est animæ internæ in quiete imperturbabili ac resignatione passiva, & si forte ante aut post sacram communionem motus quidam humiliationis, petitionis, gratiarum actionis sentiri occipiant, statim sedandi sunt. Fausum est signum, si anima fastidierit discursus de Deo & virtutibus, ac ne orationem quidem dominicam recitare potuerit. Viæ internæ nihil negotiï intercedit cum confessione aut confessionariis, cum casibus conscientia, cum theologia & cum philosophia. Animabus mysticè mortuis Deus impossibilem reddit confessionem, ipseque illius defectum supplet per gratiam præservantem, duplo majorem ea, quam percepturæ fuissent ex sacramento: ideoque istis non consultum est tali in casu accedere ad sacramentum pœnitentiæ, quia non possunt (a Deo scilicet ipso impeditæ). Pervenitur hac viæ ad mortem mysticam sensuum, anima que redit ad principium suum, essentiam nempe divinam, in qua manet deificata (divinizzata), Deus olim faciebat sanctos mediantibus tyrannis, hodie mediantibus diaboli, qui physice adigunt corporis membra ad actus venereos aut flagitiosos alius generis. Incitet interim Satan, sentiat natura, cogatur corpus facere, quicquid Satanas voluerit, nil interest, modo anima interna nec consentiat, nec resistat nisi resistentia negativa, nec inquietetur istis, quæ natura aut corpus facere coguntur, sed resignata maneat. Utrum autem hæc vel illa anima sponte peccet, an vero per violentias diabolicas actum, (qui peccatum dici mereretur, si consensus animæ accederet,) exerceat, ex lumine actuali quodam divinitus dato dignoscere se posse, Michael de Molinos asseruit.*

Sed ohe jam satis est. Definimus igitur, & hæc huiusque surfuris alia dogmata toto pectore execramur. Non diffitemur autem, aliqua iisdem propositionibus inesse, quæ melioris communitis sunt; v. g. *Crucem voluntariam mortificationum esse onerosam & absque fructu; nullam creaturam, nec Beatam Virginem, nec alios*  
Sanctos

*Sanctos in corde nostro sedere debere, quia id solus Deus occupare velit, &c.* Absit vero, ut de illius in hujusmodi dogmatibus consensu nobis gratulemur.

LIBRI NOVI

Dn. Viti Ludovici a Seckendorf Commentarius Historicus & Apologeticus de Lutheranismò, sive de Reformatione religionis ductu D. Martini Lutheri stabilita: in quo Ludovici Maimburgii Historia Lutheranismi Latine versa exhibetur, corrigitur & suppletur &c. Lipsiæ, 1688. in 4.

Il Cristiano instruito nella sua Legge; Ragionamenti morali di Paolo Segneri, della C. di Jesu. In Venezia, 1687. in 4.

Istoria Descrizione de' tre regni, Congo, Matamba, & Angola, compilata dal P. Gio. Antonio Cavazzi da Montecucoli. In Bologna, 1687. in fol.

Memorie Historiche Geografiche della Dalmazia, raccolte da D. Cassimiro Freschot. in Bologna 1687, in 12.

Meteorologia Artificialis & Naturalis D. Innocentii Cessii. Parmæ 1687.

M. Tullii Ciceronis de Officiis libri tres &c. ex recensione J. G. Gravii, cum ejusdem notis, ut & integris animadversionibus variorum. Amstel. 1688. in 8.

Auli Gellii Noctes Atticæ, cum notis & emendationibus Joh. Frid. Gronovii. Lugd. Bat. 1687. in 8.

Deux Lettres du P. Malebranche, touchant le II & le III Volume des Reflexions de Mr. Arnauld. à Rotterdam, 1687.

Nouvelles Accusations contre Mr. Varillas, ou Remarques Critiques contre son premier Livre de l' Histoire de l' Heresie, par Mr. de Larroque, à Amsterdam 1687.

Philosophiz Naturalis Principia Mathematica, authore Isaaco Nevvton in Acad. Cantabrig. Matheseos Professore. Londini, 1687. in 4.

Essais de Theologie sur la Providence & la Grace, contre Mr. Jurieu, à Francfort, 1687. in 12.

Traité des Benefices de Frà Paolo Sarpi, Seconde edition augmentée de Notes. à Amsterdam, 1687. in 12.

Medicina Theorico-Practica ad saniozem seculi mentem centenis & ultra Consultationibus digesta, authore Pompejo Sacco. Parmæ, 1687. fol.

Petri Francii Laurus Europæa; seu celebres Christianorum de Turcâ victoriz. Amstel. 1687. in 8.

Traité de l' Eglise en forme d' Entretiens, par Mr. Brueys. à Paris 1687. in 12.

L' Etat present de la Puissance Ottomane, avec les causes de son accroissement, & celles de sa Decadence, par le Sr. de Vigneau, à Paris, 1687. in 12.

S. Ambrosii Opera ad manuscriptos editosque codices emendata, studio & labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri. Tomus L. Paris. 1686. fol.

Conversations sur diverses matieres de Religion, à Amsterd. 1687. in 12.  
Agneau

Agneau Pascal, ou Explication des ceremonies, que les Juifs observoient en la manducation de l' Agneau de Pasque, appliquées dans un sens spirituel à la manducation de l' Agneau Divin dans l' Eucharistie. A Cologne 1686. in 8.

Harmonie des Propheties anciennes avec les modernes sur la durée de l' Antechrist & les souffrances de l' Eglise. à Cologne, 1686, 1687. in 12.

Vincentii Lirinensis adversus profanas omnium novitates hæreticorum Commonitorium, cum notis Stephani Baluzii. Cantabrigiæ, 1687. in 12.  
Lettre adressée à Mr. Jurieu, touchant le Regne de Jesus Christ sur la terre. à Utrecht, 1687. in 12.

Le parfait Geographe, ou l' art d' apprendre aisement la Geographie & l' Histoire par demandes & réponses, par Mr. le Coq. à Paris. 1687. in 12.

Examen de l' oppression des Reformez en France, ou l' on justifie l' innocence de leur religion. Amsterd. 1687. in 12.

Versehide Tractaatjes van Cornelis Bontekoe. In s' Gravenhag, 1687. in 8.

An Essay towards the recovery of the Jewvish Measures and veights, comprehending their monies &c. by Richard Cumberland. London. 1686 in 8.

Stephani Blancardi Anatomia Practica Rationalis, sive rariorum causarum morbis denatorum Anatomica inspectio. Amstel. 1687, in 12.

Suite du Traité des Panacées, ou des Remedes Universels, par Jaques Massard. à Amsterdam, 1687.

Tablettes Chronologiques contenant avec ordre L' Etat de l' Eglise en Orient & en Occident &c. par G. Marcel. à Amsterdam. 1687. in 8.

Histoire de l' origine & des progrès de la Monarchie Françoisé, suivant l' ordre des temps, par Gu. Marcel. à Paris, 1686.

La Morale universelle contenant les Eloges de la Morale, de l' Homme, de la Femme, & du Mariage. à Paris, 1687.

Thomæ Sydenham opera univërsa, quibus accedunt Additiones novæ ex nupera Londinensi editione exceptæ, & Index rerum & verborum copiosissimus. Amstel. 1687. in 8.

Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ, a Francisco Pithæo notis illustratus. Accedunt Petri Pithœi Miscellanea Ecclesiastica; Abbonis Floriacensis Apologeticus & Epistolæ; & Formulæ Antiquæ Alfatix. Ex Bibliotheca Illustriss. D. Claudii de Peletier. Regni Administræ &c. Parisiis, ex Typographia Regia 1687. fol.

Jacobi Usserii Opusculâ duo, nunc primum Latine edita, quorum alterum est de Episcoporum & Metropolitanorum origine, alterum de Asia Proconsulari. Londini, 1687. in 8.

#### Errata,

Pag. 302. l. 13. pro *cum lege cui*. P. 389. l. 26. lege *propofiti*. P. 390. l. 19. pro *actum lege factum*. P. 394. pro *idem lege isa*. P. 463. l. 29. lege *potentiam*. P. 471. l. 31. lege *lphisi*. P. 506. post verba, *quo Gideon*, lege *in parthenesi*; *Josnam discere Pacichellus debuerat*.

§i (c) §i

# ACTA ERUDITORUM

*publicata Lipsiæ*

*Calendæ Novembris Anni M DC LXXXVII.*

*MUSEUM ITALICUM, SEU COLLECTIO VETERUM scriptorum ex bibliothecis Italicis, erusa a D. Johanne Mabillon & D. Michaele Germain presbyteris & monachis Benediclin. congreg. S. Mauri. Tomus I.*

Parisiis, apud Johannem Boudot &c.  
1687, in 4.

**P**rimus Musei hujus Italici tomus, quem quatuor aut quinque alii sequentur, in duas partes distinctus est, quarum prima iter Italicum, altera varia Patrum opuscula & vetera monumenta cum Sacramentario & Pœnitentiali Gallicano complectitur. Italiam biennio post iter Germanicum, in Actis nostris Cal. Jan. 1686. p. 18. memoratum, *Job. Mabillonius* ejusque comes *Michael Germanus*, hortatu Caroli Mauricii Tellerii Remensis Archiepiscopi, Regiis sumptibus eum in finem perlustrarunt, ut collecta inde supellectile libraria & Regiam bibliothecam auctiorem, & universam rem literariam illustriorem redderent. Coeptum est hoc iter Cal. April. 1685, & mensè Julio sequentis anni absolutum, adeoque eodem ferme tempore susceptum, quo *Burnetius* quoque, cujus peregrinationem Italicam superiori mensè recensuimus, varios Itolorum mores conspexit & urbes. In eo autem a Burneti relatione Mabilioniana differt, quod omisso statu civili & politico, circa rem literariam tanto diligentius versetur. Nos Autoris vestigia ita

F f f f

seque-



sequemur, ut instituti nostri memores in magna, quæ hic occurrit, observationum copia qualemcunque selectum habeamus.

*Augustæ Taurinorum* in palatii bibliotheca, ductu Abbatis *Gualtherii*, præter alia monumenta, *Pyrrhi Ligorii* opus autographum de numismatibus variisque inscriptionibus ac statuis, in sex & viginti volumina distributum invenerunt, quod Carolus Immanuel I Sabaudia Dux octodecim millibus ducatorum comparavit. Ritus flagellationum publicarum, die passionis Dominicæ ibidem solenniter peractarum, ad spectaculum potius fieri, quam ex sincero dolore profecti, non dissimulant.

*Vercellu* in sacrario ecclesiæ cathedralis, asservari notant veterrimum codicem membranaceum, evangelia S. Matthæi & Marci continentem, qui ab *Eusebio Vercellensi* Arianis certaminibus incluto scriptus creditur. Archivum ejusdem ecclesiæ Mabillonio ejusque socio Germano inspicere minime licuit, etsi quod *Attonu* episcopi opera ab *Acherio* ex imperfecto codice vulgata, magno ejus perlustrandi desiderio tenerentur.

Ambrosianam bibliothecam, quæ *Mediolani* est, omnes Italianas, si Vaticana excipiat, superare scribunt. Ex antiquis codicibus ibi repertis præ aliis commendant *Josephum*, seu potius Josephi interpretem *Rufinum*, etsi mutilum & a compactore valde confusum; e recentioribus *Leonardi Vinci* pictoris excellentissimi opus autographum duodecim voluminibus distinctum, & a Jacobo I Angliæ Rege tanti habitum, ut pro uno, quod bellicas veterum machinas exhibet, aureos ter mille Hispanicos obtulerit. Quæ de manuscripto *Egesippi* codice observantur, confirmant assertionem *Columesii*, quam ex ejusdem appendice ad Chartophylacem ecclesiasticum in Actis nostris Cal. Nov. 1686 p. 552 recensuimus.

In museo *Francisci Septala* plurimis rebus curiosis referto, de quo singularis liber Dertonæ vulgatus extat, indicem reliquiarum, quæ Romæ tempore Gregorii M. extiterunt, in charta Ægyptiaca exaratum legerunt & descripserunt. Inter statuas ecclesiæ majoris, quæ ad quatuor millia numerantur, ceteras omnes antecellere referunt statuam Bartholomæi detractam cutem gestantis. Ridentem esse censent, quod ad serpentem æneum, qui in basilicæ Ambrosianæ navi super columnam erectus est, matronæ *Mediolanensis*

ses feria secunda Paschæ infantes suos morbo laborantes sistere soleant. In monasterio *Caravallensi*, quod passim mendose Clara-vallense dici animadvertunt, quatuor milliaribus ab urbe distito, offenderunt disjectum tumulum *Guilhelmina* Boemæ anno 1281 mortuæ, & per aliquot annos pro sancta habitæ, sed tandem compertis ipsius præstigiis anno 1300 exhumatæ & combustæ. Qua occasione referunt, *Johannem Petrum Puricellum* in dissertatione de *Guilhelmina* ejusque asseclis inedita & fortasse nunquam edenda, quæ cum aliis ejus scriptis in Ambrosiana bibliotheca asservatur, contra *Donatum Bossium* contendere, *Guilhelminæ* sectam non fuisse corporis spurcitiis, sed mentis tantum deliriis infamem; siquidem ex publico inquisitionis instrumento pateat, asseclas ejus primarios, *Andream Saramitam* & *Mayfredam Pirovanam* docuisse, quod *Guilhelmina* esset Spiritus Sanctus in sexu foemineo incarnatus e *Constantia Bohemiæ Regis uxore*; quod ipsa esset resurrectura ante universalem resurrectionem, & discipulis videntibus in cælum ascensura; quod sibi reliquisset vicariam *Mayfredam* ordinis *Humiliatorum* monacham, quæ ad tumulum *Guilhelminæ* missam celebratura esset, & *Romæ* sedem apostolicam occupatura, & *Cardinales* dejectura, quatuor item sapientes habitura; qui nova evangelia scriberent. *Aronam* cum commendatitiis *P. Moneta* profecti, antiquum codicem librorum de imitatione Christi inspexerunt, in quo opus illud quinque *Johanni Gersen* abbati attribuitur. *Verona* in museo *Francisci Moscardi* varias inscriptiones aliaque ἀξιόμνη-μόνευστα observarunt, quo duce etiam *Academiæ Musicorum* seu *Philharmonicorum*, & amphitheatrum *Augusti ævo* a *Veronensibus* conditum perlustrarunt. *Vicentia* a *Johanne Martio Ceribiaro*, quem patriæ suæ antiquitatibus colligendis nunc incumbere tradunt, cum nonnulla istarum antiquitatum specimina petiissent, nihil præter inscriptionem a *Grutero* jam vulgatam impetrarunt.

Ex historia *Fr. Ptolomei de Luca*, quam *Patavis* in bibliotheca ecclesiæ cathedralis pervolverunt, probare contendunt, *Marrinum Polonium* *Nicolai III* Penitentiarium & deinde *Gnesnensem* in *Polonia* Archiepiscopum, primum esse fabulæ de *Johanna Papissa* auctorem. Addunt ex *Herchemperto* non dissimilem narrationem de foemina sub masculino habitu patriarchatum *Constantinopoli-*

sequemur, ut instituti nostri memores in magna, quæ hic occurrit, observationum copia qualemcunque selectum habeamus.

*Augustæ Taurinorum* in palatii bibliotheca, ductu Abbatis *Gualtherii*, præter alia monumenta, *Pyrrhi Ligorii* opus autographum de numismatibus variisque inscriptionibus ac statuis, in sex & viginti volumina distributum invenerunt, quod Carolus Immanuel I Sabaudia Dux octodecim millibus ducatorum comparavit. Ritus flagellationum publicarum, die passionis Dominicæ ibidem solenniter peractarum, ad spectaculum potius fieri, quam ex sincero dolore proficisci, non dissimulant.

*Vercellus* in sacrario ecclesie cathedralis, asservari notant veterrimum codicem membranaceum, evangelia S. Matthæi & Marci continentem, qui ab *Eusebio Vercellensi* Arianis certaminibus incluto scriptus creditur. Archivum ejusdem ecclesie Mabillonio ejusque socio Germano inspicere minime licuit, etsi ob *Astoni* episcopi opera ab *Acherio* ex imperfecto codice vulgata, magno ejus perlustrandi desiderio tenerentur.

Ambrosianam bibliothecam, quæ *Mediolani* est, omnes Italianas, si Vaticana excipiat, superare scribunt. Ex antiquis codicibus ibi repertis præ aliis commendant *Josepum*, seu potius *Josephi* interpretem *Rufinum*, etsi mutilum & a compactore valde confusum; e recentioribus *Leonardi Vinci* pictoris excellentissimi opus autographum duodecim voluminibus distinctum, & a Jacobo I Angliæ Rege tanti habitum, ut pro uno, quod bellicas veterum machinas exhibet, aureos ter mille Hispanicos obtulerit. Quæ de manuscripto *Egesippi* codice observantur, confirmant assertionem *Columesi*, quam ex ejusdem appendice ad Chartophylacem ecclesiasticum in Actis nostris Cal. Nov. 1686 p. 552 recensuimus.

In museo *Francisci Septala* plurimis rebus curiosis referto, de quo singularis liber Dertonæ vulgatus extat, indicem reliquiarum, quæ Romæ tempore Gregorii M. extiterunt, in charta Ægyptiaca exaratum legerunt & descripserunt. Inter statuas ecclesie majoris, quæ ad quatuor millia numerantur, ceteras omnes antecellere referunt statuam Bartholomæi detractam cutem gestantis. Rident esse censent, quod ad serpentem æneum, qui in basilicâ *Ambrosianæ* navi super columnam erectus est, matronæ *Mediolanenses*

ses feria secunda Paschæ infantes suos morbo laborantes sistere soleant. In monasterio *Caravallensi*, quod passim mendose Clara-vallense dici animadvertunt, quatuor miliaribus ab urbe dissito, offenderunt disiectum tumulum *Guillelmina* Boemæ anno 1281 mortuæ, & per aliquot annos pro sancta habitæ, sed tandem compertis ipsius præstigiis anno 1300 exhumatæ & combustæ. Qua occasione referunt, *Johannem Petrum Puricellum* in dissertatione de *Guillelmina* ejusque asseclis inedita & fortasse nunquam edenda, quæ cum aliis ejus scriptis in Ambrosiana bibliotheca asservatur, contra *Donatum Bossium* contendere, *Guillelminæ* sectam non fuisse corporis spurcitiis, sed mentis tantum deliriis infamem; siquidem ex publico inquisitionis instrumento pateat, asseclas ejus primarios, *Andream Saramitam* & *Mayfredam Pirovanam* docuisse, quod *Guillelmina* esset Spiritus Sanctus in sexu fœmineo incarnatus e *Constantia Bohemiæ Regis* uxore; quod ipsa esset resurrectura ante universalem resurrectionem, & discipulis videntibus in cœlum ascensura; quod sibi reliquisset vicariam *Mayfredam* ordinis *Humiliatorum* monacham, quæ ad tumulum *Guillelminæ* missam celebratura esset, & *Romæ* sedem apostolicam occupatura, & *Cardinales* dejectura, quatuor item sapientes habitura; qui nova evangelia scriberent. *Aronam* cum commendatitiis *P. Monelia* profecti, antiquum codicem librorum de imitatione Christi inspexerunt, in quo opus illud quinque *Johanni Gersen* abbati attribuitur. *Verona* in museo *Francisci Moscardi* varias inscriptiones aliaque ἀξιωματικὰ observarunt, quo duce etiam *Academiæ Musicorum* seu *Philharmonicorum*, & amphitheatrum *Augusti ævo* a *Veronenisibus* conditum perlustrarunt. *Vicentia* a *Johanne Martio Cerbiario*, quem patriæ suæ antiquitatibus colligendis nunc incumbere tradunt, cum nonnulla istarum antiquitatum specimina petiissent, nihil præter inscriptionem a *Grutero* jam vulgatam impetrarunt.

Ex historia *Fr. Ptolomæi de Luca*, quam *Patavii* in bibliotheca ecclesiæ cathedralis pervolverunt, probare contendunt, *Martinum Polonum* *Nicolai III* Poenitentiarium & deinde *Gnesnensem* in *Polonia* Archiepiscopum, primum esse fabulæ de *Johanna Papissa* autorem. Addunt ex *Herchemperto* non dissimilem narrationem de fœmina sub masculino habitu patriarchatum *Constantinopoli-*

tanum gubernante, cujus Leo IX in epistola ad Michaelem Cerularium mentionem faciat. In ecclesia ad S. Antonium videntur mausoleum Octavii Ferrarii cum hoc epitaphio: *Octavio Ferrario Mediolanensi, in quo ornando & extollendo magni Reges ac Principes certarunt. Veneta Respublica prater alia deſoramenta bis mille florenorum honorario auxit. Ludovicus Magnus Francorum Rex sponte annuorum quingentorum congiarium diu indulſit: Chriſtina Augusta equeſtri inſigni excolit. Ille Regum opes ac munera animo aequans, ſacundia, fide & conſilio invidiam que vicit, aut gloria incitamentum habuit. Septem & quadraginta annos cum admiratione auditus eſt: quinto & ſeptuageſimo obit, quamdiu literis honor conſtabit, ſcriptis apud poſteros locuturus.* Julius Ferrarius P. M. M. P. Anno M. DC. LXXXIV. Addunt, nullum haſtenus tanti viri cathedram de politiori literatura occupaffe, ut ejus deſiderium & meritum inde augetur.

Cimeliis templi, quod S. Marco dedicatum *Veneriis* viſitur, omnibus praeferendum cenſent *Evangelium S. Marci*, ſi quod vulgo traditur, propria ejus manu exaratum eſſet. Alterum quoque evangeliorum librum oſtendi & *Jobanni Chryſoſtomo* tribui, ſed, ne de rei veritate periculum fiat, hos libros ſigillo obſignari, nec cuiquam aperiri referunt. E bibliotheca S. Marci ſupplet inſcriptionem de Lappæo Cretæ oppido, cujus duo priora vocabula tantum apud *Gruterum* & *Harduinum* extant. Georgiani monaſterii, cujus hiftoriam ineditam Italice ac Latine *Fortunatus Ullmus* compoſuit, nitorem & munditiem dum commendant, apud Gallos ſuos templorum parietes ſordido pulvere, & fenestrarum angulos araneorum telis inquinari obiter queruntur. Invitationem in ædes *Job. Baptiſta Cornelii* Procuratoris D. Marci dum grata mente recolunt, hac occasione ejuſdem filiam *Helenam Lucretiam Corneliam Piſcopiam*, quinque praeſter maternam linguarum peritam, d. 26. Jul. A. C. 1684. anno ætatis 38. deſunctam, & Patavii, ubi & Doctoriſtitulum meruerat, in monaſterio S. Juſtinæ inter monachos ſepultam, inſigni clogio celebrant, ejuſque epitaphium deſcribunt, in quo inter alia refertur, quod ſummus Pontifex Innocentius XI & Johannes III Poloniæ Rex literis apoſtolicis & regiis eam viſitaverint, nec non Romanorum Imperator Leopoldus & Carolus III  
Lotha-

Lotharingæ Dux aliique Principes, fama & scriptis ejus permoti summis laudibus & honoribus eandem cumulaverint. Antequam Venetiis abirent, triste de obitu *Luca Acherii*, Spicilegio aliisque scriptis notissimi, quem ægrum Parisiis reliquerant, nuncium acceperunt. In *Ravennatensi* ecclesia antiquum *Cypriani* & alterum *fidei Nicenæ* codicem, quos olim *Ambrosius Carnaldulensis* ibidem viderat, non amplius superesse scribunt. *Oericolis* ad ingressum ecclesiæ primariæ inscriptio legitur, quam apud *Smersum* & *Gruterum* mendose haberi notant, cum pro *Aurelius Faustus* *prot. divinitate*, legendum sit: *Aurelius Faustus protector divini lateris*, i. e. Imperatoris.

Vix ullam fuisse in tota Italia bibliothecam ajunt, ad quam faciliorem accessum habuerint, & *Rome* vix ullam, ex qua magis profecerint, quam *Christinæ* *Reginæ* bibliothecam, continentem ex recensione *Luca Hoffenii* codices antiquos 2145, a Regina undiquaque comparatos. Veterum picturarum reliquias *Petrum de Sanctis* undiquaque ex Romanis monumentis collegisse tradunt, ad eandem æri incidendas paratum, si quis laboranti opem ferat, quod a sui Regis magnificentia expectant. In claustro Lateranensi Basilicæ adjuncto, tres fellas confuse cum varia supellestiale coniectas offenderunt, in quibus Pontificem recens creatum olim collocari usitatum fuit, unam ex marmore albo, quæ *stercoraria* vulgo dicta fuit, & duas porphyreticas easque pertusas. *stercorariam* autem dici ajunt, non a forma, cum pertusa non sit, ut dux reliquæ, sed quod in porticu basilicæ exteriori constituta esset, & Pontifici in ea sedenti accinerentur verba Psalmi: *suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem*. Reliquas duas, in quibus Pontifex ad capellam S. Sylvestri prope Lateranense palatium perductus sedere consuevit, in una quidem ad dextram claves basilicæ a Priore S. Laurentii accipiens, in altera ad sinistram eandem claves Priori restituens. eam ob causam pertusas esse censent, quod in antiquis Romanorum thermis inventæ, & ob materiæ pretium potius, quam ob formam, ad novi Pontificis inaugurationem adhibitæ fuerint. Addunt, primam illarum mentionem fieri apud *Cencium*, uno seculo ante Martinum Polonum, quem iterum primum fabulæ de Johanna Papissa autorem faciunt. Cum vero ritus ille, qui ad altius insinuandam Pontifici humilitatem

Ffff 3

intro-

introducitur fuerat, post receptam de Pseudopapissa fabulam infamis evaserit, penitus abrogatum illum fuisse observant, idque seculo superiore post Leonem X contigisse putant. Similem sellam pertusam ex porphyritide in crypta montis Casini postea viderunt, ex qua *Constantius Cajetanus* probare conatur, Pontifices post consecrationem Romæ factam, Casinum proficisci solitos, ibique totum inaugurationis actum fuisse repetitum. Sed *Angelus de Nuce* folium seu sellam balnearem fuisse existimat. Facile crediturum se addit *Mabillonius*, novos Abbates Casinenses exemplo Pontificum R. in eam sellam repositos fuisse, si aliqua hac de re testimonia supererent.

Duplices Romæ de rebus ad historiam & doctrinam ecclesiasticam pertinentibus collationes fieri narrant, unam prælatorum & clericorum secularium in collegio de propaganda fide, per singulas quindenae vernaculo sermone; alteram religiosorum singulis mensibus in ecclesia S. Cosmæ latino. Ad utrasque *Mabillonius* & *Germanus* invitati, imo ad dicendum quoque provocati, maxime per *Johannem Pastricum* præfectum collegii de propaganda fide, qui ipsis aliquando narravit, *Leonem Allatum* ad Græce scribendum, quod expeditissime fecerit, unico per quadraginta annos calamo usum, eoque tandem amisso tantum non lacrymasse. Idem Pastricius asseruit, *P. Macedonem* Minoritam ad impugnandum Cardinal. *Romam* ex ea maxime ratione impulsam fuisse, quod eum Bona viventes autores in suis scriptis passim laudaret, nusquam de Macedone mentionem fecisset. Inter codices bibliothecæ Vaticanæ, quam celeberrimo præfecto *Emmanuele Schelstraeno*, & *Laurentio de Zaccagnis* altero ejus bibliothecæ custode faventibus perlustrarunt, majoris pretii esse censent antiquissimum *bibliorum* codicem, in quo testimonium de tribus personis 1. Joh. 5. desideratur; item *Chronicon Alexandrinum*, & ex recentioribus *Sirleti* Cardinalis, itemque *Onuphrii Panvini* apparatus ad historiam ecclesiasticam, quibus *Baronius* usus est. In Germaniæ decus cedit, quod itineris hujus Italici autores, occasione typographiæ apostolicæ, ex *Johanni Aleriensis* epistola ad Paulum II probant, *Conradum* & *Arnoldum* Germanos primos artem typographicam Romam invxisse. *Patrum Oratorii* Vallicellanæ ecclesiæ domumque sæpissime  
a se

à se frequentatam dicunt, ibique indies quatuor adhortatorios sermones de rebus sacris fieri memorant. Ejusdem loci bibliothecam, qua *Baronius* & *Raynaldus* ejusdem domus alumni usi sunt, *Leandri Colloredi* bibliothecarii beneficio non semel perlustrarunt, indeque non pauca in rem suam collegerunt. Ex antiquioribus ejus bibliothecæ codicibus est, qui acta apostolorum, epistolas canonicas & apocalypsin comprehendit. Præfigitur epistolis canonicis absque autoris nomine prologus Hieronymi conquerentis, quod in prima Johannis epistola testimonium de unitate Trinitatis ab infidelibus translatoribus prætermissum sit, & tamen in ipsius epistolæ contextu testimonium hoc omittitur, qualia exemplaria etiam alibi a *Burneto* observata sunt. Ad Collectionem rituum Romanorum, cujus editionem *Mabillonius* meditatur, multa sibi a Cardinali *Casanata* communicata deprædicant. Dum in S Callisti monasterio versarentur peregrinantes nostri, allatus est ex S. Pauli archivo pretiosus bibliorum codex, cui præmissa Caroli Francorum Regis effigies, quam non Carolum M. ut *Nicolao Alemanno* in libro de parietinis Lateranensibus, *Cornelio Margarino* in collectione inscriptionum quæ apud S. Paulum extant, & Archiepiscopo *Roffanensi* in dissertatione singulari visum est, sed Carolum Calvum representare censent. De *Michaele Molino*, qui ipsis adhuc Romæ morantibus comprehensus est, referunt, quod liber ejus, qui *Manuductio spiritualis* inscribitur, Hispanice primum, & deinde Italice multoties Romæ editus fuerit, indeque conjectores intulerint, *Molinum* non tam ob vulgati libri doctrinam, quam ob scriptas ad diversos epistolas, aut ob pravas ipsius sententiæ interpretationes a suis alleclis factas, in carcerem conjectum fuisse, ex quo ipsorum auxilio non facile se extricabit.

Ad hortos Montaltenfes a *Ciampino* & *Fabretto* deducti, dono acceperunt a *Ciampino* delineatas cujusdam tumuli prope Neapolin reperti figuras duas, quibus baptismus per immersionem simul & superfusionem ab homine laico collatus exhibetur. *Fabrettus* novam veterum inscriptionum ab editis diversarum collectionem a se factam iisdem ostendit, suumque de aquæ ductibus librum & alterum de columna Trajani liberaliter donavit. Cum de libro *Diurno Pont. Romanorum*, cujus exemplar Romæ invenire magno-  
pre

15



pere avebant , hominem quempiam doctum interrogarent , ab eo responsum est , *Hilarionem Rancatum* Cisterciensem , Ughelli præceptorem , antiquum ejus libri exemplar habuisse , idque *Holfenium* , cum commodato accepisset , una nocte exscripsisse , & publicare voluisse , sed impressionem prohibitam fuisse . Tandem vero votis suis potiti Benedictini nostri Fratres , veterem Diurni codicem reppererunt , ex quo Garnerianam editionem multis in locis emendari novisque formulis augeri posse scribunt . Bibliothecæ Altaempenſis libros editos magna ex parte distractos , manuscriptos adhuc venales ad duo millia superesse narrant . In festo assumptæ Virginis missæ solenni in Collegio Græcorum ab Archiepiscopo ejusdem nationis celebratæ interfuerunt , ejusque ritus breviter describunt . Sudarium impressam Christi imaginem referens , quod in solenni quadam processione spectantium oculis oblatum est , veteres *Veronicam* appellasse , quasi veram iconem seu iconiam Christi , ex *Petri Mallii* libro inedito de basilica S. Petri , aliisque autoribus contra eos probant , qui *Veronicam* nomen pientissimæ cujusdam matronæ esse dicunt , quæ in sudario suo Christi imaginem impressam suscepit . *Josephum Thomasi* , clericum regularem ex Ord. Theatinorum , qui sua de ritibus sacris collectanea ipsis communicavit , post vulgatos libros liturgiarum & psalterium , nunc edendis vetustis responsorialibus & antiphonariis invigilare docent .

Bibliothecam angelicam Patrum Augustinorum Mabillonio & Germano referavit ejusdem Præfectus *Josephus Sabbatini* , qui nescio qua incuria in Actis nostris mensis Julii 1683 p. 307 Vaticanæ bibliothecæ præfectus dicitur : quem errorem corrigendum esse hic obiter animadvertimus . Inter recentiores codices hujus bibliothecæ occurrunt omnia acta autographa congregationis de auxiliis sub Clemente II & Paulo V , quibus præter alios adfuit *Jacobus le Bossu* S. Dionysii monachus , a cognomine ejusdem loci Priore distinguendus . In Chigiana bibliotheca , cujus præfectus est *Thomas de Juliis* , omnibus codicibus præstare censent Græcum ab annis minimum octingentis scriptum , continentem quatuor Prophetas majores , & breve commentarium in somnium *Nabuchodonosoris* a *S. Hippolyto* martyre & episcopo compositum . De  
bibliis

bibliis polyglottis Parisiensibus in eadem bibliotheca extantibus referunt, quod bibliopola Belgæ, recuso operis titulo & nova epistola nuncupatoria præmissa, Alexandro VII fucum facere voluerint, quasi hæc editio in ejus gratiam nunc primum prodiret, quæ jampridem Parisiis impressa fuerat. Ex *Alphonſi Ciaconii* epistolis, quas eadem bibliotheca suppeditavit, observant, ipsum a censoribus impetrare non potuisse, ut bibliotheca Scriptorum ecclesiasticorum, quam collegerat, typis imprimeretur.

Urbis *Neapolitana* decora duce *Valletta* viderunt, ejus instructissima bibliotheca imprimis ipsis placuit. Apud *Puteolanos* hunc regnare abusum referunt, ut mares & foeminae conjugium appetentes, ante solennem benedictionem ad unum duosve aut tres etiam annos simul convivant. Bibliothecam Augustinianorum in cœnobio S. Johannis de Carbonaria cæteris Neapolitanis, quoad veterum librorum apparatus, palmam præripere judicant. Inter Græcos codices comparuerunt *Gemistii* opera, *Procli* in Platonem commentarius &c. inter Latinos codex antiquissimus *Hieronymi* & *Gennadii* de Scriptoribus ecclesiasticis, *Priscianus* de laude Anastasii Imperatoris, *Tertulliani* carmen de Jona &c. Varia quoque hic invenerunt *Sirleri* collectanea pro concilio Tridentino, item *Ægidii Viterbiensis* historiam autographam viginti seculorum per totidem psalmos digestam, cum quibusdam *Sciripandi* observationibus & emendationibus, nec non *Ægidii* varias epistolas per Serephinum Eremitam Augustinianum in unum collectas, e quibus præcipuas descripserunt. Verum dum cæteris exscribendis darent operam, bibliothecarius alias atque alias causas finxit, ne ulterius in bibliothecam admitterentur. Elegantiorum, sed vetustis libris minus refertam esse ajunt bibliothecam *Olivetorum*. Mausoleum *Sannazarii* ad Pausilypum in villa ejus suburbana Mergellina, quam extructo templo Virgini parturienti & S. Nazario vivens nuncupaverat, magnifice extructum eo nomine minus placuit, quod pone altare sub dimidiata Sannazarii effigie astarent Apollinis & Minervæ statuae, ludentibus in medio Satyris; etiam posteri, quos gentilissimi in mediis aris puduit, sub Apolline Davidis & sub Minerva Judithæ nomen apposuerint.

In bibliotheca *Montis Casini* inter alia inedita invenerunt librum

brum Scintillarum seu sententiarum, quas e catholicis Patribus exerpfit *Defensor Grammaticus* & monachus Locociagensis apud Pitones, ut caterataceamus. Ex martyrologio veteri didicerunt, *Thomam Aquinatem* Casini monachum fuisse, antequam ad Domineanos transiret. Codicem variarum epistolarum ad concilium Ephesinum pertinentium & a *Christiano Lupo* editarum inquirentibus responsum est, Romam fuisse missum. Verum postea nec Romæ quicquam aliud de eo resciscere potuerunt, quam quod in palatio Apostolico asservetur. Eiusdem codicis copiam *Baluzium*, cum novam conciliorum collectionem ederet, impetrare non potuisse, in Actis nostris A. 1684. p. 354. jam notavimus.

Romam altera vice adeuntibus *Schellrasenus* codices concilii Constantiensis ostendit, quibus contra *Maisburgium* usus est. Ex *Barbarina* quoque bibliotheca, qua nullam Romæ post Vaticanam numerosiore esse scribunt, haud paucas observavit, In festo S. Antonii ad ecclesiam Patrum Gallorum prope S. Mariam majorem insolitus ipsis ritus visus est, ut quicquid equorum est in urbe, cum suis phaleris ad plateam ecclesiae ducatur, ubi ab uno Patrum omnes & singuli aqua lustrali asperguntur, dato annuo censu. Qui secus faxit, si quid equis adversi contigerit, id piaculo vertitur. Occasione inscriptionis in coemeterio Callisti repertæ, & in Roma subterranea editæ, contra *Dodwelli* dissertationem de paucitate martyrum argumenta aliqua proferunt. Præter bibliothecam Pontificiam, quæ in Vaticano habetur, alia Vaticanæ Basilicæ propria est, ejus custos *Josephus Balduinus* Mabilonio ejusque comiti Germano facilem aditum concessit. Eadem die in Indicis Congregatione, *Johannis Launoji* liber de regia in matrimonium potestate, sententiam dicente Pallavicino, in Indicem relatus est. Ab eadem congregatione invitatus Mabilonius ad promendum quaecunque suffragium, super libris quibusdam *Vosianis* de diluvio non universali. In bibliotheca Barbarina inter alia & hoc notarunt, quod Urbanus VIII ab Hispanis interpellatus de concedendis indulgentiis ob eorum Sancti *Vlar*, negaverit se id facturum, nisi prius resciret, quis & qualis ille sanctus fuerit. Allatus ergo lapis, in quo hæc literæ liquæ erant S. VIAR. Verum periti judicarunt, fragmentum esse veteris inscriptionis, in qua quidam Præfectus S. VIARum laudatus fuerit.

fuerit. Inter libros coenobii *Farfensis* 25 passuum millibus a Roma diffiti, commendant *Romificii Simoneta*, doctoris ac monasterii Cornu abbatis, opus de historia persecutionum Christianarum, in 6 libros per epistolas redactum & A. 1488 Mediolani editum. Ad ecclesias, quæ Romæ sunt, bibliothecas referunt etiam eam, quæ est in Capranico, & alteram in Collegio Sapientiæ, quam ipsis aperuit *Faufus Naironus* Maronita, affinis *Abrahami Echellensis*, qui Syriacas literas ibidem docuit.

Dum Senis in capella quadam ecclesiæ cathedralis, statuas Pontificum Romanorum Senis oriundorum oculis usurparent, occurrit ipsorum memoriæ, quod in *Colomesii* Singularibus legerant, nimirum statuam Pseudopapissæ Johannæ inter illas locum habuisse usque ad annum 1634, quo *Johannes Launojus* Senas profectus, statuam illam adhuc stantem se vidisse asserit in Dissertatione de auctoritate negantis argumenti, ac proinde Baronio illusum fuisse, cum in literis ad Florimundum Raimundum statuam illam disjectam & comminutam sibi gratulatur. Mabiltonius & Germanus nihil de illa statua videre aut rescire potuerunt, donec re maturius examinata. *Jacobus Mignanellus* in literis per *Magliabecum* transmisit ænigma solveret, ipsisque significaret, statuam Johannæ sub Clementis IIX Pontificatu, ad preces Baronii, cooperante Archiepiscopo & ipso Duce non penitus quidem fuisse comminutam, sed mutatis muliebris formæ lineamentis, ex femina factam Zachariæ Pontificis figuram.

Inter bibliothecas *Florentia* visitatas, post Laurentianam vetustis libris nullam magis refertam esse scribunt, quam bibliothecam sanctæ Crucis. Longum esset, quid in singulis notaverint referre. Magni Ducis cimelia & picturas commonstravit ipsis *Magliabecus* & *Norifus*. In his & aliis, quæ Romæ viderant, artificum ingenium & industriam mirantur, sed verecundiam desiderant. Cum *Magliabeco* in abbatiam Fesulanam Canonicorum regularium Congregationis Lateranensis, duobus passuum millibus a Florentia distantem profecti, præ aliis abbatiz illius Fesulanæ codicibus notata dignum esse statuunt *Saxoniensi Presbyteri Pistoriensis* chronicon ab orbe condito ad sua tempora, ex quo nonnulla excerpuntur. Invitati ad S. Spiritus coenobium a *Norifo*, viderunt

materias ad historiam Donatistarum ab eo dispositas, eamque nunc intermissa tantisper Donatistarum historia, totum in tractandis numeris occupari indicant, e quibus verum nativitatis Dominicæ annum se demonstraturum confidit, in libro de æris & epochis Syromacedonum, quem prelo maturum habet. In urbe Lucalateri ipsorum individuus comes adhæsit *Bartholomæus Beverinus*, cujus in ligata & soluta oratione elegantiam uno atque altero specimine commendant. Idem historiam Lucanæ civitatis a se eleganter scriptam nondum editam, neque facile edendam ipsis ostendit, vitamque S. Cæcilie notis suis illustratam cum poematis suis abeuntibus donavit, & novo carmine se Ludovici Gallie Regis gestis applausurum promisit. Verum quo minus promissis staret, morbus impedivit, ipsaque mors, quæ ipsum rebus humanis exemit, cum pridie sui obitus epistolam quasi testamenti vice ad Mabillo-nium & Germanum aliena manu exarasset, quæ *Itineri huic Italico* p. 190 & 191 inserta legitur. Præter Beverinum *Marius Florentinus* aliique variis humanitatis officiis hospites Gallos profecuti sunt, qui hanc benevolentie significationem innatæ Lucensium urbanitati & Magliabeci literis commendatitiis tribuunt. Florentiam reversis, *Vivianus* Magni Ducis mathematicus tres priores libros Divinationis in 5 libros deperditos Aristæi senioris de locis solidis illis ostendit, reliquos duos Regi Christianissimo dedicare meditatur, a quo honorarium annuum antehac accepit. Idem Theonis in Ptolemæum versionem seculo superiori a Joh. Baptista Theophilo nobili Urbinate factam, Regiæ bibliothecæ inferendam tradidit. A Magliabeco quoque epistolarum Ambrosii Camaldulensis volumen optimæ notæ, aliosque libros editos & ineditos acceperunt, in quibus *Petri Apollonii* Novariensis carmen heroicum de Davide & Golia ad Laurentium Medicem, ex quo constare potest, autorem hunc non ad seculum septimum aut decimum, sed ad finem seculi 15, quo Laurentius Medicus floruit, referendum esse. Quæ *Bononia*, *Mantua*, *Parma*, ubi præter alios *Benedictum Baccinum* & *Gaudentium Robertum* Carmelitam Diarii literarii Parmensis auctores convenerunt, *Placantia*, *Ticini*, *Genua* & per cæteras litaliæ urbes observata sunt, omittimus, ne iusto prolixiores cuiquam videamur. Quam ob causam etiam de altera Tomi hujus parte brevissimis agendum.

Com-



rīto laudatus voluit, Miscellanea scripturus, non integram historiam; sed afferre solum præcipua, quæque ad Principum liberos spectant, vel ad rationem temporum, vel ad eorundem successione: eoque deprehendimus, tria nunc studiosius eum confectanda sibi in eodem statuisset, Successionem videlicet Principum atque Regum, eorumque gesta singularia, Chronologiam, & Genealogiam, quod his maxime discerni a fabularum vanitate historiam posse iudicaret, æmanisque ævi memoriam tutissime superstrui.

Senis itaque in universum sectionibus Liber totus absolvitur; quarum Prima a Czecho, primo gentis Duce, autore, atque patre exorsa, originem Croci inter alia deducit ex Romana Gracchorum gente, memoratisque reliquis ex gentilissimo Principibus, peculiarē de adventu Czechi & initio Czechorum dissertatiunculam subiungit, qua chronologiam Hagecū minus subsistere ostenditur. Progreditur dein ad Borzivoium, primum e Christianis Ducem, ab eoque ad Brzetislaum I quinque generationes numerat & exponit. Post Brzetislaum II, viciesimum sextum, & Wladislaum II, trigessimū primum in ordine Principem postea quoque Regem, gubernationem Bohemiz, ob Competitorum ex regio sanguine multitudinem, miris modis conturbatam, & exinde nata fuisse cruenta admodum certamina observat, donec Wladislaus, dicti II filius quarto genitus, trigessimus septimus Princeps, rarissimo modestæ exemplo, fratri Przemislao Ottogaro cederet principatum, & is primum Princeps Bohemiz trigessimus octavus, mox etiam Rex eum omnibus Principibus Bohemiz successoribus designaretur. Ultimum ex Przemislæa gente Wenceslaum III fuisse, quem Rudolphi Austriaci, & Henrici Carinthii interregnum exceperit. *Secunda* Libri sectio gesta Regum, quos habuit Bohemia ex familia Luxemburgica, exponit, Johannis nempe, Caroli IV, Wenceslai IV, & Sigismundi, tabula dictæ Stirpis genealogica subjecta, & notis illustrata. *Tertio* ostendit, quemadmodum extincta in Bohemia stirpe Regia Luxemburgica, volente & Albertum sibi generum atque successorem destinante Sigismundo, Augustissima domus Austriaca successerit in duobus Regibus, Alberto II, ejusque filio Ladislao posthūmo. *Quarta* Regem unicūm proponit ex Constantiensi familia oriundum, Georgium Podiebradium, Sectionum *quintæ* duo descri-

describuntur Reges, Pater & Filius, ex familia Jagellonica, Wladislaus II, Casimiri III Poloniæ Regis filius, & Ludovicus I cito ereptus terris; una cum Jagellonidarum tabula. *Ultima* denique sectio Regum reliquorum ex Augustissima domo Austriaca, Ferdinandi I, Maximiliani II, Rudolphi II, Matthiæ I, Ferdinandi II, III, IV, & invictissimi Leopoldi fata & res præclare gestas persequitur, additasque in fine habet tabulas genealogicas stirpium a Maximiliano I, Ferdinando I, Maximiliano II, Carolo II, & Ferdinando II descendentium. Et quamvis Autor initio Voluminis palam testetur, nolle Regum elogium se texere, neque ingeniose & argute sententiis illustribus & vibrantibus factorum explicare causas, quod præstitum illud jam abunde ab Italo scriptore Julio Solimanno sciret; notis tamen locisque Historicis & Ethicis cum lectu jucundissimis, tum prudentiæ augendæ aptissimis, singula rerum gestarum capita egregie dedit illustrata.

**FRANCISCI SANCTI MINERVA, SIVE DE CAUSIS**  
*Latina Lingua Commentarius, cui accedunt animadversiones & nota Gæsterii Scioppii, & longe uberiores Jacobi Perizonii.*

Franequeræ apud Leon. Strickium, 1687, in 8.

**U**T omne, quod nimium, molestum est & cum damno quodam conjunctum: ita Grammaticorum intempestiva sedulitas non tam promovit litterarum cursum, quam per ambages & anfractus impedivit. Cui malo remedium ut pararet *Franciscus Sanctus*; hanc artem ad linguæ Latinæ indolem atque naturam expendit, superflua abiecit, necessaria in ordinem redègit, obscura & intricata *ἑλπίς* beneficio mirifice exposuit in libro isto, quem ab litterarum Dea *Minervam* appellavit. Avidè exceptus liber, nec in Hispania tantum, sed etiam cum Scioppii additamentis in Italia & Batavia aliquoties recusus fuit. Cum jam nova pararetur editio, projuvandi bonas litteras amore & studio *Jacobus Perizonius*, Franequeræ Academiæ Professor clarissimus, uberiores, quam erant Scioppii, castigationes observationesque adjecit, quibus firmavit partem



partim, quæ recte dicta a Sanctio fuerant; partim, quæ secus videbantur, obelisco notavit & certiora substituit. Quorum cum singula enumerari non possint, quia dispersæ annotationes sunt, nec continuo ordine connexæ; placet exemplis paucis declarare, quid novi Perizonius ad Sanctii Minervam, a Scioppio olim adactam superaddiderit.

Cap. IV Dualem in vocibus *ambo* & *duo* contra Sanctium & Donatum negat. Cap. VI explicat, quem veteres dixerint *septimum Casum*; simulque *sextum Græcorum*, quem Sanctius necessarium dixit, multis verbis confutat. Cap. VII laudat Sanctium, quod *Epicænum* Genus Nominum exterminarit: carpit vero, quod cum *Communi* confuderit. Pariter notat, eundem de *Diminutorum* Genere cap. X. & de *Persona Modique* vocabulis cap. XI & XII, præclara quidem multa tradidisse, præsertim in constructionis ratione: in ipso tamen artis systemate dum nimio *novandi* & *mutandi* omnia studio fuerit ductus, modum aliquando excessisse abjiciendo temere, quæ dudum jam fuerint recepta, & suum in Grammatica usum habeant. De *Participiis* disputat cap. XV, esse vere Nomina; tempus autem adsignificari, & in eo *partem Verbi capere*, quod contra Sanctii sententiam est, qui Nomina quidem, sed omnium temporum dixit participia. His addit p. 98 paradoxum, *Amandus* proprie & primitus esse Præsentis Temporis. Cap. XVI Præpositiones examinat. Propter Adverbium esse tradit; non Præpositionem: *Secundum*, Adjectivum: *Adversus*, Adverbium, quæ singula Accusativum non admittant per se, sed subaudita *Ad* aut simili Præpositione: *Pridie* & *Postridie* ex Genitivo & Ablativo constare, ut *die crastini*. Hæc ex libro I.

Secundo, quo de Constructione egit Sanctius, *varia noster* addit, immutat, explicat. v. gr. *astimandi* formulas perfectius, quam a Sanctio factum, ita supplet, ut & vocem *rem* subaudiat, & Genitivum *precii*, vel *astimacionis*, vel *momenti*. Ut *facio te (rem) pluris (precii) &c.* Genitivum cum Verbo *Miseret* a suppresso quarto Casu *vicem* deducit, ut *Miseret me (vicem) pauperis*, in quo Terentium se dicit secutum esse. Nec Græcismos concedit, qui vulgo putantur, *desine querelarum*; *lassus viarum*; sed Latinam ellipsin commodiorem laudat ad explicandum, *querelarum causa, sive in negotio*

*negotio querelarum.* Cap. X & XI Ger. Joh. Vossium notat, qui Comparativum interdum pro Positivo poni existimet: & Sanctium suum castigat, Grammaticos reprehendentem, quod tres *Comparationis Gradus* pro uno constituent. Cum enim, inquit, de usu rerum constet; inane est receptis dudum appellationibus litem movere. Nec minus Vallam contra Sanctium de Possessivis tuetur cap. XIII.

Tertio libro Sanctio philosophanti, non alia Verba, quam Activa & Passiva esse, certo modo subscribit, Neutris actionem concedens per ellipsin intellectam; & Deponentibus plerisque Passivam formam attribuens. *Potior enim, Vescor, Utor, Abutor, Proficiscor,* vere nostro Passiva sunt, & v. gr. *vesci* interpretatur ali, sustentari: *potiri*, potioem fieri, cujus Activum apud Plautum superfit: *proficisci*, profici & promoveri in alium locum. Cap. IV & Ablativo per A Præpositionem; & Dativo, cum Verbo Passivo constructis, *agentis* notionem, quam Sanctius negarat, exemplis vindicat. Cap. V *Mea, Tua, Sua* cum *refert* aut *interest*, Accusativos Plurales, non Ablativos Femininos esse una cum Sanctio propugnat: paulo plenius autem, quam ille, ex consueta ellipsi explicat, subauditis vocibus *ad negotia, inter negotia.* Cap. VI *Quoad ejus fieri potest*, aliter quam Scioppius, cui *fieri* pro Nomine *factum* positum est, interpretatur, itidem sola ellipsi Pronominis *Aliquid* sublevatus. Cap. VIII & IX Gerundia æque ac Supinum utrumque negat, & nihil nisi Nomina esse, ex Præpositionis exemplo, quam ferre possint, demonstrat. Priora Supina concedebat Sanctius: hic autem novo modo, ut ad Nomina referre possit, ita exponit: *Eo* (ad) *spectatum* (negotii *κατὰ* sive quod ad) *ludos*: eadem Verbis *finem* potius quam *motum* significantibus jungi, exemplo, quod motum nullum ad locum notat, non obscure exponit. Cap. XIV in Conjunctionibus formulam *Dico, quod*, & similes eum Manutio, Scioppio & Vossio contra Sanctium & Gronovium patrem defendit, nec minus novis perspicuisque exemplis illustrat.

In quarto libro ellipsin Sanctianam passim emendat, confirmat, novisque exemplis corroborat, v. gr. quomodo *homo frugi, damnatus voti, potiri rerum, dicto audiens*, & alia curtata commodissime suppleri & ad integritatem sensus revocari possint, quæ

• H h h h

indi

indicasse sufficiat , ut de ceteris ejusdem argumenti , quæ prætermisimus , facilius possit judicari.

HISTOIRE DU PONTIFICAT DE S. LEON LE

Grand , par Mr. Maimbourg. i.e.

LUDOVICI MAIMBURGII HISTORIA DE PONTIFICATU S. Leonis Magni.

Parisii , apud Claud. Barbinum , 1687 , in 4 & in 12 , & Hagæ Comitum apud Adrianum Moëtjens , in 12.

**N**ON immerito ut singulare aliquid *in præloquio* prædicat Autor , quod senectus neque memoriam , neque cæteras ad scribendum dotes sibi diminuerit , ita ut post historiam Gregorii Magni , in qua finire labores suos putasset , hanc de Leone , eodem mentis vigore componere potuerit. Certe si quis hanc cum aliis ab autore editis conferat , nostro , si quid valet , iudicio , non inveniet , quæ ingenii aut memoriæ defectum in eo arguere possint. Idem inprimis artificium apparet efformandi in novam speciem veteres historias , & sive ad palatum aulæ & nationis , sive ad seopum firum accommodandi. Comparationem vero , quam inter se & S. Augustinum instituit , fatalis quædam eventus similitudo comprobavit. Sicut enim Augustinus anno vitæ suæ septuagesimo sexto , ita & hic eodem scribendi & vivendi finem fecit , ut adeo non sine omine scripta esse videantur , quæ p. 36. edit. Belg. leguntur. Quatenus vero in causis , quas tractant , aliisque rebus differant , apertius est , quam ut a nobis explicari debeat , & ipse autor haud immodeste d. l. agnovit. Cæterum Historici personam multis jam annis sumtam non deposuit quidem in hoc libro suo Maimburgius , forte tamen evidentius quam unquam , verum quem sibi proposuit , seopum denudavit. Si quidem mox in proœmio indicat , post prostratam jam in Gallia Reformatorum , quam vocat , hæresin , utilitati novorum catechumenorum se consulturum esse , dum duo magna , quæ celebrat principia , de *primatu sedis Romanæ* , & de *infallibili conciliorum inquisitionibus de fide definitione* , ex hac historia de Leone stabilire nititur , quorum alterum commune cum omnibus Romanæ sacra profitentibus

tibus, alterum cum solis fere Gallis habet. Verum præter ista, alia non pauca sunt, quæ auctori magis quam historia Leonis curæ fuerunt, quibusque illa pro condimento vel vehiculo servire videtur. Rectius itaque fuerit, & uti speramus lectoribus gratius, præcipua quædam ex illis annotare, quam historię compendium exhibere. Sufficiet ex ipso Breviario Romano, in quo ad d. XI April. Sancti hujus Leonis memoria recolitur, sequentia adscribere: *Leo primus, Etruscus, eo tempore præfuit Ecclesia, cum rex Hunnorum Attila, cognomento flagellum Dei, in Italiam invadens, Aquilejam triennii obfusione captam diripuit, & incendit: unde cum Romam ardenti furore raperetur, jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, occurrit ei Leo, malorum Italia impendentium misericordia permotus: cujus divina eloquentia persuasum est Attila, ut regrederetur. Qui interrogatus a suis, quid esset quod præter consuetudinem tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret: Respondit, se astantem quendam alium, illo loquente, Sacerdotali habitu veritum esse, sibi stricto gladio minitantem mortem, nisi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reversus est. Leo autem Roma singulari omnium læticia exceptus, paulo post invadenti urbem Genferico, eadem eloquentia vi, & sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio, ignominia, ac cadibus abstineret. Sed cum Ecclesiam a multis hæresibus oppugnari, maximeque a Nestorianis & Eutychianis exagitari videret: ad eam purgandam, & in fide catholica confirmandam, Concilium Chalcedonense indixit, ubi sexcentis triginta coactis Episcopis, Eutyches & Dioscorus, & iterum Nestorius, condemnati sunt: ejusdemque concilii decreta, sua auctoritate confirmavit. Statuit, ut in actione mysterii diceretur, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Sanxit, ne monacha benedictum capitis velamen reciperet, nisi quadraginta annorum virginitatem probasset. His & aliis præclare gestis, cum multa sancte & luculenter scripisset, tertio Idus Aprilis obdormivit in Domino. Sedit in Pontificatu annos viginti, menses decem, dies viginti octo. (cœperat scilicet anno 440, obiit anno 461) Hæc quidem & alia plurima late quinque his historię suæ libris explicat Maimburgius, sed quod in ista narratione omnium maxime venerandum & mirabile videtur, apparitio scilicet illa ab ipso Attila ut refertur agnita, id non veretur rejicere Maimburgius, etsi Breviarium illud*

ex severis Pontificum legibus inviolabile esse existimari posset. Neque tamen suo hic utitur arbitrato, sed sequitur auctoritatem Archiepiscopi Parisiensis *Francisci Hartei*, qui suscepta (an permisso Pontificis, nobis incognitum est) Breviarii correctione, verba illa, quibus apparitio narratur, expungi iussit. Laudat factum Noster p. 225, quo apoerypha & incerta ex libro illo sublata, & optima ex patribus loca surrogata fuerint. Incertitudinem autem narrationis ex silentio autorum arguit, qui eo tempore vixerunt & scripserunt, interque eos *Prosperi*, qui Romæ fuit, & Leonis ad Attilam professionem accurate recensuit. Indulgentior est in admittenda, sive non rejicienda, longe incredibili narratione, de apparitione B. Virginis Leoni Thraci facta, qua ei fons commonstratus & imperium prædictum fuisse fertur: quanquam enim solius Nicephori, auctoris, ut fatetur, parum gravis relatu nitatur, credi tamen si non debere, posse saktum autumat, quia similia in aliis sanctorum & Ecclesiæ historiis inveniuntur. Cordatior est in rejicienda Zonaræ historia, de corpore S. Euphemie, quæ, cum in quaestione inter Orthodoxos & Eutychanos Imperator & clerus iudicium ei detulissent, chartam, cui vera sententia inscripta erat, Imperatori manu porrexisset, illam vero, quæ Eutychanum errorem continebat, sub pedibus habuisse dicitur, etsi utraque pectori ejus imposita, & sepulchrum clausum & sigillis munitum fuisset. Quod vero in Breviario indictio concilii Chalcedonenis Leoni confidenter tribuitur, etsi expresse non reprehendat, re ipsa tamen refutat, dum Lib. III p. 159 non tacet, indictionem illam a Martiano Imperatoris factam esse, & alio quidem tempore & loco, quam Pontifex desideraverat, & prudentiæ atque moderationi ejus adscribit, quod Imperatori in talibus non contradixerit. Id vero jus indicendi maiestati candore *Edmundus Richerius* tum alibi, tum in hac ipsa Chalcedonenis Synodi historia Lib. I cap. VIII §. 3. 10. & cap. XI §. 2 in Historia concilii II Niceni Imperatoribus asseruit; sed ab hoc autore allegando causæ fortassis fuerunt, cur Noster abstinuerit. Ingenue tamen commemorat p. 222. lib. III, quod Leo Pontifex iussu Imperatoris ad Attilam legari se passus sit, quod maiestati, quæ postea invaluit, pontificiæ utique non convenit, & in Breviario omissum est. Obiter taxat *Cassiodori* affectum, quo legationis illius

lius successum patri sub, qui inter Senatores cum Leone ablegatos fuerat, potissimum tribuit Lib. I. Epist. 4; cum tamen alibi in Chronico gloriam illam Leoni non detraxerit.

Sed ommissis, quæ historica sunt, quædam afferemus, quæ Maimburgio, ut dictum est, majoris momenti fuisse videntur. Ante omnia nullam negligit occasionem, ut panegyricis elogiis Regem Christianissimum mactet, ob funditus oppressam in regno Reformatorum, quam nominat, & ubique pessime traducit, hæresin. In ipsa dedicatione ad imitationem epistolæ 7 Leonis ad Theodosium Imp. Regi *sacerdotalem animum* tribuit, ob *solicitudinem contra hæreses*: dein subjungit, *neminem dubitare de illo posse, qui consideret, quam miri pariter & efficaci modo, zeloque vel sanctissimis Episcopis digno, in negotio isto processerit. Stupet (ait) mundus ad mirabilem hanc methodum, qua sine omni rumore & violentia, absque sanguinis effusione exterminata est hæresis, id quod Reges priores per supplicia & arma præstare nequiverunt.* Exaggerat eadem p. 254 lib. IV, ubi Herculi præfert Regem, hydræ caput sine ulla renascendi spe præcidentem, idque *ne cum unica quidem gutta sanguinis effusione*, p. 314. quod pro summo habet: celebratque iterum miraculo. Antea cum Scriptores Reformatos cum Juliaño Pelagiano p. 35. Lib. I comparasset, indicem librorum Reformatorum, quos Romano-Catholicis imprimere, vendere legereve non liceret, ab Archiepiscopo Parisiensi publicatum, & edictum regium anno 1685 ad querelas Cleri conditum p. 71, quo Reformati a libris contra Romano-Catholicos edendis prohibiti sunt, laudibus prosequitur, multo magis vero alterum illud, quod magnum vocat, mense Octobri secutum, quo totus cultus Reformatorum subversus est, ad exemplum scilicet Honorii, Pelagianos exterminantis: abjurandi etiam formulas Leonis dicto ex epistola 86 p. 41 confirmat. Ad hunc ejus contra hæreticos zelum pertinent, quæ p. 48 de optima methodo commentatur, ut sine colloquio per damnationes in conciliis procedatur: in colloquiis enim audacter loqui solere hæreticos, & de victoria aut assensu auditorum, imperitorum ut plurimum, gloriari. Supplicia hæreticorum Leonis autoritate defendit, qui Maximi severitatem adversus Priscillianistas ep. 95 probaverit. Interim cum Sulpitio Severo *Abacium* culpatur, quod adversus *S. Martini Turo-*

*mensis* sententiam, Imperatorem ad rigorem illum capitalium iudiciorum impulerit, & lenitatem clericam commendat, qua deprecatio interponi solet, ut vitæ hæreticorum, quos magistratibus puniendos offerunt, parcatur. Ferre tamen eos ait merito, quod hi decreverint.

Non minori studio sententiæ Cleri Gallicani, edictis Regiis vel imperatæ vel confirmatæ, de auctoritate Conciliorum supra Pontifices, & quod falli hi queant, ubicunque potest, præsidia querit: primatum tamen ipsum, quem Leo asserere sedi suæ non neglexit, non minori confirmans diligentia. Ita Lib. II pag. 110 (quod alios præteriisse dicit) vitium concilio Ephesino, quod secundum vocant, vel inde maxime impingit, quod Dioscorus Patriarcha Alexandrinus præsidere in eo ausus fuerit, rejectis legatis Leonis, imo eum contradicerent, in carcerem coniectis, ut ex tribus unus solum effugere, & Leoni, quæ acta erant, referre potuerit. Sed qualemcunque hanc defensionis gratiam insigniter corrumpit, cum adversus *Baronium & Christianum Lupum*, quadantenus etiam adversus *Quesnillum* operum Leonis novissimum editorem, jus appellandi a conciliis ad Pontificem vehementer impugnat, nec Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani a Dioscoro condemnati querelam provocationis loco habendam censet; nil motus epistola manuscripta a Lupo ex Cassinensi Bibliotheca adducta: neque enim per illam probari, legitimam appellationem fuisse *Helladii Tarsensis & Eutherii Thyanae* Metropolitanorum, qui fraude hæretica ad Sixtum III provocare ab Ephesino concilio, in quo Nestorius damnatus fuit, voluerunt. Miratur *Lupum* ita argumentantem non vidisse præjudicium ipsis Pontificibus a se illatum; si enim fas foret, a Concilio quod Pontifex confirmaverat, appellare, fas etiam esset ab ipso appellare Pontifice, quod tamen Romæ ait negari. *Baronio*, qui supremum jus de conciliorum decisus statuendi, Pontificibus vendicat, dicam scribit p. 266 Lib. IV, neque concedit, celeberrimam illam Leonis epistolam ad Flavianum, in qua orthodoxam contra Eutychem sententiam propugnavit, pro decisione haberi debere; quinimo eo sine ait ad concilium missam & ab eo receptam, ut examinaretur & comprobaretur; inde patere, sexcentos & triginta Episcopos Chalcedone congregatos pro infallibili non habuisse  
PON-

Pontificem. Paulo ante p. 264 Leonis testimonio adducto monuerat, minime licere Pontificibus, decreta conciliorum aut suspendere, aut denuo in examen vocare. Ea occasione improbat hominis, ut ait, privati conatum, (in margine p. 265 adseribit *Comitem Roccum Spimolam, Episcopum Tinensem, Primate[m] Croatiae,*) qui absque autoritate & consensu suspensionem concilii Tridentini, pro reducendis Protestantibus proposuerit. Inde a p. 266 ad 273 Clar. *Schelstratenum* aggreditur, a quo responsum sibi esse dicit in quaestione de decreto *Constantiensi* pro superioritate concilii, refert autem se paratam habere advertus illum dissertationem. Nihili facit argumentum ex epistola Synodica Chalcedonensi adductum, in qua *Leo supremus Pontifex* dicitur; illo enim vocabulo nil nisi primatum prae singulis membris, non vero universalem in totam Ecclesiam superioritatem significari. Manuscripta ad quae provocat adversarius, male intellecta esse dicit, & alia non minoris fidei opponi posse; neque respiciendum esse ad contradictiones & protestationes in consultationibus Conciliorum fieri solitas, sed ad ea, quae legitime & *conciliariter*, ut loquuntur, decreta sunt. At gravior fert p. 262, quod *Schelstratenus* verba Maimburgii, quibus ex epistola Pii II notaverat, *praeferr[i] Papam Ecclesia*, non integra retulerit, omissis nempe sequentibus, quibus ex *Labbao & Cossartio* monuerat, in aliis exemplis literarum illarum pro *praefertur* legi *praesidet*. Memor etiam Ordinis, cujus pars fuit, Jansenii causae, arrepta occasione, adversatur, & Papas jure primatus omnino judices esse in controversiis ad se delatis affirmat; defendens hoc modo Innocentii X & Alexandri VII damnationes quinque propositionum. vid. Lib. I p. 64 & Lib. III p. 181. Denique toto Libro V magistrum disciplinae agit, adductisque variis Leonis actis & scriptis, monet aliqua, quae ad Pontificum & Episcoporum officia, aut ad regias de rebus Ecclesiasticis constitutiones pertinent, v. g. p. 317 & seqq. de concionibus, quas ab initio a solis Episcopis, ut Apostolorum successoribus fieri consuevisse, & Valerium Hipponensem fere primum fuisse tradit, qui Augustino vices suas in concionando demandaverit. Sozomenum mendacii accusat, scribentem, Leonem primum fuisse inter Episcopos Romanos, qui ipse fuerit concionatus. Regimen Pontificium ad praescriptum canonum severe adstringit, neque contra



contra eos. re integra dispensationes locum habere; Leonis aliorumque autoritate & exemplo probat: quamvis lapsis veniam haud difficulter concessam esse, non neget p. 360 & seqq. Defendit p. 350 contra *Schelfratenum*, quæ in libro suo de Ecclesia Romana, ex concilio Florentino contra plenitudinem potestatis Pontificiæ adduxerat. Usuras a Leone penitus improbatas fuisse monstrat p. 325, in medio relinquens, quæ moralis Theologiæ autores ad excusandas eas invenerunt. De jejuniorum ritu vario & ab Ecclesiæ consuetudine aut ordinatione dependenti, utque eleemosynarum erogatio in jejuniis vel maxime requisita fuerit, multis agit p. 326 & seqq. notat in specie aliquid de ritu Mediolanensi, p. 330. De probabilitate sive relaxatione circa rigorem opinionum, insigne Leonis dictum affert, & librum *Fererii* Jesuitæ, qui Regi a confessionibus fuit, summe laudat, p. 343. Episcopos ante octavum seculum nullo juramento Pontificibus obstrictos fuisse, observat p. 351. Moderationem Leonis, ut Imperatoribus & Patriarchis aliquando pacis Ecclesiasticæ causa cesserit, aliquibus exemplis probat & commendat p. 363 & seqq. Eodem trahit quod poenitentiam publicam, quæ prius Ecclesiæ more observabatur, a Leone extra casus atrocium criminum, ut nimiam & theatralem, improbatam esse memorat, retenta privata seu auriculari, ex quo colligit, hanc apostolici sive divini juris esse, p. 386 & seqq. Sed Protestantibus aliam etiam objectionem p. 355 fecerat de Missa, quam tempore Leonis pro sacrificio habitam fuisse inde putat probari, quia Leo in epistola ad Dioscorum Alexandrinum eam vocat sacrificium, & diebus festis plures fieri vult, unam nempe post aliam, ne pars populi ab offerendo excludatur, si una tantum celebretur. Notatu haud indigna sunt, quæ p. 384 adversus *Quesselnum* in Dissert. Apol. pro S. Hilario Arelatensi, & contra *Ferrandi* opinionem de ætate virginum velandarum pro *Thomassino* commentatur, p. 391 & seqq. ut & de jure & consuetudine, qua Reges & Principes de rebus Ecclesiasticis leges ferre soliti fuerunt, p. 397. Finitur opus elogio Leonis, qui Pontificum post S. Petrum maximus, prudentia, fortitudine ac dexteritate sua, qua navem S. Petri inter horribiles tempestates a furiosissimis hæreticorum excitatas gubernaverit, & in tranquillum postremo portum, pace universali Ecclesiæ restituta deduxerit, ideam optimi Pontificis & exemplum omnibus imitandum dicitur proposuisse.

SOLU-





**SOLUTIO ALGEBRAICA PROBLEMATIS, DE**  
*Quadrifecatione Trianguli Scaleni per duas Nor-*  
*males rectas:*

Autore J. Bernoulli, Math. Prof. in Academia Basileensi.

**P**ROblema hocce, quod summum hujus ævi Mathematicum non ita pridem occupatum tenuit, tam parum ex voto eidem successisse audio, ut ultra quadragesimam potestatem, si bene memini, & credere fas est, assurrexit. At cum intra octo dimensiones illud coerceri posse deprehendam, operæ pretium esse duxi, ut tanti discriminis pateret ratio, viam quam in ejus analysi ingressus sum, publico exponere. Quam in rem sequentia præmitto Lemmata.

*Lem. I. Utraque linearum quadrifecantium sigillatim bifecat Triangulum; quod per se clarum.*

*II. Neutra quadrifecantium normalium terminari potest in angulo Trianguli Scaleni: Dem. (Fig. I.)* Si fieri potest, cadat una quadrifecantium AD, in angulum in A; tum altera terminabitur vel in utroque crure anguli A, vel in alterutro tantum: Terminetur primo in utroque crure, ut recta EF. Quoniam igitur  $\triangle AEL$  ponitur =  $\triangle ALF$ , erit  $EL = LF$ ; & propter commune latus AL, angulosque interceptos ALE, ALF rectos, ang.  $EAL = LAF$ , sive  $BAD = DAC$ : quare  $BA.AC::BD.DC$ : & quia  $BA >$  vel  $<$  ponitur AC, erit quoque  $BD >$  vel  $<$  DC, ac  $\triangle BAD >$  vel  $<$   $\triangle DAC$ ; quocirca recta AD non bifecat  $\triangle BAC$ ; propterea per Lemm. I. non potest esse quadrifecantium una. Terminetur autem secundo in alterutro crure tantum, ut recta GH, ducanturque rectæ IC, IB; quoniam Trapecium  $AIHC = \triangle IDH$ , erit  $\triangle AIC <$   $\triangle ICD$ ; &  $AI <$   $ID$ : haud secus quia  $\triangle AIG = \text{Trap. } IGBD$ , erit  $\triangle AIB >$   $\triangle IBD$ ; &  $AI >$   $ID$ : igitur AI simul  $>$  &  $<$  ID. Q.E.A.

TAB. IX.  
Fig. I.

*III. Neutra quadrifecantium normalium parallela vel perpendicularis esse potest ulli lateri Trianguli Scaleni: Dem. (Fig. II.)* Esto, si fieri potest, recta FG, parallela lateri BC; cadetque perpendicularis DE, in alterutrum latus AC vel AB; nec enim angulo A

TAB. IX.  
Fig. II.

occurrere potest per precedens Lemma : occurrat itaque priori in D, & ducatur DF, quæ producta offendat productam EB in I. Quoniam igitur  $\triangle GHD$  — Trap. HDAF, erit  $\triangle GHD > \triangle HDF$ , & recta  $GH > HF$ , &  $CE > EI$ , unde CE multo  $>$  EB. Cum ergo in Trap. CGHE & HE BF, duo latera GH, CE majora sunt duobus lateribus HF, EB, utrumque utrique, & perpendicularis HE communis, erit Trap. CGHE  $>$  Trap. HEBF; igitur non quadrifectum est Triangulum ABC, contra hypothesin.

TAB. IX.  
Fig. III.

*IV. Bina recte quadrifecantes Triangulum quodcunque non terminantur duabus extremitatibus in uno Trianguli latere, & duabus aliis in alio. Dem. (Fig. III)* Terminentur, si fieri possit, in latere AB extremitates D & F, ac in latere BC extremitates G & E, junganturque DG, FE. Quoniam  $\triangle DHF$  & GHE ponuntur æqualia, habebunt latera circum verticales angulos reciproce proportionalia, FH. HG :: HE. HD; & quia  $FH > HG$ , (quandoquidem  $\triangle FHD =$  quinquangulo ADHGC, ac proinde  $> \triangle DHG$ ) erit, quoque  $HE > HD$ , quare &  $\triangle HEF > \triangle HDF$ , seu Trap. HEBF, pars toto. Q. E. A.

*Coroll.* Cum igitur Trianguli non nisi tria sint latera, duarum autem quadrifecantium quatuor extremitates, quarum nulla terminari potest in angulo, nec binæ in uno, binæ in alio latere; necesse est, ut duæ illarum occurrant uni lateri, singulæ vero reliquarum singulis reliquis lateribus. Illud vero latus, cui duæ occurrunt quadrifecantium extremitates, ex inventa æquatione cognovi, plerumque tantum esse medium, nunquam maximum, raro minimum; nempe tum demum, cum Triangulum scalenum quam proxime ad isopleuron accedit. Sequitur nunc ipsa Propositionis

*Analysis:*

TAB. IX.  
Fig. IV, V,  
VI,

Sit factum, estoque Triangulum Scalenum ABC (fig. IV, V, VI) quadrifectum per rectas DE, FG, se mutuo secantes ad rectos angulos in H. Demissis in latus AC (productum, si opus sit,) tribus perpendicularibus BK, EL, GI, ductisque ex puncto H aliis tribus rectis ad singulos angulos figuræ, HA, HB, HC, sunt

AC-a

$AC = a$  erit  $\triangle ABC = \frac{1}{2} ad$ ,  $\triangle DEC (\triangle FAG) = \frac{1}{2} ad$ ,  $\triangle DHF$  (Trap.  $HEBG$ ) =  $\frac{1}{8} ad$ .  
 $CB = b$   $\triangle DEC$  ad  $\triangle FAG$  ad  
 $BA = c$   $EL = \frac{1}{2} DC$   $GI = \frac{1}{2} AF$ ;  
 $BK = d$   $\frac{1}{2} DC$   $2x$   $\frac{1}{2} AF$   $2y$   
 $KC = e$   $BK.EL :: BC.EC :: KC.LC$  Hinc in IV, & VI Fig. . . . . in V. Fig.  
 $KA = f$  ad ab ac ac ac  
 $CD = x$  d. :: b. :: e.  $DL(CD - CL) = x - \frac{1}{2} CD$ ,  $DL(CD + CL) = x + \frac{1}{2} CD$ .  
 $AF = y$   $2x$   $2x$   $2x$   $2x$   $2x$  in IV & V Fig. . . . . in VI Fig. 4.  
 $BK.GI :: BA.GA :: AK.AI$  ad ac af af af  
d. :: c. :: f.  $IF(AF - AI) = y - \frac{1}{2} AF$ ,  $IF(AF + AI) = y + \frac{1}{2} AF$ .  
 $2y$   $2y$   $2y$   $2y$   $2y$   
 $DF. DC :: \triangle DHF. \triangle DHC$   $\triangle DEC - \triangle DHC = \triangle CHE$ .  
ad adx ad - adx  $adx + 2ady - 2aad$ .  
 $x + y - a. x :: \frac{8x + 8y - 8a}{4}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   
 $CE. EB :: \triangle CHE. \triangle EHB.$   
ab ab adx + 2ady - 2aad.  $2dxx + 4dxy - 5adx - 2ady + 2aad$   
. b . ::  $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   
 $2x$   $2x$   $8x + 8y - 8a$   $8x + 8y - 8a$   
Similiter DF.  $AF. :: \triangle DHF. \triangle AHF | \triangle FAG - \triangle AHF = \triangle AHG.$   
ad ady ad ady  $2adx + 2ady - 2aad$ .  
 $x + y - a. y. :: \frac{8x + 8y - 8a}{4}$   $\frac{48x + 8y + 8a}{4}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   
 $8x + 8y - 8a$   $48x + 8y + 8a$   $8x + 8y - 8a$   
 $AG. GB :: \triangle AHG. \triangle GHB.$   
ac ac  $2adx + 2ady - 2aad$ .  $4dxy + 2dyy - 5ady - 2adx + 2aad$ .  
. c . ::  $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{4}$   
 $2y$   $2y$   $8x + 8y - 8a$   $8x + 8y - 8a$   
 $\triangle EHB + \triangle GHB = \text{Trap. } HEBG$   
 $2dxx + 4dxy - 5adx - 2ady + 2aad + 4dxy + 2dyy - 5ady - 2adx + 2aad = \frac{ad}{8}$   
 $\frac{8x + 8y - 8a}{8}$   $\frac{8x + 8y - 8a}{8}$

unde reperitur  $yy = 4ay - 4xy - 2\frac{1}{2}aa + 4ax - xx$ , pro priore Equatione.  
Rurfus quia Triangula  $GIF, DLE$  sunt similia, cum habeant angulos ad  $I$  &  $L$  rectos, ac præterea angulum  $DEL$  (qui anguli  $EDL$  complementum existit) æqualem angulo  $GFI$ , qui ejusdem quoque  $EDL$  est complementum, ob angulum  $DHF$  rectum; hinc erit  $GI. IF. :: DL. EL.$  & proportione ad æqualitatem reducta, ad ad ad a add  
 $\frac{y + \frac{1}{2}af}{2y} :: \frac{x + \frac{1}{2}af}{2x} - \frac{yy = \frac{1}{2}af + \frac{1}{2}af}{4xx + 2ac}$ ; five, in omni

Triangulo, substitutis loco perpendicularis  $d$ , & segmentorum *ba*-  
*sis*,  $e$ ,  $f$ , eorum valoribus ( utpote qui ex datis Trianguli lateribus  $a$ ,  
 $b$ ,  $c$ , facile innotescunt ) habebitur pro altera  $\mathcal{A}$ equatione,

$$aa\mathit{xx} - bb\mathit{xx} + cc\mathit{xx} - \frac{1}{2}a^4 + \frac{1}{2}aabb + \frac{1}{2}aacc$$

$$yy = \frac{\quad}{4\mathit{xx} - aa - bb + cc}. \text{Qua por-}$$

ro cum priore debite collata obtinetur sequens  $\mathcal{A}$ equatio determina-  
 ta octo dimensionum, solutumque est Problema:

$$\begin{aligned} x^8 - 8ax^7 + 17aax^6 - 10a^3x^5 - \frac{1}{4}a^4x^4 + 5a^5x^3 - \frac{1}{4}a^6xx - \frac{1}{2}a^7x + \frac{1}{6}a^8 &= 0 \\ + 3bb &- 2abb - 9\frac{1}{2}aabb + 12a^3bb - \frac{1}{4}a^4bb - 2\frac{1}{2}a^5bb + \frac{1}{4}a^6bb \\ - 3cc &+ 2acc + 6aac - 6a^3cc + aab^4 + a^3cc - \frac{1}{8}a^6cc \\ &- \frac{1}{4}b^4 + ab^4 - \frac{1}{4}aabbcc - 2a^3b^2 + \frac{1}{4}a^4b^4 \\ &+ \frac{1}{2}bbcc - 2abbcc + \frac{1}{4}aac^4 + 2\frac{1}{2}a^3bbcc - \frac{1}{4}a^4bbcc \\ &- \frac{1}{4}c^4 + ac^4 & - \frac{1}{2}a^3c^4 + \frac{1}{10}a^4c^4 \end{aligned}$$

Quod si expuncta litera  $c$ ,  $\mathcal{A}$ equatio instituat in literis  $a$ , &  $e$ :  
 tunc quindecim membris evadet brevior, ultimusque terminus tri-  
 um tantum erit membrorum: Si loco incognitæ  $x$  ponatur  $EC$ , pro  
 $AC$  vero  $2a$ ,  $CB$   $2b$ ,  $BA$   $2c$ , rursus devenietur ad  $\mathcal{A}$ equationem toti-  
 dem dimensionum, sed secundo termino & fractionibus caren-  
 tem; &c.

SCHOL. I; Si rectæ  $DE$ ,  $FG$  (Fig. IV, V, VI) sigillatim bife-  
 cent Triangulum  $ABC$ , sitque  $DF = AD + FC + \frac{1}{2}ADq + \frac{1}{2}FCq$ ,  
 tunc quadrifecabunt Triangulum; & si quadrifecent, erit  $DF = AD$   
 $+ FC + \frac{1}{2}ADq + \frac{1}{2}FCq$ . Fluit hoc Porisma ex priore  $\mathcal{A}$ equatione  
 indeterminata, quæ quadrifecionem respicit,  $yy = 4ay - 4xy -$   
 $2\frac{1}{2}aa + 4ax - xx$ . Etenim si ponatur  $AD = p$ ,  $FC = q$ ,  $DF = Z$ ; adeoque  
 $y = p + Z$ ,  $x = q + Z$ ,  $a = p + q + Z$ : atque hi valores loco literarum  $y$ ,  $x$ ,  $a$   
 in  $\mathcal{A}$ equatione hac substituantur, prodibit  $Z = p + q + \sqrt{2pp + 2qq}$ .

Quare si quadrifecum sit Triangulum per rectas  $DE$ ,  $FG$ , sitque  
 $AD = FC$ , erit  $DF = 4AD$ , & tota  $AC = 6AD$ : Si vero  $AD = 1$ ,  $FC = 7$ ,  
 erit  $DF = 18$ : si illæ = 7 & 17, erit hæc = 50: si illæ = 7 & 23, erit hæc = 64  
 &c. Sequitur etiam, si data quædam recta linea  $AC$ , modo quo re-  
 quiritur, secta sit in  $D$  &  $F$ , & quaecunque Triangulum super  $data$   
 $AC$  constitutum fuerit, posse ex punctis sectionis duas inflecti rectas,  
 quæ Triangulum illud quadrifecent.

II. Ex

II. Ex collatione porro utriusque æquationis indeterminatæ constare potest, latus illud Trianguli, in quo terminantur duæ quadrifecantium normalium extremitates, nunquam posse esse maximum: Nam AD existente  $\text{=p}$ , & FC  $\text{=q}$ , DF est  $\text{=p}^2 + \text{q}^2 + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$  per 1 schol; adeoque tota AC (a)  $\text{=} 2p + 2q + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$ , CD (x)  $\text{=} p^2 + 2q + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$ , AF (y)  $\text{=} 2p + q + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$ ; hinc posita  $b < a$ , seu  $bb < aa$  quantitate aliqua l, ut sit  $bb = aa - l$ ; si pro literis a, b, x & y, aut aa, bb, xx, yy, hi valores, eorumve quadrata in

$$aaxx - bbxx + ccxx - \frac{1}{2}a^4 + \frac{1}{2}aabb + \frac{1}{2}aacc$$

æquatione altera  $yy = \frac{4xx - aa - bb + cc}{2pp^2 + 2qq + 56ppq + 34q^2 + 3pp^2 + 2ppq + 24ppq - 2pq + 39q^2 + 2q}$

subrogentur, & æquatio ita ordinetur, ut cc ab una parte extet sola,

$$32p^2q + 52ppq + 56pq^2 + 34q^3 + 3pp^2 + 2ppq + 24ppq - 2pq + 39q^2 + 2q - 40ppq + 24q^2 + 2pp^2 + 2qq$$

& quandoquidem valore ipsius  $2pq + 39q^2 + 2q$  ad fractionem ejusdem nominis redacto, inveniatur tantum  $aa = 28p^2q + 50ppq + 52pq^2 + 34q^3 + 20ppq + 36ppq + 24q^2 + 2pp^2 + 2qq$

$$2pq + 39q^2 + 2q + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$$

manifestum est,  $cc > aa$ , &  $c > a$ . Eodem pacto, si supponatur  $c < a$ , reperietur  $b > a$ . Quare a, non potest esse latus maximum.

At vero quia si ponatur  $b > a$ , seu  $bb > aa$ , quantitate quapiam

$$32p^2q + 52ppq + 56pq^2 + 34q^3 - 3pp^2 - 2ppq - m,$$

reperitur  $cc = 2pq + 39q^2 + 2q - 24ppq + 40ppq + 24q^2 - 2pp^2 + 2qq$

$$4p^3q + 2ppq + 4pq^2 - 3pp^2 - 2ppq + 4ppq + 4ppq - 2pp^2 + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$$

$$2pq + 39q^2 + 2q + \sqrt{2pp^2 + 2qq}$$

evidens est, c posse esse  $>$  vel  $<$  a, prout hæc quantitas vel positiva est vel negativa, id est, prout  $4p^3q + 2ppq + 4pq^2 + 4ppq + 4ppq$



$$\sqrt{4pq} \vee \sqrt{2pp + 2qq} > \text{vel} < \text{est, quam } \frac{3pp}{2} + 2pqm + 2pm \\ - 2p - 89Mpq$$

$$\vee \sqrt{2pp + 2qq} \text{ sive prout } p + q \text{ M } 2q$$

$>$  vel  $<$  m, quorum utrumque fieri potest. Quare si major sit, latus a utroque reliquorum b & c minus erit; sed tum alix quoque duæ normales e medio latere inflecti possunt, idem Triangulum quadrifecantes; ut si  $a=484$ ,  $b=490$ , &  $c=495$ , possunt optatæ rectæ educitum ex latere a, segmentis ejus existentibus 62, 324, 98; tum ex latere b segmentis ejus factis circiter 131, 339, 20.

III. In Triangulo Rectangulo & obtusangulo latus a, in quo terminantur duæ quadrifecantium normalium extremitates, necessario medium est: cum enim subtensa anguli recti vel obtusi esse non possit (quia maximum latus esse non potest, ut jam ostensum, hinc vel b, vel c subtensa hæc erit; adeoque ejus quadratum vel = vel  $>$   $aa +$  quadrato alterius, id est, (si & altera hæc supponatur  $>$  a) majus duplo aa, quo tamen multo minus esse ostendit calculus.

IV. Latus, e quo inflectuntur ambæ quadrifecantes normales, mediocritate alterutrius reliquorum semper majus est, quoniam enim  $\triangle DHF = \text{Trap. HFCE}$ , erit  $\triangle DHF >$   $\triangle HFE$ , &  $DH >$   $HE$ ; cumque anguli DHF, EHF recti, & HF perpendicularis communis,

$$\text{erit } DF > FE, \& DC > FE + FC > EC. \text{ Hinc quia } CE = \frac{ab}{2x}, \text{ erit } x > \frac{ab}{2x}$$

$\frac{ab}{2x}$ , &  $xx > \frac{ab}{2}$ , &  $aa (> xx) > \frac{ab}{2}$ , &  $a > \frac{1}{2}b$ , Similiter quoque ostendetur  $a > \frac{1}{2}c$ . Hinc in solo Triangulo oxygonio, & quidem illo tantum, quod æquilatere affine est, latus minimum optatam proprietatem habet, ut accipere possit duas normalium quadrifecantium extremitates.

V. Posito a latere medio, b minimo, & c maximo; nempe  $bb=aa -$ , &  $cc=aa + m$ , substitutisque in reperta Equatione his valoribus, exurgit  $4p^3q + 2ppqq + 4pq^3 + 4ppq + 4pqq \vee \sqrt{2pp + 2qq} = 2pqm - 2pql + 3qqm - 3ppl + 2qm - 2pl \vee \sqrt{2pp + 2qq}$ ; unde liquet, quia prior pars est positiva, alteram quoque talem esse debere: adeo-

adeoque si  $m = \text{vel} > l$ ,  $q$  fore  $> p$ ; si vero  $p = \text{vel} > q$ ,  $m$  fore  $> l$ ; id est, si differentia quadratorum lateris maximi & medii æqualis vel minor est differentia quadratorum medii & minimi, tunc segmentum lateris medii adiacens lateri minimo majus est segmento adjacenti lateri maximo; sin vero hoc segmentum æquale vel majus illo, tunc differentia illorum quadratorum major est differentia horum. Præterea alias Problematis determinationes.

**SCIATERICUM TELESCOPICUM; OR A NEVV**

*Contrivance of Adapting a Telescope to an Horizontal Dial &c.*

*by William Molineux Esq. Fellow of the Royal Society, and of that in Dublin.*

hoc est,

Guilielmi Molineuxii, Equitis, & tam Regiæ quam Dublinensis Societatis Socii, Novum inventum adaptandi Telescopium Sciaterico Horizontali, ad observanda temporis momenta interdiu atque noctu &c.

Dublini, ap. W. Norman, 1686.

**L**ibellus hic, in quo nobilissimus Autor novum suum inventum proponit & explicat, undecim absolvitur capitibus: in quorum *primo* de usu hujus inventi agit, eumque non solum ad observationes astronomicas se extendere, sed etiam specialiter in Geographia & Nautica exerere ostendit circa longitudes locorum determinandas: Quippe ad quas, sive ope Eclipsium Solis, Lunæ & Stellarum, sive Satellitum Jovis immersione in ejus umbram aut emersione ex ea, instituendas vel maxime requiratur exactum temporis momentum, sine quo distantia horaria locorum observationis incerta est cum ipsa longitudine. Capite *secundo* rejiciuntur methodi observandi temporis momenta nunc usitata, partim quia incertæ, partim quia nimis operosæ. Sciaterica enim si parva sunt, Autoris judicio, non admittunt divisionem in minuta & minorum partes secundas & tertias &c; Si magna, ob magnam

gnum gnomonem, umbram habent nimis incertam, & ad accuratas observationes usui esse nequeunt: utraque vero de die tantum, & Sole intense lucente, usurpari possunt. In capiendis autem die noctive Solis aut stellarum altitudinibus & azimuthis, multa requiritur opera in magnis Instrumentis & obtinendis & tractandis; cui accedit labor calculandi triangula Sphærica obliquangula difficillimus: Quo quanquam non indigeat illa methodus, qua tempus fatis commode ex appulsu Solis aut fixarum ad meridianum, aut circumpolarium ad eundem verticalem cum Polari observari potest; eam tamen non semper adhibere licet, cum non quovis instanti talis stellarum positus contingat. Suum ergo inventum Autor, quod quovis momento in usum traduci aptum sit, & reliquis quoque non labore incommodis, cæteris longe præstare contendit. Capite tertio ipsum describitur Sciatericum Horizontale magnum in horas & minuta divisum, cujus diameter 18 pollicum, instructum stylo quadrangulâri satis valido, cujus dorso  $m a l b$ ,  $\frac{1}{10}$  pollicis lato, inhæret cochlea mas, cujus ope cochlea fœmina cum brachiolis  $op$ , quæ sustinendæ regulæ dioptricæ  $ef$  inserviunt, & attolli & deprimi potest. Circa centrum enim Horologii moventur duæ regulæ  $cd$ ,  $cd$  quæ Horizontales vocantur, quibus junctæ totidem aliæ  $ef$ ,  $ef$ , quæ Stylares audiunt, & tam vitrum Objectivum  $i$  & oculare  $b$ , quam mensuratorem  $g$ , (quem vocat) seu pilos se invicem decussantes gerunt. Unum par in Fig. 7 eo in positu exhibetur, quem tempore observationis habere debet; alterum vero sciaterici plano otiose incumbit; quod enim antemeridianis Observationibus incumbit, pomeridiano tempore nullius usus est. Cæterum quævis stylaris regula suæ Horizontali ita artificiose combinata est, ut sursum & deorsum, dextrorsum & sinistrorsum moveri possit, ita tamen ut latera horizontalis & stylaris regulæ Gnomoni proxima, semper sint in eodem plano, & secum invicem, & tempore observationis cum latere quoque gnomonis ipsis correspondente. Cum vero non cujusvis sit hanc divinare fabricam, hinc eadem capite quarto dilucide fatis explicatur. Capite quinto docetur, quomodo Mensurator in debitum redigendus situm, ut non solum in legitima positus sit a vitro objectivo distantia; sed etiam linea Collimationis per mensuratorem ad Objectum sit parallela lateri Regulæ stylaris, ita ut

Men-

T A B. IX.  
Fig. VII.

Mensurator nec declinet in sinistram nec in dextram, nec sit altior nec dimisior, quam opus est. Duæ vero ad hoc præstandum viæ ostenduntur, quarum prima cum suppleri possit id, in quo methodus Sturmiana, in Actis anno 1684 p. 579 a nobis tradita, ab Autore nostro defecere judicatur (ob axem visionis etiam in tubis quadratis non rectificatis lateribus non parallelum) brevibus eandem hic inferemus: Sumantur duo paxilli ex fortissimis filis metallicis, utpote in quibus latera necessario sibi invicem parallela, & jungantur plano cuidam ita, ut longitudine pollicis atque amplius prominent. Deinde planum ita disponatur, ut illi clavi horizonti fiant exacte paralleli, & assumatur regula telescopica (aut tubus quadratus) cujus latera exactissime parallela, (quomodo vero hic parallelismus examinandus, haut absimili modo Autor antea docuit) partique paxillorum superiori ejus basis imponatur, latus vero plano admoveatur & observetur remoti cujusdam objecti punctum, in quod Mensurator incidere videtur: postmodum invertatur regula, ut latus superius jam incumbat paxillis, & eodem modo ejusdem objecti fiat observatio. Si mensurator jam eidem adhærescat puncto, linea collimationis exacte parallela est lateribus regule telescopicæ: Si autem versus dextram aberret mensurator, idem sinistrorsum promovendus; sin Mensurator adplicari videatur puncto, quod priori ad sinistram adjacet, dextrorsum removendus erit. *Sexto* Capite ostenditur, quomodo Sciatericum telescopicum rite paratum in debitum situm collocandum sit; & cum ad hoc efficiendum linea meridiana requiratur, affertur Cap. *Septimo* Methodus eandem inveniendi, ope instrumenti cujusdam Triangularis simplicissimi ABE, quod angulum exactissime rectum TAB IX. habet, & præterea brachiorum cum cochlea D, nec non aliam coch- Fig. VIII. leam E; quibus ita disponi potest, ut ab inclinatione undecunque liberum plano Horizontali exacte congruat. Converti autem potest circa centrum F, & clavos rotundos æneos pro lubitu infixos 1, 2, 3, 4 &c. habet, quibus, ut & paxillo G, regula telescopica CH imponitur, a lapsu munienda cochleola quadam, quæ paxillo G adaptatur. Usus ejus ita se habet: Tempore antemeridiano Solstitii æstivi, v.g. hora 9, ita disponatur regula telescopica, ut Solis centrum exacte respondeat mensuratori, statimque ducatur

Kkkk linea

linea aliqua in plano Horizontali juxta latus *mn*: hora dimidia elapsa ad alium paxillum attollatur regula, & rursus capiatur Solis altitudo, ducaturque alia linea in plano Horizontali: id quod tandem repetatur, donec habeas tres aut quatuor observationes ante-meridianas. Pomeridiano tempore curiosè observetur (descendendo per eosdem paxillos, quibus ascendebatur ante meridiem) quando Sol easdem obtineat altitudines, ut totidem ac antea linea in plano Horizontali designare queant. Tandem anguli omnes ex puncto F bisecentur. Linea enim, quæ omnes biseecat, verissima est Meridiana. Hæc ergo methodus, cum ope stellarum, quæ duas aut tres circiter horas a Meridiano distant, eadem ratione noctu etiam in usum transferri possit, Cl. Inventori nulli earum, quæ hæcenus excogitatæ sunt, inferior jure videtur. Sequitur jam caput *octavum*, quod Sciatherico telescopico utendi rationem tradit. Nempe instrumento in debitum situm redacto, regula stylaris seu telescopica ad Solem dirigitur, ita ut mensurator centrum Solis respiciat: tunc enim regula Horizontalis in limbo abscindit horam & minuta exactissime. Si noctu stella observetur, regula Horizontalis abscindit stellæ distantiam horariam a meridiano, cujus ope facile tempus quæsitum invenitur. Quamvis vero tempori inveniendò hoc instrumentum præcipue dicatum sit, additur tamen hoc loco, quomodo ejus adminiculo ascensiones rectæ stellarum facillime investigari possint. Capite *nono* Tab. Ascens. rect. explicantur: *decimo* vero Astronomica temporis Æquatio ex *Flamsteedii Dissertatione operibus Horroxii posthumis subjuncta* dilucidatur. Quæ doctrina etiam ad horologia applicatur, ostenditurque quomodo horologia pendulis instructa juxta Tab. ad id computatas corrigi debeant. *ultimo* tandem capite monstratur usus & calculus Tabulæ stellarum circumpolarium; v. g. Quomodo ope filii ferici, aut metallici, plumbo onerati possint horæ & minuta nocturni temporis deprehendi: Quomodo duorum talium filorum adjumento linea meridiana curiosè possit noctu inveniri: item quomodo ex observationibus harum stellarum horologia, elephidra &c. optime possint corrigi. Adjectæ vero calci libri sunt Tabulæ Ascens. rect. Solis, & plures alix ad usum hujus instrumenti expeditiorem necessarix.

FRAN-

**FRANCISCI SPOLETI DISSERTATIONES DUÆ:**  
*I. de momento, quo gravia nituntur deorsum, per datum planum; quo subjectum planum urgent; & quo planum inclinatum grave deorsum tendit: II. de Secretione bilis in Hepate.*

Venetiis, 1686, in 4.

**D**UÆ sunt Dissertationes, quas Autor exhibet, in quarum prima propositio quædam Mechanica, quam proxime elapso anno Romæ ediderat, quamque nonnulli & obscuritatis & infirmitatis damnaverant, uberius confirmatur & proponitur clarius; secunda vero ostenditur quomodo Mechanices ope secretiones fiant.

Propositio vero Mechanica est illa, de qua jam aliquoties actum in Actis Eruditorum anno 1684. p. 511, 1685, p. 262, 501; 1686, p. 96, quod nempe momentum gravis in plano inclinato ad suum momentum totale sit ut perpendiculum ad hypotenusam. Hanc ut contra Doctorem Lucensem demonstraret, ita procedit:

Sit AD ad DC ut 4 ad 5, incumbatque plano CD sphaera O; ducatur Diameter NG & ex puncto sustentationis F linea FI. Hoc facto concipit NG ut jugum libræ, cujus brachia inæqualia NI & IG, centrum vero motus I. Postea investigat soliditatem partis Sphæræ NI, quam, posita totius Sphæræ soliditate 20000000  $\mathfrak{B}$  invenit esse 560000  $\mathfrak{B}$ ; nec non segmenti IG, 19440000  $\mathfrak{B}$ . Tandem horum segmentorum centra gravitatis quarit: & in minori illud centrum 678571  $\frac{240000}{560000}$  partes, quarum Diameter est 20000000,

TAB. IX.  
fig IX.

in altero majori 8250000, ab I distare probat; concluditque partis NI momentum esse 380000000000, partis vero IG 160380000000000: ita ut excessus momenti partis IG supra momentum partis NI sit 160000000000000, quo scil. Sphæra O deorsum nititur per planum inclinatum AC. Cum vero totius Sphæræ soliditas in radium ducta exhibeat ejus momentum in plano perpendiculari NV, 200,000,000,000,000: tandem colligitur, momentum, quo Sphæra deorsum tendit in plano inclinato dato, esse ad ejus momentum absolutum ut 16 ad 20, hoc est ut 4 ad 5. Subjungit

Kkkk 2

huic

huic breviorē aliam demonstrationem, idem generaliter evi-  
 centem, & in Corollario prioris demonstrationis, summam me-  
 mentorum corporis gravis in duobus planis inclinatis, juxta casum  
 ab I. F. V. Act. anno 1684, p. 511 propositum, esse dicit ad ipsius mo-  
 mentum totale, ut 7 ad 5, non vero ut 5 ad 5, ut recentiores quidam  
 opinentur. Ob argumenti affinitatem adhuc duæ propositiones  
 adjunctæ sunt, quarum prima docet momentum gravis in plano in-  
 clinato (hoc est, momentum quo grave substratum planum urget)  
 ad suum momentum totale esse, ut sinum versus anguli inclina-  
 tionis ad sinum totum; altera ostendit, momentum plani inclinati  
 gravis (hoc est, momentum quo planum inclinatum deorsum ten-  
 dit,) ad suum momentum totale esse, ut sinum rectum anguli in-  
 clinationis ad sinum totum.

In secunda Dissertatione Autor suam de secretionē ani-  
 mali sententiam expositurus, rejicit tam illorum opinionem,  
 qui eam per solam cribrationem exponunt, quam eorum, qui  
 eam mediantibus peculiaribus in vasculis secretoriis fermentis  
 fieri putant. Illis enim ob stare censet partim, quod flui-  
 di particule, non solo contactu, casu ab ipsis supponitur, sed etiam  
 vinculo quodam plus minus valide vinciantur; partim etiam quod  
 sequestratur, per vasis cribratorii poros non solum particulas  
 ejusdem figuræ & magnitudinis eum poris, sed minores quoque  
 transire, adeoque exilioris liquidi egressum coæreri non posse. His  
 vero objicit vertiginosos istos motus, qui in omni fermentatione  
 obtinent, in angustiissimis Vasorum Canaliculis celebrari non pos-  
 se. Autoris vero sententiæ propria hæc est: Nullum a sanguine se-  
 cerni posse humorem, nisi prius dirumpatur Mechanice ope ne-  
 xus ille, quo secernendi humoris particule eum reliquis colligan-  
 tur; ulterius autem aptos requiri poros, per quos dissolutæ parti-  
 culæ a sanguineo gurgite eliminantur. v. g. Spiritus in cerebro se-  
 cerni, quia ibi jam dissoluti sunt Mechanica vi a reliquo sanguine,  
 & aptum inveniunt filtrum, per quod in nervos effluere possunt.  
 Hæc ut confirmet & declaret, supponit (1) Miscibilia, quo magis agi-  
 tantur & contunduntur, eo magis ipsorum particulas subdividi  
 (2) Quo minores in particulas miscibilia fluida dividuntur, eo vali-  
 diori deinde stringi nexu, tum quia major est in parvis quam in  
 magnis corporibus superficies, tum quia ob parvitatem molis de-  
 ere: seti

erescit illa vis, qua unum fluidum ab altero sejungit nititur. (3) Si fluidum heterogeneum per tubum Conicum a basi ad apicem tradatur, dissimiles illius particulas inter se colligatas sejungit posse: quum particulae quae per axem impelluntur, nullum offendant obicem; reliquae vero, quo magis ab axe recedunt, eo citius internam conii superficiem offendant, & destitutae vel imminutae motu celerem aliarum fugam comitari nequeant. (4) Si dux quaecunque particulae simul colligatae tradantur in canaliculum, cujus amplitudo minor est crassitie illarum simul sumptarum, hanc ab illa ibidem sejungit posse. (5) Si plura corpora plus minus valido colligata nexu a communi aliqua facultate comprimantur, prius exprimi quod minus cohaeret. (6) Datum humorem secerni non posse in illis vel arteriis vel venis, per quas minori ruit sanguis tempore, quam quod requiritur ad secretionem dati humoris. (7) Si eadem copia liquidi per inaequales Sectiones aequali tempore transeat, sectiones esse inter se reciprocae ut velocitates. (8) Singulas corporis nostri arterias esse Conicos tubos, in quibus a majori ad minorem cavitate sanguis impellitur. (9) Diametrum datae venae ad diametrum sociatae arteriae, minorem habere proportionem dupla: solum diametrum venae portae ad diametros arteriarum coeliacae & mesentericae simul sumptas multo majorem habere proportionem. (10) Omnibus in venis ab angustiori ad ampliore cavitate progredi sanguinem, solum in vena portae ex capaciore alveo in tenuissimos dividi rivulos per jecoris parenchyma distributos. Ex hisce praesuppositis non tantum sententiam suam declarat, sed in specie quoque ad bilis secretionem descendit: Sanguinem scilicet in liens quadantenus solvi, semisolutum progredi in venam portae, ubi tardius moveatur, ne bilis particulae magis dividantur, sed potius disperse simul eocant; tandem vero crassiores bilis particulas hepatis parenchyma ingressas, in tenuissimos vena portae canaliculos distribui, & in ipsam angustiam facillime a sanguine secerni.

**RAYMUNDI MARTINI ORDINIS PRÆDIGATORUM PUGIO**  
*Fidei adversus Mauros & Judaeos, cum Observationibus Josephi de Vois-  
 sen, & Introductione Jo. Benedicti Carpzovi, qui simul appendicis loco  
 Hermannii Judaei opusculum de sua conversione ex MSCto*

*Bibliotheca Paulina Acad. Lips. recensuit.*

Lipsiae, Sumptibus Haered. Friderici Lanskifii, 1687, in fol.

Sextus



**S**extus & decimus jam vertitur annus, ex quo summe Venerandæ nostræ Carpozovius sui in Professione Hebræa celeberrimi Antecessoris & de tota Ecclesia Orthodoxa longe meritisissimi Theologi D. Geieri b. m. vota expleturus, Operis a *Raymundo Martini* conscripti, & Parisiis a *Josepbo de Voisin* cum observationibus in lucem publicam emissi, novæ editioni in popularium usum parandæ nam admove ~~cepit~~, sed certior redditus hoc negotium jam occupasse Virum quendam celeberrimum, quicquid de Raymundo Voisiniano mente conceperat, prorsus deposuit. Ast cum alterius editio per sedecim annorum spatium expectata non prodiret, & superiori anno ad finem decurrente aliquid ad prelum ab ipso posceretur, ad vetus illud propositum quasi postliminio reversus, Pugionem illum Raymundi cum Voisiniæ observationibus integrum e Parisina editione exprimendum dedit, nihil quicquam immutans, & ne paginarum quidem numeros, quos ideo ad oram ubique describi jus sit, ut indices primæ editionis locupletissimi eo respicientes nullius emendationis indigerent. Ut tamen orbem litteratum, quem ob præclara ingenii subtilissimi monumenta jam obstrictissimum habet, sibi magis devinciret, Operi Raymundo-Voisiniano non tantum elegans Hermanni Judæi de sua Conversione opusculum, e MSS. Bibliothecæ Paulinæ Academiæ Lipsienfis recensitum subjunxit, sed & succinctam non minus quam accuratam Introductionem in Theologiam Judaicam præmisit, eamque in duodecim capita distribuit, suum cuique summarium una thesi rotunde comprehensum præfigens. In *I Capite* ostendit Theologiam Judæorum, perinde ut Ethnicorum, Muhammedanorum, Hæreticorum, per abusum Theologiam nuncupari, & adducit varia nomina, quibus Judæi suam Theologiam insigniant. In *II Capite* declarat, Judæorum nomen initio patronymicum fuisse, sed postquam decem tribus superstite Regno Judaico in captivitatem abductæ sunt, regnumque adeo Israeliticum deserit, cepisse hoc nomen religionem magis & professionem notare; late igitur sumtum hoc vocabulum, & quatenus quidem Religionis nomen est, commode tribui etiam iis, qui ante Judam, nominis Judaici autorem, vivere, adeoque nil ob stare, quo minus Theologia Patriarcharum cum ætate post-diluvianorum dicatur Judaica, cum illorum *Theologia*  
in

in præcipuis Religionis capitibus quoad rem eadem fuerit cum Theologia , quam post Abrahami & Jacobi tempora credentes profitebantur. Judæos postmodum in Veteres & Modernos ita distinguit , ut Veterum ætatem inde ab Abrahamo , eo quod Deus illo e patria reverso primum sibi populum Judaicum separarit , usque ad adventum Christi deducat ; Modernorum inde a Christi adventu usque ad seculi consummationem extendat , insimul observans , Veterum Judæorum Theologiam fuisse veram , Modernorum autem a veritate abire , multisque erroribus scaterere. In *Cap. III.* docet , duas sectas , Pharisæorum scilicet atque Sadducæorum , præ cæteris in corrupta Ecclesia Judaica olim eminuisse , & licet alii subinde fuerint , qui in quibusdam ab istis dissentirent , ad alterutram tamen harum vel pertinuisse , vel certe reduci posse. Sic ad Pharisæos , quos ab Hasidæis ortos esse tradit , Essæos referendos esse , cum eadem pene cum illis placita habuerint , nisi quod in villis libentius quam in urbibus Eremitarum more vixerint : utramque etiam sectam tam Hillelistarum quam Schammaistarum hæresi Pharisæorum aperte adhæsisse : Sadducæorum & Bajthosæorum sectam in Schola Antigoni Sochæi e male intellecta Præceptoris sententia , *Deo non esse mercedis gratia serviendum* , autoribus Zadoko & Bajthoso prognatam , unicam esse , nominibus tantum sic distinctam , & a Pharisæis cæterisque Judæis a Zadoko potius & frequentius , quam a Bajthoso denominatam , quod ille in sententia propugnanda rigidior , hic mollior paulo esset , præterea & ipsi sectarii Bajthosi ab altero ejusdem hæreseos Autore Sadducæi denominari mallerent , ne infamia præceptoris Bajthosi , quem spurium esse moverant , sibi pro opprobrio objiceretur : Judæos omnes hodie in duas sectas Rabbanitarum , præter Mosis & Prophetarum scripta , traditiones orales opere Talmudico comprehensas amplectentium , & Karaæorum , legem oralem & traditiones Talmudicas omnes rejicientium , nec aliud fidei vivendique rationis fundamentum recipientium , quam solam scripturam Mosis & Prophetarum , dividi , illosque Pharisæorum , hos Sadducæorum esse propaginem. In *Cap. IV* observat Sectam Karaæorum obscuram esse , & Europæ propemodum ignoratam , ac paucissimorum librorum ab ipsis editorum , eaque occasione recensitorum , notitiam ad nos pervenisse : Sectam

vero

vero Rabbanitarum prævalere, eique omnes Judæos *Europæ incolæ* esse addictos, adeoque Theologiam Judaicam eandem esse, quæ Rabbanitarum. In *Cap. V* definitionem Theologiæ Judaicæ modernorum Rabbanitarum proponit, propositamque per partes solide enucleat, atque inter alia pervulgatum errorem, *omnes Judæorum traditiones Talmudæ comprehendendi*, perstringit, demonstrando istas duplicis esse generis, Talmudicas alias, alias Kabbalisticas, illasque practicas, circa vetitum & licitum decernentes, has theoreticas, arcanos legis sensus & mysteria ibi recondita recludentes. In *Cap. VI* ad divisionem Theologiæ Judaicæ proædit, ostendens duas illius esse partes, unam **מעשה בראשית** Opus Bresthith, alteram **מעשה מרכבה** Opus Mercaba, atque in his tradendis data opera tenebras querere Rabbinos, ut sese invicem non intelligant ipsimet, ac multo minus a Christianis solide percipiantur. Ut vero hanc densissimis tenebris involutam, nec ab aliquo hactenus satis explicatam materiam elariorem redderet laudatissimus Autor, primum de partitione illa verba e Joh. Reuchlini lib. I de Arte Kabbalistica, (quæ eidem Archangelum Burgonovensem Commentario in Kabbalistarum dogmata, paucis quibusdam omissis, suffuratum fuisse observat) plene in medium adducit, atque ex iisdem ad mentem R. Josephi Castiliensis, quem in hoc negotio secutus est Reuchlinus, Theoremata quædam format, dignissima, quæ, prout ab ipso Autore Celeb. concepta sunt, B. L. oculis subjiciantur. Ita autem, præteritis, quæ ad pleniorum eorundem diductionem faciunt, apud illum leguntur:

I. *Prima pars* Theologiæ Judaicæ dicitur **מעשה בראשית** opus creationis, prima Genesios voce, qua rerum naturalium creationem describere Moses incepit: *Secunda pars* dicitur **מעשה מרכבה** opus currus, a visione eurrus seu quadrigæ Ezechieli facta *Cap. I, v. sqq.* Illa enim circa res naturales a Mose in primis Genesios capitibus descriptas; hæc circa res divinas Ezechieli in illa visione revelatas occupatur. II. Opus *Bresthith* primo, & opus *Mercaba* secundo loco ponitur, *ordine doctrinæ*; alias *ordine dignitatis* opus *Mercaba* merito præcedit, & opus *Bresthith* sequitur.

III. Utriusque partis *principium* est Scriptura S. traditionibus suffulta, sed aliis traditionibus ianitur prima, opus *Bresthith*.  
aliis

aliis secunda, opus *Mercaba*: illa Scripturæ sensum *literalem* & *tropologicum*; hæc sensum *allegoricum* & *anagogicum* attendit. Suntque adeo partes omnino distinctissimæ, & nullo modo confundendæ.

IV. Licet distinctissimæ sint partes, neutra tamen sine altera describi potest. Nam *altera sepe alterius sensu mutatur, & ad suum desiderium trahit*, h. e. in explicando opere *Breschib* subinde aliquæ traditiones ex opere *Mercaba* allegandæ, & dum opus *Mercaba* addiscimus, sepe ex opere *Breschib*, quod jam didiceramus, quedam repetenda sunt.

V. Prima pars sive opus *Breschib*, est *practica* & *activa*, atque in faciendo & intermittendo consistit; secunda, seu opus *Mercaba*, est *theoretica* & *speculativa*, atque sola contemplatione absolvitur.

VI. *Objectum* operis *Breschib* est  $\text{עולם הזה}$  mundus præsens, quippe qui corporeus, visibilis, sensibilis & materialis est, atque adeo includitur hic, quicquid ad vitam in hoc præsentem mundo bene traducendam spectat, cura rei tam publicæ quam privatæ, ritus & consuetudines ubique domi ac foris, pax & bello, in forensibus & moralibus observandæ. *Objectum* operis *Mercaba* est  $\text{עולם הבא}$  mundus venturus, quippe qui incorporeus, invisibilis, intellectualis seu mentalis & idealis est, &  $\text{בשר ודם}$  futurus dicitur *saltim quoad nos*, & ratione fruitionis nobis post hunc mundum demum futuræ. *In se* enim ab æterno, adeoque ante hunc mundum fuit, æque ut post hunc mundum in æternum durabit. Huc igitur pertinet, quicquid de DEO, ejusque existentia, essentia, attributis, & ceteris in arbores Kabbalisticæ delineatis traditur, non exclusis iis, quæ de Sanctis Spiritibus, de quæ animæ immortalitate ejusque post mortem statu tam beato quam infelici revelata sunt.

VII. Doctores primæ partis, operis *Breschib*, dicuntur *Talmudistæ*, & hi Scripturam ac comprehensa in eâ legis præcepta tam affirmativa quam negativa, non modo per acceptas a Majoribus traditiones explicant, sed & inculcant, atque ad eorum observantiam exhortantur. Doctores secundæ partis, operis *Mercaba*, dicuntur *Kabbalistæ*, & hi Scripturam mystico quodam modo a Majoribus accepto exponunt, atque mysteria ibi latentia eruunt.

VIII. *Effectus* operis *Breschib* est timor Dei servilis; operis *Mercaba* timor Dei filialis,

vero Rabbanitarum prævalere, eique omnes Judæos *Europæ incolæ* esse addictos, adeoque Theologiam Judaicam eandem esse, quæ Rabbanitarum. In *Cap. V* definitionem Theologiæ Judaicæ modernorum Rabbanitarum proponit, propositamque per partes solide enucleat, atque inter alia pervulgatum errorem, *omnes Judæorum traditiones Talmudæ comprehendis*, perstringit, demonstrando istas duplicis esse generis, Talmudicas alias, alias Kabbalisticas, illasque practicas, circa vetitum & licitum decernentes, has theoreticas, arcanos legis sensus & mysteria ibi recondita recludentes. In *Cap. VI* ad divisionem Theologiæ Judaicæ proœdit, ostendens duas illius esse partes, unam *בראשית מעשה* Opus Brafchith, alteram *מרכבה מעשה* Opus Mercaba, atque in his tradendis data opera tenebras quærere Rabbinos, ut sese invicem non intelligant ipsimet, ac multo minus a Christianis solide percipiantur. Ut vero hanc densissimis tenebris involutam, nec ab aliquo hæcenus satis explicatam materiam elariorem redderet laudatissimus Autor, primum de partitione illa verba e Joh. Reuchlini lib. I de Arte Kabbalistica, (quæ eidem Archangelum Burgonovensem Commentario in Kabbalistarum dogmata, paucis quibusdam omissis, suffuratum fuisse observat) plene in medium adducit, atque ex iisdem ad mentem R. Josephi Castiliensis, quem in hoc negotio secutus est Reuchlinus, Theoremata quædam format, dignissima, quæ, prout ab ipso Autore Celeb. concepta sunt, B. L. oculis subjiciantur. Ita autem, præteritis, quæ ad pleniorẽ eorundem diductionem faciunt, apud illum leguntur:

I. *Prima pars* Theologiæ Judaicæ dicitur *מעשה בראשית* opus creationis, prima Genescos voce, qua rerum naturalium creationem describere Moses inceptit: *Secunda pars* dicitur *מעשה מרכבה* opus currus, a visione eurrus seu quadrigæ Ezechieli facta *Cap. I, 1. sqq.* Illa enim circa res naturales a Mose in primis Genescos capitibus descriptas; hæc circa res divinas Ezechieli in illa visione revelatas occupatur. II. Opus *Brafchith* primo, & opus *Mercaba* secundo loco ponitur, *ordine doctrinæ*; alias *ordine dignitatũ* opus *Mercaba* merito præcedit, & opus *Brafchith* sequitur.

III. Utriusque partis *principium* est Scriptura S. traditionibus suffulta, sed aliis traditionibus ignitur prima, opus *Brafchith*, aliis

aliis secunda, opus *Mercaba*: illa Scripturae sensum *literalem* & *tropologicum*; hæc sensum *allegoricum* & *anagogicum* attendit. Suntque adeo partes omnino distinctissimæ, & nullo modo confundendæ.

IV. Licet distinctissimæ sint partes, neutra tamen sine altera doceri potest. Nam altera sæpe alterius sensa mutuatur, & ad suum desiderium trahit, h. e. in explicando opere *Breschib* subinde aliquæ traditiones ex opere *Mercaba* allegandæ, & dum opus *Mercaba* addiscimus, sæpe ex opere *Breschib*, quod jam didiceramus, quedam repetenda sunt.

V. Prima pars sive opus *Breschib*, est *practica* & *activa*, atque in faciendo & intermittendo consistit; secunda, seu opus *Mercaba*, est *theoretica* & *speculativa*, atque sola contemplatione absolvitur.

VI. *Objectum* operis *Breschib* est  $\text{הוהו}$   $\text{והוהו}$  mundus presentis, quippe qui corporeus, visibilis, sensibilis & materialis est, atque adeo includitur hic, quicquid ad vitam in hoc presenti mundo bene traducendam spectat, cura rei tam publicæ quam privatæ, ritus & consuetudines ubique domi ac foris, pace & bello, in forensibus & moralibus observandæ. *Objectum* operis *Mercaba* est  $\text{הוהו}$   $\text{והוהו}$  mundus venturus, quippe qui incorporeus, invisibilis, intellectualis seu mentalis & idealis est, &  $\text{הוהו}$  futurus dicitur solum quoad nos, & ratione fruitionis nobis post hunc mundum demum futuræ. In se enim ab æterno, adeoque ante hunc mundum fuit, æque ut post hunc mundum in æternum durabit. Huc igitur pertinet, quicquid de DEO, ejusque existentia, essentia, attributis, & cæteris in arbores Kabbalisticæ delineatis traditur, non exclusis iis, quæ de Sanctis Spiritibus, deque animæ immortalitate ejusque post mortem statu tam beato quam infelici revelata sunt.

VII. Doctores primæ partis, operis *Breschib*, dicuntur *Talmudista*, & hi Scripturam ac comprehensa in eorum legis præcepta tam affirmativa quam negativa, non modo per acceptas a Majoribus traditiones explicant, sed & inculcant, atque ad eorum observantiam exhortantur. Doctores secundæ partis, Operis *Mercaba*, dicuntur *Kabbalista*, & hi Scripturam mystico quodam modo a Majoribus accepto exponunt, atque mysteria ibi latentia eruunt.

VIII. *Effectus* operis *Breschib* est timor Dei servilis, operis *Mercaba* timor Dei filialis,

IX. *Finis* partis utriusque junctim sumpta alius esse non potest, quam totius Theologiae Judaicae, nempe **מְרַבֵּי חַיִּים** pars in futuro mundo, speciatim tamen finis operis. *Breschib* est felicitas corporalis & temporalis sub adventum Messiae obtinenda, finis operis *Mercaba* est felicitas spiritualis & aeterna, cujus praegustum aliquis ex istis speculationibus in suavissima animi quiete & tranquillitate percipit.

Quibus Theorematis propositis notat Rab. Mos. Maimonidis doctrinam de opere *Breschith* & opere *Mercaba* a R. Josephi Castiliensis plane esse diversam, & quamvis de utroque opere Maimonidem secutus jam egerit Voisinius. *in observat. ad Proemium*, cum tamen paucissimis & primoribus solum labris rem attigerit, illius quoque doctrinam, ut rectius de ea constet, in certa theorematum cogit, quae in gratiam B. E. huc itidem transferre nulli dubitamus. Sunt autem sequentia: I. Principium utriusque operis *Mercaba* & *Breschib*, est Scriptura S. suis traditionibus innixa, in primis autem quinque illa Praecepta, primum de Dei unitate, *Exod. XX, 2.* secundum de Dei essentia, & quod non adivus sit, quam **אֱלֹהִים יְהוָה** *Exod. XX, 3.* tertium de Dei unitate. *Deut. VI, 4.* quantum de Dei dilectione, *ibid. vers. 5.* quintum de Dei timore *ibid. v. 17.*

II. Utrumque opus, opus *Breschib* & *Mercaba*, sunt duae scientiae Theoreticae ad Theologiam Judaicam pertinentes, quas conjunctim veteres **עֵדֵי פָּרַדִּיז** *Paradisum* appellarunt.

III. Opus *Breschib* est Physica, opus *Mercaba* est Metaphysica seu doctrina transcendentalis.

IV. *Obiectum* operis *Breschib* sunt orbis coelestes, stellae, elementa, homo ejusque essentialis partes, quibus constat, item plantae, metales, lapideae, &c. *Obiectum* operis *Mercaba* sunt Deus & attributa divina, item angeli eorumque gradus & ordines.

V. Utriusque studium studio Talmudico contradistinctum est, neque suscipiendum, nisi ab eo, qui studium Talmudicum absolvit.

VI. *Doctrina Talmudica* de vetito & licito sufficit homini ad salutem: doctrina operis *Breschib* & *Mercaba* tantum facit ad majorem & excellentioris Theologi perfectionem.

VII. Commodum ex studio utriusque operis *Breschib* & *Mercaba*

Mercaba ad Theologum redundans, omnino est longe manifestius  
conducit enim ad meliorem sui cognitionem.

VIII. Non est tamen omnium, in adyta utriusque sapientie  
Breschith & Mercaba penetrare, cum plerumque intellectus ad affe-  
quenda hæc Mytheria non sit capax.

IX. In utroque opere docendo castos esse oportet Magistros,  
tum circa Auditores, ne quodlibet promissum admittant, tum circa  
materiam docendique methodum, ut summa tantum & generalia ca-  
pita, & ipsa illa non aperte, sed cæcis obvoluta involucri tradant.

X. Auditores uno plures non admittendi, & unicuique ille ex-  
plorandus primum est, an sit idoneus hujus scientie auditor;  
major tamen intellectus requiritur in auditore operis Mercaba,  
quam operis Breschith.

XI. Modus & methodus docendi consistit partim in orali tra-  
ditione generalium doctrinae capitum, cæteris propriis Auditoris  
speculationi relictis, partim in eorum etiam, que traduntur, occul-  
tatione & obvelatione.

XII. Quantumcunque vero huic studio quis incumbat, nun-  
quam tamen ad *ἀκμὴν* perveniet, hodie præsertim, ubi maxima  
pars hujus sapientie intercidit. Exposita sic utriusque Doctoris Ju-  
daici Josephi Castiliensis scilicet & Mosi Maimonidis de opere Bre-  
schith & Mercaba diversissima sententia, Maimonidis opinionem  
utpote in Talmude traditam inter Rabbinos regnare observat, & epi-  
crisin accuratissimam de argumento hoc in Theologia Judaica diffi-  
cillimo subjungit, conspiciens, antiquiores Judæos totam Theo-  
logiam in has duas partes, *Opus Breschith* & *Opus Mercaba*, adve-  
quate divisam voluisse, quarum illa pro objecto haberet Religio-  
nem, prout in Scriptura se D E I S. cognoscendum colendumque  
revelavit; hæc vero more esset *μυστικὴ*, mystica, & pro objecto  
haberet mysteria in Religione illa, quæ maximam partem typicæ  
erat, in prius in ceremonialium & forensium legum observatio-  
ne recondita: postea declinante ad Pharisaicum Judaismo, *posteriorem*  
*illam partem* in doctrinam Talmudicam degenerasse, *posteriorem*  
*vero transiisse* in nugas Kabbalisticas, itaque veterum Judæo-  
rum vestigia legisse Rab. Josephum Bar Abraham Castiliensem, qui  
opus Breschith Talmudica, opus Mercaba Kabbalisticæ adscripsit; R.



Mosem Maimonidem autem ad ipsiusmodi Talmudis ductum utrumque vindicasse Kabbalistas, Talmudicæ doctrinæ contradistinctum.

In *Cap. VII* exponit studium Theologiæ a Judæis in tres classes distribui, ac Bibliarum pueris & adolescentibus, Talmudicum juvenibus & viris, Kabbalisticum denique senibus assignari docet.

In *Cap. VIII*, ostensurus Theologiam Judaicam quoad modum proponendi esse vel mythicam vel manifestam, demonstrat, omnibus Orientalibus rationem docendi parabolicam a multis retro seculis fuisse frequentatam: quosdam eundem facere Æsopum, notissimum illam fabularum ingeniosarum architectum, cum Asapho, celebri illo in aula Davidis Theologo & Poeta, ob nominis convenientiam: Parabolas de divite epulone & Lazaro Luc. XVI, 19. de operariis in vinea Matth. XX, 1. de quinque prudentibus ac totidem fatuis virginibus Matth. XXV, 1. aliasque, quibus Christus usus fuit, a Judæis Talmudi esse illatas, ne utiquam autem, ut perperam statuit Robertus Scheringhamius *Prof. in Codic. Talmud. Joma cum versione & Comment. a se editum*, a Christo e Rabbinoorum scriptis excerptas: Fabulas Talmudicas reconditum ac mysticum habere sensum, si vel maxime a rudi atque infructu inter Judæos plebe ad literam intelligantur: A Maimonide tria hominum genera observari circa has fabulas occupatorum, primum eorum, qui illas credunt ad literam, prout sonant, neque ullam omnino subesse interpretationem mysticam opinantur, sed ea omnia, quam impossibilia etiam sint, pro rebus utique revera existentibus habent; alterum eorum, qui non tantum fabulas sapientum literaliter, ut sonant, intelligunt, sed etiam tanquam stolidas vituperare audent; tertium illorum, qui recte fabulis intelligunt: non solum Maimonidem, sed & alios Rabbinos fabulis Talmudicis mysticum tribuere sensum: errare proin viros doctos, qui talia contra veterum mentem ad declinandum sakim pudorem, quem illa somnia sapientibus moveant, a recentioribus Rabbinis sic excoitari contendunt: a parabolica veterum Judæorum docendi methodo natam esse distinctionem Theol. Judaicæ in mythicam & manifestam, in quarum priori dogmata sub fabularum tegumentis occultantur discentium studio eruenda, in posteriori vero absque omni involucre traduntur manifeste.

In *Cap. IX*, tradit divisionem Theologiæ in Cateche-

scheticam & Achromaticam esse antiquissimam & Judæis pariter atque Christianis usitatam: Rab. Mosen Maimonidem in usum Theologiæ Catecheticiæ tredecim fidei articulos, Christianæ potissimum religioni oppositos, ad imitationem Christianorum Symbolum Apostolicum profertur, composuisse, in Judaismo hoc nomine etiam receptos, quippe quos non in scholis tantum memoriæ mandare jubentur pueri, sed & libellis presum insertos quotidie promiscue omnes recitant: præter laudatum R. Mosen Maimonidem de juventute Judaica aliisque Hebræis bene mereri voluisse R. Abrahamum ben Chanania Jaghel, Monachizensem Italum, scripto catechetico libello, quem Venetiis primum anno Christi 1595 typis Jo. de Gara juris publici fecerit, titulo **דבר חסד** doctrinæ bonæ ex Proverb. IV, 1. mutuato, in quo omnem institutionem Catecheticiam quadraginta duabus Rabbini, seu Præceptoris questionibus, totidemque discipuli responsionibus absolvit. Cujus Rabbini, Judaismi aliquando acerrimi assertoris, tandem grandævi ejurata religione Judaica ad Christianos transgressi, & Romanam quidem Religionem sub Pauli V. Pontificatu amplexi, Catechismus A. C. 1658 Amstelodami recusus ad verbum postea rebenfetur, adjecta versione Latina ante undetriginta annos a Celeb. Autore summa fide jam adornata.

In *Cap. X.* Theologiam Judæorum Achromaticam in *Masoreticam*, quæ pro conservanda legis scriptæ integritate & incorruptione laborat; *Exegeticam*, quæ in verum sensum legis cum scriptæ tum oralis inquirat; *Didacticam*, quæ conclusiones seu fidei vitæque canones ac theses utraque lege, scripta & oraliter, comprehensas systematicè tradit; *Polemicam*, quæ religionis suæ placita contra extraneos defendit, eorumque vitiosum, maxime Christianorum dogmata impugnat; *Historicam*, quæ veritatem traditionum suarum ex antiquitate, & concatenata per quælibet secula propagatione & conservatione demonstrat & vindicat; *Liturgicam*, quæ ritus & ceremonias publice privatimque, quamdiu in exilio versantur, pro diversitate locorum & temporum observandas describit; *Asceticam*, quæ pœnitentiam, pietatem & ceteras virtutes inculcat, simulque ad patientiam & constantiam, intermixtis consolationibus exhortatur; *Homileticam*, quæ in habendis ad populum concionibus occupatur; *Kabbalisticam*, quæ

quæ myſteriorum investigandis dat operam; diſtribuit, easque ſingulas exactiſſime deſcribit, adductis inſimul Autoribus, e quibus luculentior eorum Theologia Judaicæ partium notitia hauriri queat.

In *Cap. XI* adducit præcipuos Auctores, qui primo ſtatim ſeculo inde a Chriſti in eorum exaltatione uſque ad noſtra tempora contra Judæos, quamvis diverſimode, ſcripſerunt; ac prudentiſſime monet, optimam & Theologiæ Studioſis maxime proficuum fore rationem, ſi Theologia Judaica ad modum Systematis L.L.O.C. in Chriſtianorum ſcholis uſitati per theſes, & eccheſes traderetur, atque inſuper innuit, ſe ipſum coepiſſe ſecundum illam methodum a nemine hæcenus obſervatam, ſyſtema aliquod Theologiæ Anti-Judaicum Auditoribus ſuis publice proponere, quod etiam brevi tempore ſperariſſimum abſolutum iri, niſi ad alios labores ipſum Deus vocaſſet: promittit tamen ſe illud, ſupremo Numine vitam, vires & non nihil otii concedente horis ſuccifivis continuaturam eſſe, eam nondum ab inſtituto prorsus receſſerit; cujus interim ideam exhibuit, ut deſiciente ſe alius ad ſuſcipiendum laborem excitetur, cui lampada paratiſſimus, cum omni, quem collegit, apparatu tradere cupit.

In *Cap. XII* agit de præclariffimo opere Anti-Judaico, ſcilicet Raymundi Martini Pugione fidei, qui ſeculo XIII, A.C. 1278 ſcriptus totos quadringentos annos in monaſteriis Dominicanorum delituit, donec eum inde Joſephus de Voſſin in lucem primus e quatuor MSS. produceret Pariſiis anno 1651 plurimorum testimoniis, approbationibus, encomiis ab Autore Celeberrimo ſingulari ſtudio atque induſtria recenſitis, exceptum.

לקום הנקרא שמעני הלא חזק החבור הגדול שחבר חזק

רבי שמעון ראש הדרשנות וצ"ל מק"ק

ורנקבורטו

**JALKUT SCHIMHONI: PERA, que vocatur, SIMEONIA, sive opus illud magnum, quod concinnavit Rabbi Simeon Princeps Concionatorum, b.m. Francofurtensis:**

Franeofurti ad Moenum, anno 447, computationis minoris, hoc est, A. C. 1687, in fol. Voll. duo.

Magui

**M**agni inter suos nominis est operis hujus compilerator Rabbi *Simon*, Synagoga quondam Francofurtanae concionator; de cuius aeo inter eruditos non equidem satis constat; floruisse tamen anno mundi 5070 (Christi 1310) putatur R. *Asarja* in Meor Enajim, quem sequuntur R. *David Gans* in Zemach David anno 5070 & R. *Schubberhai Strimer* in Siphte Jofehonim f. 99. col. 4.

Argumentum libri (*colleBones Madrafehira in univerva Biblia complexi*.) notus est, quam ut pluribus curari opus sit. Conferatur modo, quae de eo obiter in Actis anno 1684. p. 8. 9. dicimus, dum aliud *Jalkus* sive *Peram Rabbinicam* (ab autore R. *Ruben* filio R. *Hofehke Rubenicam* cognominatam) exaucteremus.

Quamvis autem & *Ibessalonis* & *Venetis* & *Craecovia* & *Liburni* Jalkut hoc editum fuerit, editionum tamen haerens exempla, quotquot hodie tantum supererant, non nisi magno ure comparari consueverant. Unde Judaeis non minus aenostatibus Rabbinicae literaturae cupidis gratissimam hanc Francofurtensem fore, nulli dubitamus. Est ea ad Liburnicam editionem exacta ac recensita, sique chartam & typos spectes, nitidior est omnibus omnino, quousque in Germania impressi sunt, Rabbinicis cujuscunque generis libris, adeo ut hac in parte nihil cedat elegantissima Abarbanelis anno superiori apud nos curatae editioni.

ספר בית יהודה והוא חדוש תוספת שכתבתי שו"ת  
מסכתות דהיינו יבמות סוכות קידושין גטין  
חולין בבא קמ"ה

**SEPHER BETH JEPUBA; Liber DOMUS JEDÆ.**

Hoc est: Nova observationes in illis Tosephoth sive Additiones Talmudicas, quæ agunt de Saggadoth sive historiis allegoricis sex tribuum Tabernaculorum, nimirum Jebhamoth, Kethubbeth, Kaduschin, Gittin, Cholin, Baba Kama. Autore R. *Jehuda Ben R. Nisan*, p. r. Archisynagogo *Gulgenf.*

Solisbaci, per Mosën Ben Uri Scharga anno 447.  
id est, Christi 1687, in 4.

Sub

**S**ub ipsa auspiciâ Actorum anni 1685. recensuimus *Ghidische Aggadurth*, sive novas explanationes vel observationes in historiâ Talmudis *universi* allegoricas, autore R. *Samuële Eliesare Ben Jehuda*. Simili labore quoad sex (in libelli titulo enumeratos) Talmudis tractatus defunctus est adhuc dum superstes *Califfissim* Archisynagogus R. *Jehuda*, cujus filius R. *Benjamin* præfatis opusculi editionem accuravit. Potissimum vero sollicitus autor est de dubiis, quæ authoribus *Tosephoth* Talmudicarum vel ex Gemara vel Glossâ Raschiana verbis subnata sunt, aut etiam subnasci debuissent. Eodem studio confecit in eosdem Tractatus *Ghidische Halachoth* sive *observationes novas in consuetudines juridicas*, hæcenus *ineditæ*. Illas autem publici quoque juris facere idem autoris filius in se recepit.

Notamus hac occasione *Ebraice* Francofurti anno 444. (i. e. Christi 1684.) in 4. impressum fuisse illum ipsum ספר חגיגות 160 *Sepher Haggilgulim*, *Librum de Revolutionibus animarum* R. *Isaci Loricensis*, qui ex Viri perillustri versione in *Kabbala* Denudata Tomo II Latine extat, *Kabbala*que studiosis satis innotuit,

**JO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, D. ET IN**  
*Acad. Altdorfina Professoris Exercitationes sex,*  
*variis argumentis.*

Altdorfi Noricorum: prostat Noribergæ, apud Pauli  
Fürstii hæredes, 1687, 4.

**V**ariz doctrinæ, quam inusitato exemplo excolit celeberrimus *Wagenseilius*, novum documentum dedit, peditis his *varii* argumenti *Dissertationibus*; quibus in diversorum studiorum campos effusus, jucundissimas materias inde deproatas ingenio fertili ac præstanti eloquentia pertractavit. Hæ cum inter se, præter elegantiam, quæ omnibus propria est, nihil commune habeant, singulas recensere & præcipua earum capita annotare juvabit. **PRIMA** de *Symbolorum heroicorum*, quæ Galli *Devises*, Itali *Imprese* vocant, natura & constitutione agitur & quanta ingenii præstantia, quanto doctrinæ apparatu, ad conficienda ea opus sit, & quam pauca

paucæ, imò nulla hæctenus vulgata omni ex parte mensuras & leges eorum impleant, ostendit. Præcipuus qui artis hujus præcepta tradiderit, laudatur *Emanuel Thesaurus*, qui ex ipso Aristotele, etsi in argumentis aliis is versatus esset, ea depromserit, inque artis formam, edito libro Italico, hanc scientiam redegerit. Ex hoc potissima capita in Latinam conversa linguam a p. 14. usque ad p. 43. profert, & ad ea exactum adeo celebratum Ludovici XIV moderni Gallorum Regis heroicum symbolum, quod Solem univèrsam terrarum orbem illustrantem, adjecto lemmate, *Nec pluribus impar*, exhibet, non satis sibi constare asserit p. 8. & seqq. etsi Menestrierius singulari opere, sub titulo *La devise au Roy justifiée* Parisiis 1679 edito, istud numeris omnibus absolutum demonstrare allaboraverit. Longe accuratius ad leges hujus artis (cujus inventionem Paulo Jovio tribuit, excultam autem eam a Scipione Bargaglio tradit) compositum, inque ideam symboli perfectissimi cælo quasi descendisse Ludovici XII Gall. Regis symbolum, quod histricem undique aculeos jaculantem cum lemmate, *Iminus & Cominus*, referebat, ex Thesau- ro pronunciat, etsi id ipsum etiam non omni censura careat, quam a Thesauo eodem institutam p. 42. memorat, & perfectissimi symboli definitionem p. 40. 41. tradit, a Thesauo concinnatam, qui tantæ difficultatis opus esse asserit symbolum plene planeque perfectum excogitare, ut ingenii humani acies vix ac ne vix quidem sufficiat conficiendo uni, quod omnia requisita (quorum viginti & amplius enumerantur) impleat. Quamvis autem rigidæ adeo sint symbolicæ Thesauri leges, duo tamen a se composita profert ingeniosissimus Wagenfeilius; alterum honori *Jo. Lud. Frastebis* Consulis Ratisbonensis doctissimi, alterum gloriæ Potentissimi Electoris Bavaricæ *Maximiliani Emanuelis* (cujus celsissimo etiam Nomini integer hic liber est inscriptus) consecratum; quorum istud Canem portæ custodem, hoc Leonem generosum ore cruento horridum refert, & utrumque non iis solum, quas Thesaurus requirit, perfectionibus omnibus, sed pluribus etiam gaudere ostendit.

Exercitatione SECUNDA, postquam arcana quædam stegano- graphica Trithemii & Schvenderi protulisset, ac per sanguinem occulte aliquid nunciandi alteri significandique modos recensuisset, quidque dubitandum circa eos sit monuisset; arcanum

M m m m

quod-

quoddam revelat abs se excerptum e splendido quodam volumine manuscripto, schedas arcanas Paracelsi, Thurnheuseri, Agrippæ, aliorumque magni nominis Alchymistarum, post eorum obitum repertas, complexo; quod ante annos viginti duos in Bibliotheca Scorialiensi vidisse se refert, sed in funesto illo Scorialiensi incendio cum universa Bibliotheca anno 1671 flammis absumtum fuisse metuit. Hujus arcani, quod a p. 69. ad p. 75. usque fufe describitur, ope amicos toto orbe sejunctos, quorum neuter, ubi terrarum gentiumque alter degat, habet perspectum, omnia animi sensa, absque sermone vel literis internunciis, invicem expromere & quasi colloqui posse: eadem etiam opera posse parari candelam, cujus ea indoles, ut quoad homo aliquis superstes vitam agit, flammam ea fervet; illo autem fato suo proximo, exile ac tenue lumen spargat, idque cum mortuo penitus amittat, ex isto manuscripto tradit: præfari tamen a se ea posse, quæ divinum hoc, ut p. 76 appellat, Fragmentum promittit, ipse inficiatur p. 58. Chymicorum autem & Medicorum examini, (quando ex oleo sanguinis humani, cujus beneficio arcanum steganographicum, & candela vitæ fatique humani æmula constat, adversus epilepsiam, pestem, hydropem, & præcipue podagram, vulnerata item quæcunque, nemini antehac cognita nova remedia peti posse asseritur p. 73.) universa hæc subjicit, quorum suffragia avide procul dubio expectabit orbis literarius. Subjungitur huic exercitationi libellus Hebraicus *de sanctitate conservanda*, versa oratione conscriptus cum in modum, quo Latina lingua sub Scholæ Salernitanæ nomine evulgatus libellus metricus memini ignotus est, ad cujus imitationem quoque Hebraicum esse confectum, doctissimus Editor p. 77. suspicatur, & a Polono Jædæo esse compositum, qui Maimonidem magis quam Galeaum familiarem habuerit, etsi ad auctoritatem hujus provocarit; Cracoviæ autem anno 1669 typis vulgatum, indicat.

Exercitatione TERTIA, a Rabbi *Juda Leone* Hebraico idiomate scripta Commentatio historica, de postrema Pragensi invasione a Succis duce Konigsmarkio anno 1648 facta, exhibetur, quam non indignam existimavit clarissimus Editor, in qua interpretanda & Latine reddenda industriam exerceret. Narrantur hæc nonnulla, quæ ab aliis sunt præterita, qui gestorum istorum ratio-

rationem contexuerunt; præ cæteris calamitates, quas Judæi in ista expugnatione urbis minoris Pragensis perpessi sunt a Suecis militibus, recensentur; & quæ singulis diebus, tam a Suecicis quam Cæsareanis copiis gesta sint, exponuntur.

Exercitatio QUARTA librum Hebraicum Geographicum prodit, quo *R. Perachia* iter, quod is seculo duodecimo per Tartariam minorem & *Asiaz* quasdam regiones susceperat, ac veterum Patriarcharum, Regum ac Prophetarum sepulchra (de quibus multa fabulosa narrantur, ut de Baruchi p. 177. 192. de Ezechielis p. 179. & seqq. de Esræ p. 185. de Danielis p. 186. sepulchris) inviserat, descriptum est, cum in modum quo *R. Benjaminis Tudelensis*, cui *Petachias* coævus censendus, itinerarium compositum est. Ipsum autem *Petachiam* hujus hodieporici autorem non esse, sed alium quendam, & fortè fratres ipsius, *R. Isaacum* & *R. Nachmanidem* ex schedis ejus, & iis quæ viva voce narrare solitus fuerit, istud collegisse & contexuisse, siquidem de ipso in tertia persona sermo institutus est, annotat Cl. Editor: qui ex *MSC.* exemplari, quando typis excusam editionem videre ipsi non contigit, librum hunc evulgavit, Latinamque ejus versionem adjecit, & depravatorum locorum emendationes p. 204. subnexuit.

QUINTA Exercitatione *Albertum Wallensteinium* Megapoleos & *Fridlandiæ* ac *Sagani* Ducem (quem rectius *VValdsteinium* appellari, p. 205. asseritur) adolescentem in Academia *Altdorfina* substituisse ac literis operam dedisse, & anno 1599 Rectore *Nicolaso Taurullo* nomen ipsius Academicæ matriculæ insertum, ne utiquam verò eum fœdo carceri academico unquam intrusum, ob male tractatum famulum, quod vulgo fertur, sed ære solum multatum fuisse, ostenditur. Præterea traditur, seditiosorum per Austriam superiorem rusticorum antesignanum, qui *Studiofi* appellatione passim in illorum temporum historia venit, verò nomine *Danielem Kundmannum* dictum fuisse, natione *Bohemum*, anno 1620 matriculæ *Altdorfinae* inscriptum.

Ultima denique SEXTA Exercitatione jurisjurandi religio proluxa fabella, de *Dihone* quodam jusjurandum, quod morienti patri, opulento viro, *Salomoni*, de mari non adeundo, peregrinæ iteri conjugis, de reditu ad ipsam dederat, minus servanti, & propterea



plurimas calamitates ac ærumnas perpeſſo, ac vita tandem *miſere* privato, inculcatur. Hanc ab Arabibus contextam, ex eorum lingua in Hebræam tranſtulerat *R. Abraham Maimonides* magni illius Moyſis Maimonidæ filius: quam interpretationem ab Africanis Judæis Septæ ad fretum Herculeum nactus clariffimus Editor, commenti hujus amœnitate captus, Latinitate donavit; eruditum Hebraicarum literarum interpretem hocæque, ac cæteris, quæ memoravimus, monumentis haud alibi obviis, in ſermonem Latinum elegantè converſis, erudito orbi, qui reliquam ejus ſacram & profanam eruditionem ſuſpicit, ſe exhibens.

TAB. X. *ANDRÆ ERASMI A SEIDEL, NOBIL. MARCHICI,*  
Fig. I. *de Numo Vetraniæ aureo ſingulari Vratiſlaviæ reperto*  
*Epiftola ad Amicum.*

Vratiſlaviæ ex Hæred. Baumanniænorum typographia,  
1687, in 4.

**C**um nobiliſſimus hujus Epiftolæ Autor rarum *Vetraniæ* ex auro Numum a Sene non minus generis, quam eruditionis *Berweggero, Freinshemio, Grotio, Blancardo*, quin ipſi quoque acerrimo alias ingeniorum cenſori *Tanaquillo Fabro* in notulis ad Juſtinum, paſſim ad invidiam uſque celebratæ, ſplendore venerabili, *Alberto Sebizio* nactus fuiſſet, cumque uberiori illuſtratione non indignum duxiſſet, horas quas, itineri Italico-intentus, Vratiſlaviæ ſubſecivas ducebat, huic argumento impendit, & poſt præmiſſum haud poenitendum Vratiſlaviæ encomium, inter alia quæ ibi ex antiquaria ſupellectile rariora deprehenderat, p. 5. gemmam Claudii in Fœminæ ibi nobilis gazophylacio ſibi viſam non obiter commentat. Mukis deinde pro ſinceritate numi Vetraniæ argumentis allatis, p. 11. Taciti quem ipſe poſſideat ſingularem numum, ipſum ſcilicet Imperatorem cum uxore & tribus liberis, fratrequè Florianò exhibentem, indigitat; nec non exquiſitum numum conſularem argenteum, Auſidiæ Gentis, qui Urſini & Patini diligentiam fugerit, per ſe ocyus publico communicatum iri promittit. P. deinde 14. & ſeqq. vitam Vetraniæ ex Triſtano paucis repetit, *ſumma*  
*que.*

*Numus Vetricionis.*

*Fig. I.*



*Numus Furiae Tranquillinae.*

*Fig. II.*



*Numus Imperatoris Trajani.*

*Fig. III.*







reportarit; unde in alio nummo ejusdem Augustæ (quem *Sebast. Eriizo* inter Gordiani nummos recenset) duæ coronæ conspiciantur in mensa positæ, cum supra scripto: ΠΥΘΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. Uti vero Nero *Citharædi Apollinis* imagine pingi ac sculpi voluit: ita *Veneris Victricis* imaginem hoc nummo expressam Tranquillinæ vultus referre observat Autor. Potuit nimirum ea, ob formam, VENERIS, ob agones citharædicos, VICTRICIS titulum sibi vindicare. Videtur ei hoc nomine a Germanis seu Germensibus, (incolis oppidi cujusdam Hellepontici, *Germe* dicti ac Cyzico vicini) templum consecratum fuisse, cujus curam *Elius Aristonicus* Sacerdos gesserit. Dum vero Autor singulas nummi particulas explicat, nullam facile occasionem prætermittit in antiquitates Græcorum Romanorumque evagandi. Lectu sane jucundæ sunt digressiones de *συγγενισμῶ* annorum Christi, Urbis conditæ, & Gordiani tertii; de galericulis seu capillamentis mulierum sutilibus aut *textilibus* ac de vittis crinalibus; porro de *Flavia Valeria Tranquillina* Gordianæ senioris Africani post defunctam *Fabiam Orestillam* uxore; de mutua permutatione & pronuntiatione literarum Græcarum H & I; de certaminibus citharædorum ac tibicinum; de urbibus *νεωκόποις*, ac comprimis de citharæ veteris forma & usu.

TAB. X. DISSERTATION DE Mr. GRAVEROL SUR UNE  
Fig. III. Medaille Greque de l'Empereur Trajan.

id est:

Graveroli Advocati civitatis Nemausensis Dissertatio de Numo  
Græco æreo Imperatoris Trajani.

Publicata Tomo IV Bibliothecæ Universalis Historicæ, quæ a CLL.  
Dumyviris, *Job. Clerico* & *J. C. de la Crose* Amstelodami  
editur, p. 272. seqq.

Quemadmodum in numo, quem *Sperlingius* commentario illustravit, Tranquillina Augusta *Venerem* mentitur: ita *Αυτοκράτωρ Τραιανὸς Γερμανικὸς Δακικὸς* (*Imperator Trajanus Germanicus Dacicus*) aversa hujus numi parte sub imagine sistitur *Serapidis* vel *Jovis Egyptii*, cui *Egyptiorum* superstitio, incrementa & decre-

d incrementa Nili accepta ferebat. *Inopina nimirum (Plinii Panegyristæ ad Trajanum verba sunt) siccitate usque ad injuriam sterilitatis exaruerat Ægyptus, quia piger Nilus cum antea ab eo sese ac languide extulerat. Inundatione, id est, ubertate regio fraudata sic opem Cesaris invocavit, ut soles annem suum.* Cum igitur Trajanus, frumenti copia facta, extremæ Ægyptiorum necessitati subvenisset, creditu facile est, illos, ut suæ gratitudinis monumentum extaret, numum hunc excudisse, & in *curru triumphali ab Hippopotamorum biga super Nilum tracto*, (quem Numini alias suo tribuebant) collocasse Trajanum, melius eo tempore de se meritum. Monet vero *Graverolus*, hoc Trajani beneficium ante annum quidem Imperii tertium Ægypto obtigisse, at per hunc numum celebratum fuisse L. I. B. hoc est, (ut autor explicat) *λυκάβαρυς* & *ιβ*, anno XII. Puerulus ille, qui Nili aquis altior in campo eminens conspicitur, speciem præ se ferre poterat *Genii Nikotich*, qui sua tum temporis fluentia deseruisse videbatur. *Graverolus* tamen probabilius esse censet, puelum illum esse tantum mensuræ illius cubitalis, ad quam incrementa Nili numerari solebant, signum, qualia Nilo passim in numis juncta deprehenduntur. Eo quippe tempore non uno cubito ascendendum fuisset Nilo, si suetam mensuram attingere terramque fecundam reddere debuisset.

**STELLE IN CYGNO FIXÆ, ALTERNIS TEMPO-  
ribus visa & invisæ, vicissitudines Lipsiæ observata  
a Godofredo Kirchio.**

**S**Tellas quasdam fixas, postquam tempore aliquo in cœlo continue luxerunt, paulatim velut oleo deficiente evanescere, eoque denuo affuso reaccendi, rem veteri Astronomiæ incognitam, primus circa famosam illam in collo Ceti stellam, anno seculi hujus 38 & 39, deprehendit *Joannes Phocylides Holtwarda*; insectis hucusque temporibus stellæ hujus apocatastases, certa periodo circumscriptas, sic comprobantibus, ut nemini hodie, qui rerum astronomicarum levi modo imbutus sit notitiâ, de hac re porro sit dubium. Similes plane recursus insignem Cassiopeæ stellam anno 1572 effulgentem celebrasse, conjecturam præbent, quæ *Cypriannus Leovinius* (vid. *Ricc. Alm. nov. l. 8, p. 132.*) de nova in  
Cassio-

Cassiopea stella anno Christi 945 ejusdem pene sedis cum recentiore, & rursus alia anno 1264 ibidem spectata, commemorat; annorum inter observationes has trinas interstitio fere æquali: de cuius tamen conjecturæ veritate, ob phænomenorum priorum observationes non satis certas, ipsiusque revolutionis quantitatem, postmodum ætas judicium est latura. De stella Cygni Hevelio anno 1670 noviter deprehensa, ejusque mutationibus, extant summi hujus astronomi in *Anno suo climacterico* observationes: nec Jansonianæ fixæ, in pectore ejusdem sideris anno 1600 detectæ, variationes astrorum consultis hodie sunt incognitæ.


Gemina circa aliam Cygni stellam, *Bayero* quidem jam ineunte hoc seculo animadversam, & in *Uranometria* sua litera  $\chi$  notatam (sed nec in *Catalogo Fixarum Tycho-nico & Kepleriano* extantem, nec etiam *Hevelio* ob suam forte tunc temporis absentiam in schemate Cygni, *Transa-ctionibus Anglicanis* n. 65 inserto, consignatam) superiori & hoc anno apud nos observavit Astronomus solertissimus *Godofredus Kirchius*: ex cuius *Ephemeride & Calendario Christiano-Turcico - Judaico* anni 1688, pauca hæc excerpenda duximus.

Mense Julio anni 1686 *Bayeri* Tabulis indicibus stella hæc diversis vicibus studiose quidem suo loco quæsitæ, nunquam tamen comparuit. Interceptis deinde per alios labores observationibus, consultoque demum d.  $\frac{5}{9}$  Octobr. cælo, liberis oculis satis conspicuam se præbuit, & lucidiorem Jansoniana. Ab hoc tempore observata est sensim decrevisse; donec sub Febr. 1687 penitus ex oculis, etiam octopedali tubo armatis, subduceretur. Detecta rursus est, sub exili admodum specie d.  $\frac{6}{8}$  Aug. tubo 4 pedum; & hucusque iterum ita excrevit, ut Observatori nostro d.  $\frac{21}{2}$  Octob. nudis oculis conspecta sit. Promisit autem idem noster *Kirchius* observationes complures circa alias fixas, mutationibus ejusmodi obnoxias, quas propediem L. B. communicabimus.

---

#### ERRATA.

P. 108. l. 1. pro 30 *Mart.* lege 3 *Mart.* p. 535. l. 15. pro 1039. lege 1039. p. 539. l. 15, pro XXIII lege XXVI. p. 543. l. 28. pro *bi* lege *bis*. p. 551. l. 16 pro *Italico* lege *Anglico*. p. 572. l. 4. lege *Almeloveen*, p. 578. l. 24 pro *Lalis* lege *Italis*. p. 589. l. 8. pro *Quam* lege *Qua*.



# ACTA ERUDITORUM,

*publicata Lipsia*

*Calendis Decembri Anno MDC LXXXVII.*

## HISTORICA DESCRIZIONE DE' TRE REGNI, *Congo, Matamba, & Angola, &c. i. e.*

Descriptio historica trium Regnorum, Congo, Matamba & Angola in Æthiopia inferiori occidentali sitorum, & Missionum Apostolicarum a Religiosis Capucinis ibi exercitatarum, a P. Joh. Ant. Cauazzo Montecuculiensi, Sacerdote Capucino, Præfetti officio ibi functo, accurate consignata; styllum accommodante P. Fortunato Alamandino Bononiensi, ejusdem Ordinis Prædicatore.

Bonon. impens. Jacobi Monti, 1687, fol.

**Q**UOD si, juxta tritum illud, Africa semper aliquid novi producere gessit, ex re certe literaria esse videtur, ut novi quoque, ex quibus accuratam ejusmodi novitatum notitiam hauriamus, Scriptores in publicum sobinde prodant. Laudem itaque eo majorem meretur præsentis Libri Auctor, quo impensiori cura, quam certitudo propria maximam partem experientia nixa commendat, haud pauca, alibi vix æque obvia, eum suppeditare deprehendimus. Descriptio ipsa VII Libris absolvitur, quorum priores duo situm, clima, qualitates naturales, barbariem, idololatriam, ritus, superstitiones, regimen politicam & similia; posteriores quinque res ad ipsam Missionem spectantes exhibent. Ex L. I. observavimus, tria hæc Regna uno quondam nomine *Mani-Congo* (voce ex *Mani*, quod dominum vel dominium denotat, & *Congo* composita) venisse; quorum alterum *Matamba*,

N n n n

S o v e



*Sova* cujusdam seu Gubernatoris seditione a Congo separatam & ad famosam illam *Zingham* transmissam, adeoque inter Congo & Angola intermedium, in tabulis Geographicis non exprimi, nec apud Cl. Dapperum ejus mentionem fieri, mirari liceat. Cur ab auro, quod bonitate sua Indicum longe superare compertum fuit, ex fodinis alias satis fecundis eruendo incolæ arceantur, singulari rationi Status tribuitur, cum ob plurimas devastationes, quibus diversas orbis partes auri sacra fames affligerit, in paupertate, quam libertas comitetur, vivere illi satius habeant. Notissimum illum fluvium *Zaire*, uti communem cum Nilo ex cataractis originem trahat, ita per totidem ostia in Oceanum occidentalem se exonerare, aliamque eidem cognominem provinciam *Sundi* inundare asseritur. In *Scella*, montosa Angolæ provincia, altissima, quæ unam rupem referre videntur, & decem admodum leucarum spatium occupant, præcipitia, amœnissima tamen fertilissimi cacuminis cultura conspicua, stupendis mundi miraculis accenseri merentur. Spuma quædam fluentorum, stramine ad ripas expanso ibidem collecta, & humiditate sua deposita in materiam tenacem coalescens, vi ignis perfectissimi ferri duritiem induit. Ratione climatis parum inter se tria hæc regna differunt, nec calore ita, ut olim falso creditum fuit, intolerabili premuntur, quem tam aere & rore nocturno, quam fluviorum scaturigine satis mitigari constat. Annum secundum statam pluviarum differentiam in sex periodos, & duodecim menses, hos vero in suas vicissim sectiones, quarum singulæ quatuor diebus, uno festo, tribus profectis constant, dispescere moris est. Et quia dictæ periodi cum nostris anni temporibus non conspirant, hinc vites frondibus, pampinis & uvis, ut & fruges nostræ herbis quidem luxuriant, justam tamen maturitatem non attingunt. Sic & flores, quibus colorum varietate & nitore nostræ longe inferiores sunt, odoris suavitate destituuntur; unde resas vel ex Europa & Mexico in vasis cretaceis incredibili sumtu eo transportasse, & instar pretiosissimæ gemmæ impensissima cura integras aliquandiu conservasse non piguit. Elephantes magni & feroces, quorum vastissima corporis moles ex diametrali 6. 7. pedum latitudine pedum conjicienda, licet incessus eorum ~~hinc~~ exinde videri possit, cum velocissimo cursore paria faciunt: ~~creda-~~  
rara

rum vero ietæ, quibus ad instar monilium, collum, pectus, brachia & crura incolæ cingunt, aur caput ad modum comæ ascititiæ exornant, in tanto habentur pretio, ut olim una, jam vero duæ mancipii, & ita 60. circiter Scutatorum valorem exæquare soleant. Nec minoris leonum (quos mulieres pannum, quo teguntur, abjicientes nuditate sua aliquoties in fugam vertisse fama est) dentes & ungues æstimantur. Inter diversas *formicarum* species quædam *Isono* dicta nociva admodum, elephantibus vero adeo infesta est, ut sitis sedandæ causa ad fluviis accedentium proboscidem ad bibendum inclinatam occupantes, tantæ vastitatis bestiam brevi conficiant. Quin incolis, ædibus eas adrepere sentientibus, eas vel deserendi, vel antequam cubitum eant, igne circumposito, aut carne caprina vel pullis objectis, ingressum tantisper remorandi necessitas incumbit. In nigris aliis & grandiusculis miram circa victum conquirendam industriam sæpius admiratum se fuisse scribit auctor, imprimis vero, quod numero infinito egressæ aliam ducendo, claudendo aliam agmini præficiant, & si alteram harum a quopiam forte occidi contingat, eam anxie quæsitam & inventam tumulent, interfectorem vero, post sollicitam investigationem singulari ex instinctu agnitum, nisi pedibus salutem quærat, conjunctim adortæ exiguo temporis spatio consumant. Rubicundi alia & albi coloris pejores reliquis, quicquid occurrit, excepto ferro & marmore, arrodunt, & sicubi in cistam penetrare ipsis integrum est, pannos, lintea, & id genus res alias ibi repertas intra 24-horas in nihilum redigunt, quin columnis & fulcris arrosis, integris domiciliis ruinam inferunt.

Varii generis piscibus *equos marinos* terrestribus quodammodo similes annumerat, qui quamvis semper ferme inter aquas natent, in terra tamen pascuntur & pullos eniti amant, robustisque curribus quascunque naves flumina trajicientes everunt, & duplici dentium serie ex osse solido ( præter alios duos, qui aprugnis similes ex inferiori mandibula prominent ) superius & inferius armati, quicquid arripiunt, comminuunt. *Sengo* avis, quam occidere nefas, viatorem conspicata de arbore in arborem volat, & vocem *Uvich*, *Uvich*, quæ mel significat, tamdiu ingeminat, donec ille usque ad arborem, in qua tandem confidet, suble-

cutus apum mellificium ibi repperit auferat, ave residuo conta-  
ta. Quo evidenti divinæ providentiæ documento frequenter si-  
bi tempore necessitatis consultam fuisse Auctor perhibet, qui & a-  
lius minutæ cujusdam aviculæ meminit, quæ in nemoribus, sub  
diluculum maxime, nomē *Jesu Christi* articulatè moduletur, quod  
non absque singulari animi commotione aliquoties se audivisse re-  
statatur.

Inter defectus morales referenda est stolidità istarum natio-  
num ambitio, qua occæcatæ reliquas præ se nihilli faciunt; Æthi-  
opiam maximam & pulcherrimam totius mundi partem, Regibus-  
que suis, (quorum tamen mortem lugere prohibitum,) nullos alios  
potentia, divitiis aliisque prærogativis æquales esse persuasæ. Un-  
de & parentes, infantes ad baptismum afferentes, & de nomine im-  
ponendo rogatos, statim in fastuosum illud *Don* vel *Donna* erumpe-  
re audias. Nobilitatis vero prærogativam ex antiquiori storea-  
rum usu, vel patinarum & ollarum numero probant; a primo quo-  
que, quem obvium habent, decisionem litis, provocatione ad eum  
facta, expectantes. Furtim aliquid surripere inhonestum ducunt,  
palam autem & cum violentiâ possessoribus extorquere, culpa va-  
cat. Liberi; legitimi sint vel spurii, in pari habentur gradu; un-  
de & concubinatum matrimonii sanctitati nihil derogare, nec pu-  
dicitæ conjugum varietate amorum; modo marito primas defe-  
rant partes, quicquam decedere credunt. Post diffusam cultus  
idololatriæ & sacrificiorum delineationem, & illud se observasse  
subjungit Religiosus noster; quod gentiles isti, inter angustias in-  
terno quodam divinum adjutorium implorandi stimulo agitati,  
fórmula hæc: *Deu Nghesu sumami*, id est, *Deus celi Jesu Domine mi*,  
uti soleant; solam verborum honam, quorum nec sensum nec my-  
sterium capiant; enunciationem in signe solatium sibi reliquæ  
professi. De Sacerdotum, quorum satis amplius pro diversitate  
magicarum functionum numerus est, supremo capite *Chitome* seu  
*Chitombé* dicto, & ad quem omnium mensuram primitiæ spectant,  
idem annotat; quod domi ignem perpetuum alat; eumque un-  
quam rem sacram pro certo pretio dispenset; quod *Sovac* seu *Ca-*  
*bernatores*, sub auspiciis suscepti officii, protectionem que,  
quem in negotiis tam sacris quam civilibus pro oraculo habent,  
ambi-

ambientes titione aliquo ex igne illo sacro sumpto, ceu amuleto quodam, munerari solet, quos deinde aqua & pulvere conspersos, e corpore supino, hinc inde super se ambulantis conculcationem, in subjectionis jurato promissæ signum, patienter sustinere necesse est. Eidem, cum ob characteris excellentiam morte naturali mori non posse, aut si hoc fiat; mundus, cujus conservationem meritis ejus tribuunt, periturus credatur, morbo periculoso impetito, illi, ad quem successio spectat, infaustum augurium averruncaturus fuste nodoso aut resti vitam violenter eripit. Ex dictis Sacerdotibus quidam; quem *Atombola* vocant, mortuos resuscitandi potestatem sibi tribuit, dum ad propinquorum preces defunctum ex sepulchro exemptum in silvam deportat, variisque circulis præstigiatoris formatis Dæmonium adjurat, donec cadaver capite, manibus, pedibusque motus signum edat, repetitis deinceps formulis in pedes se erigat, per silvam ambulet, vocem aliquam obscuram emittat, cibumque capiat. Quibus ita peractis, hominem se propinquis restituere simulat, sed tam arduis conditionibus, ut cum præstari nequeant, cadaver in priorem statum rediens luculentum satis illusionis diabolicæ testimonium relinquat. Inter varias jurisjurandi, quibus veritas elici solet, species illud maxime locum sortitur, quod *per benedictionem Regi* (h. e. ut ea, quæ alias magni sit, careat, si falsum dicat jurans) præstatur. Tunc enim alter veritatis indagandæ cupidus id agit, ut qui juravit, coram Regio tribunali sinistrum Regis brachium in altum attollere teneatur. Si promte jussum exequatur, verum dixisse arguitur, sin autem timide & trepide, statim exinde mendacii convictus sit graves temeritatis poenas experitur. Ita etiam conjurationis adversus Principem & Remp. suspectus aquam, qua Rex vel sacerdos pedes abluit, omnium malorum colluviem sibi imprecatus; bibere cogitur. Absque nausea hoc si fiat; cum applausu absolvitur, metum vero aut stomachi aversationem præ se ferens; absque ulterio-  
ri iudicii figura tanquam reus eidem severe punitur.

Nominum; quæ infantibus; (quorum dentes; si jam promiscant; *Congens* festivitate solenni excipiunt;) a matribus imponuntur; triplex occurrit variatio. Quinto enim a partu die, a cibis, quæ masticatum ori infantis ingerunt, primum nomen mutu-

antur. Ex physiognomia deinde futuros puerorum mores ariolatæ, leonis, tigridis, crocodili, canis, bufonis & similibus nomine eos insigniunt, vel etiam a foetore & sordibus illud accedunt, non nisi cum vita deponendum. Tertium non apud omnes quoque uniuersale est, sed ex Giaghorum (de quibus inferius) instituto licetem obrinet. *Vidua*, cum maritorum animas in se remigrare credant, finitis statim exequiis funi alligatæ, a sacerdote fluvia vel stagno iterum iterumque se immergi curant, & animabus ita suffocatis a statu solitario se liberari persuasæ, ad secunda vota transire sibi licitum putant. Aliæ arcta nimis ad recipiendum commode mariti spiritum viscera, & vehementes, quos inde sentiunt, cruciatus obtendentes, sæpius se immergunt, ingentem quasi mentis incomptes clamorem per vicos cientes. Morti vicinis, crura & brachia extendendo, faucibus obturatis respirationis metum impediendo, faciem percutiendo, super genua incuruatorum dorsum rumpendo, in locum, quem sibi post excessum fingunt, abitum ita accelerare, pietatis opus interpretantur.

Libro II. de *Giaghis* agit Autor, & gentis atrocissimi, mendacii & mille sceleribus nobilissimæ, carnis humanæ appetentissimæ, furisque infernalibus crudelitate palmam facile præripientis originem, ex *Sierra Lione* littorali Africæ parte deducentibus accedit. Hinc, quomodo duce *Zimbo*, a quo & *Muzimbi* dicti, gravissima regno Congo aliisque compluribus Africæ tractibus clade illata, in *Masziaba* sedem fixerint; *Tembandumba* II, post patris *Dongii* obitum imperium militate sola suscepit & ex unici filii, quem ipsa vivum in mortarium lapideum coniecit, crudeliter contusi carne, sanguine & medulla, unguento, quod contra ictus hostiles tutam præstaret, præparato, sequaces suos ad similia infanticidia instigaverit; certa statuta domestica, sacerdotalia, & suprema *Quixille* dicta, nil nisi ferinam, imprimis contra infantes & sculos, truculentiam & superstitiones exigentia promulgaverit, & ne sectæ suæ propagatores deessent, captorum ab hostibus mancipiorum contubernum foeminis permiserit: alios insuper ritus, divinum, quo defunctos majores suos afficiunt, cultum; sacrificia, in quibus 200, 300 sæpe victimæ humanæ cadunt; pluuiam, quam ab arbore Regis dependere augurant, provocandi ceremonias, & id genus alia

alia latius persequitur. Post in ceremonias circa electionem, quam majori vi nifus sæpe extorquere solet, & coronationem Regum *Congenſum*, quorum proſapia *Alphonſi* cognomen aſſumpſit, obſervari ſolitas, excurrit: quid circa feuda eorumque inveſtituram, & ſolemne, quam ſtatis temporibus Reges populo impertuntur, benedictionem obtineat; officia item domeſtica, (inter quæ, quod in muſcis cauda equina a Rege abigendis occupatur, maxime conſpicuum) nec non Regni & Regum originem, horumque a Johanne A. C. 1493 baptizato, uſque ad *Alvarum VIII* (adverſus quem *Marchio di Pomba* 1670. inſurrexit, & regnum violenta uſurpatione inſavit) ſucceſſione decies novies mutata, res geſtas, variasque rerum vicifſitudines perſtrixit. Ab his ad *Angolenſium* Regum (quorum primas ab arte fabrilis *Angola Aduſſari* audit) originem & ſeriem eadem ratione progreditur. Octavus eorum *Bandi Angola Chiluagni*, crudeliſſimi patris veſtigia ſecutus, tantum ſubditorum odium contraxit, ut ab his & *Gjaghis* in partes venientibus obſeſus, Congenſium Regis opem implorare opus habuerit. Miſſus ab hoc Portugallus quidam, & paucis Europæis ſtipatus, hoſtibus proſtigatis, regnum iſtud priſtinæ quieti reſtituit. Sed a filia Regis, amore ipſius capta, patris de Portugallis omnibus tollendis conſilium edoctus, impetratis a Rege ſuo copiis, magnam Angolæ partem occupavit. Poſt varias deinceps ſucceſſorum turbas, Portugalli *Angola Aſarii*, poſt ſuſceptum baptiſmum *Johannem I.* dictum, ad regnum promoverunt, a quo ad *Philippum I.*, & ab hoc ad *Johannem II.*, anno 1660. iſtud tranſlatum fuit.

Libris quinque ſequentibus ſex Miſſionum ſub Paulo V. Urbano III. Innocentio X. & Alexandro VII. PP. a Capucinatorum Ordine ſuſceptarum hiftoriam tradit & varia Miſſionariorum fata, vitas, labores, pericula, martyria, objectas tentatæ converſioni difficultates, ejusque ſuocceſſus, & diverſa, quibus tamen non niſi humanam fidem ipſemet præterendit, miracula, cautelas Miſſionariis obſervandas, dubiorum circa baptiſmum, poenitentiam, euchariftiam, extrinſecam unctionem, & matrimonium S. Congregationi de propaganda fide propoſitorum, reſolutionem, (e. g. an adulti a deo ſtupidi, ut myſteria fidei neque intelligere, neque addiſcere valeant, & commoditate ſacerdotum deſtituti, inſtar infantium poſſint baptizari

*in fide Ecclesia*, si dicant, se credere, quæ Ecclesia credat? *Aff. Item an patrini, nec orationem dominicam, nec angelicam salutatio-*  
*nem, nec S. Crucis signum callentes, propter necessitatem admitti*  
*possint? Aff. & alia huc pertinentia) Portugallorum quoque exp-*  
*ditiones bellicas, in Batavos aliquandiu ibi locorum commores*  
*passim iniquior, usque ad finem operis, prolixè commemorat.*  
*Bellicosissimæ porro, quæ Matamba regno præfuit, Zingha, anno*  
*1582 nate, & d. 7 Dec. 1663. denate, & Anna nomine insignitæ, vitæ,*  
*moribus, conversioni, seriz post 28. annorum apostasiam relapsi-*  
*scientiæ, statui aulico, (ubi ratione victus sorices cum pilis & pelli-*  
*bus allatos in deliciis eam habuisse, Europæisque eos averfantibus,*  
*ejus quod bene sapiat, ignorantiam exprobrasse, meminisse) & ræce*  
*devotionis exercitiis, morti denique & exequiis, Barbare sororis*  
*successioni, hujusque mariti in idololatriam relapsi turbis cum oc-*  
*cisione ejus finitis, & alius Erancisci cujusdam Christianismum re-*  
*ducturi conatibus recensendis, integrum librum VI. impendit. Alio-*  
*bi de Calabaris, supersticiosa circa Calabar Africæ promontorium*  
*gente, quædam adjicit, quæ circumcisionis observans, Sanctique cu-*  
*jusdam statuam naufragio forte in littus ejectam sub Jesu magni,*  
*navium vero tempestate ruptarum fragmenta sub Jesu miseris ap-*  
*pellatione religiose devenerans, his ex arborum ramis suspensis*  
*carnes caninas, aviculas, sanguinem, & vinum palmarum immolet,*  
*& si a Dæmone hæc omnia auferri deprehendat, effusissimæ leni-*  
*tis signa edere soleat. Alibi Batta Regni Congo provinciæ inco-*  
*larum inconditum hospitalitatis neglectum taxat, apud quos ad-*  
*venis vesperi accedentibus, usque in sequentem diem, mane vero*  
*advenientibus ad vesperam usque, donec, quo se reficiant, quid ap-*  
*ponatur, expectandum sit.*

De vastissima quoque *Angola* parte *Labela*, cujus 5 pro-  
 vincię Christianismum profiteantur, reliquæ 5 gentilibus in-  
 hæreant, aliqua interspergit, & exurgentem per 27 mill. ambi-  
 tum in planitie, juxta fluvium *Coanza*, altissimorum 2 equi saltus a se  
 invicem distantium scopulorum soriem *Maopanga*, a Portugallis vero  
*Prasidium lapidum* dictum, ceu admirandum nature artificium ar-  
 riosè depingit; mentione simul injecta morbi cujusdam a *serpente*  
 nomen indepti, cujus figura inter carnem & carnem apparet, si  
 latius

lätius lätiusque serpendo caput cum cauda conjungat , präsentissimam mortem inferat ; occidi vero posse , si juncorum manipulo initio a capite facto , probe cæsus magis magisque in angustiam redigatur & tandem expiret. Nec *Brasiliam* intactam relinquit , ad quam in navigationibus sæpius appellendum fuit ; ubi inter alia tristem cujusdam mercatoris obitum describit , qui morti vicinus usurarum sexagesimarum pravtatem confessus restitutionem tamen detrectaverit , & cum frequenti verborum horum repetitione : *heu divitias , heu res , heu facultates meas ! damnatus morior* , desperabundus infelicem animam efflaverit. Et hæc , ne tædiosa prolixitate B. L. patientia abutamur , ex hoc libro , cui præter cøpiosum indicem ab æneis quoque figuris gratia aliqua accedit , excerptisse sufficiat , quem ob variorum accidentium & casuum enarrationem tituli , quem in fronte gerit , inscriptionem optimo jure tueri , nemo , cui illud perlegere volupe erit , temere inficiabitur.

*ABREGE' DE LA VIE DE Mr. CLAUDE.*

*Idest,*

Breviariũ vitæ Jo. Claudii , autore A. B. R. D. L. D. P.

Amstelodami apud P. Savouret , 1687, in 12.

**A** Utor libelli nomen suum non nisi literis , quæ titulo subjunctæ conspiciuntur , innuens , in fine tamen p. 129 indicat , se a Claudio , cui morienti adfiterit , pro pastore suo habitum esse ; unde Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Hagienfis ministrum esse , conjicere licebit. Merito autem memoriam Viri per se stati commendatam esse , nemo negabit , qui ejus inter Theologos Gallicos Reformatos dignitatem & exultationem fama perceperit , vel scripta ejus legerit. Natale solum habuit *Salvatorum* , in Aquitania inferiori sitam. Natus heic est anno 1618 , patre *Francisco Claudio* , Ecclesiaste Reformato prope *Bergeracum* , dictæ provincie oppidum. Literis in prima , quæ informationis capax est , ætate imbutus , studiis postmodum Philosophiæ & Theologiæ in Academia Reformatorum , quæ *Montalbani* tunc florebat , operam dedit , doctore inter alios usus *Carolo* , cujus memoriam tota vita coluisse dicitur. Pro-

O o o o

fectus



fectus ejus is fuit, ut annos 27 natus ministerio Ecclesiastico dignus judicatus, & pastor loci qui *Treves* dicitur, creatus fuerit, manus ei ex Synodi decreto imponente patre, qui filium functioni sacre mature addici optabat. Ita tamen factum est, ut alias Academiis, Salmuriensem maxime, ob linguæ & morum elegantiam, (quam ultra Ligerim raro extendi notat autor,) aliis præcellentem adire non potuerit. In primo illo munere non nisi annum subsistens, præfectus inde Ecclesiæ in oppido *S. Africani* in Rutenis (*Rouergue*) successor Martelli, celeberrimi inter Reformatos Theologi. Hic studiis excolendis strenue incubuit, quod sermonibus ad populum non adeo occuparetur, quos magna cum facilitate, & eo tamen cum applausu habebat, ut quæ pro concione diceret, cum iis quæ meditatus scribebat, parem & methodi & elocutionis laudem reportarent. Inde Proceres curiæ *Castrensis*, quam *bipertitam* vocabant, ex Rom. Catholicis & Reformatis compositæ, fama viri & specimine concionis in oppido illo habitæ moti, ministerium pastorale ei obtulerunt, sed cum alius quoque nominatus esset, forti res commissa fuit, qua munus illud ad competitorum Claudii pervenit. Uxorem tamen in urbe illa *Elisabetham Malecariam* honesto genere natam probisque moribus, triginta tunc annos natus, sibi delegit anno 1648. Ex hac filium *Isaacum* suscepit 5. Mart. 1653, eoque tempore ad Ecclesiam Nemausensem, præclaram & florentem ante alias, vocatus fuit; sed laboriosissimum erat munus illud, tum quod conciones quotidie habendæ essent, tum ob alia negotia pastoralia. Nihilominus ingenium & assiduitas viri non tantum occupationibus illis suffecit, sed & studiis continuandis, ita ut editum opus ab eodem a Cardinale *Richelieu* contra Reformatos librum, qui *Methodus* dicitur, refutandum susceperat. Destitit tamen, cum intelligeret, id *Martello* Professori Theologi a Synodo Aquitanicæ inferioris demandatum esse. Multi interim ministerii candidati ad eum consuebant, informatione & exemplo ejus egregie proficientes. Sed non diu absque odio & persecutione fuit. Cum enim consilii de religionum concordia tum propositis, (quibus ut lentis & inutilibus viam apertam successuram esse, jam tum præfagire licebat,) in Synodo *Septimanicæ* inferioris, cujus moderator constitutus erat, resisteret, decreto secutus

regū

regii munere suo remotus non solum est, sed & interdictum illi in tota Septimania exercitio ministerii sui; neque revocationem decreti impetrare potuit, licet sex mensibus Parisiis ea de causa laboravit. Illo tempore primum tractatum composuit, & dissimulato nomine suo publicavit, quo libro de *perpetuitate fidei Catholica de Sacramento Eucharistia*, qui Antonio Arnaldo tribuitur, Turenii Marecalli convertendi gratia conscriptus, respondit. Argumentum ejus ad virum non doctum permovendum, novum & populare erat. Asserebatur enim, de veritate sententiæ de præsentia reali constare posse, quia doctrina illa antiquissima in Ecclesia & absque controversia fuerit, antequam Berengarius contradicere ei cepisset, quem Leo IX anno 1053. condemnavit: addebatur, si nova fuisset, non potuisse in Ecclesiam absque tumultu introduci, nec probari unquam posse, quo tempore introducta fuerit. Huic igitur libello monitus ab amicis respondit *Claudius*, licet a *Blondello* & *Albertino* magni nominis inter Reformatos doctoribus materia exhausta esse videretur. Nova autem methodo usus est, ita ut introductionem dogmatis, quam adversarii negabant, omnino factam esse ostenderet; indicaret tempus, modum & autores primarios, & simul explicaret, cur absque tumultu in seculo illo indocto & barbaro id fieri potuerit, retentis maxime phrasibus & ritibus veteribus. Lutetia digressus, *Montalbanum* in Aquitaniam se recepit, ibique Ecclesiæ functionem adeptus est, & quatuor annis cum magna collegarum atque auditorum approbatione exercuit. Ibidem responsum adversus alterum de *perpetuitate fidei de Eucharistia* librum, occultato iterum nomine elaboravit. Cum enim prius post triennium refutatum esset, scripto Arnaldi acuto, sed ut Autor judicat, parum solido, nec modesto, aut bonæ fidei; *Claudius* ne sententiæ suæ & Ecclesiæ, in qua docebat tuendæ deesset, responsum ad *secundum* illum de *perpetuitate* tractatum composuit, priori ampliorum, & allegationibus sed cum judicio selectis firmatum. Amoenitati etiam aliquatenus studuit, non deposito tamen sapientis & gravis auctoris caractere, nec fraudes antagonistæ, quas pias vocant, in adductis ab illo testimoniis reticuit. Male habebat adversarios, quod autorem scriptorum istorum ignorarent, sedulo tamen investigantibus suspicio contra *Claudium* nata est; nec destiterunt, do-

nec hic ab Episcopo Montalbanensi interrogatus, autorem se profiteretur, & Rex alio decreto Claudium munere suo dejiceret. Paruit illico, & cum in provinciis tutus esse non posset, Lutetiam sese contulit, mores suos aulae oculis expositurus. Edebat ibi liber ejus, Jesuitis ex æmulatione contra Jansenistas curantibus, ut ab his impetrata prohibitio aboleretur. Magnum successum scripti illius fuisse tradit autor, quem juvit *Claudius* repetita editione anno 1668, cui loca ex Patribus prolixè inseruit, calumniæ depellendæ causa, quasi mutilata & depravata allegasset. Interim anno 1666 in Charentonensi ministerio locum invenerat, declinata, quæ a *Burdigalensibus* offerebatur, vocatione. Hæc ex *prima* hujus breviori parte sive sectione excerptissimus.

In *secunda* narrantur nova adversariorum contra Claudium molimina. Dum enim Arnaldus in replicando adversus novissimum ejus tractatum hæret, *Novetius* Jesuita librum contra Claudium publicavit elegantem & artificiosum, ut judicat autor, sed fundamento destitutum, aut eruditione, quæ nihil ad rem faceret, carentem. Respondit huic Claudius edito tertio de isthoc argumento libro, quem ipse præ aliis operibus suis amasse perhibetur, & ex quo relationis hujus autor quædam notatu digna refert p. 49. & seqq. Memorat etiam mitius a Jesuitis, quam a Jansenistis Claudium habitum fuisse. Hic inter scribendi inducias concionibus magnum impendit studium, paucas tamen edidit, quas ob facundiam & doctrinam laudat autor, maxime quas anno 1676 publicavit in *Matth. XXII, 1. 2. 3.* habitas; spem etiam facit a filio ejus editum iri libellum parentis egregium de *explicatione S. Scripturae homilætica*. Multus viri labor fuisse dicitur, in responsis ad tot alios per regnum pastores suæ religionis, qui consilium Charentono adversus varias injurias & persecutiones petebant, conscribendis. Prodiit inter hæc anno 1669 *Arnaldi defensio libri sui de perpetuitate*, mole ingens, & testimoniis non facile in Gallia lectis, de fide Græcorum circa Eucharistiam plena, magnaque autoritatis ostentatione & contemptu adversarii tumens. Adjutores habebat Arnaldus in evolvendis libris, unde probationes & documenta excerptet: Claudius propria solum industria & maximo cum labore agere cogebatur: respondit tamen, & quarto hoc tractatu, quæ *con-*  
sensu

sensu Græcorum cum Romanis, circa *transubstantiationem*, adducta erant, refutavit aut elevavit; monstravit etiam, ad quæstionem quæ agitabatur, non pertinere, quid Græci credant, sed quando dogma de *transubstantiatione* ortum fuerit. Surrexit inde novus & acerbus Claudii antagonista *Nicolas*, editis *Præjudiciis adversus Calvinistas*. Hujus impetum placido responso retudit Claudius, publicata *Defensione Reformationis & Reformatium*, in qua ex autoribus Romanarum partium, miserimum Ecclesiæ ante reformationem statum describit, hujus jus asserit, & objecta contra mores doctorum, qui reformationes susceperunt, diluit, itemque vocationem tam horum, tum illorum, qui iis in ministerio succedunt, tuetur. Anno 1678 filio suo ad ministerium Ecclesiasticum *Claromontem* in *Bellovacis* vocato, ex Synodi provincialis decreto manus imposuit. Mira vero ejus in dirigendis Synodis aut consistoriis, & in examinandis ministerii candidatis industria, in tolerandis vero contrariis inter *Protestantes* moderatio commendatur, adducto exemplo epistolæ ejus ad episcopum *Londinensem*, circa quæstionem de Episcopatu & Presbyterio anno 1680 scriptæ. Postea anno 1683 occasione Illustris *Duræsi* a Reformatâ ad Romanam Regionem transeuntis, colloquium cum Episcopo *Condomensi*, postea *Meldenensi*, habuit; ejus relationem, ut notum est, uterque edidit. Antea vero summo cum periculo & nullo fructu, ad epistolam circularem Cleri Gallicani ad Reformatos, *Considerationes* publicavit, breves licet, sed ex quibus, ut autor judicat, maximam laudem adeptus est, licet nomen suum retinuerit. Valde etiam probatur responsum ejus typis vulgatum, quod Delegatis regiis literas illas circulares solenniter Charentoni insinuantibus dedit; ejus normam pleræque aliz Ecclesiæ secutæ esse dicuntur. Cum interim multi Theologiæ moralis tractatus a variis auctoribus compositi prodissent: Claudius etiam libellum edidit de *Examine sui ante communionem*, multo cum applausu exceptum, & cum permissione regii magistratus Lutetiæ anno 1681 impressum. Oblatum ei fuit circa id tempus Professoris Theologi munus in Academia *Groningensi*; sed ab Ecclesia sua facile se retineri passus est, ingruentibus jam magis magisque persecutionibus, quas ille magno animo ferebat, & quæ licebat, suis aderat, donec tandem anno 1685. d. 18. Decembr. edictum

regium, quo libertas religionis, *Nannetensi* Edicto olim stabilita, uno veluti ictu subversa est, publicaretur. Paruit autem tam exacte Charentonenſis coetus, ſuadente prudentiſſime Claudio, ut poſt juſſionem Regiam ne ſemel quidem ad ſacra convenerint. Præſentiam tamen Claudius non aliud obſequii hujus habuit, quam ut die 7 Decembr. quo edictum in Parlamento ad acta relatum fuit, intra 24 horas Lutetiã exire juberetur, cum cæteris per regnum Eccleſiaſtiſ duplicis ſeptimanæ ſpatium concederetur. Additus ei pediffeſſus regius (*Valet de pied*) qui cum ad fines uſque regni (non inhumane tamen) conduxit. Hæc ex ſectione ſecunda deſumſimus.

*Tertia* ultimam vitæ Viri periodum exhibet. Claudius non aliam ſeceſſum, quam *Hagam Batavorum* ſibi delegit, ubi filius ejus inter miniſtros Eccleſiæ Gallobelgiæ locum habebat. In itinere, Cameraci, Jeſuitæ eum miſſis bellariis honorarunt, Reſtor etiam inviſit. *Haga* a Sereniſſimo Principe *Arauſionenſi* ejusque Regia Conjuge clementiſſime receptus eſt, nec minus benigne a proceribus provinciæ, honorationibusque aliis viris. Sereniſſ. *El. Brandeburgicus* ſuam eidem gratiam & locum profeſſioni ejus convenientem clementiſſime obtulit, paulo poſt *Clivia* concionantem audivit, & alloquiũ dignatus eſt, in quo Potentiſſimus Elector gravem ad conciliandos Proteſtantes zelum oſtendiſſe perhibetur, cui propoſito ipſe etiam Claudius vehementer addiſſus fuiſſe dicitur. Manſit *Haga*, ibique magnam beneficentiam expertus eſt, non tamen ſine quotidiana ab exulum Galloꝝum acceſſu moleſtia, & dolorum quibus affligebantur, participatione. Concionari interdum ſolebat extra ordinem in templo Gallobelgico, idque ultima vice, maximo cum applauſu fecit, Feſto natiuitatis Chriſti d. 25. Decembr. 1686. Ab illo die laſſitudine & feбри corripit, & ad obitum ſeſe piis precibus & colloquiis præparavit. Multa ejus dicta a p. 114. referuntur. Aſſeueravit inter alia ſe, poſt accuratum omnium religionum examen, nullam diuina ſapientia dignam, & quæ ad veram felicitatem duceret inueniſſe, quam Chriſtianam; nec inter varias de hac ſententias ullam, quæ reformatæ præferri poſſet, quippe quæ tota in verbo Dei fundata ſit. Epiſtolum inde ad Principem *Auriacum* tremula manu ſcripſit, benigniſſimo affectu exceptum; uxori & filio, amicisque pio & Chriſtiano affectu vale-

valedixit & bona precatus est, fiduciaque de gratia divina per fidem in Christum plenus, d. 13. Jan. hujus anni 1687 placide decessit, cum vixisset annos 68, Ecclesiae 42. servivisset. Fleverunt eum plurimi, quidam etiam elogiis publice honorarunt, ex quibus aliquod elegans & eruditum, Latine scriptum, libello subjunctum est, in quo inter alia dicitur *Gallorum decus, Labascensis fidei cusamen, Romae triumphantis victor inclitus.*

ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΖΩΝΑΡΑ ΧΡΟΝΙΚΟΝ.

*Johannis Zonara Annales. Carolus du Fresne Dom. du Cange, Regi a Consiliis & Francia apud Ambianos Quaestor, Wolfianam editionem cum scriptis codicibus contulit, Latinam versionem recensuit, annales notis illustravit. Tomi duo.*

Parisiis e typographia Regia, 1686, fol. chart. aug.

**J**ohannes Zonaras, magnis quondam sub Alexii, Johannis, & fortasse etiam Manuelis Comnenorum imperio, Vigile Drungarius seu Vigilum Praefectus & primus a secretis, sed postea relicta turbo & abdicatis dignitatibus, monasticam vitam amplexus, haud pauca ingenii sui monumenta literis mandavit. In quibus praeter Annales jamjam recensendos, eminent egregii in canones apostolorum & conciliorum, oecumenicorum & provincialium, nec non in canonicas sanctorum Patrum epistolas commentarii, antea *Quintini Hedui, Antodis Salamantiae*, aliorumque studio particulatim, tandem vero a *Beveregio* in eo, quod Oxonii A. 1672 prodiiit, Synodico conjunctim editi. Orationem de iis, qui naturalem feminis effluxum patiuntur, Tomo V. Juris Graeco-Romani invenire licet. Tractatum de matrimonio duorum sobrinorum cum eadem foemina, *Ceselerius* Tomo II. Monumentorum ecclesiae Graecae vulgavit. Hymnum acrostichum ad beatam virginem Mariam, quo praecipuae haereses perstringuntur, *Genebrardus* latine reddidit, in Colonienfi Patrum bibliotheca tom. II. p. 119 sub hoc titulo impressum: *Canon de sanctissima virgine Domini. Johannis Monachi Zonara.* Additur, quod

quod sit *poema contra omnes propemodum haereses*. In fine autem Latinus interpres Genebrardus hæc habet : *hic sequentem versum contra Latinos censura contra Spiritus S. a Filio processionem, sub honoris Græcorum causa vertere nolimus*. Supplevit illam lacunam viro ex fide regii codicis contra Romanos capite adjecto *Cæcilius* tom. 3. Monum. eccl. Græcz, ubi & Græcum canonis istius textum conspectui dedit. De Zonaræ poematibus *Jacobus Pontanus* in prolegomenis ad *Johannis Cantacuzeni* historiam ita disserit : *Zonaram fuisse schismaticum, testari possunt ejus poemata aculeatissima de processione Spiritus Sancti & alia adversus Latinos composita, que Genebrardus dum converteret, se criminationes illas omisisse narrat*. Quæ verba cum *Dominus de Cange* legisset, se in omnibus fere bibliothecis, exacta satis adhibita diligentia, poemata illa Zonaræ a Genebrardo latine reddita acquisivisse, nec tamen ullibi reperisse, scribit. Verum ex iis, quæ paulo ante de Zonaræ canone in *B. Virginem Mariam* diximus, haud difficulter suspicari licet, ad quæ poemata Pontanus respexerit. Nimirum illum ipsum hymnum innuit, qui in Patrum bibliotheca poematis titulo gaudet, et si poeticis numeris minime astrictus, cujus literæ initiales e singulis capitibus collectæ hunc sensum faciunt : ΤΕΤΑΤΟΣ ΗΧΟΣ ΤΕΤΑΤΟΝ ΠΑΡΚΕΙ ΜΕΛΟΣ.

Paraphrasin Zonaræ in universam Aristotelis Logicam, Græculum quendam venalem habuisse, in bibliotheca sua *Gosnerus* auctor est. Ejusdem vocabularium seu lexicon apud Venetos haberi, in Apparatu suo *Possevinus* observavit, quod etiam inter *Henrici Stephaniani* libros fuisse, *Scaliger* in quadam ad *Casaubonum* epistola indicat. Expositionem in octateuchum *Damasceni* *Leo Allatius* in *Συμμετρίοις* suis adducit, eamque pulcherrimam appellat. Idem in tractatu de Simeonibus, quatuor Zonaræ opuscula inedita allegat, nimirum de crucis adoratione, de *S. Sylvestro*, de *Sophonio Hierosolymitano*, & de *Domini* occursum. In bibliothecis nonnullis extat quoque Zonaræ expositio in canones *anastasimos Damasceni*, cujus aliqua fragmenta *Gregerus* in libris de *Cruce publici* juris fecit. Præterea Zonaram non solum *Gregorii Nazianzeni* tetrasticha, verum etiam alia non paucæ diverſi generis monumenta antiqua commentariis & paraphrasibus illustrasse, *Lambecius* in bibliotheca

theca sua Vindobonensi tradit, unde etiam paraphrases 33 ad totidem *Nazianzeni* carmina, quibus in codice prædictæ bibliothecæ nihilum autoris nomen præfixum legitur, a Zonara profectas suspicatur. Ex epistolis, quæ in nonnullis codicibus *Glyca*, in nonnullis Zonaræ tribuuntur, *Bonaventura Vulcanius* in notis ad Cyrillum de Anthropomorphitis aliquas vulgavit, duas priores *Jacobus Pontanus* latine edidit, neque paucas passim *Allatius* exscripsit. Verum missis cæteris Zonaræ scriptis, nunc de Annalibus dicendam est.

Eos munificentia *Antonii Fuggeri* illectus *Hieronymus Wolfius* latinitate donavit, & græco textu adjuncto Basileæ anno 1557 publicavit. Ab eo tempore Zonaras Francofurti anno 1568, cum aliis quibusdam Scriptoribus Byzantinis, iterum latine produit, sed græca editio hucusque iterata non fuit. Equidem jam quadraginta abhinc annis *Labbeus* in protreptico Byzantinæ historiæ præmissis spera fecerat, fore ut Zonaræ historiæ, cum pluribus bibliothecæ Regiæ, Mazarinianæ & aliarum codicibus collatam ederet, *Wolfii* versionem emendaret notasque subjiceret *Jacobus Goar*, ad quod negotium *Labbeus* se quoque symbolam suam collaturum pollicitus fuerat. Idem *Labbeus* postea in dissertatione sua de scriptoribus ecclesiasticis, se Zonaræ annales e typographia Regia emissurum promisit.

Verum quod a *Goaro* & *Labbeo* literatus orbis frustra expectavit, a Domino *du Cange* præstitum videmus. Qui cum hactenus non modo *Nicephorum Bryennium*, *Annam Comnenam*, *Johannem Cinnamum*, & *Paulum Silentiarium* eruditissimis notis & commentariis, verum etiam universam historiæ Byzantinæ insigni opere de familiis Byzantinis & Constantinopoli Christiana, nec non glossario mediæ & infimæ græcitatæ illustraverit, cæteris suis in historiæ Byzantinæ meritis novam hanc Zonaræ editionem nunc adjecit, eodem chartæ & characterum splendore e regia typographia emissam, quo cæteri operis Byzantini Scriptores in Actis nostris Cal. Octobr. 1685 memorati huc usque prodierunt.

Totum opus, quod ab orbe condito, usque ad A. C. 1118, quo *Alexius Comnenus* obiit, procedit, ab ipso Zonara in duas, a *Wolfio* in tres partes divisum fuerat. At novus Editor annales

Pppp

hos



hos octodecim libris, & libros iterum, *sumere ne lectioque pareret opus*, suis sectionibus distinguit. Varias lectiones in quatuor Regiis MSS. & uno Colbertino observatas, quia extra controversiam videbantur, in ipsum contextum intulit, reliquas in annotationibus consignavit. Versionem Wolfianam nonnullis in locis, ubi Autoris mentem non assecutus videbatur, emendavit, & emendationis rationem in notis indicavit. E notis marginalibus Latinis, quibus ad exteriorem editionis suae columnam, de rerum argumentis lectorem subinde admonuit *Wolfius*, plerasque retinuit; nonnullas certis de causis, quas indagare ecclesiae Romanae statum expendenti non difficile, rejecit. Graecas autem, quas interiori paginarum margini seu Graecae columnae *Wolfius* adjecerat, *Dominus du Fresne* post annales seorsum imprimi curavit, ex MSS. codicibus auctiores reddidit, & secundum librorum & capitum numeros digessit.

Annalibus Zonaræ subjicitur breve quoddam Chronicon ab orbe condito usque ad Alexii Comneni imperium, quod a *Petavio* una cum *Nicephori* breviario quondam editum, postea in regia *Nicephori* Constantinopolitani editione omissum fuerat, nec non rerum in Zonaræ annalibus tractatarum synopsis, seu argumenta ex notis illis marginalibus, de quibus supra diximus, contexta. Hanc argumentorum synopsis excipiunt *Domini du Cange* in Zonaræ annales notæ criticae & historicae. Prostatetur autem, se in his annotationibus non repetiturum, quæ vel a se, vel ab aliis, in notis ad ceteros Scriptores Byzantinque jam tacta fuerant. Neque ejusmodi universalis Historiæ annales fusiore commentariis indigere censet, cum ejusmodi labor nimium nec tamen totum complexurus esset. Sunt igitur hæc annotationes plerumque breviores, quibus tamen nonnunquam paulo uberiores digressiunculae insertæ, qualis illa de historia Regum Vandalorum p. 57. 58. 59. & 60. de Saracenorum in Italiam irruptione p. 83. 84. 85. & 86. de excidio Syracusæ p. 87. & sequ. ubi describitur epistola *Theodosii Monachi* ad Leonem Archidiaconum, de hoc argumento scripta, quam latinitate donavit *Roccius Pyræus* in episcopis Syracusanis expressit. Inter has annotationes comparent etiam præcipue ex Wolfianis, quæ, ut a cæteris discerni possint, litera nominis initiali *W.* signantur.

nl

In dissertatione de Hebdomo annotationibus subjuncta, suam & *Petri Gyllii* sententiam adversus *Hadrianum Valesium* (cujus de Hebdomo commentatio novissimæ *Ammiani Marcellini* editioni, quam in Actis A. 1682. p. 13. recensuimus, p. 672 & 699. subjunctus legitur) vindicat, asserens, Hebdomum apud Scriptores dici non solum septimum a Byzantio lapidem, sed totum etiam campum intermedium, quem non ad Propontidem, sed ad Sinus Ceratini caput extitisse, & Campi Martii vicem urbi Constantinopolitanæ præbuisse tradit. Et ad hunc ipsum Hebdomi campum omnia illa ædificia spectasse docet, quæ apud Scriptores Byzantinos in Hebdomo collocataprehenduntur. Inter ædificia autem illa, præter ædes quasdam sacras, præcipua esse refert Tribunal, in quo levari & inaugurari Imperatores soliti fuerint, & adjunctum ei Palatium, quo se perfecta inauguratione recipere consueverint. Porro cum *Valesius* fidenter asserat, neminem veterum ædis Johanni Baptistæ sacræ intra muros urbis Constantinopolitanæ mentionem facere, *Dn. du Fresnoie* ex Constantinopoli sua Christiana repetit, duodecim templa, intra urbem Johanni Baptistæ dicata, quibus nunc duo alia adjungit.

Disceptationem hanc de Hebdomo sequuntur additamenta quædam ad Familias Byzantinas & Constantinopolin Christianam, qualia etiam in annotationibus ad *Zonaræ* annales passim occurrunt. Huc enim spectant, quæ p. 35. 36. & 37. de æde *Andræ* disserit, quam in Constantinopoli Christiana lib. 4. sect. 5. n. 5. Apostolo ejus nominis consecratam perperam dixerat, cum potius illi *Andræ* sacra sit, quæ sub Copronymo ob imaginum cultum multum passus est, & a Græcis d. 17 Octobris colitur. Qua occasione ex codice *Thuanæo* versus *Maximi Planudis* in ædem illam ejusque fundatricem *Theodoram Raulanæ* describuntur, ut ea, quæ p. 52 & 53 de statua fortunæ proferuntur, & cætera mittamus. Extremum locum duo indices occupant, unus locorum, regionum & ædificiorum urbis Constantinopolitanæ, quæ in annotationibus, disquisitione de Hebdomo & additamentis illustrantur; alter rerum memorabilium, quæ *Zonaræ* annalibus continentur.

FRIDERICI SPANHEMII HISTORIA IMAGI-  
num Restituta, præcipue adversus Maimbur-  
gium & Alexandrum.

Lugduni Batav. apud Joan. Verbessele, 1686, in 8.

Cum quotidiani sint novorum librorum partus, nemini mirum videri debet, nonnullos manibus nostris sese subducere, quorum recensio negligenda haud erat. Quod circa præsens etiam opus nobis contigit, ejus Auctor clarissimus, quanquam Reformatorum hypothese inservit, multa tamen habet notatu digna. Cujusmodi est, quod in dedicatione ad Consules Amstelodamenses commemorat de Baronio Blondelliano, quem nuper in ea urbe viderit, notulis subinde castigatum, quarum plurimæ ex Jacobo Capello transcriptæ sint. In præfatione ad Lectorem generatim perstringit duos illos scriptores, quos impugnandos sibi sumit, præsertim Maimburgium, ob adulatorias erga Regem sumæ voces de Reformatorum persequutione. Opus ipsum in novem sectiones dispescit; quarum prima, postquam adversariorum suorum malam fidem ostendisset, nulla censet documenta proferri posse usus publici & sacri imaginum ante Gregorii Nysseni & Paulini Nolani tempora, eumque haud fuisse alium, quam historicum, ethicum, politicum & *μυστικόν*, cum adoratione minime conjunctum. Dein de historia hæmorrhoidis, & boni pastoris apud Tertullianum imagine, adversus Alexandrum disputat, & de Canone Eliberitano hujus pariter ac Maimburgii exceptiones diluit, additque, initio quarti sæculi in Basilicis Christianorum nullas conspectas imagines, quibus tamen præverit. Constantinus statuas in foro erigendo; hinc labente quarto sæculo frequentes fuisse Christianas imagines &c. quinto vero sæculo Augustinum in picturarum adoratores invectum, ejus loca adversus Alexandrum vindicat. Ex sæculo sexto adfert Gregorii Magni ad Serenum epistolam, & septimo non tantum Sanctorum, sed & Imperatorum, Episcoporum & Synodorum imagines in templis collocatas ostendit, simulque expendit factum Philippici Bardanis, sextæ Synodi imagines templis eicientis, qui propterea *excommunicatus*

municatus fuerit a Constantino Papa, sub quo visiones pro veneratione imaginum, Deiparæ cum primis, jactari ac controversiæ circa imagines oriri coperint. *Sectione secunda* falsam esse Iconomachiz originem ex Cedreno & aliis, a Judæo, Jezido Chalifæ & Leoni Isauro, abditis imaginibus, felix imperium portendente, repetitam, adversus Maimburgium & Alexandrum propugnat; veramque ex quotidiano superstitionis incremento, offensione infidelium, cum primis Saracenorum, controversiis jam sub Constantino Papa & Philippico Imperatore motis, aliisque causis derivare, mavult. Postea Leonis Isauri & Gregorii II adversus hunc facta prolixè expendit, in primis observans, Leonem primo nihil aliud intendisse, quam ut imagines in sublimi loco collocarentur, adeoque partim a contemptu, partim ab adoratione vindicarentur, sed Gregorii anathemate subditorumque rebellionem exacerbatum, ad evertendas animam applicasse. Hinc varias de Leone Iconolatrarum fabulas explodit, illam in primis, quam de Collegio, Bibliotheca & Professoribus Constantinopolitanis incendio extinctis, item de intentatis a Leone Papæ Gregorio, Germano Patriarchæ, & Joanni Damasceno, commenti sunt. *Sectione tertia* iconomachiz progressum considerat sub Constantino Copronymo, quem putido hoc cognomento falso insigniri autumat, & adversus tot Byzantinorum mendacia virtutes ejus ex ipsorum iconolatrarum monumentis colligit, Maimburgiumque confutat. Tum historiam septimæ Synodi generalis pandit, & crimina Principi objici solita hæc & *quarta sectione* prolixè refellit, & Synodum Gallicanam sub Pipino, ad quem a Constantino legatio missa erat, imaginum cultum non sanxisse, Constantinumque nec morbo *σηλατω* obiisse, nec in extremis positum facta sua revocasse contendit. *Sectione quinta* Leonis quarti res breviter persequitur, & mortem ejus inopinam non divinæ ultioni, sed veneno ab Irene propinato adscribit, quæ deinceps iconolatriam reduxit pessimis artibus, de quibus prolixè Spanhemius. Præcipue vero perstringit media, quibus usa fuit Irene; abdicationem Paulli Patriarchæ, cujus palinodiam fictam esse judicat; substitutionem novi Patriarchæ Tarasii, de cujus electione nonnulla notabilia habet; conspirationem cum Hadriano I Pontifice Romano, portenta & similia. *Sectione*

*sexta* Historiam Conciliabuli, ut vocat, Nicæni pertexit, variasque fabulas in eo prolatas examinat. *Sectione septima* successum illius Synodi describere adgreditur, multisque declarat oppositionem in Occidente a Carolo Magno & Patribus Synodi Francofordienfis factam, quos non solam latrariam, sed omnimodam imaginum adorationem damnasse, usumque solum historicum liberum permisisse contendit, & adversus Petavii, Maimburgii, & Alexandri exceptiones sustinet. *Sectione octava* in Orientem redit, & usum imaginum inde usque ad nostra tempora ibi receptum pluribus delineat, & quomodo a Latinorum moribus differat, ostendit, paremque disquisitionem in Occidente instituit *Sectione nona*, quam nupera Reformatorum in Gallia persecutione claudit.

## MEMOIRES DU MARQUIS DE BEAUVAU

*Pour servir à l' Histoire de Charles IV, Duc de Lorraine & de Bar. id est,*

Commentarii, sive Memorialia Marchionis de Beauvau, ad Historiam Caroli IV, Lotharingiz & Barri Ducis pertinentia.

Coloniz, 1687, in 12.

**A**utoris illustre genus & gesta, nec fama tacuit, & aliquatenus ex libro hoc intelligere licet. Editur is, ut in præmissis ad lectores monito indicatur, altera vice; correctior nempe non solum a mendis typographicis, sed & ratione styli, quem longitudine periodorum intricatum, explicuisse se scribit, qui novam editionem accuravit. Autor vero ipse in præfatione sua non solum dictionis genus, & neglectum ordinis ac chronologiz, sed & libertatem excusat: hos tamen defectus, vera & sincera narratione rerum, quas ipse viderit, vel a fide dignis perceperit, compensari posse confidit. Distribuit commentarios in libros VIII. Incipit ab obitu *Henrici* Lotharingiz Ducis, id est, ab anno 1624, & finit morte *Caroli* anno 1675. Pleraque hujus intra annos quinquaginta gesta, nostri temporis. Scriptores tradiderunt, & paulo *semita*.

in memoria hærent : magna enim eorum pars cum bellorum, nostra & parentum ætate gestorum, historia ita connexa est, ut qui hanc noverint, illam non possint ignorare. Propterea in excerpando ad illa magis respeximus, quæ non æque vulgata de Caroli vita interiori, speciali quadam diligentia & industria Autor annotavit.

Ab initio libri comparatio quædam inter *Henricum* & *Carolum* instituitur. Laudatur ille a virtutibus, quibus cognomen *Beni* apud suos adeptus fuit, quibusque effecisse dicitur, ut *Lotharingia* sub nullo ante eum Principe felicior fuerit. *Carolus* a vivo ingenio magnoque animo commendatur; sed non taceatur inquietudo & variatio mentis, & salutarium consiliorum aspernatio; unde factum esse ostenditur, ut nullius ex antecessoribus imperium, tot vicissitudinibus & cladibus subiectum fuerit. Inter causas simultatis, quæ inter *Henricum* Ducem, & fratrem ejus *Nicolæum* Comitem *Vaudemontium* intercessit, matrimonio filia illius primogenita, cui *Nicolæ* nomen erat, cum filio hujus *Carolo* non satis sopita, numeratur affectus *Henrici* erga Principem *Pfalzburgensem*, quem sibi generum destinabat, & cædes *Baronis* *Luzeburgii*, qui inter primarios *Henrici* ministros erat, *Vaudemontio* imputata; tum quædam lectu non indigna referuntur de *Dominico* quodam *Hispano Carmelita*, qui nuptiarum *Caroli* & *Nicolæ* conciliator erat, sanctitatem & miraculorum editionem affectans. Notum est divortium Ducis *Caroli* ab uxore, cui principatus jus debere volebat. Inter ejus prætextus etiam hunc allegavit, quod legitime baptizata non esset. Species quæsitæ fuit a crimine sortilegii, cuius sacerdos quidam, a quo baptizata fuerat, accusatus & ob id capitali supplicio *Nanceii* affectus fuit; quamquam id crimen, ut autor refert, ad finem usque vitæ pernegaverit. Domestica illa mala publicæ securitatis sunt calamitates, inde maxime ortæ, quod *Carolus* turbidis consiliis, & inanibus belli moliminibus, vicinam *Gallorum* potentiam, quam *Lotharingæ* Principes revereri & colere solebant, & ut Autor judicat, pro securitate sua debebant, irretaret: Deinde inconstantia in servandis, in quibus plus una vice se præcipitavit pactionibus, causæ suæ magis magisque noceret. Implicitus itaque, offensus *Gallis* & ab his pressus, *Societati Austriacæ*,

e, coepto inter Ferdinandum II Imp. atque Suecos, & qui cum his  
 federati erant, bello inconsultum illum ad arma impetum *infelici-*  
*ter* erga Gallos denudatum, in Germaniam transtulit, copiis non  
 magnis, at exercitatis & pugnacibus instructus, quas parare & ale-  
 re ex tributis & spoliis sciebat, & quod nemo ante eum facile pra-  
 stitit, amissa etiam provincia, magnam vim pecuniae ex locato a-  
 liis exercitu congerere, servatis sibi, quae militibus pactus erat, sti-  
 pendii. Licet autem vario eventu & saepe infelici pugnaret, for-  
 titudinis tamen & peritiae bellicae laudem insignem, imprimis, ut  
 testatur autor, in celebri illo ad *Nordlingam* praelio anno 1634 me-  
 ruit. Tunc etiam ab Imperatore assignata ei fuit ad suam susten-  
 tationem *Wormatia* urbs, quae diu ejus exactiones passa est, ut &  
 totus ille tractus. Paulo ante, cum provincias suas adversus Gal-  
 los tueri se posse desperaret, fratri suo unico, *Nicolao Francisco Car-*  
*dinali*, jus suum tradiderat. Is deposita purpura sacra, Ducis no-  
 men assumpsit, simulque alteram Henrici ducis filiam *Claudiam* pa-  
 truem suam, festinatis nuptiis sibi junxit, impetrata postea a Pon-  
 tifice venia confirmatis. Sed nihil moratus cessionis hujus simu-  
 lachra Galliae Rex Ludovicus XIII novum Ducem ita persecutus est,  
 ut is fuga cum uxore ex regia custodia aegre elapsus, exilium mul-  
 tis annis in Italia & Austria tolerare cogeretur. Inter morum de-  
 fectus gravissimus & nocentissimus Carolo erat vagus & indomi-  
 tus in foeminas amor. Ita cum anno 1635 exercitus Caesaris &  
 Gallorum in Lotharingia stativa haberet, ipse interim in delitiis  
 Vesontione versabatur. Ibi enim post ejectam conjugem, quae  
 in Gallia exulabat, deperire coeperat uxorem Comitis *Cantacrucci*,  
 & cum hac, postquam maritus illo tempore peste sublatus esset, ma-  
 trimonium celebravit. Jure id factum esse, scriptis defenderunt  
*Cbeminotius* quidam Jesuita, & Cancellarius Ducis *Molcurius*, Ca-  
 nonicus Nancejanus. Hic tamen postea, ut refert autor, senten-  
 tiam alio libello revocavit, nil tamen nisi offensas ab utraque  
 parte reportans, in magna miseria vixit: *Jesuita* Romam citatus  
 & alicubi abditus fuit, ut nihil de eo posthac auditum fuerit. Pon-  
 tifex instante *Nicolas* & urgentibus Gallis, matrimonium novum  
 damnavit, & Carolum excommunicationis fulmine ad separa-  
 tionem adegit, quam solenni ritu testatus est, neque tamen *ideo* a  
 con-

consuetudine cum Cantacruca abstinuit. Natus est ex hoc conjugio filius, cui Vaudemontii Principis titulum pater tribuit, & quantum in ipso fuit, successionem in omne jus suum destinavit. Nata etiam ex eodem filia, quæ Principi de *Lislebonne* ex Serenissima Lotharingicæ familiæ stirpe Ellebovia orto, nupsit. Illustria sunt filii & generi nomina, bellicis in primis artibus nobilitata, ut paucis ignota esse possint.

Sed ad alia, & ad ea quæ prius acciderunt, redeundum est. Inter illa memorari debet tentata a Carolo nostro *Brisaci*, celeberrimi ob munimenta ad Rhenum oppidi, a *Bernardo* Saxoniz Ducis tunc obsessi liberati. Nam etsi ei infeliciter institutum cesserit, tantam tamen in servandis, post profligatum equitatum suum, peditum cohortibus peritiam & animi præsentiam ostendit, ut ab ipso hoste magnum elogium, ut autor scribit, reportaverit. Ex Germania postmodum copias suas in Belgium duxit, Hispanis succurrens. Inde Lotharingiam, a Gallis infestam & durissime habitam, etiam ipse vastabat, & exhauriebat. Præsidia quoque, quæ in castellis quibusdam habebat, ipso licet cum copiis absente, crudeliter in provinciales grassabantur. Tantam tamen hi fidem Principi suo præstabant, ut omnia ejus causa & tolerarent, & pro viribus tentarent. Nobilitas etiam, quam antiquam vocant (*L'Antienne Chevalerie*) licet, ut autor refert, omni antiquo jure, libertatis nempe quam habebat specie, & aliqua in administratione publica autoritate a Carolo plane exuta esset, fidem tamen ei cum rerum suarum magna jactura servavit. Anno 1640 Carolus, nova pactione cum Rege restitutionem in provincias suas duris quidem conditionibus stipulatus, summo cum subditorum gaudio una cum Cantacruca domum redierat. Hæc *Ducissa* axioma palam & tam serio sibi asserebat, ut quendam ex famulis Ducis, iplo & inscio & postea improbante, suspendio necari fecerit, qui ei *uxoris castrensis* (*femme de campagne*) nomen, inter sodales garriens, impeggerat. Sed Dux conditionum, & in primis illius, qua Nancejum securitatis causa præsidio regio tenebatur, mox pertæsus, a pactis, licet a Rege exacte impletis, recessit; ex epistola quadam *Hallierii* Regii præfecti & postea Franciæ Marecalli uxoris, comperisse se causatus, quod libertati suæ insidiæ struerentur. *Hallieria* male id ces-



e: , coepto inter Ferdinandum II Imp. atque Suecos , & qui cum his  
 federati erant, bello inconsultum illum ad arma impetum infelici-  
 ter erga Gallos denudatum , in Germaniam transfudit, copulis non  
 magnis , at exercitatis & pugnacibus instructus, quas parare & ale-  
 re ex tributis & spoliis sciebat, & quod nemo ante eum facile prae-  
 stitit, amissa etiam provincia , magnam vim pecuniae ex locato  
 alius exercitu congerere , servatis sibi, quae militibus pactus erat , si-  
 pendius. Licet autem vario eventu & saepe infelici pugnaret , for-  
 titudinis tamen & peritiae bellicae laudem insignem, imprimis, ut  
 testatur autor, in celebri illo ad *Nordlingam* praelio anno 1634 me-  
 ruit. Tunc etiam ab Imperatore assignata ei fuit ad suam susten-  
 ta-tionem Wormatia urbs, quae diu ejus exactiones passa est, ut &  
 totus ille tractus. Paulo ante, cum provincias suas adversus Gal-  
 los tueri se posse desperaret, fratri suo unico, *Nicolao Francisco Car-*  
*dinali*, jus suum tradiderat. Is deposita purpura sacra, Ducis no-  
 men assumpsit, simulque alteram Henrici ducis filiam *Clandiam* pa-  
 truem suam, festinatis nuptiis sibi junxit, impetrata postea a Pon-  
 tifice venia confirmatis. Sed nihil moratus cessionis hujus sumu-  
 lachra Galliae Rex Ludovicus XIII novum Ducem ita persecutus est,  
 ut is fuga cum uxore ex regia custodia aegre elapsus, exilium mul-  
 tis annis in Italia & Austria tolerare cogeretur. Inter morum de-  
 fectus gravissimus & nocentissimus Carolo erat vagus & indomi-  
 tus in foeminas amor. Ita cum anno 1635 exercitus Caesaris &  
 Gallorum in Lotharingia stativa haberet, ipse interim in delitiis  
 Vesontione versabatur. Ibi enim post ejectam conjugem, quae  
 in Gallia exulabat, deperire coeperat uxorem Comitis *Cantacrucci*,  
 & cum hac, postquam maritus illo tempore peste sublatus esset, ma-  
 trimonium celebravit. Jure id factum esse, scriptis defenderunt  
*Cbeminotius* quidam Jesuita, & Cancellarius Ducis *Molenarius*, Ca-  
 nonicus Nancejanus. Hic tamen postea, ut refert autor, senten-  
 tiam alio libello revocavit, nil tamen nisi offensas ab utraque  
 parte reportans, in magna miseria vixit: *Jesuica* Romam citatus  
 & alicubi abditus fuit, ut nihil de eo posthaec auditum fuerit. Pon-  
 tificex instante *Nicolas* & urgentibus Gallis, matrimonium novum  
 damnavit, & Carolum excommunicationis fulmine ad separatio-  
 nem adegit, quam solenni ritu testatus est, neque tamen ideo a  
 con-

consuetudine cum Cantacrucia abstinuit. Natus est ex hoc conjugio filius, cui Vaudemontii Principis titulum pater tribuit, & quantum in ipso fuit, successionem in omne jus suum destinavit. Nata etiam ex eodem filia, quæ Principi de *Lislebonne* ex Serenissima Lotharingicæ familiæ stirpe Ellebovia orto, nupsit. Illustria sunt filii & generi nomina, bellicis in primis artibus nobilitata, ut paucis ignota esse possint.

Sed ad alia, & ad ea quæ prius acciderunt, redeundum est. Inter illa memorari debet tentata a Carolo nostro *Brisaci*, celeberrimi ob munimenta ad Rhenum oppidi, a *Bernardo* Saxonæ Duce tunc obsessi liberati. Nam etsi ei infeliciter institutum cesserit, tantam tamen in servandis, post profligatum equitatum suum, peditum cohortibus peritiam & animi præsentiam ostendit, ut ab ipso hoste magnum elogium, ut autor scribit, reportaverit. Ex Germania postmodum copias suas in Belgium duxit, Hispanis succurrens. Inde Lotharingiam, a Gallis infestam & durissime habitam, etiam ipse vastabat, & exhauriebat. Præsidia quoque, quæ in castellis quibusdam habebat, ipso licet cum copiis absente, crudeliter in provinciales grassabantur. Tantam tamen hi fidem Principi suo præstabant, ut omnia ejus causa & tolerarent, & pro viribus tentarent. Nobilitas etiam, quam antiquam vocant (*L'Ansienne Chevalerie*) licet, ut autor refert, omni antiquo jure, libertatis nempe quam habebat specie, & aliqua in administratione publica autoritate a Carolo plane exuta esset, fidem tamen ei cum rerum suarum magna jactura servavit. Anno 1640 Carolus, nova pactione cum Rege restitutionem in provincias suas duris quidem conditionibus stipulatus, summo cum subditorum gaudio una cum Cantacrucia domum redierat. Hæc *Ducisse* axioma palam & tam serio sibi asserebat, ut quendam ex famulis Ducis, ipso & inscio & postea improbante, suspendio necari fecerit, qui ei *uxoris castrensis* (*femme de campagne*) nomen, inter sodales gatriens, impeggerat. Sed Dux conditionum, & in primis illius, qua Nancejum securitatis causa præsidio regio tenebatur, mox pertæsus, a pactis, licet a Rege exacte impletis, recessit; ex epistola quadam *Hallierii* Regii præfecti & postea Franciæ Marescalli uxoris, comperisse se causatus, quod libertati suæ insidiæ struerentur. *Hallieria* male id ces-

lisse notat autor, nec vana de circumspeditione in sermonibus & literis servanda monet. Brevis ergo ista pax fuit, & ita vulgo a Lotharingis vocari solebat, *la petite paix*. Igitur ad arma illic reditum est, & Regis copiaz denuo Lotharingiaz immiffa, loca quae Rex Duci restituerat, denuo occuparunt, inter quae diu restitit famosum ob exactiones & excursions militares oppidum *Motta*, quod contra deditiois pacta funditus eversum fuisse dolet autor. Carolus interim, ut poterat, tum in Lotharingia & Belgicis confinibus, tum in Germania Gallis nocebat; Bavaris etiam, cum exercitum Gallorum improvisa irruptione ad Tutelingam opprimerent, auxiliatus: sed postea solita morum varietate, Bruxellis se immerfit, & cynicæ vitæ exempla populari inprimis cum tenuioribus conversatione renovavit, simul tamen corradendæ pecuniæ artibus omnibus modis incumbens. Quæ de amore ejus, quo erga puellam quandam oppidanam exarsit, referuntur, fidem fere superant. Accedebat & aliud vitium, jocosum & scommatum protervia, quibus Hispanorum proceres in Belgio, ipsum etiam Austriacum Archiducem *Leopoldum Guilielmum* provinciarum supremum Gubernatorem offendere non verebatur. Agebat & alia, quibus non invisum solum, sed & suspectum se reddebat, tandemque effecit, ut Hispani eum amplius ferre nollent. Itaque Bruxellis captus, & in castellum Antverpiense primum, deinde in Hispaniam auctus, plurimis annis in custodia detentus est.

Ista omnia accurate persequitur autor, qui circa id tempus educationi filiorum Ducis *Francisci* præfectum se fuisse commemorat, addens, quæ Principi isti, post defunctam uxorem *Clandiam*, (quam tenerrime amavit, nec unquam ad novas nuptias permoveri potuit) & post captum *Carolum* fratrem acciderant. Venit nempe *Franciscus* Dux, suadente Imperatore, & volentibus Hispanis in Belgium, ut exercitum fratris sub imperio suo non magis quam in stipendiis Austriacis contineret. *Carolus* tamen carcere suo exacerbatus, secretis justis præfectos copiarum in Hispanos incitabat; ita ut duo tribuni cum cohortibus suis statim in Gallorum castra transiverint. *Franciscus* in Belgio multa cum benevolentis demonstratione ab Archiduce & omnibus exceptus fuit, sed cum *Condzo* principe, qui tunc Hispanas partes sequebatur, de hono-  
rura

rum mutua exhibitione convenire non poterat. Milites inde, qui ad Gallos defecerant, citari, & cum non redirent, judicio castrensi condemnari fecerat. Vocat id autor *L' Egmin*, de qua voce obiter notamus, non aliam esse quam Germanicam *Gemeline*; id est *commune*, sive cœtum, in quo de negotiis vel publicis vel judicialibus tractatur. Id jus (more Germanorum, quem Lotharingi servabant) etiam in castra translatum est, idque legiones, quæ in Germania ab externis principibus conscribuntur, etiam nunc pacifici solent; Itali *Ghemineam* vocant. Interea in Belgio divulgabatur scriptum Caroli, in carcere Toleti anno 1655 datum ad Comitum *Lignevillium* Lotharingicarum copiarum præfectum aliosque tribunos (v. p. 138) quo jubebantur, uxori Caroli priori & legitima, *Nicolea Ducissæ*, in Gallia versanti, parere. Hoc nec Franciscus Dux, ab Hispanis non pro merito se tractari existimans improbat; sed dum is cunctatur, *Harancourtius* Marchio, ex primariis exercitus ducibus, cum parte copiarum ad Gallos transit. Paulo post ex Hispania exemplum novæ cum Carolo captivo pactionis in Belgio vulgatum est, qua cavebatur, ut copiarum Lotharingicæ Regi Hispaniarum juramento obstringerentur; idque dissimulante consilium suum Francisco, factum est. Verum ipse paulo post, cum non levibus ex causis suspicaretur, sibi quoque vincula ab Hispanis parari, in Galliam cum iisdem copiis sese subduxit, non tamen sine periculo. Desertus enim & pene proditus fuit a tribuno Hiberno cum suæ gentis legione, quæ Carolo militabat, Hispanorum partibus constanter adhærente. Hanc admirabilem Ducum fratrum fortunam graviter considerat autor p. 150, simulque quam frigidè Cardinalis Mazarinus Franciscum in Galliam profugum tractaveris, commemorat; laudata tamen Regis Ludovici XIV erga Ducem comitate, p. 151. *Nicolea Ducissa* captivi & jam ad officium redire visi mariti literis devincta, tanto studio rebus ejus restabiliendis incumbat, ut Francisco ejus fratri auctoritatem apud exercitum fere detraheret. Obtemperabat consiliis hominis cujusdam tenuis fortunæ, sed astuti & industrii, cui a *S. Martino* nomen erat. Istum Franciscus male consultus, ut monet autor, neglexerat aut offenderat. Ab illo libellis satyricis pro Ducissa, a *Moleurio* pro Francisco certatum tunc est. Caroli liberatio vario

ipſius & aliorum aſtu tentata fuit; ſed aut infeliciter, aut non bona fide, Mazarino ipſo, ut autor ſuſpicatur, ſecretum Hiſpanis prodente. Inter hæc Franciſcus æmulatione illa Ducisſa *Nicola* liberatus fuit; deceſſit enim hæc anno 1657, cum plurimis annis in Gallia vixiſſet, penſionibus vel a Rege vel a marito, ſed tenuibus maleque acceptis miſere ſuſtentata. Solatium ſub finem vitæ habuit, quod a marito iterum pro uxore agnoſceretur: ſed id, ut autor ceſſet, non niſi neceſſitatis cauſa ab illo factum eſt, tam parum uxorem amante, ut cum poſtea Lutetiæ ſat longo tempore commoraretur, nec ſepulchrum ejus videre, nec quidquam ad ſolita ſacra exequialia impendere ejus cauſa voluerit. Anno ſequenti inſignibus infortunis affectus eſt Dux Franciſcus. Ex duobus enim, quos habebat, filius, primogenitum *Ferdinandum* magnæ ſpei juvenem amiſit, qui medici regii *Guemavii* conſilio ſectionem calculi, quo cruciabatur, paſſus deceſſit; quod factum ſe abſente notat Autor, nec laudat medicorum conſilium. Alter filius *Carolus*, qui nunc exercitiſus *Cæſaris noſtri invictiſſimi* ſumma cum poteſtate præpoſitus eſt, & tot palmas a Turcis reportavit, caſu equi luſci, quem Pariſiis in hippodromo a magiſtro datum, ut moris eſt, circumagebat, ita afflictuſ fuit, ut ſex horas abſque ullo fere vitæ ſigno jaceret: neque tam medicorum, a Rege licet benigne ſubmiſſorum, arte, quam per miraculum ſervatus eſſe ab autore creditur, impoſita ejus cordi quadam imaguncula B. Virginis Fuxenſis. Pax Pyrenæa poſtea ſecuta eſt, quæ Carolo libertatem attulit, ſed non iis, quas voluiſſet, conditionibus. Neglectus itaque ab Hiſpanis, Gallicam gratiam per Mazarini favorem ambivit, ſpe etiam nuptiarum inter Sereniſſimum, quem paulo ante nominaviſus, Principem Carolum, fratris filium unicum, in quo ſpes domus Lotharingicæ verſabatur, & Mariam Mancinam Mazarini ex ſore neptem propoſita. Sed fraternam ſinceramque fidem & benevolentiam Franciſco non exhibuit, licet utriusque ſoror, *Aurelia* Ducis conjux, ad fidam conciliationem officia ſua interponeret: ſimulatam enim ſemina aut vetera ſupererant, aut nova oriebantur, quæ autor pag. 175. indicat. Inde intricata & dilata fuit, Mazarini artibus, tractatio Regis cum Carolo, ita ut hic quatuordecim meſes otioſus Parisiis deſideret, ſimulacris honorum ut Princeps ſupremus utcuque cultus,

tus, sed non impetrata provinciarum restitutione. Offenderat Mazarinum abrupto negotio de nuptiis, de quibus diximus, & malo more negans se unquam illas obtulisse. Franciscus, ut nihil intentatum relinqueret, quod ad fratris benevolentiam acquirendam & stabilimentum afflictæ familiæ facere videretur, matrimonium inter Principem filium & Caroli Ducis filiam ex Cantacruvia genitam ultro proponere cœpit; sed neque hæc oblatio Carolo placuit, imo ut spem istam penitus præcideret, præcipitanter eam Lilebonio, cujus supra meminimus, addixit. Cum vero Franciscus postea Mazarinum de conjugio Mancinæ cum filio sollicitaret, etiam huic consilio variis modis obstitit Carolus, ita ut ipse matrimonium suum Mancinæ offerret. Sed cum ex interceptis ad *Cantacruviam* literis, simulatio & versutia ejus detecta esset, acrius in se Mazarini odium, licet id disimulantis concitavit. Inde factum, ut aliis conditionibus Lotharingæ restitutionem impetrare non potuerit, quam ut Regi viam militarem per provincias suas in Germaniam, milliæ dimidii latitudine, cum omni jure, concederet, exercitum dimitteret, & una solum cohorte equitum ad corporis custodiam, eoque peditum numero, qui ad præsidia locorum, quæ ipsi supererant, munitorum requirerentur, contentus esset, tam omnes Nanceji munitiones dejici consentiret. Cedi denique Gallia in perpetuum debere loca munita *Stenay, Clermont, Jamets & Dun*. Mancina Laurentio Columnæ, Principi du Palliano, Comestabili Neapolitano nupsit. Hæc ex libris tribus prioribus referenda esse visa sunt; reliqua mensæ sequenti exhibere constituimus.

*L'ETAT PRESENT DE LA PUISSANCE  
Ottomane, avec les causes de son accroissement, &  
celles de sa decadence, par le Sieur du Vignau.*

id est,

Status præsens potentia Ottomannicæ, cum causis  
incrementi & decrementi illius; autore Dn. *du Vignau*,

Qqqq 3

Secre-

Secretario quondam Legati Gallici (*Domini de Guillera-  
gues*) Constantinopolim missi, Interprete classis re-  
giæ in universo mari Mediterraneo, Equi-  
te S. Sepulchri.

Lutetiæ, apud Danielem Horthemels, 1687, 12.

**D**ecrementa Imperii Ottomannici ante *Rigaltium* (in Actis 1684 p. 115. laudatum) sperare vix quisquam, nemo Autore hoc no-  
stro confidentius conjunctis Christianorum armis promittere au-  
sus fuit. Observat hic ante omnia, mollitiem Regum Persiæ in  
causa fuisse, ut nihil periculi suis ab Oriente finibus imminere sen-  
tientes Turcæ, totis viribus regna occidentem, meridiem, septen-  
trionem versus sita invaserint, & sub jugum redegerint. Acces-  
sisse semper paratam exercitissimorum militum copiam; innu-  
mera sævitiz horrendæ & perfidiz omnia pacta susque deque ha-  
bentis specimina; vim denique ingentem pecuniæ, commeatus, ar-  
morum ex hostico non minus ac foederatorum aut subditorum fa-  
cultatibus corrasam. Hinc natum terrorem panicum adeo op-  
presuisse Christianos, ut cum illis de interiori regni Ottomannici  
statu parum constaret, iique ex veteribus victoriis modernorum  
Turcarum vires æstimarent, omnem spem de infidelium illorum  
debellatione abjecerint.

Hunc errorem ut eximat autor, describit summam Tur-  
cicarum provinciarum vastitatem; plebem per militum & magi-  
stratum exactiones, ad mendicitatem redactam; ruinam com-  
merciorum; enervatam avaritia Ducum, ipsiusque Sultani, *prato-  
rianam* sive Janizzerorum militiam, laxatamque disciplinam. Ar-  
gumentum speciale sumit imminutz potentiz, ex decrescente ju-  
dicum sive præfectorum civilium (*Cadi* vocantur) numero. *Quin-  
gentos* enim eorum & plures, qui in Europa erant, jam ad *trecentos*  
& *decem*; & in Asia *septingentos*, ad *quadringentos* & *triginta* red-  
actos esse, ex regestis Cancellariæ constare tradit. Augeri quidem  
indies suburbia & proximos Constantinopoli vicos, sed *desertis*  
provincias, ex quibus coloni quotidie emigrant, rapinas *mili-  
tum* & magistratuum vitantes; ita fieri, ut exhaustis *provinciis*,  
incola-

incolarum numerus urbi regiz onus potius, quam emolumentum afferat.

Quanquam vero *cap. 2.* causas potentiz Ottomanicz in herili illo dominatu quzrat, quem Imperator in vitam & facultates omnium subditorum, viventium & morientium, imo ipsius summi Vezirii rigidissime exercet: quanquam etiam vile hoc obsequium doctores legis Mahummedicz populo inculcent, cœlumque mereri jactent, caput qui suum poscenti Imperatori offerunt; unde rebelliones semper cum exitio autorum finiantur, neque quidquam utilitatis ex iis ad Christianos perveniat: non deesse tamen notat ex ministris & subditis, qui id detrectent, & ut possunt, evitent, leges etiam ipsas aliter interpretentur; imo aliquando in Imperatores insurgant, eosque regno & vita spolient, quod parenti ejus qui nunc regnat, aliisque accidit. Remedium vero, quod consiliis *Mehemmet Kseupruli*, (cujus nomen *Kiuperli* alii efferunt) Vezirii, ejusque filii Achmetis, inaudito exemplo in ista dignitate patri successerunt, quæsitum fuit, enervata militia prætoriana, sublato fortissimo quoque ex belli ducibus, & exhausto per tributa populo, gravius malo fuisse observat.

Subjungit alia *cap. III.* de parendi necessitate, quæ omnibus ministris incumbit, ita ut nec hiscere quisquam contra jussa Imperatoris ausit. Nemini apud illum præter moriones, nanos similesque, ex aulicis proloqui verbum aliquod licet, nec Vezirius ipse, nisi interrogatus, & cum summa respondet submissione. Quod si quid profert hic aut suadet, quod Imperatori displicet, cum muneris & capitis sui periculo id facit, & ad utrumque se paratum esse profiteri debet; quod *Kiuperli* etiam fecerunt, quos tamen *Lala*, id est patris nomine dignari solebat Imperator. Idem *Cara Mustapha*, qui *Kiuperlio* juniori successit, observavit, cum in bello Moscovitico vicarium (*Caimacanum* vocant) ab Imperatore sibi datum nollet admittere. Interim hæc imperandi severitas, & assentiendi necessitas, non ministris solum, sed & Imperatori & reipublicæ exitio non semel fuit. Addit, prædestinationis quidem dogma mortis contemptum conciliare Turcis, non deesse tamen hodie, qui dicant, non minus prædestinationi tribuendum, quod fuga salutis suæ consulant. Desiderium intempestivum pacis aut induciarum, quod

in



in Christianis, victoribus licet, Turcæ experti sunt, magno *his* com-  
modo semper fuisse, exemplis confirmat. Sic enim Venetos ja-  
stura regni Cretici pacem redemisse; nec Polonos post victoria  
ad *Cheimum*, nec Moscovitas post successum belli anno 1677, ma-  
gno conamine cæpti, neque Germanos post profligatum ad Ara-  
bonem amnem *Achmetem* Vezirium, absque aliquarum regionum  
dispendio cum Turcis transegiſſe. Venetos tamen excusat, quod  
a validiori Ottomanicæ potentie oppugnatione, jam olim im-  
pediti, & ad sua tutanda adacti fuerint, bellis in Europa exortis,  
quorum culpam ex gentis suæ principiis, Austriacis tribuit confi-  
liis. Occasionem etiam hic arripit suos laudandi. Memorat enim,  
Vezirium, cum Gallos ad Arabonem in acie conspexisset, capil-  
litiis ornatos, interrogasse, quæ istæ foemine essent? sed brevi exper-  
tum fuisse, viros esse: Alios e Turcis Gallicum illud *allons, & tuc tuc*  
validius judicasse, quam *Allah* suum, quod pugnaturi inelamant. Re-  
fert etiam miratos esse pugnae genus, quod Galli exhibebant, equos  
ita regentes, ac si vinculis connexi essent, cum Turci solutis discer-  
rant ordinibus: sed disciplinam illam Germanici equitatus pro-  
priam esse, & ad Gallos translatae satis constat. Cæterum erro-  
rem Christianorum omnium hic taxat, qui putent Turcicum im-  
perium aurifodinam quandam, omnesque ejus incolae milites &  
duces expertissimos esse; cum tamen copiis Turcicis tonsores, hor-  
tulani similisque farinae homines præponi soleant, & quisquis Ve-  
zirius ex arbitrio Sultani fit, ille etiam ad summum militiae ducatum  
idoneus reputetur, ac pro militibus habeantur qui fortiter  
clamare possint. Notat etiam alia militiae Turcicæ vitia & multa  
militum millia esse ait, qui postquam aliquid lucrati sint per sti-  
pendia aut prædas, statim pro emeritis habeantur, adeo ut ab expedi-  
tione immunes, opificiis & mercaturæ operam dent, cum civium  
damno. Ita militiam non nisi spoliandæ plebis prætextum esse;  
semiplenas etiam cohortes haberi, ut præfecti stipendia lucrentur  
habeantque, quo avaritiæ Ducum & Imperatoris satisfaciant, the-  
sauro ejus quicquid possit, inferendo. Inde fieri (quod exemplo  
notabili probat,) ut Imperator sciens ad istas Ducum artes con-  
veniat. Falli porro ait Christianos, cum ex eorum, qui legati ad  
nos veniunt, statura & moribus, de omnibus Turcis judicant; deligi  
enim

enim corpore validos, & aspectu gestuque feroces; cum in cæteris non minori, quam alibi, numero sint pusilli & imbelles. Juvari has persuasiones ab iis, qui in Turcia peregrinantur, reversi vero vana & incomperta narrant, aut omnia in majus efferunt, ut terrore replent Christianos; cum rectius facerent, si statum interiorem ejusque defectus scrutarentur, & sævitiam nequitiamque gentis adversus Christianos fideliter exponerent.

De defectibus autem, sive de causis imminutz Turcorum potentiz *Cap. IV* plura proponit, exhaustum nempe luxu quorundam Imperatorum ærarium, quod per, immodicas licet, exactiones repleti nunquam potuerit: ingentem quæstorum & fiscalium exactorum numerum, quorum nullus non rapiat: dein quod semel illata ærario Imperatoris pecunia, ad usum populi nunquam expendatur, sed otiosa jaceat: quod monetæ nulla habeatur ratio, optimæque merces adulterinis nummis coemanantur, aut meliores exportentur: accedere fori malum, dum judicum sententiæ, & falsa testimonia, in quavis causa vili pretio emi possint. Incendiorum etiam casu, domibus ligneis & materia combustibili repletis, maxima & frequentissima damna inferri tradit, ita ut Constantinopoli, intra annos septem, incondia quadraginta spectasse se dicat Autor, quibus singulis minimum 500, aliquibus ad 2000 ædes perierint; & esse sceleratos, qui rapiendi per tumultum causa flammæ subjiciant: luxum vero, qui maxima quæque imperia destruxit, ad summum pervenisse gradum. Seminarium illud militare, quod ex liberis Christianorum, singulis decenniis per modum tributi captis, olim parabatur, negligi memorat; id quod jam ab aliis quoque annotatum fuisse meminimus. Vix enim trigesimo anno exigi pueros, hosque ne a Christianis quidem, sed a Turcis pauperioribus natos, quos pecunia corrupti in Christianorum locum substitui patiantur. Hac de causa ingentem domum Constantinopoli, olim Christianorum pueris septem, jam canum venaticorum receptaculum esse observat. Militarem scientiam ipsam, nisi apostataz in exercitu essent, fere totam ait periisse, tumultu & clamore omnia geri, & numero fidi. Janissarios vel Janizzeros hodiernos umbram solum veterum esse; in provinciis autem summam paupertatem & desolationem conspici: ita ut inter Constantinopolin & Adrianopolin,

fertilissima licet regione, spatio 40 leucarum Gallicarum' via septem aut octo vici paululum culti reperiantur. Cum enim omnia officia publica per factiones & corruptiones acquirantur, omnes in universum, qui iis funguntur, ad expilandam plebem converti, & ex hujus spoliis perpetuo quodam circulo & refluxu sicum Imperatoris repleri, qui ministros ut spongas suo tempore & ordine exficcare novit. Ipse *Vezirius* in extorsionibus cæteris omnibus exemplo præit, nec *Cara* illo *Mustapha*, qui Vienna depulsus est, improbius alter fuisse perhibetur; nam & leges publicas pretio tulit & abrogavit: Licet vero aliquando insignis ejus nequitia ab Imperatore deprehenderetur, tam callidus tamen fuit, ut rem substitueret Vicarium suum, & hunc inauditum præcipiti tolleret supplicio. His igitur defectibus in suum commodum uti posse & debere Christianos Europæ Principes, contendit autor, ostensa facilitate, qua ipsa Constantinopolis expugnari possit. Ita enim sitam, ædificatam & neglectis munimentis veteribus apertam & debilem esse, ut ejaculatione globorum ignivorum multo facilius cessura sit, quam Algeria, quæ præsentem autorem in magnas angustias eavi fuit redacta; hæc enim litus habet importuosum, sed Constantinopolis tam commodum, ut omnis generis navigia maris possint succedere. Accessum vero inter duo illa *Sefsi* & *Abydi* castella, quæ hodie *Dardanelles* vocantur, tam difficilem non esse, quam vulgo describi solet, multis ex causis judicat, referens simul, quæ de Abydo propriis suis oculis observavit anno 1682, cum apud Dominum *Du Mené* Gallicum Navarchum, classem Turcicæ Præfecto collocutum, interpretem ageret: imo novis, quæ nunc inventæ sunt, machinis tormentorum, intra duodecim horas subverti posse patet. Disposita quidem utrobique esse tormenta 20, plurimumque pedum longitudine, quæ globos 700 aut 800 librarum ejaculentur, superficiem æquoris, & sic carinas navium ferientia, sed moveri ex situ, quo jacent, non posse: modum etiam ostendit, quo vitare ictus æquore licet. Interim terribilem esse eorum explosionem, cum globi æquore pluribus vicibus (25 aut 30 se ipsum ait observasse) percussu, ingentem vim aquæ sursum tollant. Addit quædam quomodo commercia Christianorum, ex quibus maxima emolumenta Turci capiunt, cum damno horum instrui possint. Bellum vero ante

omnia

omnia communi consilio adversus illos suscipiendum suadet, hoc maxime tempore, cum pace fruuntur Reges & Principes, moderatione (ut ait) Regis Christianissimi, & accedente Pontificis hodierni egregia sollicitudine & opera, ut sperare liceat, hoc vivo hymnum DEO ob captam Constantinopolim in Basilica Vaticana aut in ipso S. Sophia templo Byzantino cantatum iri. Applicathue vaticinia quædam inter Turcas dudum vulgata. Notat denique imperitiam eorum de rebus nostris, maxime in Geographia, cujus exempla ex sua experientia adducit.

Prolixus deinde est Cap. V, in demonstranda infirmitate Turcica in bellis navalibus, sed idem jam dudum ab aliis animadvertens est. Lectu tamen non sunt injucunda, quæ de conflictibus quibusdam maritimis narrat, v. g. ut *Gara Mustapha*, ille qui postea Vezirii summam dignitatem adeptus est, tunc maris præfectus, cum tota triremium classe unam navim Venetam, eamque modicam, vix expugnaverit; item ut una Melitensium triemis, cui *Hocquincourtius* præerat, quadraginta Turcicis restiterit, & alia ejusdem fere eventus. De navibus Gallicis, quibus Legati vehuntur, aut quæ mercatoris præsidio sunt, magnifica prædicat. Ab his ait sæpe ipsam Constantinopolim terreri, & Christianos ex vinculis profugos impune suscipi & avehi, non audentibus id prohibere Turcis, nec visitare quidem Gallorum naves, sicut alias solent. Narrat hac occasione, qua majestate Rex Christianissimus legatum Turcicum Lutetiz exceperit, non nisi una vice eum admittens & sedens, dum eum audiret: dein ut classem regia sex solum navium, duce Domino *Duquesne*, in portu *Chio* triremes piraticas Tripolitanas infestaverit, & imperata facere coegerit, nil contra ausis Turcis, quorum classem vicina erat. Eandem classem Gallicam Latinis Christianorum in insulis *Ægei* maris Ecclesiis, a Græcis molestia affectis præsidio fuisse memorat, hoc quoque dissimulantibus Turcis. Extollit hæc autor, ut & auxilia in bello Cretico Venetis aperte submissa; imo Turcorum proceres non de aliis magis quam de Gallis queri refert, dicentes, nullum damnum rei Turcicæ inferri, nisi Gallorum ope: speciaim vero indignari, quod Melitensium equitum plerique Gallicæ sint nationis. Extenuat e contrario, & haud sincere ab aliis relata esse notat, quæ Legatis Gallicis Constantinopoli acciderunt.

Ex his Guilleragium mascule sese gessisse: *Care enim Vizio, minanti, Sultanum impetratum ab Imperatore transitum per Germaniam, & cum ducentis militum milibus Galliam vastaturum esse, respondiſſe, non opus Sultano esse ea via molestia, Regem enim suum Viennam usque obviam exercitui illi venturum, vel duces suos missurum esse. Persequitur inde, quæ a Venetis in Peloponneso, & a Cæsareis exercitibus in Hungaria, capta Buda & profligatis Turcorum copiis, gesta sunt, ex quibus debilitatio virium Ottomannicarum facile pateat.*

Capite denique VI, dum quid a Germanis victorias suas non satis prosequentibus peccatum fuisse putet, tum quid contra Turcas junctæ vires Germanorum, Polonorum, Moschorum, Venetorum præstare possint ac debeant, liberrime notat.

*NOUVEAU SYSTEME DES BAINS ET  
Eaux Minerales de Vichy &c. par Mr. Claude  
Fouet &c. i. e.*

Novum Systema balneorum & aquarum mineralium Viciensium, fundatum super pluribus egregiis experimentis, & doctrina de acido & alkali &c. Autore Claudio Fouetio, Consiliario Medico Ordinario Regio, aquis illis Præfecto.

Parisiis, apud Robertum Pepie, 1686, in 12.

**U**T in demandata provincia Regi suam probaret industriam, aquarum Viciensium, quibus præfectus est, investigationem suscepit Autor. Hinc multa de præstantia doctrinæ de acido & alkali, præ antiquorum de qualitatibus hypothese præfatus, primo capite loci situm exponens, Viciaci in Burbonensi districtu oppidi, cui ab aquis calidis Vici Calidi nomen impositum censet, historiam, conditores, instauratores, fortunam & alia enumerat. Aeris puritatem, (quæ urbem, vicinia licet pestis contagio circumcirca infecta, immunem semper præstitit) agrorum fertilitatem, domi-

domiciliorum commoditatem, incolarum humanitatem, & quæ sunt alia, miris encomiis extollit. Sex inibi reperiri refert scaturigines aquarum mineralium, non longe ab invicem remotas, caloris gradu tamen differentes, imo quasdam plane frigidas. Refrutata deinde vulgarium principiorum Chymicorum triga, doctrinæ de acido & alkali patrocinator, illamque fusius paulo cap. 2, nunc simili, nunc diversa a reliquis ejus affectis ratione deducit. Caloris vero ætiologiam non cum Milæo, Heliodoro, Democrito, Aristotele eandem agnoscit, sed per motum explicat ignium subterraneorum, quia materia quadam, sulphure & bitumine inprimis, foveantur, & aquam in canalibus suis motam iisdem circumfusi calefaciant. Quibus præmissis, accuratius aquas suas examinat, hincque eadem aut similia cum *Boylæo*, *Listero*, & aliis experimenta instituit. Itaque odorem deprehendit, spiritui salis ammoniaci similem, gustum in calidissimo fonte dulcem & inspidum, in reliquis salinum & leviter amaricantem, & hunc secundum remissionem caloris intensiorem. Quando Aquæ hæc lento igne evaporaverunt, aqua insipida secedit: remanet sal albicans & amaricans, quod tardius in frigida, quam calida, citissime autem & cum ebullitione in aceto destillato dissolvitur: filtrationibus iteratis albicat, crystallisari potest, non crepitat carbonibus injectum, cum acidis quibusvis, nullatenus cum alkalibus effervescit; syrupum violarum viridem reddit, quamvis a spiritu vitrioli in rubedinem mutatum; Mercurium sublimatum confundit & aurantio colore imbuat, quem, mixtura licet a spiritu vitrioli ad limpiditatem perducta, denuo affusum regenerat; alvum, & quò impurius, minusque a terra sua liberatum, eo felicius movet, atque omnibus scaturiginibus idem est. Limpiditatem aquarum gallæ pallida rubedine commutant, illas tamen magis quibus acrimonia major inest, & quæ magis purgant, quod Mercurio illarum, seu alkali volatili deberi existimat. Hieme non congelantur, sed plus calent; rivuli a fontibus remoti pariter illud sal reddunt; recrementa illic pingua & nigra sunt, & aeri aliquantum exposita cinerea, nullatenus tamen flammam concipiunt. Et quod mirandum, vaccas æstate odore allectas per tria milliaria currere, & arietando invicem de primo haustu pugnare, vegetasque illic

loci præ aliis reperiri, recenset. Postquam igitur ex iis, quæ superius enumeravimus, aquarum harum vires alkali cuidam naturali cap. 4. ascripsit, sequente in illius naturam inquirat. Illud nullis metallis, non aliis mineralibus, soli nitro convenit. Hoc tamen non quatenus sal petræ, utique ab illo distinctum, vulgo pro eo habetur, sed borraci fossili, & nitro veterum simile intelligit. Cum enim iisdem cum illo effectus ab Hippocrate, Galeno, Dioscoride descripti Viciacenses aquas sequantur, harum nitrum cum illorum ejusdem naturæ esse concludit, Medicorum quorundam Galorum autoritate confirmatus. Omnium proin fontium indolem esse aperire & purgare, illorumque qui minus purgant, magis balsamicam & dulcem esse ostendit; singulorum deinde discrimen delineans. Cum acidum igitur quoddam peregrinum, morborum plerorumque, si non omnium, causam agnoscat, illis, imprimis inveteratis, aquas has alkali suo fortas, & intèrius assumtas, & sub balnearum specie adhibitas, mederi asserit. Quibus postea regimen, ante potum vel balneum, durante illo, & post eadem necessarium, longumque catalogum illorum, qui aquis his feliciter usi convalescunt, annectit.

*REFLEXIONS NOUVELLES SUR LES  
causes des maladies &c. i. e.*

Meditationes novæ, circa causas morborum eorumque symptomata, auctore Dn. de S. Andrea, Doctore Medico Facultatis Cadomensis.

Parisiis, apud Laur. d' Houry, 1687, in 8.

Quod præsens opusculum paucissima solum capita exhibeat, quorum asserta magni Cui suffragio non suffulta videantur, mirari debet nemo. Neque enim quicquam utilitatis ex chymia & anatomia temporum nostrorum rei Medicæ accessisse auctor perhibet, quod in Hippocratis operibus passim non reperiat. Perfectam scilicet morborum cognitionem, quoad eorum causas & symptomata ibi reperiri: remedia cum delectu, ordine & prudentia

tia præscribi; cum solido ubivis iudicio de illorum natura, effectu & adhibendi modo. Dispescitur autem hic liber, iudicio Scribentis multum publico profuturus, in sex partes, quarum singulæ in plura capita distribuuntur. Parte I principia hominem constituentia describitur, compositionem mixtorum in genere præmittit. Atque hæc ex simplicibus & compositis constare advertens, illa in activa, acidum & alcali, ac passiva, aquam & terram dirimit: hæc vero in essentialia ex simplicium mixtura resultantia, & integritia, ex unione & combinatione essentialium provenientia distinguit. Singula secundum figuras, motus & effectus specialius delineat, ostendendo simul fufius, quomodo ex varia principiorum simplicium combinatione, & unius præ aliis prærogativa varii saporis emergant. Horum postquam ætiologiam tradidit, atque de alteratione ac corruptione mixtorum egit, ad hominem ea propiori consideratione applicat. Dum vero in hoc, ut in aliis mixtis, æque acidum, salum, austerum, acerbum, oleosum, acre, amarum, dulce, insipidum &c. observat, horum omnium inter se exactam unionem & suavem harmoniam præsupponit, si homo sanitate integra vivere velit: tolli autem extemplo hanc, si illa perturbationem patiatur, imo mortem consequi, si plane destruat. Hanc doctrinam assensu Galeni, maxime vero Hippocratis, stabilire contendit, inter alia allegando ex L. de veteri Medicina §. 24. & 25. Sicque frequentissimas ex vulgi opinione morborum causas, calidum, frigidum, humidum & siccum, tanquam impotentes plane rejicit, mentemque Cui, qui aphor. 17 18 & 20. Sect. V quosdam frigidorum effectus recenset, ita explicat, ut cum hæcenus asfertis verba ipsius amplius haud pugnent. Cæterum cum ad productionem morborum non sapor tantum, sed & in quas illi agunt, partes, tam ratione figuræ, quam constitutionis peculiaris suæ concurrant, idcirco ultimum hujus Partis caput examini istius rei attribuit. Hinc Parte II generationis negotium evolvens, de succo ventriculi, famem & alimentorum dissolutionem promovente memorat, quod insignitus sit idea seu caractere omnium corporis partium. Hanc imprimi alimentis, unde illorum particulæ determinantur ad recipiendam talem crassitiem & figuram, qua aptæ fiant, ut insinuare se poris partium, hasque sustentare, imo formare possint



sint simile corpus, quale partes ipsæ componunt. Has porro alimentorum particulas cum sanguine ad quasvis partes deferri, *iis* autem applicari, quarum idea seu caractere sint insignitæ. In infantibus eas, tam per nutritionis quam auctioris negotium, plane consumi: in adultis vero, postquam singulæ partes tantum earum receperint, quantum reparationi quotidianæ jacturæ sufficit, cribra reliquias in testiculos. Ibi unione iterum conjunctas, efformare in utroque sexu semen generationi infantis aprissimam. Posita hac opinione, prosequitur formationem ac nutritionem foetus in utero, idque ubi ex mente & textu Hippocratis, causam simul, cur vel sani vel morbosi nascantur infantes, parentum seminio vel laudabili vel vitioso adscribens. Deinde obiter impressiones varias expendit, quas infans in lucem editus primum ex aere & lacte, postea autem ex alimentis accipit, atque hinc de sanguinis statu puro vel impuro, de spiritibus, de humoribus rebusque quibusdam, ut vocant, non naturalibus perfunctorie agit. Parte autem III de massa sanguinea & humoribus, eorumque alteratione in genere disserturus, perquirat alimentorum a ventriculi fermento penetrationem, dissolutionem & impressionem idearum ac characterum, quibus apte reddantur illorum particule ad hæc vel illas partes nutrandas. Hanc hypothesin, præmissis adhuc capite de fermentatione & circulatione sanguinis, adstruere magis laborat ex diversitate fermentorum in ventriculis variorum animalium reperienda. Nimirum illam in causa esse, cur ex iisdem alimentis in animalibus diversis diversus chylus & sanguis conficiatur. Cumque in his necessario particule lateant tali caractere insignitæ, ut certas, non quasvis promiscue partes nutrire possint; alimenta autem a se ipsis talem figuram recipere non valeant: hinc fermento stomachi putat attribui oportere, ut ideis omnium corporis partium involutum sit, quo dictam alimentis impressionem possit conciliare. Cæterum cum non nutriat tantum sanguis, sed & spiritum vitæ communicet, motuum functionumque variarum auctorem, hinc de spiritibus animalibus seu anima sensitiva mentionem facit, quæ scilicet nascatur nobiscum ac moriatur. Pergit inde succos seu humores massam sanguineam constituentes, naturalemque eorum *cras* considerare. Ac eos quidem nunc acidos, nunc amaros, *lutos*,  
acres,

acres, dulces, insipidos &c. non antea adverti, quam separati a sanguine in diversa viscera illabantur, quæ scilicet poros habeant conformes istorum crassitiei & figuræ. Esse præterea quosdam eorum utiles, ac proinde massæ sanguineæ restituendos, ut salivam, acidum stomachi, bilem, lympham, succum pancreaticum: quosdam vero inutiles, ut urinam, sudorem, lacrimas, cerumina, narium mucum. Cum vero acidum, salsum, amarum, dulce, &c. non uno eodemque modo combinentur in Petro sicut in Paulo, hinc temperamentorum in corporibus enasci varietatem, nomina & notas, juxta humoris scilicet in sanguine præcipuas vires. Jam si dicti succi naturam & temperamentum mutant, aut nimis crassi, unctuosi, fluidi, subtiles, aquosi, amari, acres &c. evadant, aut a justa inter sese proportione deflectant, aut motus eorum intra viscera retardetur, vel succi inutiles in vasa remeant, tum ipsos sentiri, ut & lædant, & morborum causæ existant. Huic autem mutationi sanguinis & humorum cum plurimum conferatur ab alimentis, ab ære, a ventis, a motu & quiete, a somno & vigiliis, ab animi pathematis; hinc singulorum naturam modumque nocendi, quatuor capitibus fusiore investigatione exponit. Quo facto aggreditur Partem IV, peculiarem sanguinis ac spirituum alterationem in specie consideraturus. Et illum quidem vel quantitate vel qualitate corpori molestiam inferre apprehendit. Hinc primo de abundantia seu plethora, ejusque causa, fiendi modo & effectu agit: mox impuritatem sanguinis, geminamque ejus sobolem, intemperiem scilicet & corruptionem pervestigat. Ad intemperiem alterationem in motu & temperamento refert, quam simplicis effervescentiæ & vitiosæ fermentationis nomine insigniri posse existimat. De quovis horum peculiaribus capitibus nonnulla effatus, corpuscula quoque peregrina producit, quæ se massæ sanguineæ admisceant, eamque varie alterent. Eo scilicet spectare particulas aeris inspirati & transpirati, alimentorum assumptorum, succorum a sanguine separatorum ipsique restitutorum, ac tandem excrementorum in ventriculo, intestinis, aliisque partibus succrescentium. Has vero omnes non alia quam saporum vi agere, ita ut acidæ, salinæ, austeræ, acerbæ condensationem, imo coagulationem: acres, amaræ, alcalicæ rarefactionem ac fluiditatem in sanguine excitent &c.

id quod experimentis ab infusione diversorum liquorum in *venas* animalium probare annitur. Mox inspissationem & coagulationem sanguinis in specie examinât, atque ab illa capitis stupiditatem ac gravitatem, vertiginem, affectus soporosos, respirandi difficultatem, pulmonum inflationem, syncopen, lithothymiam, tumores pedum, aliarumque partium deducit: ab hac apoplexiam, asthma, tremorem & palpitationem cordis, syncopen & sæpe mortem oriri arbitratur. Facilius autem hyeme quam alio anni tempore coagulationem sanguinis contingere, quod tunc aer particulis acidis refertus sit. Ac infantes & senes isti malo præ aliis obnoxios esse, cum sanguinem habeant aquosorem minusque spirituosum. Imprimis vero coagulationem dictam in febribus intermittentibus deprehendi auctor opinatur, quarum paroxysmos a principio ad finem describit, exponens postea, quæ ratione serum sanguinis ex abundantia sua progeneret varias hydropis species, aut tumores aquosos, nunc universales, nunc particulares; item, quomodo idem serum ex vitii sui & loci, quem inundat varietate, varios morbos producat, quorum seriem prolixiorem tædiosum nimis foret hic apponere. Quemadmodum vero ex sui coagulo sanguis malorum oppido multorum auctor fuit salutaris: ita si ingenti idem fluiditate corripiatur, non minus eum observari perhibet nocentissimum. Nam & hæmorrhagias, inflammationes, dolores capitis lethales, cum febribus, agrypnis, deliriis, motibus convulsivis &c. item pleuritides, peripneumonias, empyemata, fluxus alvi acres & biliosos inde exoriri. Cæterum quamplurimas quoque alterationes sanguinæ massæ induci ex materiis variis alternatim ipsi permittis. Sic ex amaro calorem & rarefactionem: ex acido frigus & condensationem, & quæ utrumque comitantur sive accidentia, sive effectus, provenire. Sic ex materiis oleosis aut sulphureis diversa incommoda, imprimis vero febres continuas, purpuratas, pestilenciales, & quæ in sinu illæ gestant symptomata, resultare. Quodsi vero insipidus ex accessione similium particularum evadat sanguis, tunc membra in languorem labi, ut ex minimo labore aut metu delassentur. Corpus tum ignavia premi, & in somnum jugiter propendere. Quin & animum ita deficiat, ut capax amplius non sit sublimiorum cogitationum. *Quamvis vero*

vero ex Hippocratis effato dulcia minime omnium noceant, tamen qua ratione id contingere queat, brevi capite hic edisseritur, Hinc de corruptione sanguinis agitur non aliunde deducenda, quam si causæ hæctenus memoratæ malignitatem simul in se continuerint. Effectus corruptionis hic allegantur febres putridæ & affectus quilibet contagiosi. In aliis acidum corrosivum impetere nervos, idemque dolores acutos, inflammationes, tremores, convulsiones, carbunculos, bubones &c. efficere: in aliis materiam acrem aut amaram peccare, unde hæmorrhagiæ, inflammationes lethales, calor corporis violentissimus, phrenitides, furores, originem ducant. Verum cum similes materiæ peregrinæ sanguini admixtæ non quantitate magna agant, sed vel minutissima mole ingentem vim exerant; hinc occasio arripitur de natura fermentorum, eorum operandi modo & actione in massam sanguineam & humores nonnulla proferendi. Tandem de spirituum animalium alteratione peculiari ab iisdem causis, quibus sanguinem affici hæctenus dictum est, oriunda tractatur, & qua ratione variis inde affectibus ansa detur, exponitur. Hinc Parte V in alterationes humorum sive succorum peculiare ad eundem modum, quo sanguinem consideravit, auctor penitus introspicit. Nam & hos vel quantitate vel qualitate peccare annotat. Illa, quando copiosius vel parcius a cruore vitali separantur, vel ipsi denuo infunduntur, aut quando in motu suo naturali impediuntur, vel in vasa relabuntur: hæc, quando magis vel minus, atque naturaliter esse debebant, sunt acidi, salsi, unctuosi, amari, dulces, fluidi &c. vel quando naturam deponunt, ut v. g. succi acidi evadant amari, dulces, insipidi. Hæc itaque methodo percurrit primo succos utiles, sive in massam sanguineam redituros, videlicet salivam, fermentum seu dissolvens naturale stomachi, bilem flavam, bilem atram seu succum melancholicum, succum pancreaticum, succum glandularum intestinalium, lympham: secundo succos inutiles e corpore eliminandos, ut urinam, sudorem, narium mucum, pituitam, lacrimas, cerumen. His subjungit semen præter naturam effluens, lochia puerperarum, lac atque hæmorrhoidum fluxum. Quid vero noxæ singulorum vitia pariant, prolixius videtur, quam ut artus compendii limitibus circumscribi possit. Sufficiat summa hic

tantum capita tractationis pro instituti ratione tetigisse, *celerique* quoque pede partem VI sive ultimam adhuc *pertransituris*. Illa autem agitur de sordibus, quæ in ventriculo, intestinis, aliisque corporis partibus colliguntur. Scilicet cum & illæ vel quantitate vel qualitate sua noceant, non secus ac fœci modo memorati, hinc de effectu illarum pari modo *disseritur*. Sic, ut vel unicum loco speciminis saltem adducamus, quando impuritates in ventriculo cumulatæ sunt nimis, has inflare ipsam, ut cum molestia retineantur assumpta alimenta. Hinc non modo premi diaphragma, unde præpedita pulmonum dilatatione difficultas respirandi contingat; sed & hepar, lien, aliasque abdominis partes vim pati, ut inde gravitatis tacitumque doloris sensum percipiant. Quinimo & spicula fermenti subacidi obtundi, ut rite in alimenta agere nequeant. Hinc accidere fastidia, appetitus dejectiones, nauseas, vomitus materiæ insipidæ, cruditates, indigestiones, ructus fœdos &c. Quodsi autem qualitate sordes dictæ laborent, tum mala longe plura inde propullulare. Nam alimenta, salivam, aliosque ventriculo infusos succos simili fœdari characterè: nervos ibi insertos spiritusque influentes moleste affici; languores, lipothymias, stupores, motus convulsivos, vertigines, vomitus, corrosiones & ulcera stomachi excitari. Simili modo sordes in intestinis succrescentes considerantur, adjecta explicatione, quid quantitas qualitasque ipsarum incommodi afferat, tam succis ad intestina naturali motu delatis, quam ipsi sanguineæ massæ. Tandem de fermentis partium vitiosis eorumque effectu sermo fit, ac caput subnectitur de vermibus ex alimentorum corruptione prognatis. Hinc de flatibus in abdomine, vitiosam humorum fermentationem insequentibus; ac ultimo capite de obstructionibus succum acidum pro causa agnoscantibus agitur. Conclusionem inde Libri hujus subicit auctor, simul alterum promittens de natura remedium, eorum agendi modo & effectu tractaturum.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.



A

Fig. 5.



MENSIS DECEMB. A. MDC LXXXVII. 693  
*GISBERTI CUPERI HARPOCRATES, SIVE*  
*Explicatio imaguncula argentea perantiqua, qua*  
*in figuram Harpocratis formata representat Solem. Ejusdem*  
*Monumenta antiqua inedita. Accedit STEPHANI LE*  
*MOINE epistola de Melanophoris.*

Trajecti ad Rhenum, apud Franciscum Halma,

Anno 1687, in 4.

**N**ON ignobile in Actis nostris est nomen clarissimi Cuperi, antiquitatum harum editoris. Nam & ejus Apotheosin sive Consecrationem Homeri in Actis anno 1683, p. 538. seqq. recensuisse nos meminimus. Sed nec Harpocrates ejus antehæc temporum eruditum orbem latuit, quippe jam undecim abhinc annis luce publica ab eo donatus. Posteaquam autem dies diem, ut fieri amat, docuit, & illo ex tempore nova monumenta partim ex visceribus terræ eruta, partim ex gazophylaciis quibusdam fuerunt publicata, de alia Harpocratis editione cogitandum sibi esse intellexit. Est autem Harpocrates, quem exposuit Cuperus, imaguncula argentea perantiqua, Noviomagi in Viri reverendi, & antiquarum pariter rerum studiosissimi, *Joannis Smetii*, Museo deprehensa; estque, ut a Cupero describitur, imago puerilis, tota fere nuda, nisi quod ventris & lateris sinistri pars veletur veste, quæ ex zona humero dextro imposita dependet: capiti imponitur flos loti: a tergo habet alas & pharetram: manus dextræ digito indice premit vocem, & silentia suadet: ex brachio dextro situla pendet: circa sinistrum lacertum serpens volvitur: manu eadem tenet clavam nodosam, quam spiris suis idem serpens, cui anser, ut videtur, additur, jungit: a dextro pede sedet cuniculus, sive lepus, a sinistro accipiter vel alia avis. Qua in figura cum varia Ægyptiorum mysteria representari animadverteret doctissimus Cuperus, non male facturum se arbitratus est, si diligentiori illam scrutinio excuteret. Nihil autem aliud per Harpocratem, cujus egyptium hic exhibemus, denotari censet, quam Solem, ad quem & Deos alios a vesana religionis cultoribus relatos fuisse constat; quam

TAB. XI.

Fig. I.



quam per eundem labro digitorum imprimentem, & silentium commendari non abnuit. Sententiam hanc suam inter alia exinde probat, quod in gemmis loto, & quidem explicata, insideat Harpocrates. Ægyptios enim, cum orientem Solem exprimeret voluissent, infantem hunc in modum depinxisse, eo quod Sol, ut Plutarchus in libro de Iside & Osiride censet, ex humidis accendatur, vel ex exhalationibus alatur; dein, quia in alia gemma Harpocrates puerili habitu una cum stella & leone conspiciatur. Leonem enim Soli dicatum esse; nec pauca similia inter se habere sidus illud atque hoc animal. Lotum autem ideo Soli fuisse dicatum a superstitionis ridicula hominibus, quia Sole oriente se explicet, & occidente illo se claudat, referente Dioscoride. Cæterum Harpocratem, qui & Sigalion Aufonio dicitur, digitis eapropter os premere, adjicit Cuperus, ut doceatur, silentio summorum Deorum esse venerandum; vel ne quid homines de Diis, quorum cognitionem non satis perfectam habent, effutirent, (quemadmodum & tota Ægyptiorum theologia mystica est, & enigmatum abstrusiorum plena) vel maximum esse, linguam posse comprimere, quod & Romani per cultum Angeronæ vel Angeroniæ subinuerint. Porro imagunculam, quam diximus, Solis symbolum atque hieroglyphicum esse, alæ quoque & pharetra Cupero sunt argumento. Simulacra enim penes Ægyptios pleraque fuisse alata, & Solis quidem maxime, in velocitatis signum, quod ex Sponianis, aliisque gemmis ostenditur; pharetram vero ei tribui, quod, dicente Martiano Capella, *possit radiorum jaculis ista penetrare*; quo quidem loco & alæ aliorum conjecturæ afferuntur. Situlam ex dextro Harpocratis brachio pendere, quia denotetur, humorem, præter calorem, vel maxime ad rerum generationem requiri. Anserem apponi Harpocrati, ad calorem Solis significandum, quia anseres natura sunt calidissimi, teste Eliano l. V. Hist. An. Teneri in sinistra manu clavam, quia Herculi tribuatur & Æsculapio, quos & ipsos Solem fecerint gentiles Philosophi, cumque illis Macrobius. Serpentem circa clavam vel baculum, brachiumque imagunculæ conspici, ad flexuosum sideris illius cursum indicandum; quemadmodum & serpens peculiari ratione apud Ægyptios fuerit consecratus. Animal, quod ad dextrum Harpocratis pedem sedet,

sedet, vel leporem, vel cuniculum, vel canem esse conjicit, & cui aliquod horum intelligi non absurde possit, rationibus non contemnendis ex historia naturali Cuperus probat. Est autem ea modestia celeberrimus hic Antiquarius, ut nihil quicquam lectoribus credendum obtrudat, sed pleraque omnia iudicio eorum submittat, exemplo utique laudabili, omnibusque imitando. Restat avis ad sinistrum Harpocratis latus sedens, sed quæ ob rostrum capitique partem detritam (quam inscio Cuperus pictor adjecerat) difficulter agnosci possit. Hanc autem aquilam esse posse hario- latur, quia & hæc avis Soli sit dicata, & in nummis quoque Imperatoris Hadriani sub Harpocrate conspiciatur; vel accipitrem aut corvum, quos & ipsos Apollini inservire tradiderit Porphyrius lib. 3. de abstinentia. Denique & hoc observat Cuperus, imaginulam hujus lateris sinistrum tegi veste, quæ ex humeris linteolo, ut videatur, alligata dependeat; qua forte indicatum putat, Solem hemisphærium nostrum luce sua clarum reddere, obscurum vero, quando se condit ubi & non incommode præter alia de eo dispicitur, cur Solem, jam ut puerum, jam ut juvenem, mox ut senem olim præxerint; cur item Deos Deasque omnes ad Solem & Lunam retulerint. Ostendit autem primum ex Macrobio & Martiano Capella, Solem ut puerum, juvenem, & senem fuisse representatum, ad indicandum triplex diei tempus, matutinum, meridianum ac vespertinum, quibus Solis vis & potestas valde mutetur; deinde cum Ægypti astra Deos agnoverint, Solem potissimum, tanquam sidus maximum, ab iis fuisse cultum, atque ad hunc non Harpocratem tantum, sed & cæteros Deos, Jovem, Attidem, Priapum, Bacchum, Saturnum, Serapidem, Janum, Vulcanum, Adonin, Osirim, Horum &c. referendum esse condocet; addens præterea, gentes omnes Soli honorem habuisse, unis Atlantibus exceptis, qui testibus Herodoto, Plinio, Solino & Mela, Solem execrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipsis agrisque pestiferum, eorumque mores hodie prope promontorium Bonæ Spei habitantes, quos Hottentottos vocant, testibus recentibus Historicis, observare. Quæ omnia cum scite atque erudite tum ex antiquorum autorum scriptis, tum variis inscriptionibus & gemmis, non sine laude dignissima industria & ἀγχινοία fuisset

fuiſſet perſecutus Cuperus, jamque in eo eſſet, ut Harpocratem ſuum denuo, ſed paulo auctiorem & emendatiorem typographo traderet, elegantem eruditi Galli, & diligentis antiquitatum interpretis *Baudelotii de Dairval* librum, cui titulus eſt, *Uſitatas peregrinationum*, oblatum ſibi ſcribit, inque eo laudes quidem Harpocratis ſui, ſed & diverſas a ſuis circa imagunculam illam conjecturas deprehendiſſe ſe memorat. Arbitratur autem, ut ipſe Cuperus refert, Baudelotius, Harpocratem *Pantheum & Larium* numero fuiſſe habitum; ejus ex brachio dextro pendere *laccernam*, eandemque Iſin ac Serapin in marmoribus ac nummis tenere; aves *columbas* vel *birundines*, easque Laribus ſacras; animalculum *canem*, amiculum lateris ſiniſtri *canis pellem* eſſe, & tandem eum *thyruſum* manu tenere. Sed quamquam non eum ſe profitetur Cuperus, qui omnia ſua ex Apollinis tripode prolata exiſtimet, nonnulla tamen, eaque ſatis plauſibilia hac ipſa occasione pro ſententia ſua ſtabilienda profert, quæ brevitatis ſtudii lectori harum Muſarum cultori commendamus. Examinatis tandem omnibus, quæ imaguncula Harpocratis in ſe continet, nec infeliciter evolutis, Cuperus inſcriptiones, quæ Græcas, quæ Latinas, in quibus mentio Harpocratis occurrit, repræſentat, & ſuo more, hoc eſt doctiſſime, illuſtrat.

Harpocratem probe ſic auctum atque interpolatum, excipiunt ejusdem Cuperi *Monumenta antiqua inedita*, inſcriptiones videlicet, ſtatuarum, ac nummi quidam *avéxdores*. Agmen eorum ducunt veteris ſuperſtitionis reliquæ apud Noviomagum repertæ, extantesque hodie in illuſtris Dn. Baronis *de Heeckeren*, Comitatus Zutphaniensis Præſecti, & Equeſtris Ordinis nomine ad Fœderati Belgii Ordinum Collegium Delegati cimeliarchio. Harum cum quatuor ſint, primo loco exhibitur lapis, cui capita humanum, caninum & alterius beſtiæ ſunt inſerta, cum literis O. M & ſubſcriptione I. L. VILO. 2. Urna ſepulcralis figulina, eaque coloris lîbicantis, quales multæ in Gallica Rhene & Vahalis ripa reperiuntur, cum lapide quadrato, qui urnæ firmiter ſuffixus eſt, cum epigraphe; MERCURO ET. REGIS. FIL. 3. Lapis, in quo hæc leguntur: MERCURO R. F. 4. Ara, cui hæc inſcripta verba: MERCURIO REGIS. VE. FORTUNE BLESIO. BURGIONIS. FIL. V. S. L. M. Harum reliquiarum ſingulis ſuas ſubjicit conjecturas Cuperus; & in primo quidem

tem lapide literas O. M. significare autumat, JOVI OPTIMO MAXIMO, quia I forte extritum sit; & nomen viri, qui monumentum hoc posuerit, esse JVLIVS. LVCIVS. VILO. Per MERCVRVM in urna intelligit Mercurium Deum, qui a Gallis æque ac Germanis fuerit cultus, nec superis tantum, sed & inferis seu sepulcralibus Diis adscriptus. Verba reliqua exponit, ET REGIS ONIS FILIO, cujus cineres forte in urna ista fuerint repositi. Quamquam aliter atque aliter hac de inscriptione coniectat, nec vetare se, velle ait Cuperus, quo minus *Mercurium* dictum Regisonis filium quis censeat. Nam & hominibus Deorum tributa fuisse nomina, perquam erudite ex Antiquitate ostendit. Quartam inscriptionem sic interpretatur: *Mercurio Regiso Veteranus Fortuna Bleso Burgionis filius votum solverunt libentes merito*; quamquam aliis coniectatoribus, in his ænigmatis interpretandis se felicioribus, palmam non inuitum se cessurum innuit. Reliquiis hisce Noviomagenibus subiiciuntur duæ statuæ ex cimeliarchiis *Wisziorum* fratrum, quorum alter amplissimi Consulis Amstelodamensis munere, alter Præfectura militis urbani fungitur. Prima refert Deam sedentem cum tympano in sinistra, & cane jacente super genua. Hanc Cybelem esse opinatur Cuperus, quæ eadem sit cum Diana & Hecate, quibus canis fuerit sacer, vel immolatus; sicuti & Hecate non capite tantum canino ficta, sed & *κύων* appellata, ob canes sibi oblatos, fuerit. Altera statua repræsentat fœmelam arieti muliebriter insidentem; ante statuam mulier conspicitur in genua præcumbens, post illam senex ingeniculans & mulier stans; sub ariete gallus & gallina. Hanc decantatissimam illam Hellen esse posse ait Cuperus, quam ariete vellere aureo notabili vestram, in ejusdem nominis mare decidisse, & Græci & Latini prodiderint. Sed certi quid affirmare non sustinet, facileque adeo clarissimi Fabretti, quem ea de re consuluerat, divinationem admittit, coniectantis, duos illos ante & post arietem constitutos parentes fuisse, qui gallum & gallinam Æsculapio & Hygeiæ attulerint, pro stitæ salute, eamque arieti insidere, quod hoc ipsum animal catharticum sit & lustrale: nam ex pullis auguria olim cepisse Romanos, pullariosque per Duces eorum fuisse consultos; sicuti & Cuperus ipse ibidem loci ex Inscriptionibus ostendit, legionem unam-

TAB. XI

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.

quamque olim suum habuisse pullarium. Statuas hæcæ duas sequuntur tres nummi argentei, quorum iconem operæ prætiū duximus huc transferre, Constantinopoli non ita pridem allati, quos

Fig. 2. Consul urbis Amstelodamensis jam laudatus *Witzius nobilissimus* Cuperø dono dederat. Primus est Tenediorum, cuius in una rea cernitur securis, uva, & aliud, quod satis dignosci non potest, & ΤΕΝΕΔΙΩΝ: in altera bina capita per posteriorem partem cōiuncta, alterum viri barbati, alterum foeminae. Alter est Abydenorum, in quo ab una parte cernitur Diana, pharetram & arcum post tergum rejecta getens; ab altera parte aquila, & ante eam thuribulum vel arula accensa, & supra ΑΒΤΔΗΝΩΝ, infra vero ΔΙΟΝΤΣΙΟΥΤ. Tertius nummus est Alexandrensiū Troadis. In eo conspicitur Apollo laurea coronatus; in altera vero area idem Deus stans arcum manu tenens, pharetra a tergo pendente; & ab anteriore corporis parte ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ, a posteriore vero nota aliqua; & ΤΜΙΘΕΩΣ; infra ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΜΑΝΔΡ. Hi omnes a Cuperø illustrantur, & posterior quidem maxime, tanquam reliquos & raritate & antiquitate antistans, ubi & doctissima illustris *Ezech. Spanhemii* de hisdem tribus nummis epistola velut gemmula inserta p. 215 deprehenditur. Nummis hisce expositis luci publicæ sistit Inscriptiones aliquot Cuperus, non ita pridem in Belgio, puta in Sylvaducensi & Clivenfi agro, in pago inferioris Bataviae, vulgò Nederbetuwe, in Noviomagenfi curia, alibi que repertas; illisque non minus, quam tot aliis hætenus nummis ac inscriptionibus elucidatis, tres Sponiantas *voDriés* vel suspectæ antiquitatis postremo loco arguit. Opusculis hisce elegantissimis ad colophonem perductis, mantissæ loco annectit *Stephani le Moine*, celeberrimi hodie apud Batavos & Theologi & Philologi, de *Melanophoria* scriptam ad se Epistolam. Quid sit vox *Μελανηφόρα*, quæ in Inscriptionibus quibusdam occurrit, ignorare se fateretur Cuperus in Harpocrate p. 128, ubi occupatus est, in explicanda Inscriptione quadam Gruteri Græca, in qua Theophili *μελανηφόρα* cuiusdam sit mentio; quanquam non absone jam tum suspicatus est, fuisse eum sacerdotem, idque nōminis a nigris vestibus accepisse. Itaque cum visitaretur aliquando a *le Moine* jam laudato; ab eo, tanquam viro non in linguis tantum Orientalibus, sed in *Philosophia*

phia quoque barbarica ac Theologia exercitatisimo; vocem istam explicari sibi quam humanissime flagitabat. Explevit etiam is Cuperi desiderium, quantum tum posset, sed plura de eodem argumento se perscripturum ad ipsum promisit; cumque promissi hujus comiter fuisset admonitus, epistolam hanc, quam diximus, de Melanophoris ad amplissimum Cuperum exaravit. In hac autem, ut potissima tantum recensamus, (nam plurima & varia in ea obveniunt haud vulgarem eruditionem redolentia) Moinius *μελανόφορος* non alios esse posse censet, quam pastophoros; Pastophoros autem fuisse sacerdotes, qui thalamis vel cellis Deorum praefuerint; nam voces *πάσας* & *πατός* velum notare vel thalamum; quod quidem & Cuperus ipse in Harpocrate loc. cit. docuit: *μελανόφορος* autem speciatim sacerdotes Iſidis fuisse dictos colligit, quod velum ejus nigrum esset, terramque repraesentaret. Nam terram Iſidis nomine designari. Existimat autem & ideo *μελανόφορος* nuncupari potuisse Iſidis sacerdotes, quod nigris induti fuerint vestimentis; quam rationem & illico Cuperus tum interroganti se ingessisse innuit. Quamvis enim in omnibus fere sacris albus color fuerit adhibitus, certos tamen sacerdotes, interque illos & Camarim, de quibus in sacris mentio non uno in loco, vestibus atratis fuisse usos. Vox ista alias in sacris (2. Reg. XXIII, 5. Of. X, 5. Sophon. I. 4.) per ædituos, vel per sacerdotes ministrosque Deorum redditur. Sed Moinius reddere malit per auspices vel sacerdotes, qui faustos atque infastos dies rogantibus olim declarassent. *Camar* enim notare proprie *nigrescere* & *atrari*. Sed abruptimus reconſionem Epistolæ oppido quam prolixæ, eam interim tanquam lectu dignissimam variaz & raræ eruditionis æstimatoribus quibusque commendantes,

**NOVA MACHINA, TRANSFERENDIS IN  
chartam picturis quibusque, etiam a rei pictoria  
ignaris, ope camera obscura portatilis, exhibita Academiæ  
Pbyſico-Mathematicæ Romana, a Marco Antonio  
Cellio,**

TAB. X.  
Fig. 5.

**P**ublicata est hæc machina ab Academia dicta superiore anno: quàm, cum usus sit non contemnendi, transferre huc non incommodum duximus. AA sunt duo fulcra sedili adaptata & superne duabus rotulis instructa; quibus tabula B ita accommodata est, ut sursum deorsumque moveri pro lubitu, & in horizontali sua retineri semper queat. Huic tabulæ charta, pro excipienda imagine depingenda, quatuor quasi forcipulis (qualibus apertos tenere libros solemus) 1, 2, 3, 4, (aut si mavis totidem claviculis) firmata applicatur. G clavus est, cui funiculus per rotulam A descendens, tabulamque B, cujus tergo affixus est, attollens, circumvolvitur, idque in utroque fulcro: C capsula, sive cavitas obscuræ camerae, altitudine sua trium plus minus spithamatum, foco lentis pictoriæ, tubulo D capsulæ immisso inclusæ, respondens: E charta, imaginis B imitamentum exceptura: F speculum planum, tripodis capiti spherico sic adaptatum, ut converti facile in partes omnes possit, pro radiis Solaribus in imaginem depingendam reflectendis. Disposita sic machina, figuram in inferiorem chartam reflexam, & ad vivum expressam delineare quis pro lubitu potest; dummodo ad motum Solis speculi situm subinde immutet.

### MEDICINA MENTIS, SIVE TENTAMEN

*genuina Logica; & Corporis, seu Cogitationes*

*admodum probabiles de conservanda Sanitate.*

Amstelodami, apud Alb. Magnum & Joh. Ricuvertz,  
Anno 1687, in 4.

**E**Ramus in eo, ut gravissimi hujus Operis profundamque doctrinam spirantis, quod jam sub calcem Januarii mensis inter libros novos indicaveramus, accuratum recensum exhiberemus; quando a Generosissimo ejus Auctore accepimus, distractis jam plerisque exemplaribus, novam a se Medicinæ hujus editionem parari, hinc inde supplendæ ac perficiendæ. Itaque consultum duximus, suspensa nunc quidem ingeniosissimi Scripti enarratione, novam editionem præstolari. De quò tamen admonendum Lectorem Benevololum putavimus, ne vitio nobis quis vertat fortasse, tam erudi-

MENSIS DECEMBER. A. MDC LXXXVII. 703

ti operis recensioem neglectam omissamque a nobis consulto fuisse.

*HUGONIS GROTII EPISTOLÆ, QUOT-  
quot reperiri potuerunt.*

Amstelodami, apud Wolfgang &c. 1667, in fol.

**E**T hoc amplissimum Opus meruerat utique maturius a nobis recenseri, & justo quidem studio. Sed isthunc laborem a clarissimis *Bibliotheca Universalis & Historica* Auctoribus præceptum vidimus, quippe qui, antequam publice venum expositæ hæ Epistolæ essent, Excerpta ex iis magno judicio selecta, eaque proluxa factis, & in duos menses congesta exhibuere: ex quibus quæ ad Criticam & Theologiam pertinent, Tomo I Bibliothecæ dictæ mensi Januario A. 1686 a pag. 1. ad 29; quæ ad Jurisprudentiam, Historiam & Politicam spectant, mensi Febuario a pag. 121 ad 166 inserta leguntur. Nobis per instituti rationem non licet esse tam prolixis: pauca vero e tanta rerum optimarum copia & varietate speciminis loco exhibere, supervacaneum foret; cum vel solum Grotii, at quanti viri! nomen abunde opus hoc commendatum Orbi Litterato reddat. Itaque id unum agendum nobis superesse videtur, ut Clarissimum Virum, a quo ingentem Epistolarum Grotii nunquam editarum farraginem ac thesaurum possideri compertum habemus, publico rogemus nomine, ne diutius latere eum apud se sinat, sed Orbi Erudito quamprimum impertiatur.

*MEMORIE DE' VIAGGI PER L' EUROPA CHRISTIANA &c.*

id est,

Historia itinerum per Europam Christianam, perscripta a Joh. Bapt. Pacichello. Pars III & IV.

Neapoli apud Jac. Raillard 1685 in 12.

**E**Xhibuimus in Actis proximo Septembri publicatis priores duos operis hujus tomos: posteriores duos, nulla re prioribus inferiores, nunc sistemus, eadem qua in illis ratione usuri, ut aliquibus saltem ex ingenti copia decerptis Lectori salivam ad ipsum librum pervolvendum moveamus. Tomo ergo III, Epistola LV accurata &

Tttt 3



narratio habetur solennium honoris titulorum, prout isti ex *Ca-*  
*cellaria Imperiali Europæis Principibus dispensari solent. Epistola*  
 inde LVII complura de Bibliothecæ & Cimelii Cæsarei opulentia :  
 LXI vero lapidis sepulchralis Comitum de Serini & Frangipani  
 memoriæ in Neostadiensi cœmiterio erecti inscriptionem conti-  
 net. Epistola LXIV Auctor iter in Superiorem Saxoniam exequi-  
 tur, & LXV occasione excursionis in Poloniam susceptæ, multa de  
 statu atque finibus Poloniæ tradit; in sequentibus vero iustas lau-  
 des Academiæ Naturæ Curiosorum persolvit. Inde jam in Italiam  
 itinere flexo, Epistola LXX Venetias, sequentibus vero Ducatum  
 Parmensem, Mutinensem, & alias Italiæ partes facunde describit;  
 conjectis in finem libri tredecim *Nicolai Heinsti* ad Auctorem Epi-  
 stolis varia eruditione refertis, & quæ vel solæ aliquod libro pre-  
 tium apud iustos tanti Viri æstimatores conciliare poterant. To-  
 mus IV luculentam jam Regni Neapolitani, *Melitæ insulæ*, atque  
 Romanæ Civitatis descriptionem continet, interjectis antiquis ali-  
 quot inscriptionibus, *Puteolis* & alibi haud ita pridem effosus, nec  
 hæcenus publicæ luci expositis, quibus non parum lucis ex eruditis  
 Auctoris conjecturis subinde subnexis accedere potest. De cæte-  
 ro, sicut in prioribus Tomis nævos quosdam tam venusto corpori ad-  
 sperfos notaveramus: ita ne quidem posteriores ab iisdem immunes  
 deprehendere licet, quos tamen B. L. dexteritati emendandos re-  
 linquimus, nunc quidem facile citra notam Pacichellum transmi-  
 suri, nisi istud a nobis officium pietas Serenissimo Electori Saxo-  
 niæ Johanni Georgio II, cœlo jam pridem recepto, debita flagita-  
 ret, ne silentio agnita videatur criminatio, qua Epistola LXIV  
 tanto Principi libelli Auctor præter meritum insultat; quasi is  
 familiari hæreticis (verba sunt Pacichelli) errore, unumquemvis qui  
 vitæ integritate ac bonorum operum studio hominis Christiani  
 ideam exprimat, salutem æternam, nullo diversitatis dogmatum  
 circa Christiana sacra respectu, consequi posse persuasus fuerit.  
 Cui quidem calumniæ, ne perpluat, alia mox subnectitur, quasi Se-  
 renissimus Elector anno 1674, cum Francofurti ad Moenum Impe-  
 ratorem, qui cum exercitu Egram tunc venerat, præstolaretur,  
 Missæ in suo hospicio dicendæ facultatem Pontificiis aliquando con-  
 cedere voluerit, vix quingentorum imperialium munere, quo mi-  
 nus

nus id fieret, ab Augustanæ fidei consortibus oblato prohibitus. Nec minus in Serenissimam familiam Electoralem Saxonicam injuriosus censendus est Auctor, dum ex Serenissimis Electoris tunc imperantis Fratribus quendam sacra Pontificia palam profiteri confitiguit. Nimirum hoc Ithacus velit & magni mercentur Attidæ. Sed Potentissimum quidem Electorem, ejusque Fratres Serenissimos, facile pietas toti orbi notissima, ipsaque veritas evidenter absolvit; imo ne fatis quidem decore fabulæ superioris de Electore scenam adornare videtur Pacichellus, aut condigno apparatu commentum instruere, cum Francofurtum nominat. Nam Egræ quidem gloriosissimæ memoriæ Princeps Cæsarem invictissimum circa hæc tempora (non anno 1674 tamen, sed anno 1673) convenit, Francofurti vero nunquam fuit, nisi anno 1658, cum de eligendo Imperatore ageretur: neque profecto Dresda Egram contendenti per Francofurtum iter est. Denique cum manifesto temerarium sit Auctoris judicium, quod vix triduanus hospes de Lipsiæ nostræ moribus ferre sustinuit, digito hæc indicasse suffecerit, apud æquos rerum æstimatores fidem nunquam inventura, nec proinde digna, quibus refutandis tempus & operam melioribus debitam impendamus.

## INDEX

### AUCTORUM AC RERUM.

#### I. Theologica & ad Historiam Ecclesiasticam Spectantia.

<b>D</b> efensio Relationis de Antonia Burignonia, Actis Eruditorum Lipsiensibus Mens. Jan. A. 1686 inserta; adversus Anonymi famosæ chartæ &c.	p. 233
Anonymi Responsio ad quæstiones quasdam propositas a Duce Buckinghamia, de Tolerantia Religionum.	12
Anonymi Dialogus de Reunione Religionum, & de Quæstione: An liceat penis aut premiis uti ad convertendos hæreticos.	47
Anonymi Admonitio ad illos, ex quibus quondam Pictorum Ecclesia constabat, quique nunc sub oppressione gemunt.	168
	Ano-

# INDEX

<i>Anonymi Articuli Remionis inter Proteſtantes Auguſtina Confeſſionis &amp; Reformatos</i>	297
<i>Anonymi Compendium Historia de Congregatione ſub Pontificum, Clemente VIII. &amp; Paulo V. habita in quaſtione de Auxiliis gratia im-</i>	38
<i>na</i>	38
<i>Rabbi Abrahami, Mardochai filii liber inſcriptus: Benignitas Abrahami</i>	88
<i>Natalis Alexandri ſelecta Historia Eccleſiaſtica capita &amp;c. Seculi XV &amp; XVI pars prima</i>	434
<i>Anthonii Arnaldi Reflexionum in Systema novum de Natura &amp; Gratia liber ſecundus, de ordine gratia</i>	235
<i>liber tertius de Jeſu Chriſto, quatenus cauſa eſt gratia</i>	336
<i>Jacobi Balnage Diſſertationes ad Chryſoſtomi epistolam ad Caſarum</i>	563
<i>G. Bodani Doctrina Veritatis, qua eſt ſecundum pietatem</i>	34
<i>Jacobi Boileau Liber Ratraanni de Corpore &amp; Sanguine Domini, Gallice verſus cum notis</i>	43
<i>Thoma Brunonis Diſſertatio de Therapeutis Philonis</i>	138
<i>Joannis Benediſti Carpozvii Introductio in Theologiam Judaicam</i>	629
<i>Wilhelmi Cave Historia Sanctorum Apoſtolorum, duorumque inſuper Evangeliſtarum Marci &amp; Luca</i>	254
<i>Chryſoſtomi Epistoła ad Caſarium Monachum</i>	563
<i>S. Clementis Epistoła dua ad Corinthios cum notis Pauli Colomeſii</i>	138
<i>Jobannis Clerici Defenſio Judiciorum quorundam Theologorum Hollandia de Richardi Simonis Historia Critica Vet. Teſt.</i>	363
<i>Gregorii Nonnii Coronel Acta Congregationis ſub Clemente VIII. de Auxiliis Gratia habita</i>	333
<i>Jobannis Baptiſta Cotelerei Eccleſia Graca monumentorum Tomus tertius</i>	381
<i>P. Jobannis Dez Traſſatus de Reunione Proteſtantiſmum Argentoratenuſum cum Eccleſia Romana</i>	384
<i>Hugonis Grotii Diſſertatio de S. Cæna adminiſtratione, ubi Paſtores non ſunt; item an ſemper communicandum per Symbola? cum diverſorum, Dionyſii Petavii, Cloppenburgii &amp; Henrici Dodvvelli Reſponſionibus</i>	445
<i>Henr. Hammondi Doſtoris Theologi Opera</i>	122
<i>Job. Harduini de Baptiſmo Quaſtio triplex</i>	303
<i>Abra-</i>	

## AUCTORUM ET RERUM.

<i>Abrahami Heidani Corpus Theologia Christiana</i>	313
<i>Job. Henr. Heideggeri in Viam Concordia Protestantium Ecclesiastica Manuductio</i>	189
<i>Ulrici Huberi de Concurſu Rationis &amp; Scriptura Liber</i>	405
<i>R. Jehudæ Ben R. Niſan, Sepher Betb Jebuda</i>	639
<i>Fr. Johannis Pariſenſis Prædicatoris de Modo exiſtendi Corpus Chriſti in Sacramento Altaris alio, quam ſi ille, quem tenet Eccleſia</i>	135
<i>Petri Jurieu Novum Systema de Eccleſia &amp; Analyſi Fidei</i>	142. 182
<i>Judicium de Methodo &amp; rigida, &amp; laxiori in explicanda gratia &amp; providentia Dei</i>	148
<i>Chriſtiani Kortholdi de Proceſſu diſputandi Papiſtico Tractatus</i>	205
<i>De variis Scriptura editionibus Tractatus Theolo- gico-Hiſtorico-Philologicus</i>	210
<i>Job. Mabillon &amp; Mich. Germain Muſeum Italicum</i>	593
<i>Ludovici Maimburgii Hiſtoria Pontificatus S. Leonis Magni</i>	610
<i>P. Malebranchii Epistoſa ad amicum, in quibus reſpondet ad Reſſio- nes Arnaldi in Tractat. de Natura &amp; Gratia</i>	212
<i>Epistoſa adverſus eas, quas Arnaldus edidit</i>	477
<i>Johann. Marckii Exercitationes Juveniles, ſive Selectarum Diſputa- tionum Textualium &amp;c. ſaſciculus</i>	377
<i>Raymundi Martini Pugio Fidei adverſus Mauros &amp; Judaos &amp;c.</i>	6. 9
<i>Michael de Molinos Manuductio Spiritualliu &amp;c.</i>	589
<i>Auguſti Pfeifferi Theologia ſeu potius Metaologia Judaica atque Me- hammedica Principia ſubleſta &amp; fruſtus peſtilenties</i>	348
<i>Seraphini Piccinardi de Novitio Opere, quod inſcribitur Prædeſti a- tus, nova quaſtio Hiſtorico-Theologica</i>	271
<i>Samuelis Pufendorſii de Habitu Religionis Chriſtiana ad vitam civil m liber ſingularis</i>	345
<i>Philippi Riboudealdi Sacrum Dei Oraculum Urim &amp; Thummim a va- riis Johannis Spencers cogitationibus liberum</i>	488
<i>Pompeji Sarnellii Epistoſa Eccleſiaſtica</i>	172. 248
<i>Johannis Adami Scherzeri Breviarum Theologicum Hülſemannianum enucleatum &amp; auctum</i>	242
<i>Johannis Schmidii in Prophetas minores Commentarius</i>	57
<i>Sebaſtiani Schmidii Commentarius in librum I Samuelis</i>	429
<i>in Prophetam Hoſeam</i>	429
Uuuu	Seba-

## INDEX

<i>Sebastiani Schmidii Commentarius in I Johannis Epistolam</i>	429
<i>Pauli Segnerii Concordia Laboris &amp; Quietis in Oratione, in Responso ad Religiosum quendam descripta</i>	19
<i>Rabbi Simeon Jalkut Schimboni</i>	65
<i>Richardi Simonis Prioris Bollevillani Epistola de Inspiratione librorum sacrorum, cum responso ad librum, cui titulus: Defensio Judiciorum quorundam Theologorum Hollandiae</i>	367
<i>Michaelis Siricii Ostensio Fundamentalium Abominationum Papatus circa Religiosum Creaturarum cultum</i>	98
<i>Thomae Smith Ecclesiae Anglicanae Presbyteri Miscellanea</i>	92
<i>Christophori Sontagii Tituli Psalmorum</i>	234
<i>Friderici Spanhemii Historia Imaginum restituta, praecipue adversus Maïmburgium &amp; Alexandrum</i>	668
<i>Philippi Jacobi Speneri Disquisitio de Natura &amp; Gratia</i>	500
<i>Wilhelmi Tenzelii Judicia Eruditorum de Symbolo Aibanasiano studiose collecta &amp; inter se collata</i>	541
<i>Francisci Turretini Disputationes de Necessaria Secessione nostra ab Ecclesia Romana &amp; impossibili cum ea Syncretismo</i>	449
<i>Casparis Ziegleri de Episcopis, eorumque Juribus, Privilegiis &amp; veneratione liber Commentarius</i>	198

### II. Juridica.

<i>Job. Christophori Heroldi Tractatus novus de Jure Ratihabitionis</i>	487
<i>Petri Lemée Forensia quadam Opuscula</i>	162
<i>Theodori Mohr Tractatus de duobus Reis</i>	549
<i>Job. Baptiste Neri Commentarium in Librum I Institutionum Juris Canonici</i>	267
<i>Job. Christophori Schambogen Praelectiones Publicae in Justiniani Institutiones Juris</i>	311
<i>Job. Schilteri Herennius Modestinus, sive Fragmenta libri utriusque Evgeniarum, Commentario illustrata</i>	371
<i>Petri Stockmans Opera omnia, nunc primum in unum corpus collecta</i>	113

### III. Medica & Physica.

<i>Pix Magnetica Variationi Declinationis haud obnoxia, inventa Parisiis ab Academia Regia scientiarum</i>	485
	<del>480</del>

# AUCTORUM ET RERUM.

<i>Anonymi Orophilus confusus, sive Ars convicta impostura in Usu Venæ- sectionis</i>	127
<i>Anonymi Tractatus de Magnete</i>	424
<i>Davidis Abercrombii Opuscula Medica</i>	508
<i>Dn. de S. Andrea Meditationes nova circa causas morborum eorumque symptomata</i>	686
<i>Stephani Blancardi Anatomia nova reformata; nec non Tractatus de Balsamatione corporum, nunquam antea ita divulgata</i>	162
<i>Roberti Boyleii Tentamen magnorum effectuum languidi etiam &amp; inob- servati motus, cui annectitur Discursus de causis salubritatis &amp; in- salubritatis aeris ejusque effectuum parum observatis</i>	68
<i>De Ipsa Natura Disquisitio</i>	190
<i>Benjamini Broëckhufii Rationes Philosophico-Medica, Theoretico- Practica</i>	581
<i>Johannis Brovvn Epistola de Hepate quodam manifeste &amp; ad oculum glanduloso</i>	26
<i>Pauli Casati de Igne Dissertationes Physica, in quibus plura ad ignis naturam spectantia Physice explicantur, &amp; Physicam explicandi Me- thodum cum Aristotele consentire ostenditur</i>	409
<i>Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Opera omnia Physiologica &amp; Ana- tomica</i>	244
<i>Claudii Fouetii Systema Balnearum &amp; Aquarum Mineralium Vi- ciacensium, fundatum super doctrina de Acido &amp; Alkali</i>	684
<i>E. Halley Historica Supputatio ac Ætiologia Physica Ventorum Stato- rum ac Motionum, qua intra ac prope Tropicos in mari observantur</i>	509
<i>Pauli Hermanni Catalogus Plantarum Horti Academici-Lugduno Ba- tavi</i>	245
<i>Emanuelis König Regnum Minerale</i>	54
<i>Lealis Lealis de Partibus Semen conscientibus in viro, Epistola ad Do- minicum de Marchetis</i>	229
<i>Marcelli Malpighii Opera omnia</i>	16
<i>Johannis Muys Praxi Chirurgica Rationali, sive observationes Chi- rurgica. Decas V.</i>	396
<i>Podalirius Redivivus</i>	399
<i>Dionysii Papini Continuatio Novi Digestoris Ossium</i>	276
Uuuu 2	Diony-

## INDEX

<i>Dionysii Papini Augmenta quadam &amp; Experimenta nova circa Austriam Pneumaticam, partim in Anglia, partim in Italia facta</i>	325
<i>Johannis Raji Historia Plantarum Tom. I.</i>	105
<i>Augusti Quirini Rivini Observatio Anatomica circa poros in piscium cute notandos</i>	160
<i>Observationes Anatomica circa congressum, con- ceptionem, gestationem parturum, ranarum</i>	284
<i>Wolfferdi Senguerdi Philosophia Naturalis. Editio secunda, priore auctior</i>	195
<i>Francisci Spoleti Dissertationes dua. I. de Momento quo gravia ni- suntur deorsum &amp;c. II. de Secretione Bilis in Hepate</i>	617
<i>Jacobi Sylvii Novissima Idea de Febribus</i>	305
<i>Jacobi Tollii Fortuita, in quibus praeter Critica nonnulla, tota Fabula- ris Historia, Graecae, Phoeniciae, Aegyptiacae ad Chemicam pertinere asseritur</i>	393
<i>D. T. Relatio de insignibus novi cujusdam Speculi Ustorii effectibus</i>	52
<i>Medicina Mentis, sive Tentamen genuinae Logicae; &amp; Corporis, sive cogitationes admodum probabiles de conservanda sanitate</i>	207
<i>Francisci Willougbeji de Historia Piscium libri IV, editi a Job. Rajo</i>	169

### IV. Mathematica.

<i>Anonymi Eclipsis Solis observata Lipsiae d. 1. Maji A. 1687</i>	348
<i>Jacobi Bernoulli gemina Appendix ad Examen Perpetui Mobilis, in- sertum mensi Decembri Actuum A. 1686</i>	314
<i>Solutio Algebraica Problematis de Quadrisectione Trian- guli Scaleni per duas normales rectas</i>	617
<i>Marci Antonii Cellii Nova Machina transferendis in charta pithu- ris quibusque, etiam a rei pictoris ignavis, ope Camera obscura por- tabilis</i>	701
<i>Detblevi Culveri Monitum ad Geometras</i>	585
<i>Georgii Christophori Eimmarti Observatio Eclipsos Lunaris d. 19. Nov. A. 1686</i>	157
<i>Davidis Gregorii Exercitatio Geometrica de Dimensione Figurarum</i>	196
<i>Godofredi Kirchii Stella in Cygno fixa, alternis temporibus visa &amp; in- visa, vicissitudines observata</i>	647
<i>Adami</i>	

## AUCTORUM ET RERUM.

<i>Adami Adamandi Kochanski Mensura universales Magnitudinum ac Temporum</i>	259
<i>Francisci Maurolici Monumenta omnia Mathematica Archimedis Sy- racusani</i>	543
<i>Guilielmi Molineusii Novum Inventum adaptandi Telescopium Scia- terico Horizontali, ad observanda temporis momenta interdiu at- que noctu</i>	623
<i>Henrici Caspari Nuis Usus Reſtanguli Catholici Geometrio-Astrono- mici</i>	247
<i>Wilhelmi Petty Tentamina Aritbmetico-Politica circa amplitudinem Civitatis Londinensis</i>	545
<i>Gosbofredi Teuberi Novum genus Hygrometri minutissimas aeris mu- tationes ostendens</i>	76
<i>D. T. Additamentum ad Methodum quadrandi curvilineas figuras, aut earum impossibilitatem demonstrandi per finitam seriem</i>	524
<i>I. F. V. Exegetes Physico-Mathematica de Momentis gravium, de Velte, de Motu equabiliter accelerato</i>	197

### V. Historica & Geographica.

<i>Anonymi Vita Johannis Claudii</i>	657
<i>Benedicti Baccini &amp; Gaudentii Roberti Ephemerides Eruditorum Pax- mensis A. 1686.</i>	29
<i>Bobuslai Balbini Miscellaneorum Historicorum Regni Bohemia, Deca- dis I. Liber VII de Ducibus ac Regibus Bobemia</i>	605
<i>Marchionis de Beauvau Commentarii ad Historiam Caroli IV Loba- ringia &amp; Barri Ducis pertinentes</i>	670
<i>Gilberti Burneti Historia Reformationis Ecclesiasticae in Anglia</i>	38
<i>Animadversiones in Librum IX Historiarum Antonii Varil- lasi de mutationibus, quae circa religionem in Anglia contigerunt</i>	65
<i>Iter in Helvetios &amp; in Balam, partesque quasdam Ger- mania &amp; Gallia, annis 1685 &amp; 1686 susceptum, cum Illu- stris alicujus Viri Annotationibus de Helvetiis &amp; de Ita- lia</i>	551
<i>Johannis Antonii Cavazzi Descriptio Historica trium Regnorum, Con- go, Matamba &amp; Angala, in Aethiopia Inferiori Occidentali sitorum</i>	649

Uuuu 3

Cברי-



# INDEX

<i>Christophori Cellarii Geographia Nova, sive hodiernam Terrarum Orbis faciem clarissime illustrans, ad nostrorum temporum Historias accommodata</i>	33
<i>Johannis Chardini Diarium Itineris in Persiam &amp; Indiam Orientalem, per Pontum Euxinum &amp; Colchidem</i>	1
<i>Equitis Chaumontii Historia Legationis suae in Aula Regis Siamensis administrata</i>	107
<i>P. M. Coronelli Commentarius Historicus &amp; Geographicus de Morea, Negroponte &amp; locis maritimis usque Thessalonicam</i>	582
<i>Wilhelmi Dugdale Exactum Apographum Universarum Nobilitatis ad Parliamenta Anglicana Citationum, inde ab anno 49 Henrici III ad haec usque tempora</i>	169
<i>Faberti Historia Ducum Burgundiae</i>	360
<i>Jacobi Wilhelmi Im Hoff Notitia S. Rom. Germ. Imperii Procerum Historico-Heraldico-Generologica</i>	300
<i>Spicilegium Rittersbusiani Pars posterior, sive Tabula Generologica XXXX.</i>	301
<i>Excellentium Familiarum in Gallia Generologica</i>	302
<i>Johannis Mabillon &amp; Michaelis Germain Iter Italicum Literarium</i>	593
<i>Henrici Meibomii Manuductio ad Saxonia Inferioris imprimis Historiam</i>	269
<i>Johannis Meursii de Regno Laconico libri II: de Piraeo Liber singularis; &amp; in Helladii Christomatiam Animadversiones</i>	408
<i>Job. Baptista Pacichelli Historia Itinerum per Europam Christianam, Pars I &amp; II</i>	503
<i>Pars III &amp; IV</i>	603
<i>Ricardi Parr Vita Jacobi Usserii, cui subjungitur Sylloge 300 Epistolarum inter ipsum aliosque reciprocatarum</i>	113
<i>Pauli Pezronii Antiquitas temporum restituta &amp; defensa contra Ju- daeos ac recentiores Chronologos</i>	465-529
<i>Johannis Ludovici Praschii Assertio Reipublica Achaica ejusdemque cum Germanica Comparatio</i>	99
<i>Cl. Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, cum variorum &amp; Th. I. ab Almeloveen notis</i>	509
	C. Cor-

# AUCTORUM ET RERUM.

<i>C. Cornelii Taciti Opera quae exstant, ex recensione &amp; cum animadversionibus Tb. Ryckii</i>	349
<i>Vitalis Terra Rossa Reflexiones Geographicae circa Terram Incognitam</i>	9
<i>Antonii Varillastii Historiae Revolutionum, quae in Europa occasione Religionis acciderunt, Tomus III.</i>	455
<i>Tomus IV.</i>	492
<i>Du Vignau Status praesens potentiae Ottomanicae cum causis incrementi &amp; decrementi illius.</i>	677
<i>Guilielmi Winstanley Vita celebriorum Poetarum Anglorum</i>	578
<i>Johannis Zonarae Annales, cum notis Caroli du Fresne</i>	663
<b>VI. Philosophica &amp; Philologica Miscellanea.</b>	
<i>Anonymi Relatio de Anaglypho antiquo recens invento</i>	29
<i>Academiae Francicae Dictionarium Magnum</i>	372
<i>A. Bailleti Judicia Eruditorum de Poetis</i>	574
<i>Conrarti Tractatus de Actione Oratoris, sive de Pronunciatione &amp; gestu</i>	17
<i>Baribolomai Crasli de Planura Dominis Elogia &amp; Carmina</i>	42
<i>Gisberti Cuperti Harpocrates, sive Explicatio Imagunculae, quae in figuram Harpocratis formatae representat Solem. Eiusdem Monumenta antiqua</i>	693
<i>Raphaelis Fabretti ad Gronovium Apologema</i>	216
<i>Graveroli Dissertatio de Nympha Graeco aeneo Imperatoris Trajani</i>	646
<i>Jacobi Gronovii Epistola de Pallacopa, ubi Descriptio ejus ab Ariano facta liberatur ab Isaaci Vossii frustrationibus</i>	224
<i>Hugonis Grotii Epistola</i>	763
<i>Amelosi de la Houssaie Moralia Taciti de Adulatione</i>	85
<i>Ulrici Huberi Specimen Philosophiae civilis &amp; studendi bonis libris</i>	404
<i>P. Augustini Laurentii de Triplici Ente Cursus Philosophicus</i>	527
<i>Johannis Leusdeni Lexicon novum Hebraeo-Latinum</i>	311
<i>Nicolai Lloydii Dictionarium Historicum, Geographicum, Poeticum</i>	111
<i>Luciani Samosatensis Opera Graeco-Latina, cura doctorum virorum notis, ex recensione Job. Georgii Grævis</i>	570
<i>Rolandi Maresii Epistolarum Philologicarum Libri III, cum aliquot Amicorum ad eum, nec non aliorum Cl. Virorum ad alios epistolis, curante L. Ad. Rechenbergio</i>	47
	Egidii

## INDEX AUCTORUM &c.

<i>Aegidii Menagii Poemata.</i>	573
<i>Stephani le Moine Epistola de Melanophoris</i>	693
<i>Andrae Mulleri Speciminum Sinicorum Decima de Decimis, una cum Mantissa</i>	129
<i>Gulielmi Robertson Thesaurus Linguae sanctae</i>	308
<i>Manipulus Linguae sanctae &amp; eruditorum</i>	311
<i>Francisci Sanctii Minerva, sive de causis Latinae Linguae Commentarius, cum notis Casparii Scioppii &amp; Jacobi Perizonii</i>	607
<i>Andreae Erasmi a Scidel de Numo Vetrantonis Aureo Epistola</i>	644
<i>Ostbonis Spertlingii, Dissertatio ad Numum Furiae Sabiniae Tranquilli- nae</i>	645
<i>D. T. Medicina Mentis, sive Tentamen genuinae Logicae.</i>	702
<i>Isaaci Voslii Variarum Observationum Liber, cui annexa ejusdem Responsio ad Objectiones Criticae Sacrae Simonianae</i>	217
<i>Observationum ad Pomponium Melam Appendix; Ejusdemque ad tertias P. Simonii objectiones Responsio, cum Pauli Colo- mesii ad Henricum Justellum Epistola Gallica</i>	220
<i>Johannis Christophori Wagenfseilii Exercitationes sex varii argumen- ti</i>	640
<i>Christiani Weisii Institutiones Oratoriae ad Praxin hodierni seculi ac- commodatae</i>	78
<i>Matthiae Zimmermanni Florilegium Philologico-Historicum</i>	464

## ERRATA

Pag. 65. l. ii. lege *Atheismi*. P. 103. l. 21. lege *ad Ogygum*. P. 583.  
l. 9. pro *Pylam* lege *Pylum*. P. 658. l. 22. lege *Ecclesiam*. P. 667. l. 4.  
lege *subjuncta*. Non dubitamus, errata plura deprehensum hic illic  
iri, sed ea facile Lector Benevolus condonabit.







!

